Universidad de Deusto
Biblioteca

STANISLAI HOSII

OPERA

Universidad de Deusto
Biblioteca

D.

STANISLAI HOSII S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS, MAIORIS POENITENTIARII, ET EPISCOPI VARMIENSIS.

OPERVM

TOMVS SECVNDVS.

Quæ nunc primùm in lucem prodeunt, opera & studio,

STANISLAI RESCII.

Catalogum eorum sequens pagina indicabit.



COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
Anno M. D. LXXXIIII.
Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TOMI II. OPERA.

De oppresso Dei verbo Libellus.
De Actis cum diuersis Hæreticis.
Volumen Epistolarum.
Examen siue Excussio Confœderationis Hæreticorum.
Altera excussio eiusdem Confœderationis.
Orationes funebres duæ, in exequijs duorum Regum Poloniæ, Sigismundi Primi & Secundi recitatæ.
Eiusdem auctoris Testamentum ex manuscriptis aduersarijs excerptum.
Stanislai Rescij epistola de transitu & dormitione auctoris Eiusdem ODE Lugubris.

STEPHANO PRIMO

POLONIAE REGI

POTENTISS. MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASSOVIAE, *Samogitiæ, Liuoniæ, &c. Transyluaniæ Principi, D. Domino clementissimo.*

STANISLAVS RESCIVS PRESBYter, Seruitutem & orationes suas commendat.

TSI multa & illustria diuinæ bonitatis & misericordiæ in patriam nostram extent argumenta, quæ in omni rerum & temporum varietate ab ipsis adhuc orientis Regni Poloniæ temporibus eluxerunt: nullum tamen hoc uno maius, nullum ad muniendam uiam salutis efficacius commemorari potest, quàm quòd ab eo tempore, quo Christi recepit Euangelium per Sexcentos ferè continuos annos, nunquam se passa est in aliud quoduis Euangelium transferri: sed quam semel ab una Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia fidem didicerat, eam semper & animo, & voluntate summa, magna cum pietatis & constantiæ laude conseruauit: etiamsi non defuerint in cæteris orbis Christiani partibus hæretici, qui doctrinæ suæ fœditate maiorum quoque nostrorum animos simplicis veritatis amicos inquinare, ac de statu mentis, de gradu constantiæ dimouere conabantur. Iconomachorum hæresis, quæ sanctorum imagines ex omni rerum natura cum puluisculo, quod aiunt, tollendas susceperat, cum sese Imperatorum fascibus & securibus contra Ecclesiam Dei armauisset, non solum Asiam unde videtur initium accepisse, verum & alias nonnullas orbis Christiani prouincias inquinasse memoratur. Berengarij perfidia, qui præsentiam Christi corporis & sanguinis in Eucharistia negare ausus est, erroris sui maculis Galliam aspersit: Bogomilorum impietas, quæ S. Trinitatem & sacræ scripturæ libros in ordinem cogere nitebatur, longe late pestem suam euomuit. Petrobrusiani & Henriciani incredibili audacia usi, omnia diuina humanaq; iura sursum deorsum miscuisse turbasseq; referuntur. Albingenses, Lollardi, Flagellantes, errores suos multorum animis afflauerunt. Vicclefistæ magnam Angliæ partem fœdissima doctrina contaminauerunt. Ad extremum etiam Valdenses, Hussitæ, Piccardi, Rocchesani vicinam nobis Bohemiam à via veritatis abstraxerunt, & in pestiferas sectas mirandum & miserandum in modum dissectas distraxerũt. Factum est tamen singulari Dei misericordia, vt patria nostra virginem se castam exhiberet Christo: nec vllius hominis verbum pro Dei verbo reciperet: nec ab ea fidei regula discederet, quam initio ab Apostolicis viris, orthodoxis Episcopis, & doctoribus, Deoq; amabilissimis martyribus Adalberto Gnesnens. & Stanislao Cracouiens. veris verbi Dei ministris & dispensatoribus acceperat. Imò verò quod omni laude & prædicatione dignissimum esse statuo: vt omnem in Regnum aditum omnibus pestibus maiores nostri, optimi illi & sapientissimi viri præcluderent, publico omnium Regni ordinũ consensu & approbatione sanciuerũt: vt si quis hæreticales errores (hæc enim ipsa sunt sanctissimæ legis verba) facere vel promittere vellet, contra talem siue tales cuiuscunq; status, gradus, præeminẽtiæ, fuissent, & in eorum destructionẽ consurgere deberent, nec pro eis loqui vellent aliquod verbum, sed eos & eorum quemlibet talem punire vellent, & promittere rent. Plus aliquid addam. Regnum Bohemiæ semel & iterum ad Reges Poloniæ delatum refutare maluerunt, quam in eos imperium obtinere, qui suaue Christi iugum per vicarium suum Romanum Pontificem Ecclesiam suam gubernantis excusserunt. Existimabãt enim difficile esse, eos in potestate cõtinere, qui in sua potestate non essent, vel vt propryjs Regum nostrorum verbis vtamur, religionem sibi esse iudicabant apud

(?) hæreticos

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæreticos regnare. Quo factum etiam esse puto (solet enim Deus in conseruanda religione constantiam immortalibus beneficijs cumulatè compensare) vt Regnum quod à minimis initijs sumpserat exordium, amplissimarum Prouinciarũ accessione locupletatum, in tantam hanc, quam videmus, amplitudinem & maiestatem excreuerit, vt à Palude Mœotica siue Ponto Euxino ad mare vsque Balticum pertingat, & vicissim à Borysthene vsque ad Oderæ littora extendatur: ijs præterea sit legibus descriptum, ijs moribus constitutum, vt non esse pertimescendum videatur, si modo officij sui religionem tueri conseruare q. voluerit, ne status illius vel diuini iudicij seueritate peruertatur, vel Regia potentia opprimatur, vel optimatum diuisione scindatur, vel hostium armis euertatur, vel populari confusione perturbetur. Nam & sacerdotem habet à quo de colendi veri Dei ratione instruatur: & Regem habet ne multorum imperio distractum, dilaceretur: & senatum habet ne Rex in consideratè ruat: vel aliquid in subiectos sibi populos furenter & temere moliatur: & equites habet, ne quis impunè pestem & exitium in capta ciuiũ machinetur: & populum habet ne vitæ præsidijs & comoditatibus destituatur. Sacerdos est endit quibus vestigijs ad beatorum sedes eundum sit: Rex è suo eminenti solio prospicit, vt ius cuiq. suum seruetur: Senator consilia, suggerit, vt idipsum iuste prudenter & moderatè exequatur. Eques armatus hastas & gladios tenet, vt quando iussus fuerit, Regijs conatibus obsistentes reprimat: Populus prouidet, vt ne quid ijs qui in speculis Reipub. positi, pro Dei gloria patriæq. salute, excubant, ad vitæ conseruationem deficiat. Quam Reipub. factem maiores illi nostri optimo consilio vsi, in omni societatis humanæ moderatione tribus illis Rerumpub. generibus anteponendam esse putauerunt: eamq. in patria sua constitutam vetustate q. corroboratam nobis tradiderunt: atq. commiserunt: vnde consecutum hoc quoque est videmus, vt si qui fuerunt qui patriæ nostræ pacem & tranquillitatem armis suis vexandam atq. perturbandam put auerunt, illire & veritate experirentur, quã difficile sit statum it a constitutæ Reip. peruertere: quamq. Polonis essent omnia ad frangendos inimicorum impetus expedita. Moschorum apud Orsam octogintamillia non magna nostrorum manu vno die profligata legimus, Scytarum belluinam illam feritatem, qui soli propemodum olim contra Romanorum potentiam id ausi sunt, quod reliquarum nationum fugisset & reformidasset audacia, magnis tamen & memorabilibus prælijs aliquoties repressam, apud Ocrakouiam autem & Visneueciam ingenti clade accepta, magnopere diminutam accepimus. Turcarum autem armata quis hoc tempore non reformidanda putet? experti tamen ij quoq. sunt magno suo incommodo, cum in Valachia tum in Russia, neminem posse patriæ nostræ exitium, sine suo exitio machinari, vel sicut quidam de Romanis scriptum reliquit, nil esse difficilius quã armati Poloni latus fodere: adeò vt Mahometes Turcarum Rex à Casimiro III. & Baiazetes à Ioanne Alberto Poloniæ nostræ Regibus amplissimis oblatis muneribus pacem & amicitiam petere cogerentur, De Gruneualdensi victoria quo loco quinquaginta amplius rebellium Crucigerorum vno die maiorum nostrorum armis cecidissent, non est huius loci & tẽporis memorare. Et certè si maiores illi nostri laudis & gloriæ paulo fuissent cupidiores, quàm pacis & libertatis conseruandæ studiosiores: quibus rebus Pomerania Resp. in tantam olim amplitudinem excreuisse memoratur, quacunq. impetum tulissent, victorias & triumphos reportassent: sed sua fortiter tueri, quàm contra Christi præceptum aliena appetere maluerunt: summam scilicet fœlicitatem, existimantes sicut magnum illum Ioannem à Lasko Archiepiscopum Gnesnen. Lauredano Venetorum Duci respondisse legimus, si nõ transcensis finibus alienis sua fortiter tueri, cæteris q. nationibus contra barbarorum irruptiones pro fide & Repub. Christiana præsidio esse liceret.

Has itaq. victorias, hanc Reip. faciem, hæc pacis belliq. consilia quid nobis aliud peperit non video, quã constans & perpetua laus integræ & incorruptæ fidei Christianæ conseruatæ. Sed maiorem etiam diuinæ bonitatis & misericordiæ magnitudinem animaduerte. Cum Sathanas in vicina nobis Germania Lutherum Antichristi præcursorem, insigne illud Dei omnipotentis odium, (& si homines odissent quos oportet, etiam omnium hominum) ab inferis suscitasset, vt pacem Ecclesiæ Catholicæ perturbaret, & omnia diuina humanáque tura sursum deorsumque ageret: visumque etiam esset iusto, sed tamen nobis occulto Dei iudicio patriæ quoq. nostræ constantiam, & soliditatem per Luthe ranos Pseudoprophetas pertentare, vtrum essemus maiorum nostrorum similes, an alicuius hominis nil sibi non arrogantis, nil cæteris non detrahẽtis amorem, eius amori anteponeremus: ne ... defuissent, qui Christiana maiorum fide reprobata, Lutheranam pertidiam (o turpem notam temporum nostrorum) sequi, quam in susceptæ propositaq. sententia permanere maluerunt: omnia vicissim benignissimus ille Pater remedia præparauit,

rauit, quibus homines amentes & in omnibus vitæ consilijs præcipites, ad mentem officium q. reuocaret, nec vllius medicinæ facultatem patriæ quoque nostræ deesse passus est, quam cæteris omnibus Regnis & imperijs, quoties in similes laqueos inciderant, vt ex allis eriperentur, adhibere consueuerat. Magnis olim erroribus Chaldeorum populi tenebantur, cùm rerum causas ad motum syderum, non autem ad Dei potentiam & voluntatem referebant, sed misericors Dominus ferre non potuit, vt in errore turpissimo consummarentur. Suscitauit enim oportunissimo tempore admirabilem illum Patriarchã Abrahamum, qui fuit illis quasi via rectæ fidei, creatoris omnipotentiam ostendens, & à cultu & veneratione rerum creatarum auertens, Ægypty mirum in modum erant præstigiatorum artibus & incantationibus de statu mentis deturbati, sed Dominus amicum suum magnum illum Moysen exhibuit, qui dæmonum fraudes detegeret: & Dominni potentiam & gloriam per verba & miracula prædicaret. Israelitarum rationes valde erant in aliquo tempore conturbatæ, nullum enim certum magistratum habebant cuius imperio tenerentur, ecce subitò Samuel diuinus affulsit, qui magnum præsidium inclinatis rebus attulit & sub vnius imperium Dei iussu subiunxit. Achab ille Rex impius DEVM patrum suorum dereliquit, & diuinum cultum manufactis simulachris adhibuit: sed Dominus Eliam Thesbiten suscitauit, qui Regis impotentiam frangeret: atque ad vnius veri Dei cultum reuocaret. Posterioribus autem seculis, cum Arrius, Eunomius, Macedonius, Donatus, Pelagius, & alij Ecclesiæ Catholicæ desertores nouis excogitatis artibus scripturas ex scripturis, legem ex lege, Euangelium ex Euangelio, verba Christi ex verbis Christi impugnare, atq. ad eundem illum infidelitatis perfidiæq. scopulum, ad quem initio omnia semper suastudia atq. consilia Sathanas referebat: vt diceret impius in corde suo: non est Deus, etiam electos si fieri potuisset perducere atq. allidere conarentur: suscitauit iterum Dominus admirabiles illos Orthodoxæ veritatis defensores sanctitatis & eruditionis laudibus celeberrimos, Athanasium, Basilium, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, Leonem, Damascenum & alios vt Theologus loquitur. τοιούτους ϗ τηλικούτους προσάτας, qui hæreticorum melle litos gladios, fraudesque sub specioso verbi Dei titulo occultatas detexerunt, Sathanæq. consilijs vsq. ad sanguinem restiterunt, sed & his postremis Reip. Christianæ temporibus, cum primus omnium Lutherus in gremio Deo sacratæ virginis, mentem metumq. deposuisset: eumq. authorem secuti: Philippus, Oecolampadius, Brentius, Caluinus, Seruetus, Bucerus, Osiander, Lismaninus, Fricius, Ochynus, Gregorius, Laskus, Vergerius, & alia busta religionum & Rerumpub. omnium, pacem Ecclesiæ perturbare, suaq. zizania in agro dominico superseminare cœpisset: Deus bone quot in Ecclesia Dei sydera, quot doctores, quot Martyres, quot confessores, ἀπὸ μιχαΐης, quod aiunt, in omnibus orbis partibus eluxerunt, qui sese contra pestes illas pro Ecclesia Dei murum opposuerunt, & impetus aduersariorum ad euersionem Christianæ religionis incitatos, inuicto prorsus animo mortisq. & periculorum contemptore represserunt. Habuit Germania (vt ex multis paucos aliquos referamus) magnos illos & admirabiles Echios, Pflugios, Sonnios, Surios, Cochleos, Staphylos, Vicelios, Lindanos, Canisios, Heselios, Tapperos, &c. Habuit Italia Caietanos, Catharinos, Contarenos, Campegios, Sadoletos, Pighios, Lipomanos, Picos, Pios, &c. Habuit Gallia Danesios, Pamelios, Espenseos, Demochares, Sanctios, Vigoreos. Habuit Hispania, Sotos, Alphonsos, Canos, Medinas, Fontidonios, Torrenses, Viguerios, &c. Habuit Anglia, Polos, Roffenses, Moros, Arboreos, Sanderos, Hardingos, Stapletonos, Alanos, Copos. Habuit Lusitania, Osorios, Payuas, Casalios, Forerios. Habuit & habet adhuc per Dei gratiam nostra quoq. Polonia suos Hosios, Cromeros. Orichouios, Patricios, Scargas, Varsouicios, VVargouitios, Gorscios. Socolouios, Herbestos, Solicouios, Podiæq. Scopulum, ad quem initio omnia semper suastudia atq. consilia Sathanas referebat: vt diceret impius in corde suo: non est Deus, etiam electos si fieri potuisset perducere atq. allidere conarentur: suscitauit iterum Dominus admirabiles illos Orthodoxæ veritatis defensores sanctitatis & eruditionis laudibus celeberrimos, Athanasium, Basilium, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, Leonem, Damascenum & alios vt Theologus loquitur. τοιούτους ϗ τηλικούτους προσάτας, qui hæreticorum melle litos gladios, fraudesque sub specioso verbi Dei titulo occultatas detexerunt, Sathanæq. consilijs vsq. ad sanguinem restiterunt, sed & his postremis Reip. Christianæ temporibus, cum primus omnium Lutherus in gremio Deo sacratæ virginis, mentem metumq. deposuisset: eumq. authorem secuti: Philippus, Oecolampadius, Brentius, Caluinus, Seruetus, Bucerus, Osiander, Lismaninus, Fricius, Ochynus, Gregorius, Laskus, Vergerius, & alia busta religionum & Rerumpub. omnium, pacem Ecclesiæ perturbare, suaq. zizania in agro dominico superseminare cœpisset: Deus bone quot in Ecclesia Dei sydera, quot doctores, quot Martyres, quot confessores, ἀπὸ μιχαΐης, quod aiunt, in omnibus orbis partibus eluxerunt, qui sese contra pestes illas pro Ecclesia Dei murum opposuerunt, & impetus aduersariorum ad euersionem Christianæ religionis incitatos, inuicto prorsus animo mortisq. & periculorum contemptore represserunt. Habuit Germania (vt ex multis paucos aliquos referamus) magnos illos & admirabiles Echios, Pflugios, Sonnios, Surios, Cochleos, Staphylos, Vicelios, Lindanos, Canisios, Heselios, Tapperos, &c. Habuit Italia Caietanos, Catharinos, Contarenos, Campegios, Sadoletos, Pighios, Lipomanos, Picos, Pios, &c. Habuit Gallia Danesios, Pamelios, Espenseos, Demochares, Sanctios, Vigoreos. Habuit Hispania, Sotos, Alphonsos, Canos, Medinas, Fontidonios, Torrenses, Viguerios, &c. Habuit Anglia, Polos, Roffenses, Moros, Arboreos, Sanderos, Hardingos, Stapletonos, Alanos, Copos. Habuit Lusitania, Osorios, Payuas, Casalios, Forerios. Habuit & habet adhuc per Dei gratiam nostra quoq. Polonia suos Hosios, Cromeros. Orichouios, Patricios, Scargas, Varsouicios, VVargouitios, Gorscios. Socolouios, Herbestos, Solicouios, Podiæq. uodouios, Bialobrzescios, Kochanouios, (omnes enim omnium prouinciarum viros præstantissimos oratione persequi longioris subsellij negotium esse statuo) qui ciues suos ab accipienda peste nunquam auertere desierunt, ac ne nunc etiam desinunt: nil vt aliud exspectare iam debeamus, quam vt hæreticorum studia & contentiones eum exitum accipiant quem optamus, & quem acceperunt ij qui eos in simili audacia & impietate præcesserũt, quorum memoriã cum sonitu, vt ait scriptura, perijsse videmus & gaudemus. Quis illam Ariomanitarum potentiam non reformidasset, cum in perniciem Orthodoxæ fidei, cruces & equuleos fixisset? cum igne, flamma, ferro, supplicio exilio, eos omnes persequendos & euertendos suscepisset, quicunq. cum orthodoxis patribus sentire, ab Arrij verò perfidia dissentire voluissent? Orbis ipse, sicut ait Hieronymus, Arrianum se factum esse mirabatur. Quid autem ad extremum consecutum est? Vicit Christus victus est Arrius, vicit veritas occidit falsitas, Mentita est iniquitas sibi, Arrius Antichristus

Id est, tales ac tantos antistites

Id est, ex improuiso.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnium vbique votis & sententijs condemnatur. Athanasius autem, Basilius, Gregorius, & alij per quos locutus est Christus verisimis iustissimisq; laudibus in toto orbe Christiano celebrantur. Leo quoque Imperator sacris imaginibus earúmque cultoribus bellum nefarium intulit: successor eius Constantinus Copronymus simili amentia incitatus, vim totam suæ potestatis ad earum euersionem adhibuit. Deiectæ fuerunt Christi, & sanctorum eius imagines, deletæ, combustæ, contritæ, in plerisque locis sublata earum memoria putabatur. Qui verò cum Ecclesia Dei sentiebant, imaginum defensores, de suis sedibus deturbati in exilium acti, mille pœnis, mille mortibus obiecti: nemoq; non putabat, cultum imaginum in sempiternum tempus periisse. Quid autem euenit vicit Ecclesia, victa est Iconomachi perfidia, Leo damnatus est & Germanus, Epiphanius, Damascenus & alij multi Dei iudicio & orbis Christiani testimonio probatus est. Idem est hoc tempore qui fuit maiorum nostrorum Deus, æquè bonus, æque misericors, æquè salutem animarum nostrarum sitiens, idem quoque est exitus exspectandus earum pestilentium, quæ nunc magnam, pró dolor, orbis Christiani partem infecerunt. Habet enim ista quoque nostræ ætas suos, vt iam diximus, Athanasios, Ambrosios, Basilios, Gregorios, Iuones, Lantfrancos, Bedas, Thomas, Giselbertos, quibus secundas partes post sanctos istos patres solum tantum tempus tribuit: qui siue per vitam, siue per mortem, vt ait Paulus defendere Ecclesiam Dei non verentur, quibus viuere Christus est, & mori lucrum. Imò verò (quo nomine tibi Christe immortales agimus gratias) habet Constantinos, non habet Iulianos: habet Martianos, non habet Copronymos: habet Tyberios, non habet Zenones, habet Theodosios, non habet Theophilos, qui loci vocationisq; suæ memores seruiunt Domino in timore, leges quas non possunt facere nisi Reges, iustà præcipientes, & contraria prohibentes cõuenienti rigore sanciendo: quibus dei Dominus tantum velle, quantum in Christi causa velle debent, tantum posse quantum volent.

Cùm itaque inter alios præclaros & eruditos viros, quos Ecclesiæ Dei patria nostra charissima peperit, Hosium quoque, vt diximus, velut sydus quoddam ad illuminandos cæteros, atq; ad viam veritatis ostendam, in hanc lucem produxisset, nil in omni vita diuino illi viro fuit antiquius, quam vt ciues suos in maiorum fide cæteriq; pietatis officijs verbo & exemplo contineret: Lutheranæq; perfidiæ labem ab ingressu charissimæ patriæ prohiberet. Quamobrem curas suas omnes & cogitationes in hoc vno studio, & conatu defixas ante omnia habebat, vt eam religionis faciem in Regno videret, quam ante natum Lutherum viderat, cùm idē saperent omnes, eandem charitatem haberent, vnanimes idipsum sentientes, nec vlli essent vel Lutherani vel Caluiniani, sed oēs & essent, & dicerentur Christiani. Hoc in omnibus vitæ studijs & consilijs laborauit, hoc vnum vt assequeretur contendit, præ huius rei desiderio cætera omnia posteriora duxit: ita vt maiore conatu, pro salute animæ suæ laborare non potuerit, quam pro salute próxtamorum toto vitæ suæ tempore laborauit. Nunquam eum suscepti negocij pertæsum est, suam salutem, suam existimationem, in eare agi putabat: vt ne quisquam à via veritatis aberraret: neque tamen verbo magis & calamo quam re, & opere, & veritate laborauit: memor illius quod saluator ait: Qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in Regno cœlorum. Faciebat enim quod docebat, ac omnia tempora & momenta, omnes vitæ rationes tanta cum integritatis & innocentiæ laude transigebat, nemo vt eum diem viderit, quo cuiusquā interesset Hosium mori: vicissim autem nemo Christianus, nemo Catholicus esset, qui se modo eum esse meminisset, qui Hosium immortalem si fieri potuisset, esse noluisset. Habebat enim verè Abrahamicus ille senex, pectus suum omnium virtutum laudibus instructissimum, velut quoddam Spiritus sancti domicilium. Habebat intimis medullis inclusam Petri fidem, Pauli charitatem, Ioannis integritatem, Augustini doctrinam, Basilij grauitatem, Athanasij zelum, Chrysostomi eloquentiam, Ambrosij libertatem, Gregorij vigilantiam, Hieronymi seueritatē, seipsum exercebat: in conuersatione & consuetudine hominum Meletium, in contemptu vitæ Martyrijq; desiderio Cyprianum referebat, (neque enim mihi pertimescendum video, ne sanctissimi illi ac beatissimi viri inuideant, si ijsdem quibus ipsi abundabant laudibus hic illorum imitator honoretur) didicit quod docuerunt, fecit quod iusserunt, secutus est quo præcesserunt. Quamobrem etiam factus ad extremum erat, velut arca quædam virtutibus abundans, ex qua in orbem vniuersum pietatis exempla emanabant. Erat velut manus quædam, cathedram vnitatis in qua posuit Dominus doctrinam veritatis ostendens. Erat velut vox clamantis in orbe Christiano. Non est fides nisi vna, & quicquid est extra vnam fidem non fides, sed perfidia est. Erat quasi tuba, vastum in omnium auribus clangorē fundens, quod quisquis cum Romana Ecclesia in fidei doctrina non concordat, Christianum non est. Erat velut Petra quædam ad sustinendos hæreticorum impetus opposita, vt in eius constantia & soliditate palam omnibus fieret: quod Sacerdos Dei Euangelium tenens, & præcepta Dei custodiens occidi potest, vinci non potest.

Quoties hæretici Lutheranæ perfidiæ fœditatem, quam Confessionem Augustanam (Christiana enim non erat, & ab ipsis Lutheranis, **Polnischer Stiffel**/ hoc est, ocreæ Polonica, siue cothurnus vtrique pedi aptus vocabatur) dici voluerunt: interposito Comitiorum decreto, in patriam nostram introducere contenderunt? qua audacia? quo conatu? quibus artibus? quibus terroribus, vt id perficerent laborauerunt? sed obstitit eorum conatibus CHRISTI minister Hosius, vicit CHRISTVS, victus est Antichristus. Factæ sunt plagæ illorum sagittæ parvulorum. Quoties Lutherani & Caluiniani aduersarios suos, sed tamen filios suos, Trideistas & Anabaptistas ex omnibus Regni Poloniæ finibus exterminare, suam autem perfidiam tolerari, vel potius canonizari (hoc etenim verbo vti consueuerat Hosius) voluerunt, sed obstitit eorum conatibus Hosius, vicit CHRISTVS, victus est Antichristus: Quoties nationale quoddam concilium congregari, in eoque de vniuersalis Concilij Tridentini decretis disputari: & omnes Orthodoxæ fidei articulos in dubium reuocare conati sunt? & nouam præterea quandam fidiculam ex omnium Regni ordinum sententia scribi promulgariq; voluerunt? Sed obstitit eorum conatibus Hosius. Quoties in Regijs ciuitatibus templa Deo sacrata, vt in ijs Deo suo Luthero & Caluino sacra facerent appetiuerunt? sed obstitit eorum conatibus Hosius. Quoties Caluiniani quidam Synagonistæ. Theodori Bezæ Symmistæ Regni religionisq; statum perturbare, & sicut in Gallia, sic in Polonia sursum deorsum miscere omnia contenderunt? Sed obstitit eorum conatibus Hosius. Vicit CHRISTVS victus est Antichristus. Quoties Principi nefaria quædam separationis consilia suggesserunt, quibus perfectum iri sperabant, vt Ecclesiæ Catholicæ nuncium remitteret, & illius capiti Romano Pontifici diceret, Non seruiam, sed post Deos alienos amplabo, sed obstitit eorum conatibus Hosius, Vicit CHRISTVS victus est Antichristus. O Episcopum natum Ecclesiæ, memorem sui nominis, imitatoremque maiorum.

Equidem ita sentio, quod nisi pulcherrimum, hoc tu, τοῦ ὀνόλου cognomen à maioribus suis hæreditarium accepisset, id ipse sibi posterisque suis virtutis, suæ præstantia peperisset: Neque enim vnquam vitæ suæ splendorem, vlla turpitudinis macula aspersit, nullo suscepto facinore laudum suarum gloriam inquinauit, nullas tenebras nominis sui claritati offudit. Summa erat in homine pietas, incredibilis sapientia, penè diuina eruditio, inusitata clementia, charitas in omnem proximum tanta, maiorem vt materna viscera, erga proprios filios ferre posse non viderentur, tantus denique in omni varietate temporum rerum omnium modus, vt à primis illis, & puerilibus annis, per varios dignitatis, & honorum gradus ad summum illum, ad quem peruenerat authoritatis apicem ascendens (quis enim ei viro honor non debitus tribui poterat?) ad extremam vsque senectutem intactus, sicut ait ille: à sibilo peruenisse videretur. Deinde verò, quam laudem in numerum rerum admirabilium sacræ Scripturæ authoritas referendam existimauit, post aurum etiam non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quo magis etiam illud de misericordia DEI nobis pollicemur, posteaquam illi visum est, ad accipiendam Regni cœlestis possessionem, virum illum admirabilem ex istius corporis domicilio euocare, quod ipsæ quoque beatorum animæ lætantur, quod nouus iste CHRISTI confessor confessorum in cœlis numerum auxerit, lætantur, sicut de Basilio quoque suo scriptum reliquit Nazianzenus, hominem ad se consimilem moribus venisse, athletam athletæ, coronatum coronati, animo castum, corde puri, præconem sermonis, ministri sermonis: in quorum etiam societate longè maiore, quam cum in carne viueret contentione DEVM precari nunquam intermittet, vt ne sit amplius inter nos Iuda & Israël, Roboam & Hieroboam, Hierusalem & Samaria. Ipsi quoque Deiparæ virgini supplicabit, & sacratissimis illis Apostolorum Principibus Petro & Paulo, ad quorum hic cineres cordis sui sanguinem, per lachrymas ex oculis defluentes communi Regi & Domino, pro orbe Christiano offerebat. Adalbertum quoque Gnesnensem, & Stanislaum Cracouiensem Episcopum Patriæ suæ Patronos, & Aduocatos exorabit, vt infirmitatem humanam orationum suarum præsidijs dignam putent, & pro ea fide,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fide, quam in orbe Christiano plantauerunt, pro Ecclesijs quas constituerunt, pro populis quos verbo veritatis genuerunt, pro quibus cathenas gestauerunt, mortem sustinuerunt, laborare, apud cœlestem Regem non desinant, quo dignetur auferre ex cordibus hominum cor lapideum, & dare cor carneum, vt sit multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, vt sit vnus pastor, & vnum ouile.

Non vereor autem ne me quispiam existimet diuturnæ consuetudinis, quæ mihi cum Hosio intercesserit, & eius beneuolentiæ, qua me ad extremum vsque vitæ suæ diem prosecutus est, dulcedine delinitum, hæc quæ dico omnia libentius, quàm verius prædicare: cum ita communis, ita constans, ita perpetua sit omnium de Hosij nostri pietate opinio, vt etsi præcipuum meum, erga illum studium esse deberet, pene tamen æquali cum cæteris versari videatur. Hoc enim in omnibus pene libris, & literis summorum, & doctissimorum virorum, qui nostra hac tempestate floruerunt, obseruaui, quod magna sit inter omnes in omnibus orbis partibus de Hosij præstantia consensio. Alij vocant Ecclesiæ columnam, alij malleum hæreticorum, alij ornamentum Collegij Cardinalium, alij Polonicum Patriarcham, alij senem verè Abrahamicum, alij Magnum Hosium, alij Prælatum probatissimum, alij nostri temporis Augustinum, alij alterum Poloniæ Stanislaum nouum Bessarionem, huius sæculi Hosium, Melchisedechicum Sacerdotem, nunquam satis laudatum Ecclesiæ defensorem, rectæ fidei custodem, vigilantissimum: Orbis miraculum, Patrem patratum: Romani Senatus ornamentum, Apostolicæ Sedis propugnaculum, CHRISTI formatissimum Athletam, Phœnicem Cardinalium, Curiæ Romanæ splendorem, formidabilem hæreticis aduersarium, senem suauiloquētem: alij syncerę pietatis magistrum, DEI interpretem, alteram Pauli manū, alij alijs laudibus celebrant, & vsque ad sidera tollunt, omnes vno eodemque ore sanctitatis & eruditionis testimonium perhibent, & antiquæ pietatis imaginem appellant: idq; etiam in auribus omnium gentium, ac nationum cantare prædicareq; non dubitant: & docti in bibliothecis, & indocti in circulis, & magistri in scholis, & antistites in sacris, & prædicatores in cathedris, & in versibus Poetæ, & in montibus Eremitæ, & in orbe terrarum vniuersum genus Christianorum: hoc enim summis, & præcipuis viris euenturum, apud Danielem legimus. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudient multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Ad libros autem eius quod attinet, tam est omnium laudibus peruulgata, & percelebrata Hosianarum lucubrationum vtilitas, vt quod olim de quodam Gregorij Thaumaturgi scripto creditum est, id quidam de Hosij quoque nostri libris existimare non dubitent: quod eos ipsa mater DEI virgo Maria scribenti dictauerit: vel quod de Basilio suo, Theologus scriptum reliquit, in pixide Spiritus Sancti calamum submersum scribens intinxerit: nec alia contra nostri temporis hæreticos scribendi materia scriptoribus vllis relicta, post Hosium esse videatur: neque etiam dubitauit vir quidam eruditus Germanos suos admonere: vt Hosij Christiane Catholicæ fidei confessio, in omnibus templis, & Cathedris ab omnibus Parrochis populo prælegeretur, & iterum atque iterum repeteretur, cum vix quisquam isto vt ait: sæculo plenius, vtilius, apertius, magis etiam ordinatè, totum corpus doctrinæ CHRIstianæ, totamque illius vim & rationem complexus esse, nec efficacius Lutheri errores, & aliarum sectarum vanitates refutasse, videatur: ita vt merito positi, propter admirabilem vitæ sanctitatem, & diuinam pene eruditionem, rerumque maximarum vsum, & experientiam non pro qualibet Ecclesiæ DEI columna, sed pro altero huius temporis Augustino reputari: Cuius rei illud quoque maximum argumentum esse statuo: quod ipso etiam authore viuente bis & triges ies in præcipuis Christiani orbis vrbibus, Latina, Germanica, Gallica, Flandrica lingua omnes Hosij libri typis excusi, in Polonicam etiā & Italicam translati videbantur, & fortasse etiam in Armenicam, sicut ex sermone viri cuiusdam in hac vrbe Illustrissimi accepimus Romæ, Parisijs, Venetijs, Lugduni, Antuerpiæ, Coloniæ, Moguntiæ, Dillingæ, Cracouiæ, Viennæ, tam facile per manus hominum distrahebantur, tam auidè à doctis & indoctis legebantur, & asseruabantur: quin & hoc ex Episcopo Ruremundano Guilielmo Lindano, viro in Ecclesia Dei notissimæ pietatis & doctrinæ, in vrbe cum esset audiuimus: quod sicut olim de Basilio ita nunc in quibusdam Germaniæ Academijs de Hosio existiment, nefas esse ex fidei doctrina ab illius sententia discedere. Ipsi quoque Lutherani Catholicam fidem, Hosen Glauben/hoc est, Hosianam fidem, & ipsum Hosium, Polnischen Gott/hoc est

est, Deum Polonorum, sicut olim Hunni Theothimum Scytarum Episcopum propter summam eius virtutem Deum Romanorum vocare non dubitauerunt. Tam magnus erat in orbe Christiano Hosius, tam Hosij laudibus & gloriæ orbis angustus videbatur. Quo magis dolendum est tantum illud præsidium, quod in illius vita doctrina, pietate, sapientia positum videbatur tam necessariò Ecclesiæ Catholicæ patriæq; nostræ tempore defecisse: quem immortalem si fieri potuisset, esse oportebat: cum præsertim hostes Ecclesiæ pacem adhuc Ecclesiæ perturbare non desinant: necdum & receptui canant: sed licet sese legum vinculis & armorum periculo per quandam confœderationem liberatos esse glorientur, armatum tamen contra Catholicos gerunt animum, & in hoc vno studio curas adhuc & cogitationes suas consumant, vt à Christo in Bethlehē nato, ad Antichristum Islebiē. vel Geneuens. vel nescio quē alium quamplurimos conuertant: nisi quod hæc iactura deplorari potest, corrigi non potest. Nos enim, vt ait scriptura, ibimus ad illum, ille autem non reuertetur ad nos. Et satis ille quidem, & ætati vixisse videtur, & gloriæ, & si rerum gestarum magnitudinem respexerimus, nunquam viuere desinet: Quandiu literæ sacræ latinique sermonis consuetudo & eloquendi elegantia, in orbe Christiano manserit. Hosij Cardinalis nomen optimis & doctissimis viris annumerabatur, nec vllam vetustatem collecta per eum sanctitatis fama pertimescet. Nos autem quod attinet, si ad vota, studia q; singulorum atq; ad præsentem Reipub. statum oculos vertimus, certum & indubitatum est, quod quandocunq; tandem obyisset, parum vixisset. Nunquam enim fœcundissimi illius pectoris opera non potuisset, non esse Ecclesiæ Dei valde necessaria.

Hic itaq; homo Dei (magna videlicet orthodoxæ veritatis tuba) cum ex istius corporis domicilio migraturus esset, neq; se Ecclesiæ Dei, causa quicquam adhuc præstitisse putaret, nisi illius rationibus, etiam e sepulchro succurrere conaretur. Lucubrationum suarum quæ adhuc in thesauris eius latitabant, me hæredem, cum cætera omnia refutarem, testamento suo constituit: vt si quid in illis esset, quod intelligentium iudicijs in hac vrbe quæ semper habita est, altrix doctissimorum virorū probaretur, quod gloriam Dei propagare, quod hæreticorum audaciam frangere, quod infirmorum tepiditatem inflammare posse videretur, edendi & imprimendi, facultatem & copiam permitterem, si minus inter mea κειμήλια reponerem.

Ego verò cum intelligentium iudicia cognouissem, nil prius & antiquius habui, quam vt ea sub tuo Stephane Rex potentissime, nomine & tutela, & patrocinio, in lucem hominum euulganda susciperem. Multæ enim & magnæ causæ erant, quæ mihi huius consilij & cogitationis initium attulerunt. Nam & in eo regno lucem hanc primum, tam præclarus hic author aspexit, cuius tu nunc gubernacula, iustè, prudenter, fortiter, & temperatè moderaris, & eius Regni causa præcipuè curas istas & cogitationes, & vigilias, & labores sustinuit: & in eo Regno ad vnitatem Ecclesiæ præcipuè reuocando laborauit: quod etiam ipse, qua erat modestia, pluribus in locis confessus est, cum ea quæ scripsit, Tarentinis, sicut ait ille, & Consentinis, hoc est, Polonis, Lithuanis, & Pruthenis, non autem Romanis se scripsisse memoraret: vt existimare debeas tibi hæc omnia scripta ab Hosio fuisse, cum ad antecessorem tuum Regem Sigismundum pro eius Regni salute scripta sunt, cuius tibi rationes, vt eas partim cōsilio, partim etiam armis tuis sanares, summa Dei bonitas & misericordia commendauit. Deinde verò non desunt adhuc, proh dolor in Regno tuo homines Deo rebelles, falsitatis erroribus implicati, qui hoc genus veritatis antidoto vehementer indigent.

Cum itaque Ioanni à Lasko visum esset, probare se non posse sui similibus, quod Ecclesiæ rebellis, & hæreticus esset, nisi Hosio quoque Ecclesiæ defensori se inimicum esse declararet, aureum illum de expresso Dei verbo libellum, quem tantas vtilitates peperisse videbat, & dolebat, scripto quodam suo refellendum refutandum q; suscepit: in quo suam quandam fidiculam, quam etiam oppressum Dei verbum (ô vim veritatis incredibilem) vocare voluit, orthodoxæ fidei repugnantem, pro puro puto & expresso Dei verbo, cum ipsi Regi Sigismundo tum subiectis eius imperio populis, hauriendam propinabat: Cæteris .n. in rebus Caluini doctrinā sequebatur, in doctrina verò de Eucharistia Suisticam (hoc enim verbo vti consueuerat Hosius) hoc est suam propriam, & priuatam sui capitis opinionem, non iam poëtica vel pictoria (vt ait Tertullianus) sed tertia quadam hæretica licentia vsus, in medium adferebat: nec aliud finem propositum habuisse videbatur, quam vt in patria nostra ex hoc eius labore & contentione, aut legum, aut hominum interitus sequeretur, sed verè dixit S. ille Pater Augustinus, Felix est cor accutum ad veritatem, infelix contra veritatem. Veritas enim falsitatem, non falsitas debet oppugnare veritatem. Accidit igitur Laskij libello quod suo tempore nescio cuius hæretici libello accidisse in platea cuiusdam maritimi oppidi idem Augustinus memorat.

Nã & Laskij libellus in platea maritimi oppidi Braunsbergen. quod Episcopo VVarm. siebiectũ est, à quodam prætereũte inuentus, ad Hosium Episcopum deportatus erat: quẽ ille cũ legisset, etiamsi nullum id temporis hæreticum scriptorem vidisset, qui maiore authoritate nil diceret, memor tamen illius quod à quodam patre scriptũ legerat: Hæretici scriptis suis firmos quidẽ fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt: tũ vt illam Augustini reprehensionem effugeret, qui de sui temporis Episcopis scribens queritur, quòd sæpè noluissent dicere, quod teste scriptura poterant dicere: timentes videlicet, ne loquentibus illis, qui veritatem non potest capere offendatur, & non timentes ne tacentibus illis, qui veritatem posset capere falsitate capiatur: hæc inquam cum animo reputans nullo momento temporis interposito, cum pestem illam in lucem hominum prodijsse putaret, etiamsi ternis Pauli IIII. literis Concilij congregandi caussa ex Episcopatu suo euocatus, iter in vrbem adornaret, confutationem tamen Lascanarum Fabularum ipse quoque est aggressus: vt si quispiam ex illarum lectione, in qua author ramos loquacissimi erroris expandere voluisse videbatur, incommodi accepisset, Catholicæ veritatis antidoto sanaretur: ac illud etiam palam omnibus faceret, quam nihil sit cor arcutum & lingua expolita, nisi à Domino gressus hominis dirigantur. Cæterum Laskus non ita multo post antequam librum suum typis edendum curasset, è rebus humanis exemptus est, & Hosius qui virtutes suas potius quam vitia celare didicerat, ab editione libri sui abstinendum sibi quoq; esse existimauit, ne cum laruis sicut aliquando dicebat, pugnare: vel aërem verberare velle videretur.

Hunc itaque Hosij de oppresso Dei verbo libellum nos ad te Rex inuictę mittimus, ex quo magis etiam liquide perspicies, quod hæretici scripturas habere possint, Biblia habere possint, Euangelium habere possint, verum autem scripturarum intellectum, verum Euangelij sensum, quia extra Ecclesiam sunt, habere non possint. Licet Euangelij verba in ore & in lingua prompta habeant, licet disputent, diuidant, argumenta faciant, patrum & Conciliorum dicta & authoritates adferant, mendaces sunt, lupi sunt, hostes Christi sunt, quamdiu sese ad Ecclesiam non adiungunt. Sicut enim ait Tertullianus, si quis in tibiam flauerit, non propterea tibiam hominem fecerit, quamuis de animo suo flauerit, ita non statim verum & expressum Dei verbum fecerit, quicquid aliquis ex scriptura in medium attulerit, nisi ipsum cum Cathedra vnitatis concordauerit: Cathedram autem vnitatis, sicut in alijs, sic in hoc quoq; præsenti libello aliam esse non posse ostendit Hosius, quam eam quæ est in capite orbis vrbe Roma, cuius fidem Apostolica voce laudatam esse scimus, in qua perpetuò (vt eiusdem authoris verbis vtamur) conseruatũ eam fuisse, quæ est ab Apostolis traditionem refert Ireneus, cui totam doctrinam Apostolos vna cum sanguine profudisse asserit Tertullianus: ad quam accessum habere perfidiam nunquam potuisse testatur Cyprianus: quam ita semper incorruptæ patrum doctrinæ fuisse tenacem, vt quoties Romana fides diceretur, Catholica intelligeretur, ex ijs quæ scripserunt Ambrosius & Hieronymus didicimus: in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguisse principatum narrat Augustinus: quam hæreticis factoris semper expertem permansisse, nec vnquam in ea qui contrarium sentiret sedisse, quin potius Apostolicam gratiam inuiolatam custodiuisse, testatur Theodoretus, ad quam propterea de fidei caussis iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus nunquam non relatum fuisse, asserit Bernardus, quod ibi potissimum damna fidei sarcita iri spes foret, vbi fides non posset sentire defectum: cuius morẽ multas gentes propterea imitatas esse in sacris rebus scribit Lantfrancus: quod tanti magisterij ex apice Apostolico primordijs claret, & nulla per orbem Ecclesia æquè vt Romana ab omni fece hæreseon cunctis retro temporibus pura permansit, sed non est instituti nostri fusius ea de re disserere.

Cum autem in Episcoporum vigilantia plurimum sit præsidij collocatũ, vt homines istam vnitatis Cathedram & cognoscant, & audiant, vtsum quoq; est intelligentibus viris, vt exempla curæ vigilantiæq; pastoralis gregis Dominici pastoribus ad imitandũ proponerentur, quæ mirabiliter in omnibus Hosij Ecclesiasticis actis & gestis elucescũt, quanta fide, charitate, lenitate, seueritate, clementia, patientia, præditos eos esse oportuerit, qui homines erroribus implicatos à studijs iniquitatis ad viam veritatis reuocare at, qui homines erroribus implicatos à studijs iniquitatis ad viam veritatis reuocare conabuntur. Quæ omnia Hosius Cyprianum & Augustinum imitatus, summa fide procurauit, vt de ijs qui conuersi videbantur iuxta Pauli præceptum congaudere, prætereà perscribebat, vt de ijs qui conuersi videbantur iuxta Pauli præceptum congaudent, compatierentur, reliqua membra, & sicut Dominus præcipit, vt eos qui voci pastoris sui obedire noluerunt Ecclesiæ denunciaret. Ecclesia verò iuxta potestatem à Deo sibi traditam conuenientia remedia morbis ægrotantium adhiberet, vt non solum, sicut ait Augustinus, tenebras erroris vox prædicantis expellat, verumetiam malæ consuetudinis vinculavis timoris abrumpat, si enim errantes docerentur tantum, & non etiam terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius mouerẽtur: vicissim autem si tantum terrerentur, & non etiam docerentur, improba quasi dominatione premi viderentur.

Quod autem ad Ecclesiasticas Authoris Epistolas attinet, quarum bonam partem hoc tempore in lucem hominum mittimus, equidem puto futurum, vt lectorem non solum iuuent, verumetiam delectent. Sunt enim plenæ zeli, plenæ pietatis, plenæ Euangelicæ libertatis, Apostolicis planè consilijs & sententijs abundantes. Nam quod Paulus Timotheo suo præcipit dicens: Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Et iterum: Clama ne cesses, insta oportune importune, argue, increpa: id Hosius noster per Epistolas suas re & veritate cumulatissime expleuisse existimatur: quibus enim ille vigilys, quibus laboribus pepercit? quod tempus sine lectione transmisit? quas literas sine doctrina & adhortatione scripsit? nullius vnquam magnitudinem & potentiam pertimuit, nullius sibi fasces & fecures reformidandas esse in caussa Christi putauit, vicissim aũt nullius vnquã tenuitatẽ vel contẽpsit vel neglexit. Totũ orbẽ Christianũ suas oues esse reputabat, proomniũ salute æquo labore abat, omnib. se debitorẽ sentiebat, Catholicos in fide cõfirmabat, hæreticos docebat, medios cõfouebat, oẽs diligebat. Reges docebat, quomodo seruire deberent Domino in timore. Subditis ostendebat nullius mortalis pertimescendam esse potentiam, quæ ab vna sanctã Catholica Ecclesia quempiam abducere attentaret. Omnia molitus est, in omnia se vertit. Iam se submittit, vt pontem in cœlum faciat, properantibus tam se erigit, vt se murum opponat persequentibus, iam quod Paulus præcipit, mutat vocem suam, iam sicut gallina expandit alas suas. Conatus hæreticorum nemo acrius, nemo feruentius, nemo apertius, apud Reges terræ in omnibus orbis Christiani partibus sine vllis dißimulationis inuolucris oppugnauit, studia & consilia Catholicorum nemo diligentius fouit, promouit, excitauit: nemo familiarius rationem fidei suæ omni poscenti exposuit, nemo Lutheranæ perfidiæ fœditatem, progressionem, diuisionem, vanitatem, simplicis veritatis amicis planius atq; simplicius exposuit. Quæ omnia cum ex magna parte pro Regni tui, vt diximus, salute cum apud antecessorem tuum Sigismundum, tum apud Regni tui Senatores & Equites per Epistolas suas molitus sit, tibi quoq; præ cæteris ô Rex conuenire videtur, tam laudati Senatoris & Episcopi plena maturitatis consilia cognoscere, illumq; quasi adhuc in illo grauissimo Regni tui Senatu sententias ex intima sapientiæ arte venientes profe-rentem cogitare. Porrò quæ de conspiratione potius, quam confœderatione hæreticorum in illius excussione, & de quatuor in ea considerandis scripsit, neminem tali ingenio futurum esse puto, quin ea verissima esse & propriè ad hoc tuum munus Regium pertinere, atq; ad auertendum à ciuium tuorum capitibus nefariæ conspirationis periculum sit existimaturus. Huc accedit, quod sicut medici salutaris alicuius medicinæ amaritudinem mellis dulcedine temperãt, sic futurum existimo, vt ipsi quoq; hæretici, quos in Regno tuo sicut ægros medici: dolentibus adhuc oculis aspicis, tanto auidius erroris sui medicinam in Hosij libris propositam accipiant, quanto magis illam regij tui nominis dulcedine & gratia tinctam atq; delibutam viderint.

Atque vtinam possem sermones quoque Hosij, quos eius propria manu in Euangelia conscriptos, Latina, Germanica, Polonica lingua in thesauris adhuc meis teneo, in istorum librorum comitatu ad te mittere. Sed aliquod adhuc tempus in ijs in ordinem togendis ac describendis ponendum mihi esse video: nec dimittam istam curam, suscipiam etiã omnem actionem, quam video verbi Dei ministris fore gratissimam.

Diuinitùs autem ô Rex, factum hoc esse puto, vt in ea tempora lucubrationum istarum editio inciderit, in quibus tu maximis & memorabilibus victorijs & triumphis, de coniurato Latini simul & Polonici nominis hoste Moscho reportatis, in Regnum hoc tuum reuerteris. Nam sicut olim Abrahamo à quinq; Regum cede reuertenti Melchisedech sacerdos Dei altissimi gratulabundus occurrit. Sicut Moyses post eadem Madianitarum Phineæ victoriam reportanti obuiam prodijt: sicut mulieres ex vrbibus Israel congregatæ Dauidem Goliati cede nobilitatum, cum omnibus lætitiæ signis excepe-rum: sicut Iosaphat post deletos Ammonitas & Moabitas cum Psalterijs & Cytharis occurrisse memoratur. Sic Hosius quoq; alter quasi Melchisedech sacerdos Dei altissimi obuiam tibi in his suis lucubrationibus occurret, teq; è prælio reuertentem cum omnibus gaudij lætitiæq; signis excipiet, ac eadem illa vota tua quoq; caussa concipiet, eadẽq; te benedictione prosequetur. Puta eum tibi quoq; dicere, Benedictus Stephanus Deo excelso, & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sant. Et sicut olim recenti illi viri Gedeoni victori lætissimis vocib. acclamauerunt: Domino & Gedeo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni, Gladius Domini & Gedeonis. Ita quo q. tibi Hostiũ acclamare existimabis, Domino & Stephano Regi, Gladi Domini & Stephani Regis, neq. dubites quin magnũ sit põdus hæ illius oratio habitura. Fuit .n. ille cum adhuc in carne viueret his tuis laudibus, & virtutib. ad te omni officio colendũ nõ vulgari illo modo, sed præcipuo quodã studio, quod summis ac de Rep. Christiana benè meritis Principib. debetur vehementius inflãmatus, idq. tibi cõprobare etiã conatus est, cum de eo sermone cognouisset, quem habuisti, cum quodam ex his, qui ne quid habere commune cum Christo videãtur, Euangelici potius quam Christiani dici malunt, quod genus hominum Esaias Prophetа viros illusores vocat, sic enim ait: Quo magis mihi desideratum hoc accidit, vt vestra Maiestas tam apertè Christum confiteretur, etiam eo tempore quo contra Christi suos q. rebelles multorum eius generis hominum opera vti necesse habebat, hoc maiore illius exarsi desiderio propter tam fortem & imperterritum animum, quod nulla vsa circuitione testata publicè est. Se non nisi vnum Deum & eum patrum nostrorum Deum agnoscere, solum illum in Regno terris q. subiectis coli, nec in societatem eius vllum Belial admittere velle. Quamobrem credibile non est, quanto fuerim studio videndæ Vestræ Maiestatis inflammatus, vt me tenere non possem, quin exclamarem cum illo sancto Rege & Propheta: Quis mihi dabit pennas, sicut columbæ, & volabo? nisi quod ego non sicut columbæ, sed sicut aquilæ pennas cuius velocitatem in scripturis prædicari memini, dari mihi cupiebam, vsque adeò mihi fuit omnis mora longa, qua non aduolarem ad Maiestatem Vestram, quæ tam Christianum illius pectus non exoscularem quatantũ animi robur in Christi fide cõtra Christi perduelles tuenda & conseruanda non illi gratularer. Hoc sibi certò persuadere potest Maiestas Vestra, quod si per ingrauescentem hanc ætatem meam, & imbecilles vires licuisset, nil fecissem libentius, & ardentius, quam vt in viam primo quoque tempore me darem: ac ad vultum illius contemplandum semota quamuis cunctatione me conferrem. Sic ille Cardinalis sapientissimus, qui in omni re verissimum certissimumq. pulchritudinis iudicium assecutus existimabatur, erga tuam pietatem & istum qui in te eminet zelum propagandæ fidei Christianæ fuit inflammatus, quem etiam magis semper inte est, quã istos fasces & ista quæ geris Regia sceptra admiratus. Neq. enim tu ô virorum fortissime, vel minore in Deum fiducia cum ad authorem Deum victoriæ tuæ gloriam referas, sicut ex tuis Suirensibus edictis, & literis quas ista quoq. vrbs laudibus suis vehementer comprobauit, apparet: vel minus fortiter, qui spiculis tuis totam pene Moschouiam scrutatus es: vel minus fœliciter, qui res tam magnas tanta celeritate, non toto adhuc triennio à suscepto bello minimo tuo incommodo confecisti, neq. deteriore causa, quã olim Gedeon, prælia Domini contra hostem Domini coniuratum Ecclesiæ Catholicæ aduersarium præliaris.

Qui ex patria nostra in has oras veniunt, tuam erga Deum pietatem, erga S. Sedem Apostolicam obseruantiam, erga Dei ministros, & Sacerdotes humanitatem, & liberalitatem, satis prædicare nequeunt. Hæreticorum errores qui diuinam Regiam q. simul authoritatem, & potestatem, & leges, & iudicia, & pœnam ita contempserunt, nil vt eos delectare videatur, quod aut per naturam fas sit, aut per leges liceat, & animo, & voluptate summa detestari perhibent, nec vllius medicinæ facultatem prætermittere, vt saluis hominibus errores eorum interire queant. Quamobrem etiam in arce, Polocensi quã ante triennium è Moschi manibus Herculea clauatua, vel potius feruentissimis orationibus extorsisti, quas ad Deum tota illa nocte expugnationem præcedente, apud tuum illud militare stragulum effudisti. Collegium Societatis Iesu, cuius hodie laus est, in Euangelio, omnibus vitæ præsidijs instructum Regia planè animo q. tuo digna liberalitate erexisti, vt sit quasi quædam ara fortitudinis, sempiternumq. victoriæ tuæ monumẽtum, in quo tenera subditorum tuorum ætas in recta fide imbueretur, & ij qui Græcorum erroribus implicati aut Hæretica perfidia contaminati sunt, tanto facilius lucem veritatis aspicerent, quanto illam sæpius doctissimi viri oculis eorum offerrent: tibiq. etiam lætissimum illud carmen sempiternis sæculorum ætatibus occinerent, Domino & Stephano Regi, Gladius Domini & Stephani Regis. Et nunc etiam de Rigensi ciuitate, atq. adeo de totius Liuoniæ salute quæ extra Ecclesiam nulla est, quæ consilia, quas cogitationes suscipias, ex Solicouij Secretarij tui pietate dignissimi literis abundè cognoui. Nil hic dicam de Transyluanico tuo collegio, cuius operâ fit vt errores grauissimos, in quos de religione inciderant illius Prouinciæ populi quotidie recognoscant, & ad Ecclesiam Dei cupidissimè reuertantur. Nil dicam de tua in optimarum artium professores singulari propensione, quos maximis tuis sumptibus, ex intima Italia in Regnum tuum euocare contendisti, nil de priuatis tuis orationibus, lectionibus, studijs, in quibus Cæsaris quoq. commentaria esse voluisti memorabo, quod solum si Moschus cognouisset, statim illi ex manibus arma ceci-

decidissent, multũ enim tibi animi, multũ virium accessisse sensisset, eo solo nomine, quòd Cæsarem imitari in laudibus bellicis decreuisti, quamobrem te etiam vir quidam Ecclesiæ Dei valde salutaris Homerum imitatus μύθων ῥητῆρα πρηκτῆρά τ' ἔργων, ad Hosium Cardinalem scribens appellauit. Aditus ad tuam Maiestatem esse perhibent minimè prouinciales. facilis es in audiendo, lenis in discernendo, in satisfaciendo diligens, in iure dicendo summa & æquabilis seueritas adhibetur: neq. enim pateris, vt leges patriæ aranearũ telis persimiles habeantur, in quas si Musca inciderit teneatur, si vespa telam laceret & auolet, si quid tractandum est differs, si quid expediendum acceleras, aures tuæ patent querelis omnium, nullius inopiam Regia tua vis exclusam, delectus in familiaribus peracutus & diligens. Aulæ tuæ grauis & constans disciplina: nec enim in illam otiosis & inertibus, sed aut librorum, aut armorum studiosis, & amatoribus patet accessus. Ministros qui vias omnes pecuniæ norunt, non in tuis intimis reputas. Scis enim tales omnia vicissim pecuniæ causa facere consueuisse, & quod omni laude prædicatione q. dignum statuo, cum cæteros oës potestatis tuæ magnitudine vincas, vincis etiam artificio beneuolentiæ colligendæ, nec quicquam ad tuam Regni q. tui salutem & dignitatem amore & beneuolentia ciuium tuorum anteponendum existimas. Times timeri, scis amorem amore, arma armis irritari. In summa sic te in tanta tua potestate adhibes, nulla vt alia potestas ab his quibus præes desideretur, oës enim tuos ad laudem impetus recensere, nec industriæ meæ, nec istius temporis officium esse statuo, nec etiam pertimescendũ esse video, ne laureæ gloriæ tuæ rebus abs te fortiter, & præclarè, & celeriter gestis acquisitæ, amittat aliquo tempore viriditatem.

Sed vide, quam suauiter omnia disponit Dominus, quam q. egregiè extrema cum primis contexat. Tu non erubescis eum coram hominibus confiteri, ille te vicissim non solum coram patre suo cœlesti, sed etiam in oculis omnium gentium, & nationum confitetur. Tu vt animas diabolica fraude deceptas Christo lucrifacias, nullos tibi labores, nullos sumptus, nullas vitæ cõtentiones defugiẽdas existimasti: Ille vt tibi materiã pietatis exercẽdæ subministret, patentissimarũ prouinciarũ accessione te locupletauit. Bonũ est, ô Rex, confiteri Domino: bonus est enim Dominus Deus noster. Magnus est Dominus Deus noster, & magna virtus ejus. Hic est, qui te tam fortem, tam sapientem Regem patriæ nostræ obtulit, hic est, qui cum suo nostro q. hosti penè omnia ad perniciem Lithuaniæ patere videret, subito te vnum excitauit, qui nos omni metu periculo q. liberares, hic est qui te puerum literis iuuenem armis virum consilio instruxit. Hic est qui tuum hostem Principem otio inimicum, pacem metuẽtem, in manus tuas tradidit, ac istis tot tam præclaris, & memorabilibus victorijs, & triumphis nomen tuum, ad vniuersæ posteritatis memoriam propagauit, nulla vt iam videatur esse orbis Christiani ora, sedes, locus, quo non tuæ fortitudinis fama peruaserit. Quid ergo? Dicam quod olim Augustinus Bonifacio: Christianus es, cor habes, Deum times, tu ipse considera quæ volo dicere. Pugnarunt quoq. cum Moscho alij quoq. ante te Poloniæ nostræ Reges, sed post illorum pugnas, pugnauimus: post tuas pugnas vicimus. Illi fecerunt, tu bellum sustulisti, statim enim vt in Regem Poloniæ a Senatorio, pariter & equestri ordine, non in angusto aliquo atriolo & conclaui, neq. in auro picta Regia, aut sub cælatis laquearibus, inter blanda dissidentium, & ambitium colloquia, sed maiorum more in campis, longè lateq. patentibus, Sole isto, Vistula q. aspectante, inter equitum peditumq. copias, inter hastas & gladios, inter clangores tubarum, tympanorumq. sonitus, & tormentorum explosiones (quibus rebus Marcij illi fortissimiq. equites, magis etiam incendebantur, vt Regem sibi Martium querendum eligendum q. putarent) in hoc inquam tali fremitu, & strepitu armorum, cum electus Rex esses, nullam tu quoq. moram interponendam existimasti, quin eum honorem, quem tibi arma dederant, omnibus vicissim castris & armis conseruares. Quamobrẽ in aciem armatus, illico prodijsti hostis q. tui animum immanitate barbarum, varietate leuissimũ, perfidia periculosissimum domuisti, & quod à multis annis in patria nostra, nullus miles viderat, tu tergum illius non solum vidisti, sed etiam calcauisti: fortasis autem ideò superioribus aliquot annis tergum fugientis non vidimus, vt tu Rex potentissime, in hoc tuo fœlicissimo tempore, cum bene parato nostris q. etiam armis instructo hoste non solum fortiter pugnares, sed tanto etiam gloriosius vinceres, fœdam q. illam barbarissimi Principis crudelitatem, imbutos q. sanguine gladios vitæ libertati q. ciuium tuorum imminẽtes: ab vniuersæ patriæ membris & visceribus auerteres. Nemo adhuc contra te in aciem prodijsse dicitur, qui non tuis laudibus et triumphis adderetur. Ter tuos milites in medium pene Moschouiam immisisti, ter victores ex hostili terra reduxisti: & si quos paucos casus aliquis abstulit, plus ex illis gloriæ, quam sanguinis emanauit, hoc enim

Iliad. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo q. ista tua fortitudine, ac vigilantia, quæ cæteris omnibus emines, perfecisse te perhibent: vt milites tui tanquam si tu esses ita sint: nec eos vel metus belli stupefaciat, vel lassitudo exhauriat, vel hostium legiones terreant, vel impedimenta viarum defatigẽt, vel cœli intemperies, vel hyemis asperitas, vel niuium altitudo, à susceptis consilijs deterreat. Acutis sunt auribus ad præcepta, promptis oculis ad signa, expeditis manibus adopera. Dare vulnera paratissimi sunt, accipere verò tardissimi, irati pugnant, receptui signũ, aut reuocationẽ à bello audire non queunt, sperant semper optima, pati vel difficillima malunt, quàm cedere: nec potest vllius aut horitate tantus ille ardor extingui: longè vt eos rectius ἀθανάτους, hoc est, immortales, quorũ olim apud Persas decẽ milia fuisse legimus, quos vinci posse non putabãt, si quis in te fastus esset, appellare posses. Quo factũ etiam est, vt quot bella suscepisti: tot tam tuas victorias & triumphos numeremus, tantumq. patriæ nostræ scuto tuo, quantũ Duna, Vielica vel Polota alueo suo, quantum siluæ densitate, quantum montes altitudine præsidij attulisti: ita vt si amnes exaruissent si syluæ deflagrassent, si montes subsedissent, non naturæ præsidijs, sed virtute tua Lithuaniam tutam, munitam q. haberemus.

Iam minæ sæui cecidere ferri,
Iam silet murmur graue classicorum,
Iam tacet stridor Lituistrepentis,
Alta pax nostro reuocata Regno.

Quod autem in summa laude ponendum est, cum alij victores captarum vrbium & prouinciarum aut prædas appetant, aut ruinas: tu te in his tuis victorijs & triumphis sic adhibes, vt seueritatem abditam, clementiam autem expositam habeas: neque adeo magnum existimes, ea quæ & naturam, & conditionem habent, vt vinci possint, vincere, verum in victoria animi impetum cohibere, iracundiam refrenare, captas vrbes quas victoriæ conditione delere potuisti, clementiæ tuæ iudicio conseruare, viros virtute præstantes, non modo extollere iacentes, sed etiam libertate donare, ac beneficijs cumulare: hanc tu veram victoriam esse reputas: quod certè nihil aliud est, quam inuictum esse, quam ipsam victoriam vincere. Sic tuam virtutem hostes, misericordiam victi, fidem & prudentiam cæteri omnes perspexerunt, ex quo illud etiam consecutum existimant, vt armis tuis subactæ prouinciæ doleant, tardius se in tuam potestatem peruenisse: nil enim illis aliud præter inferendæ iniuriæ licentiam eripis. Rem nouam dico. In fœlicitatis parte ponunt, vinci: victoriam tuam vitam suam, salutem suam existimant, libenter in tuam potestatem veniunt, quem in sua potestate esse, nec vllo iracũdiæ impetu de statu mentis, dimoueri posse cognouerunt: & hoc tuum, tam iustum, tam temperans, tam moderatum imperium patrocinium, potius vitæ fortunarum q. suarum quàm imperium esse existimant. Equidem est quod sibi hostis tuus gratuletur, se in tam pium, Christianum, Catholicum, & Orthodoxum ἀλλογενίων incidisse. Nam si pari perfidia cupiditate, immanitate, in subiectas illi prouincias impressionem fecisses, qua tuam Licuidit ate, immanitate, in subiectas illi prouincias impressionem fecisses, qua tuam Lithuaniam annis superioribus aggressus ipse est, ne sperare quidem illi Principatum, sed ne vitam quidem optare licuisset. Verum tu in Ecclesiæ Catholicæ schola didicisti: quod Regem non deceat esse diutem aliorum iacturis, locupletem aliorum calamitatibus, immortalem inimicorum funeribus, nec esse quicquam Christiano Principe indignius lassa crudelitate. Incendij enim ac ruinæ simile est, multos sine caussa furenter occidere, vicissim autem nullum ornamentum Principis fastigio dignius esse posse, quam illam coronam, ob defensam patriam ciues q. seruatos: Nisi quod ego hoc tempore de tuis laudibus, apud te Regem Homerico ingenio & carmine dignissimum non possim omnia, quæ mihi in mentem veniunt singillatim recensere, quæ tui illi Patricij, Socolouij, Varseuicij orationibus & Panegyricis suis λόγοις planè θυσίνοις, quales in Regibus Parysatis illa requirebat, ita persecuti sunt, vt non dubitem ipsum te qui feceris rerum abs te gestarum magnitudinẽ admiratũ esse cũ legeres, quæ etsi magnæ sunt, maiores tamen adhuc à tua sapientia, iustitia, fortitudine, animiq. moderatione exspectamus, nos præsertim qui vocamur Ecclesiastici, quibus ad bene de tota re Ecclesiastica sperandum, quasi signum quoddam sustulisti, pristinæq. vitæ, & pacis, & tranquillitatis vsum, & consuetudinem hæreticorum audacia, pene interclusam aperuisti, quo nomine quam sumus magis obstricti, atq. obligati esse tibi non possumus: atq. vtinam maiora possemus, quandoquidem maiora nos abs te accepturos esse confidimus. Maiora enim, ait ille, populus semper à summo exigit. Verum interim Deum Patrem misericordiarum, & totius consolationis precari nunquam intermittemus, quod olim Christianos, pro suis Imperatoribus precatos esse legimus, vt tibi det Dominus Imperium securum, domum tutam, exercitus

citus fortes, senatum fidelem, populum probum, Regnum quietũ, vitam prolixam, te enim esse prolixissimè regnaturum, ipsa quoq. tui corporis forma & statura ad eam quã geris dignitatem accommodata designat: idq. nos à Diuina clementia tanto facilius impetraturos esse confidimus: quanto maiore conatu in id studium & antea semper & nũc in Liuonia tua incumbis, vt in omnibus prouincijs imperio tuo subiectis sit omnium credentium cor vnum & anima vna ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργον ait Constantius: τὴν πίστιν τῷ θεῷ συζῆν. Et Leo ad Theodosium: Defendite, ait, inconcussum Ecclesiæ statum, vt & vestrum Christi dextera defendatur imperium, scientes imperij vestri viribus profuturũ, quicquid Catholicæ libertati benigna fuerit dispositione collatũ. Equidem, Serenissime Rex, in omnibus istis hæreticorum studijs & contentionibus nil aliud, quam aut legum aut hominum interitus ostenditur. Non potest enim fieri, vt falsitas non persequatur veritatem: cum enim hæretici sint vniuersis erroribus amici, non possunt nisi solis esse non errantibus inimici. Quamobrem optimum est notis vitijs impedimenta prospicere, quod te & studiosè & libenter facere lætamur & gaudemus, ne posteà serò medicina paretur. Hæresis enim ruinis simillima esse perhibetur, quæ super id quod mole sua oppressere frangũtur. Sed oppressionem Deus omnipotens à patriæ nostræ capite auertet, te præsertim Rege vigilantissimo ad illius gubernationem assidente, quo non modo victore, sed etiam viuo, & florens, & inculumis patria nostra esse posset. Pestis autem istius exitium quæ multorum animos inquinauit, cum à Dei misericordia, qui neminẽ vult perire, sed vult omnes ad agnitionem veritatis peruenire, tum etiam abijs quæ in te eluescunt, quæq. in Regno tuo comparas, pietatis præsidijs expectamus & speramus. In te enim vnum est quasi totum nomen tota se apud nos conuertit religio Christiana.

Te permisto
Matrona minor maiorij choro
Colit & reserat venienti tibi,
Templa sacerdos, tibi nexilibus
Turba coronis redimita venit,
Tibi grandæui lassiq. senes,
Compote voto reddunt grates,
Libant q. manu vina trementi.

Quæ dere ego nolo hoc tempore pluribus, ne panegyricum in Epistolam includere velle videar: quin & ipsius Epistolæ longitudinem excusare profectò deberem: nisi eam vererer excusando magis etiam facere prolixiorem: cum præsertim ad eos, quos tibi offero libros, pro tua in Rempub. Christianam pietate, & in Hosij memoriam singulari beneuolentiate & animum & oculos conuertisse videre mihi videor. Quod superest me & hos post humos Hosij Cardinalis fœtus regiæ tuæ clementiæ & protectioni qua summa possum animi mei submissione etiã atq. etiam diligenter ac studiosè cõmendo, & licet indignus, tamen sacerdos cum ad altare Domini steterò præcari nunquam intermittam: vt tu Domine mi Rex sapiens sis sicut habet sapientiam Angelus Dei, & intelligas omnia super terram, vt q. tibi Dominus det ætatem quam mereris, & conseruet animum quem dedit, AMEN. Datum Romæ. Calendis Septembr. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Octuagesimo secundo.

Stanis.

Universidad de Deusto. Biblioteca

STANISLAI HOSII, S.R.E. CARDINALIS, MAIORIS

Pœnitentiarij & Episcopi Varmiensis, De oppresso Dei verbo, Liber.

ANNO proximo superiore scripsi de expresso, nunc autem de oppresso quoque Dei verbo, vt aliquid ad te scribere aggrederer Sigismunde Rex Auguste, fecit Ioannis à Lasko libellus, contra meum illum de hoc ipso oppresso per se suosq; Dei verbo editus. In quo plaustris quibusdam conuitiorum inuehitur in me: quæ tamen in eam partem accipio, magis vt laudari me no posse putem, quàm si vituperer ab hæretico. Quamobrem delector magis hac hominis maledicentia, quàm vt aliquid ex ea molestiæ capiam. Sed quæ nam est illius prima salutatio? Num gratia & pax? Nihil minùs. Sed Pauli tamen est, & mirum ni verè fraterna. Percutiat, inquit, Dominus paries dealbate. Quàm hic homo, statim in ipso limine morbum suum, & quo spiritu fuerit afflatus, cùm hæc scriberet, celare non potuit? Ego verò procul absit, vt aliquid illi simile precer, quin illud opto potius, quod in eodem libro paralitico precatus est Petrus, cùm diceret: Sanet te Dominus Iesus Christus. Neque enim sum nescius, quòd multò grauiore morbo laborat miser hic, quàm ille paraliticus. Nisi fortè non est animi, quàm corporis paralysis grauior & pericu-losior. Quare miseret me certè hominis, quem ita languentem animo video. Nec vt percutiat precor, est enim id alienum à pietate Christiana, sed vt sanet Dominus caput hoc, vtinam sanabile. Compellat ille me varijs nominibus. Ego quod illi nomen tribuat ex Cõfessionistis quidam, non ignoro, tum, quam fecerit inscriptionem libri contra illum editi, sed quidvis malim quàm cum homine maledico maledictis certare. Quibus vt sit superior, tantò fero facilius, quantò magis eum à veritate remotum, verisq; causæ suæ defendendæ rationibus destitutum esse video. Proprium est hoc eorum, qui malas causas habent, vt ad probra & maledicta confugiant. Nos qui causæ nostræ confidimus, & qui nobis conscij sumus, quod pro solius Christi gloria, proq; verborum eius veritate dimicationem hanc suscepimus, procul ista quæ morbum animi detegunt facessere iubebimus, ac de re ipsa potius, hoc est, de oppresso per Ioannem à Lasko, quiq; sunt eiusdem cum eo farinæ, Dei verbo, dicere, quæ nobis Deus suggesserit, aggrediemur. Caue autem putes piétissimè Rex, humanitus hoc & fortuito sic euenisse, vt ad scribendum de oppresso Dei verbo Laskus adduceretur, factum est hoc singulari quodam Dei iudicio. Et sicut olim Prophetа Baal, sic huius quoque mentem occulta quædam vis vt id faceret, impulisse videtur. Nam etsi scripta quædam à me fuere de expresso Dei verbo, quoniam tamẽ rectè dictum est à Philosopho Quod contrariorum eadem est scientia, quodq; oppositа iuxta se posita magis eluescunt, voluit Deus, vt quemadmodum illud quod semper expressum fuit in Ecclesia Dei verbum, per hos annos propè quadraginta fuerit ab hæreticis quantum in ipsis est oppressum, sub aspectum hominum subijceretur, quò sic & agnosceretur magis expressum Dei verbũ, & de eo agnito maior lætitia conciperetur.

Act. 23. *Act. 9.* *Psal. 117.* *Num. 23.* *1. Topico. cap 8.* *2. Rhetor. cap. 20.*

Non est autem hoc insolitum Deo, vt ex pessimis etiam rebus multa & magna bona non nunquam eliciat. Quod potuit esse scelus magis tetrum & immane, quàm quod Iudæi Christum tot probris affectum, conspútum, flagellis cæsum, & miserandum in modum omni genere tormentorum excruciatũ, in crucem tandem egerunt? Hoc tamen ille redemptionis nostræ preciũ esse voluit. Ad eũdem modũ, hæresi quoq; quid peius, quid esse potest execrabilius cum qua, si quis in vnum aceruum congesta, cætera crimina conferat omnia, nihil erunt aliud quàm festuca cum trabe comparata. Atqui quæ singularis est Dei bonitas si vlla alia ex re, tum ex hæresibus quoq; permultum vtilitatis ad Ecclesiam Dei redundare fecit. Quàm multa enim latebant in scripturis sanctis, quæ posteàquam hæretici quæstionibus exagitare cœperunt Ecclesiam, aperta sunt? quorum opera factum est, vt etiam negligentiorum excitarentur studia, dum errorem eorum refellere conantur. An per æquè fuit illustrata de Trinitate doctrina, priusquam Arrius, Eunomius, Macedonius oblatrassent? An perinde fuit excussa pœnitentiæ ratio, priusquam Nouatus irrepsisset? An æquè disserté de Catholica Ecclesia dicta fuerunt omnia, quod malorum in ea commixtio, quæ durabit in finem vsque seculi, in societate sacramentorum eius, bonis non obsit, priusquam Donatus & Lucifer exorti fuissent. Quorsum autem attinet enumerando singula recensere? cum & longum id futurum sit, & minimè necessarium. Certum est, quando quod falsum est detegitur, tum cognosci maximè veritatem. Sic & expressum Dei verbum quod sit oculis omnium tum expositum erit maximè, cùm quod & quemadmodum oppressum fuerit, demonstrabitur. Quod nos diuino freti auxilio, sic nos facturos esse confidimus, vt vel cœco queat apparere: si modò priùs paucis ea refutauerimus, quæ contra nostrum de expresso Dei verbo libellum à Lasko scripta sunt. Cuius cùm scribendi laborem initio suscepissemus, de nullo minus quàm de Lasko nobis in mentem venit cogitare. Quid enim illi cum expresso Dei verbo? Nimirum hoc quod sui cum Amaricino. Testãtur id ipsi quoq; Lutherani, quòd nulli magis oppresserant Dei verbum, quàm Laskus, & qui sunt in eadem hac Sa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cramentariorum, vt vocant, hæresi. Quam etiam ob causam fas esse negant, cum eis disputare, neq; stylo refutandos, sed sceptro Magistratus coercendos esse censent. Itaq; ne receptum quidem eis in quibusdam terris suis dari permittunt, vbi quicunq; sunt amplexi nefarium hoc dogma Sacramentariorum, eis & aqua & igni est interdictum.

Quod non ibit opinor inficias Lascus ipse, quando quidem id ipse suo periculo verissimum esse didicit, cùm ad primarias quasdam Saxoniæ ciuitates ante tres aut quatuor annos sese contulisset, vt interim nihil dicam de Regno Daniæ. Possem hic elogia recensere, quæ tribuunt illi, Timanus, qui Bremæ: Ioachimus Vestphalus, qui Hamburgi: Erasmus Alberus, qui in noua Brandeburgo, tum alij nonnulli qui passim Lutheri verbum pro Dei verbo, rudi populo venditant. Sed ab hac ratione temperare mihi malo: tantum hoc dicere volui, cum ortus essem de Expresso Dei verbo scribere, de Lasko nihil me prorsus cogitasse, toto vt cœlo errare videatur, si contra se libellum hunc scriptum esse putat, qui contra minus crassam cunei partem editus à nobis est quam sit Laskana confessio. Sed quando sic illi visum est, vt primus in arenam progressus, certamen contra me susciperet, dabimus hoc veteri quam commemorat amicitiæ, quæ cum eo nobis quondam intercessit (verum ad aras tamen vsq;) vt cùm eum ne Lutherani quidem dignum iudicent, quû cum in certamen descendant (tanta est huius sectæ fœditas & impietas) nos tamen congressum cum eo recusaturi non simus. Non vt de eo disceptemus, Num verum dixerit veritas, quando de veritate sui corporis & sanguinis in Eucharistiæ sacramento loquens ait: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur. Absit vt sic insaniamus vnquam, vt quod à veritate dictum est, in dubium reuocari velimus. Moriendum est pro hac fide, non disputandum: Quæ vel auribus nostris accipimus, vel oculis cernimus, vel manibus ipsis contrectamus, æquè certa nobis non sunt, nec esse debent, atq; certum est & indubitatum, quod dixit veritas. In Eucharistiæ Sacramento præsens adesse corpus eius, illud corpus quod pro nobis tradidit: præsentem adesse sanguinem eius, illum sanguinem, quem pro nobis fudit, & cuius precio nos redemit. De Christi verborum horum veritate, vel de sensu quo recepta sunt in Ecclesia Dei, iam inde à mille quingentis annis, vt cum Lasko disceptationem inire velimus, nunquam faciemus. Citius de eo num lucente sole dies sit, ambigemus. Nihil itaq; hûc aliud, quàm ea principio refellemus, quæ contra libellum nostrum ab ipso producta sunt. Deinde quemadmodum per ipsum, & qui sunt in eadem hæresi verbum Dei potissimum oppressum fuerit, quoad nobis gratiam suam impartiri dignatus fuerit, planum omnibus facere conabimur.

Collegit Lascus ex libello nostro septem præcipua doctrinæ nostræ capita quas ipsi vocare visum est argumentationes, siue rationes.

Primum est. Quòd scriptura in seipsa non sit verum illud atq; expressum Dei verbum, cui nos obedire oporteat, nisi iuxta sensum & consensum Ecclesiæ Catholicæ exponatur.

Secundum. Quòd cùm sensus & consensus duntaxat Ecclesiæ sit verum atq; expressum verbum Dei, tum sanè non possit etiam verbum Dei ipsum, nisi intra Ecclesiam haberi.

Tertium. Quòd Hosius ipse cum suis, imprimis autem cum suo creatore Papa, sint ea ipsa Ecclesia, cuius sensus & consensus, sit verè oppressum (expressum dicere volebam) verbum Dei.

Quartum. Quòd veræ Ecclesiæ Doctores inuehantur in peccata populi Prophetarum & Apostolorum exemplo, & addant diuinæ in illa seueritatis comminationes. Id verò à suis fieri, à nostris negligi affirmat: Ac proinde apud nostros vt falsos Doctores scilicet, non haberi verum & expressum Dei verbum.

Quintum. Quod omnis verbi diuini doctrina, in vno hoc potissimũ verbo consistat, Differe. A quo cum nos ipso iudice quam longissimè absimus, tam longe nos etiam à vero atq; expresso Dei verbo abesse, etiamsi scripturas habeamus, quàm longè absumus nostris inuicem dissidijs, à mutua inuicem dilectione.

Sextum. Quòd cum nostri, & ab Ecclesia separati sint, scilicet & inter seipsi discordes, quisque illorum nihilominus suam doctrinam expressum Dei verbum contendat, atq; ita demum se in doctrina quisq; sua velut idolum quoddam quodammodo adorari velit, fieri sanè non possit vt vlla omninò inter suos & nostros reconciliatio sine grauissima idolatriæ culpa, iniri queat.

Septimum. Quòd nostra doctrina, quam etiam ex scripturis ipsis petimus, non alio loco sit habenda, quàm quo loco Sathanæ Christum Dominum tentantis verba illa habentur: Mitte te deorsum.

Hæc sunt quæ Lasko visum est ex libello nostro potissimum excerpere, vt ea oppugnaret. Non quibus à nobis scripta, sed quibus ipsius causæ magis commodum videbatur verbis recitata. Qui quod initio quæritur, se mendaciter à nobis in eo malitioseq; perstringi vellemus, vt quibus in locis, & quibus verbis id factum sit, indicasset. Nam cùm accuratiùs à nobis libellus relectus fuisset, nihil in eo tale reperire potuimus. Quatuor tantum loca sunt, in quibus obiter mentionem eius facimus. Primus: Mox ingressa est pars altera cunei crassior adhuc Tigurina & Lascana confessio. Secundus. Quotquot à nobis discesserunt, magna ex parte Picardi sunt vel Caluiniani siue Laskani. Tertius: Cùm dixissem Zuinglianos, non alio loco Lutheranos habere quam quo habentur ab illis. Testantur hoc in quam scripta Ioannis Caluini & Ioannis à Lasko contra Ioachimum Vestphalum. Quartus: Ioannes à Lasko, qui cum Caluino consentire propemodum videtur, præterquam quod plurimis in locis pessimè de Luthero sensit, sicut annotatum est ab Erasmo Albero. De Lutheranis quoq; scribit, quòd cùm aliud nihil supereſt, ad Augustanam Confessionem tanquam ad sacram, quod dicitur anchoram confugere consueuerunt: & tanti illam faciunt, vt non desint

sint inter ipsos, & quidem non postremi, qui dicant se malle de Pauli ipsius Apostoli, quàm vel de Lutheri, vel de Confessionis Augustanæ doctrina dubitare. Quid est in ijs locis omnibus, quod vel mendaciter vel malitiosè scriptum à nobis, quodq; cum sua vel minima contumelia coniunctum esse, verè quæri Laskus queat? Certè quòd postremo loco testimonium eius adduximus, id illis ipsis verbis continetur, in ea quam ad te scripsit, Serenissime Rex, epistola, quæ typis excusa, manibus multorum teritur. Nisi fortè magis hoc offendit hominem, quod in alio quodam scripto nostro citauimus Ioachimi VVestphali librum, aduersus, insignia mendacia Ioannis à Lasko. Sed quam aliam inscriptionem libri proferremus, præter eam qua fuit vsus auctor ipse? Quàm falsam esse, quodq; falsò toties ab eodem Ioachimo fit in eo libro Pseudolus appellatus, ex animo cuperemus. Hoc omni possumus asseueratione confirmare, quòd sicut paulò antè diximus, de nullo minus cogitabamus, quàm de Lasko, quo tempore libellum hunc de expresso Dei verbo scribere cœperamus. Nunquam enim fœdissimam hæresim eius, quæ calamo refelleretur potius, quàm quæ scepro Magistratus coërceretur, dignam iudicauimus. Qua quidem in re cum Lutheranis cõsentire nos ingenuè fatemur. Sed cùm ab imperitis quibusdam obijceretur nobis, quod vtranq; speciem Eucharistiæ Sacramenti, iuxta expressum sicut ipsis visum est Dei verbum, laicis in diocœsi nostra dari non permitteremus, cùm de hoc ipso expresso Dei verbo contendere solere, stultas quoq; mulierculas accepissemus, contra primam hanc tenuiorem cunei partem, non contra nimis crassam istam Sacramentariorum, hæc scribendi labor potissimum nobis est susceptus.

Lib. 1. cont. prolego mena Brenij.

Conuenit autem inter nos & eos qui discesserunt à nobis, quocũq; tandem nomine vocentur, Quòd scriptura Dei verbum sit. Hoc itaq; constituto, quando quidem sicut verè dictum est ab illo. De intelligentia non de scriptura hæresis est: Sensus non sermo, fit crimen, visum est illud accuratiùs expendere, quo sensu scriptura Dei verbum sit. Num iuxta fanatici cuiusq; suum & priuatum, an iuxta communem & publicè receptum ab omnibus Ecclesiæ sensum & consensum. Quoniam verò, Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, ait Propheta, & nihil vident: Et qui loquitur mendacium, eum de suo loqui dicit Christus, harum scripturarum authoritate persuasi, tandem sententiam nostram his verbis enunciauimus: Hoc est quod propriè dicitur verbum Dei, quando scripturæ verbis, non proprius adstruitur sensus, verùm is qui omnium, qui Ecclesiæ Catholicæ est, quem eundem esse Dei sensum, ambigendum non est. Sic annotatum à Socrate legimus, quòd Imperator Constantinus omnium eorum qui conuenerant in Concilio Nicæno sententiam, Dei vocat sententiam. Vox enim Ecclesiæ vox est Dei per illam loquentis. Hæc sunt verba nostra. Lasko verò visum est, ijs verbis rem enunciare. Scriptura in seipsa non est verum illud atq; expressum Dei verbum, cui nos obedire oporteat, nisi iuxta sensum & consensum Catholicæ Ecclesiæ exponatur. Quæ quanquam in libello nostro non reperiuntur ita scripta, quoniam tamen à sententia nostra, non multum discrepant, minimè grauatim ea pro nostris agnoscimus. Nunc tu vide Lector, qua de re agatur, & quis sit huius controuersiæ status. Quod scriptura Dei verbum sit, controuersum non est. Quoniam verò præclarè dictũ est ab Hieronymo, non in scripturarum verbis Euangelium esse, sed in sensu, quod in di

Hil. lib. 2. de Trin.

Ezech. 13.

Ioan. 8.

Li. 2. hist. eccl. c. 9.

In cap. 1. epist. ad Gal.

ceptationem venit illud est: An iuxta priuatum cuiusq;, vel potius iuxta communem Ecclesiæ sensum & consensum exposita scriptura Dei verbum sit. Posterius hoc asseueramus nos, quod scripturam iuxta communem Ecclesiæ, non autem iuxta priuatum cuiusq; sensum Dei verbum est. Hoc si minus verè dictum esse Laskus existimabat, oppugnatum ab eo oportuit. Nunc ille confutationem suam sic orditur.

Veriam, æternum, atque expressum Dei verbum positum est in sensu atque consensu vnanimi, non tam equidem Ecclesiæ, quam potius scripturæ ipsius. Quam vt diuinitus inspiratam esse constat, ita diuina etiam virtute sufflet iam, non requirere vllam vllorum hominum, quibus ipsa alioqui etiam Ecclesia constat, approbationem. Alioqui non tam Ecclesiam à verbo Dei, adeoque & Deo ipso, quam potius & verbum Dei simul & Deum ipsum, ab Ecclesiæ authoritate testimonio atque approbatione, pendere oporteret. Cum tamen Christus Dominus in verbi doctrinæque suæ approbatione, ab hominibus nullum se testimonium, ne accipere quidem, nedum requirere profitetur. Atqui alibi rursus, oues suas, hoc est, Ecclesiam ipsam, ex vocis suæ seu verbi sui obedientia velit agnosci, & eos duntaxat pro fratribus & amicis suis habendos esse docet, qui in sermonis doctrinæque ac verbi sui approbatione atque obedientia perdurant, vt perspicuum sit, non equidem Christum Dominum verbumque illius ab vllo sensu & consensu Ecclesiæ sed ipsam potius Ecclesiam a verbi diuini scripturis nobis proditi sensu, consensu atque obedientia dependere. Ac proinde Hosium libello hoc suo prodere suam ipsius & suorum omnium Antichristianam planè impietatem, dum sub ementito Ecclesiæ titulo, Christum Dominum sibi, non autem se Christo Domino in verbi sui diuini doctrina subijcere conatur.

Quæso te lector. Si quis libellum nostrum de expresso Dei verbo legere grauatus non es, animaduertisti ne, quod vsquam in eo, vel minimo verbo vocemus illud in dubium, verum Ecclesiam à verbo Dei an Dei verbum ab Ecclesiæ authoritate, testimonio, atq; approbatione, pendere oporteat? Si quàm diligentissime chartas omnes excusseris, nullam prorsus eius rei mentionem factam videbis. Qua de re agebatur, fuit hoc, scripturam esse Dei verbum, sed non iuxta priuatum cuiusq;, verùm iuxta publicum Ecclesiæ Catholicæ sensum. Hoc enunciatum nostrum, tam est verum, vt cùm anxiè quærendo, nihil studij, laboris, diligentiæ Laskus prætermiserit, quod contra tamen mutire posset, non inuenerit. Iràque cùm quod contradiceret non haberet, tacere verò turpè duceret, ipse sibi monstra finxit, quibus cum pugnaret. Verbum, inquit, Dei non pendet ab Ecclesiæ authoritate. Atqui non de hoc fuit disceptatio, sed de scriptura, quo sensu Dei verbum esset. Cur extra

Universidad de Deusto
Biblioteca

chorum, quod aiunt, saltas? cur ad rem propositam nihil dicis? Tu quidem ipse sic sententiam nostram enunciasti. Scriptura in seipsa, non est expressum Dei verbum, nisi iuxta sensum & consensum Catholicæ Ecclesiæ exponatur. Hæc ergo tibi fuit refellenda. Non enim
2. Petri 1. de verbo Dei sermo nobis est, verum de scriptura, quo sensu sit verbum Dei. Quis nescit, multò latius patere verbi Dei, quàm scripturæ nomen? Est enim Dei verbum incarnatum, de quo scribit Ioānes, quod verbum caro factum est: Est inspiratum, de quo Petrus: Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Cuius duo sunt genera, vnum non scriptū,
1. Tim. 2. scriptum alterum, de quo posteriore nunc nobis potissimum sermo est. Sed excutiamus iterum Lasci verba. *Verum*, inquit, *æternum atq; expressum Dei verbum positum est in sensu & consensu, non tam equidem Ecclesiæ quàm potius scripturæ ipsius.* Putas autem lector, hunc hominem ipsum, quid dicat, intelligere. Mihi quidem ex eorum esse numero videtur, de quibus ait Paulus, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Verum, inquit, & æternum Dei verbum. An scriptura verbum est æternum? An est quisquam qui dubitet quòd à Mose cœperit exordium? Quid igitur iste garrit de æterno verbo? de quo nihil ambigitur inter nos. Verbum enim æternum Christus est, de quo dicit Euangelista, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Est autem vnquā hæc impia vox à nobis audita, vel in aliquo libro nostro lecta, quod Christus qui verbum est æternum requirat approbationem hominum, quod is ab Ecclesiæ pendeat authoritate, quem Ecclesiæ caput esse constat, vt quicquid est authoritatis penes Ecclesiam, in eam ab illo tanquam à capite deriuari videatur? Quasigitur sibi Chimæras fingit Laskus, quas oppugnet? cùm non de Christo, qui verbum est æternum, sed de scriptura, quam exordium sumpsisse scimus à Mose, sermo nobis fuerit institutus. Sed expendamus adhuc verba Lasci. *Verum*, inquit, *atq; expressum Dei verbum positum est in sensu & consensu vnanimi, non tam equidem Ecclesiæ, quam potius scripturæ.* Quæso te Lasce, Num ante scripturam verum & expressum Dei verbum fuisse putas? Constat, inter primum hominem conditum & Mosen, à quo scriptura cœpit initium, interfluisse bis mille, trecentos & amplius annos. Num toto illo tempore absq; Dei verbo fuit Ecclesia? quam ab Adam originem sumpsisse, ipse tu fateris, & nos tibi libenter concedimus. Non sic insanire te credimus, vt hoc audeas affirmare. Si concedis igitur, quòd ante scripturas Dei verbum fue-
ca. 3. eccl. hierarch. rit, quomodo potest illud consistere quod scribis, Dei verbum in vnanimi sensu & consensu non tam Ecclesiæ quàm scripturæ positum esse? Cuius scripturæ? Quæ nunquam in rerum natura fuit, quandoquidem bis mille, trecentis & amplius annis Dei verbum ex animis in animos hominum, sicut loquitur Dionysius, transfusum, & in visceribus atq; cordibus eorum inscriptum, non autem chartis illitum fuisse constat. Iámne vides, in quas ipse te salebras conijceris? Et quàm hoc ineptum, quàm ab omni ratione sit alienum quod asseris, in scripturæ, non autem in Ecclesiæ sensu & consensu verbum Dei positum esse. Mihi quidem videris, febricitans hæc scripsisse, cùm quodam errore mentis afficereris.

Quid autem sibi vult hoc quod scribis: *Verbum Dei positum est in scripturæ sensu?* Num hoc
Act. 8. Esai. 53. significare vis, quod illud est verbum Dei, quod scriptura sentit? Atqui scriptura est res inanima, quare sensum illius explicet necesse est, qui non animæ tantum, verùm rationis & orationis particeps est. Legebat scripturam Eunuchus: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. Et interrogatus à Philippo, Putásne intelligis quæ legis? Quomodo possum, inquit, si non aliquis ostenderit mihi? Nec prius Esaiæ locum hunc intellexit Eunuchus, quàm expositus à Philippo fuisset. Itàq; requirit interpretem scriptura, requirit aliquem qui sensum explicet. Nisi verò tu quoq; facis cum Prophetis illis (scelestis ne dicam an cœlestibus?) qui cùm vnus sit
Matt. 23. magister noster in cœlis, ita nos ad eum solum confugere docent, vt omne verbi ministerium prorsus abrogarint, nec operam vllam humanam in Dei voluntate cognoscenda nobis esse necessariam affirment, quò tamen amentiæ non dum te peruenisse puto. Si verum est igitur, quod in explicando scripturæ sensu, Deus hominum vtitur ministerio. (Quod nobis certū & indubitatum esse debet) hic illud in dubium vocatur, vniúsne alicuius hominis, nihil sibi non arrogantis, an totus Ecclesiæ potius expositioni standum sit. Quod posterius nobis visum est, veritati magis consentaneum, vt hoc potius per scripturam dicere
Iere. 16. voluisse Deum credamus, quod interpretatur Ecclesia Catholica, cui Spiritum sanctum vt eam doceat, & cum ea maneat in æternum, promissum & missum esse scimus, quàm quod vni alicui fanatico nonnunq; homini videtur: vt cōmuni potius Ecclesiæ sensu, quàm priuato cuiusq; scriptura Dei verbum esse putetur. Hæc nostra sententia tam est vera, nihil vt inuenire Laskus potuerit quamlibet anxiè quærendo, quod contradicere valeret. Quamobrem vt lectori tenebras tū offunderet, eo posthabito de quo sermo fuerat institutus, orationem suam alio deflexit, & longe diuersam sententiam, quàm quæ producta fuerat per nos, oppugnandam sibi sumpsit cum hac veritate, quam attulimus nos, nihil fieri fortius, nec illam vllis rationibus expugnari posse videret:

Quod autem scribit Laskus, quod scriptura nullam Ecclesiæ requirat approbationem, id (hoc quidem tempore) quin verè dici queat dubium non est. Nam cùm semel ab Ecclesia fuerit approbata, nouæ iam alicuius approbationis non indiget. Sed nūquid agebatur inter nos ea de re, nū scriptura requirat approbationē Ecclesię? Nihil minus. Quo sensu scriptura Dei verbū esse credi deberet, priuato ne cuiusq;, an publico totius Ecclesiæ hoc erat, de qua controuertebatur. In qua controuersia explicanda, magis mutus est Laskus quàm piscis. Sed quando mouet ille quæstionem hanc, etsi nihil ad propositum nostrum pertinere videtur, non est tamen visum nobis, eam indiscussam relinquere. Primum autem hoc testatum esse omnibus volumus, nos hic non loqui de verbo Dei, verum de scriptura, ex qua sū-

tum quoque verbum, suamq; sententiam elicit non raro diabolus. Quod ipsum & per se, & per membra sua sæpè fecisse in eo libello nostro, quem Laskus oppugnandum suscepit, manifestius demonstrauimus, & sub oculos cunctorum subiecimus, quam vt obscurum el- 2. Cor. 11. se cuiquam queat. Nam qua potuit alia ratione miseris hominibus facilius imponere Sathanas, quàm dum se transfigurat in angelum lucis, & sub obtentu verbi Dei atque Euangelij suum illis viris afflat? Pronunciamus itaque clara voce, quòd verbum Dei non pendet ab authoritate, testimonio, atque approbatione Ecclesiæ: Scriptura verò pendet, quæ non aliter verbum esse Dei censeri debet, nisi quatenus Ecclesiæ fuerit authoritate comprobata. Quod vsque eo visum est Augustino omni prorsus dubitatione carere, vt intrepidè diceret: Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoue- Contra epistolam Manich. ca. 5. ret authoritas. Quid dici potuit ad confirmandam sententiam nostram apertius? Euangelio, non quod à CHRISTO & Apostolis eius prædicatum, sed quod in membranis fuit à Matthæo, Marco vel alijs scriptum, negat Augustinus, vt crederet adduci se potuisse, nisi compulsus Ecclesiæ fuisset authoritate. Nunquam ille dubitabat quin hoc Euangelium, quin hoc verum Dei verbum esset, quod à Christo quod ab Apostolis eius fuerat prædicatū, sed qđ hoc fuerit à Christo & Apostolis eius prædicatum, quod scripserunt Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes: id verò se dubitaturum fuisse scribit, nisi commoueret eum ad credendum authoritas Ecclesiæ, quæ cùm approbauerit hæc quatuor Euangelia, reijcèrit verò, quæ ferebantur, à Thoma, Nicodemo, Barnaba, scripta, quod illis potius crederet quàm his, non alia re se moueri scribit, quàm quod illa fuerint, hæc verò non fuerint Ecclesiæ testimonio comprobata. Quòd Augustini exemplo facimus etiam nunc, quotquot sūmus fideles & orthodoxi. Manichæus cùm in præfatione libri sui, se vocasset Apostolum Iesu Christi, volebat & ipse doctrinam suam Euangelium videri. Sicut & vestri Lasce, quod ipsi docent Euangelium, & verbum Dei vocant, nec alio loco, quàm quo Dei verbum, à cunctis recipi volunt. Quid autem ad hæc Augustinus? Ego verò, inquit, Euangelio non cre- Aug. cont. epist. derem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas. Quibus ego obtemperaui di- Fundament. cap. 5. centibus, credite Euangelio, cur eis non crederem, dicentibus mihi, Nihil credere Manichæo? Hominibus igitur qui membra fuerunt Ecclesiæ Catholicæ, se dicit Augustinus obtemperasse vt crederet Euangelio, & ijsdem obtemperasse vt non crederet Manichæo. Neque secus facimus nos. Ecclesiæ namque Catholicæ nos obtemperasse profitemur, quod Euangelio credidimus, eidemq; paruisse monenti, ne vel Martino Luthero, vel Virico Zuinglio, vel eius sectatori Lasko, vel quibuscunque tandem alijs hæreticorum portentis, fidei quicquam haberemus. Cedo Lasce, quæ scriptura docet, quòd quatuor tantùm Euangelia? quòd quatuordecim sunt epistolæ Pauli? Nullam proferre potes. Ecclesiæ solius authoritate, Ecclesiæ testimonio, Ecclesiæ approbatione sic rem habere credimus. Cuius igitur authoritate commoti credimus, hoc esse verum Euangelium verum Dei verbum, quod à Matthæo, Marco, Luca, Ioanne, Paulo, scriptum est: quandoquidem permultum refert, quo sensu scripturæ locus aliquis proferatur, cùm suum quoque sensum scripturæ nonnunquam adstruat diabolus, cur cui tantum tribuimus, vt hanc & non aliam scripturam Dei verbum esse credamus, non ei simul & hoc tribuamus, vt hoc sensu quem illa profert, non autem eo, quem adfert vnus aliquis exijs, qui sibi cornicum oculos confixisse videntur, eam verum & expressum Dei verbum esse persuasum habeamus? Certè cui credidi docenti scripturam hanc (verbi gratia) Matthæi aut Marci, Dei verbum esse, illam verò Nicodemi & Barnabæ Dei verbum non esse, videtur hoc esse maximè rationi consentaneum, vt eidem credam docenti, quod hoc quidem sensu Dei verbum est alio verò diuerso, quem adfert nescio quis homo solitarius, & ab Ecclesiæ compage diuulsus, Dei verbum non est, cùm præsertim de singulis hominibus dicat per Prophetam Dei spiritus, quòd omnis ho- Psal. 115. mo mendax: de Ecclesia verò, quòd est firmamentum & columna veritatis. 1. Tim. 3.

Iam igitur habes Lasce, quomodo scriptura pendeat ab authoritate, testimonio, atque approbatione Ecclesiæ, & quemadmodum, illo demum sensu scriptura verum & expressum Dei verbum est, qui fuerit Ecclesiæ Catholicæ iudicio comprobatus, non autem quem sibi quisque finxit. Tua itàque est hæc & tuorum Antichristiana impietas, quod Christum Dominum vobis non autem vos Christo Domino in verbi sui diuini doctrina subijcere conamini, dum non hoc quod Christum Dominum per hunc aut illum scripturæ locum docere voluisse, testis est Ecclesia Catholica, sed quod vestro capiti visum est, id sentire scripturam, & quod vestrum est ipsorum commentum, id haud aliter atque Dei verbum ab omnibus adorari vultis. Sicut non potest vnquam Ecclesia, quæ CHRISTI corpus est, ab eo qui caput illius est Christo separari, sic scripturæ sensus quem adfert illa nunquam potest à sensu Christi capitis esse disiunctus, vt quod caput, idem & corpus, quod verò corpus, idem & caput sentire, certò nobis persuasum esse debeat: cùm non alio quàm Christi spiritu viuat & gubernetur corpus eius Ecclesia. Fixum vt illud sit & immobile, quòd iuxta communem illius, non autem iuxta proprium cuiusque sensum scriptura verum & expressum Dei verbum esse censeri debeat. Quoniam autem idem hoc argumenti genus in Cap. 15. & 16. Confessione quoq; nostra Christiana pluribus tractauimus, si quis ea cognoscere voluerit, illam inspiciat, licebit.

Prosequitur Lascus: *Possemus autem multa hic proferre & ex scripturis ipsis, ad doctrinæ nostræ confirmationem, & ex patribus. Quorum alioqui Hosius videri quidem vult esse studiosissimus, cum interim eorum testimonijs perinde atq; scripturarum authoritate impudentissimè abutatur. Cæterum poste aquam, id est, iam per alios factum locupletissimè, nos actum agere nolumus, quod aiunt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tu vero Lasce, si quid vel ex scripturis, vel ex patribus ad doctrinæ tuæ confirmationem proferre potuisses, nequaquam id silentio præterijsses. Verùm neq; tu, neq; tuorum quisquam adhuc id facere potuit, vtcunque de eo, quod factum sit per alios glorieris. Neque verò nouum hoc est, & insolitum hæreticis, fingere se suorum commentorum patres authores habere. Lib. 3. cont. Eunom. Fecit tauit hoc etiam Eunomius, qui cùm gloriaretur se doctrinam sanctorum patrum in omnibus retinere, sic ei respondit Basilius : Posteàquam, inquit, reprehendit multitudinis opinionem, quæ Spiritum sanctum glorificat, fingit se sanctorum Patrum obseruare doctrinam, & à quibus ea sibi tradita sit, silentio præterit. Qui sunt isti sancti? & in quibus libris suis hæc docuerunt ? An fuit quisquam homo tam audax, qui nouam hanc de rebus diuinis doctrinam inueheret? Quòd autem ais, nos & scripturarum & Patrum testimonijs impudentissimè abuti, nihil est facilius quàm dicere. Cæterùm si quid tale de nobis docere potuisses, vel vnum saltem locum, vbi factum id sit indicasses. Quod cum non feceris, neque facere possis, quis non videt quàm sit hoc impudens commentum tuum.

Pergit. *Omissa itaq; doctrinæ hic nostræ plus satis dudum approbatæ confirmatione, ad excutiendam primam hanc Hosij rationem descendemus. Quanquam autem constat, eam in sensu Hosiano subsistere haud quaquam posse, tamen, vt res tota dilucidior fiat, quædam ab Hosio scisciabimur : Primum dum de Catholica seu vniuersali Ecclesia loquitur : quid nam intelligat sub Catholicæ siue vniuersalis Ecclesiæ nomine ? Deinde, quænam in ea ipsa Ecclesia vocationum discrimina, & quos nam illarum gradus constituat inde enim apparebit, quantum ponderis sint habituræ ipsius ratiocinationes.*

Esai. 59. Psal. 18. Matt. 5. Psal. 57. Luc 12. Luc. 24. Scilicet, nunc nobis ambigendum est de Catholica Ecclesia? Quid autem hoc aliud fuerit, quàm quod ille dicit: Impingere in meridie tanquam in tenebris. In sole posuit tabernaculum suum. Super montem collocauit ciuitatem suam Ecclesiam, quæ abscondi non potest. Sed verè dixit Propheta: Supercecidit ignis, & non viderunt solem. Est ignis qui illuminat, de quo dicit Christus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Hoc igne fuerunt accensi duo illi discipuli in Emaus euntes, cùm dicerent: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Quem ignem posteàquam conceperunt, aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt Dominum. Huius ignis, si tu scintillam aliquam haberes, non palpares in meridie, sicut palpare solet cœcus in tenebris: videres illam quæ fidelium omnium oculis est expolita Catholicam Ecclesiam, & eam, quod in symbolo profitemur, credere, quàm de illa disputare malles. Sed quoniam alius ignis, de quo loquitur in Psalmo Dauid, super te cecidit, oculisq; tuis fumum offudit, nimirum ignis superbiæ, ignis iracundiæ & odij: hinc est, quod in mótem hunc offendis, super quem est Ecclesia posita. Aug. tract. 1. in epi. Ioan. 1. Sed nolite mirari dicit Augustinus: quod ignoratur ab illis Ecclesia, quia in tenebris ambulant & nesciunt quo eant. Quia tenebræ excœcauerunt oculos eorum, Montem non vident? Nolo mireris, oculos non habent? Vnde oculos non habent? Quia tenebræ excœcauerunt eos. Vnde probamus? Quia fratres oderunt. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat. Quia tenebræ excœcauerunt eum. Dixit hæc de Donatistis Augustinus, qui ex toto mundo periisse, ac in sola Aphrica, & ea quidem non tota Ecclesiam remansisse contendebat. Cæterùm non minùs hoc verè de vobis quoq; dici potest Lasce, qui cùm sitis eisdem quibus Donatistæ fuere tenebris excœcati, tabernaculum illud in sole positum, videre non potestis.

Quorsum autem attinet, de Catholica Ecclesia disputare? Sicne, nunc demum nobis in dubium illud est reuocandum, num Christiani, num Ecclesiæ Catholicæ membra fuerint patres, aui, proaui nostri? Patruus tuus Lasce vir pietate præstans, nostra memoria Gnesnensis fuit Archiepiscopus, & Regni Poloniæ primas. Perfrica frontem, & aude dicere, quòd is Christianus non fuerit. Quæ tua est impudentia, facies fortassis vt eum inter idolatras numeres, quem piè Christum, coluisse constat. Qui si nunc viueret, non alia ex re dolorem caperet maiorem, quàm sit te primogenitum in hoc Regno Sathanæ videret: Quin potius (qui fuit zelus hominis erga Christum & Ecclesiam eius) ne videre quidem te sustineret. Neq; tanti apud eum esset quamlibet arcta sanguinis necessitudo, qua coniunctus illi fuisti, quin ille de te primo quoque tempore tollendo consilia caperet: quodque de Serueto symmistes tuus Caluinus, idem de te statueret. Sed quando nos in disputationem de Catholica Ecclesia prouocat Laskus quid blateret, audiamus.

Quod ad Catholicæ, inquit seu vniuersalis Ecclesiæ nomen attinet: Aut sanè Hosio Catholica Dei Ecclesia, vniuersum populi Dei corpus, cum omnibus membris illius ab initio vsq; ad finem mundi complectitur, aut non complectitur. Si stat q, hic paulisper gradum Hosius, neq; hinc se, nisi fracta, quod dicunt nuce proripiat. Etenim si ea est illi duntaxat Catholica Ecclesia, quæ vniuersum sane populi Dei corpus vt dictum est complectitur, tum sane ab illa neq; Patriarchæ, neque Prophetæ, neq; ipsemet adeo Christus Dominus, eiusq; Apostoli excludi vllo modo possunt, multò minus autem sensus & consensus illorum à sensu & consensu Ecclesiæ Catholicæ separari omnino potest. Sed autem aliam nescio quam Catholicam Ecclesiam somniat Hosius, eam nobis demonstret, & doceat, Catholicam reuerà esse, etiam si ab illa caput ipsum humerig, ac manus illius abscindantur. Nos enim nullam aliam Catholicam agnoscimus Dei Ecclesiam, nisi quæ vniuersum à principio vsq; ad finem Dei populum cum omnibus membris ipsius complectitur. Hinc igitur se primum expediat Hosius, vt diserte nobis cum sensu & consensu suæ Ecclesiæ, aut assentiatur, aut reclamet.

Cap. 22. Sed quorsum hæc Lasce? Quid sub Catholicæ seu vniuersalis Ecclesiæ nomine velimus intelligi, & in Confessione nostra Christiana, & in extremo libro contra prolegomena Bre-

tij satis clarè videmur explicasse. Quæ si fuissent à te lecta, nihil fuisset cur quæ sit ea de re sententia nostra nunc sciscitarere. Docuimus enim in his libris ex Augustino, Catholicam, id quod ipsum etiam nomen indicat, dici, toto orbe diffusam. Quia diuersorum hæreticorum (verbi gratia) Lutheri, Zuinglij, Lasci Ecclesiæ, ideò Catholicæ non dicuntur, quia per loca, & suas quasq; prouincias continentur: hæc verò à Solis ortu vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur. Simul & illud ostendimus, quòd pertinet ad vniuersa loca, ad vniuersa tempora, ad vniuersa hominum genera, ad vniuersas nationes: quòd ab Adam cœpit, atq; ad nos vsq; peruenit, ita vt cùm ortu, tum diuturnitate par ipsi mundo sit & æqualis. Quòd pluribus etiam scripturæ testimonijs comprobauimus. Addimus his nunc ex Cyrillo Hierosolymitano, quòd Catholica dicitur propterea quòd per totum diffunditur orbem habitabilem, à finibus terræ vsque ad fines, & quod docet vniuersè, & absq; vllo defectu omnia ea dogmata, quæ in notitiam hominum venire debeant, tam de visibilibus, quàm de inuisibilibus: tam de cœlestibus, quàm de terrestribus: & quod omne genus hominum sibi cum pietate subiectum habet, siue qui cũ potestate versantur, siue qui priuatã vitã agunt: & quòd in vniuersum medetur omnibus peccatorũ generibus, siue quæ per animam, siue quæ per corpus patrantur: & quod possidet in se omnem cuiusq; generis virtutis formam, & in actionibus, & in sermonibus, & in cunctis spiritualibus gratijs. Nunquam igitur nos ab Ecclesia Catholica Patriarchas, Prophetas, Christum & Apostolos eius excludimus, quin Christum caput, illos verò membra ipsius esse præcipua profitemur. Sed vestra fuit hæc Lasce sacrilega audacia, quod Christum caput à corpore suo, quæ est Ecclesia, non dubitatis excludere, dum vulgo (minus heu credulo) persuadere conati estis, totis mille quingentis annis Ecclesiam caruisse Christo, stertentesq; sponso sponsam pro Deo laruas & idola coluisse, in sacris literis enarrandis prorsus cœcam fuisse. Quæ verò fiebant in Ecclesia miracula, nihil aliud quàm dæmonum præstigias extitisse. Nunc demum post mille quingentos annos exortum est lepidum caput illud vestrum Carolstadius, (hic enim sectæ vestræ primus author fuisse perhibetur) per quem ab idolorum cultu reuocati, & ad agnitionem veri Dei simus perducti. Quamobrem falsum esse, quod dixit veritas, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, quodq; se missurum Ecclesiæ suæ Spiritum sanctum promisit, qui suggereret illi, qui doceret illam omnẽ veritatem, qui cum illa maneret in æternum, non Ecclesiæ spiritum, quam falsò iuxta vos Paulus vocat, columnam & firmamentum veritatis, non Ecclesiæ sensum & consensum sequendum esse, verùm priuatum Carolstadij spiritum, & quem ille scripturæ sensum adfert, eum esse nobis tanquam verum & expressum Dei verbum amplectendum. Vides iam Lasce, quemadmodum ipse Christum excludas ab Ecclesia Catholica, dum sensum illius & consensum, vt quæ capite suo Christo destituta sit, & ab eo prorsus derelicta, sequendum nobis esse negas. Sed iam quod sit alterum illud, quod sciscitatur à nobis peracutus hic homo, videamus. Matt. 28 Ioan. 14. & 16.

Alterum est inquit, quod ab illo sciscitari velimus: An non in eadem ipsa Catholica Ecclesia, (ad verum libet eum modũ accipias) in publico præsertim verbi ac doctrinæ ministerio certa quædam discrimina certosq; gradus constituat, & quidem eos, quos nobis scripturis proditos habemus: Nempe alios esse quorum doctrinam Deus ipse pro Ecclesiæ suæ fundamento haberi velit, alios verò qui non nisi huic ipsi fundamento iam posito, sua omnia superstruere debent. Et hic igitur se explicet Hosius. Etenim si duos hosce gradus in publico verbi ac doctrinæ in Ecclesia ministerio agnoscit, gladium quem in nos vibrare conatus est, iam nobis ipsemet porrigit, quo illum conficiamus. Sin minus, non equidem iam nobiscum res erit illi, sed cum Prophetis, Apostolis, adeoq; ipsomet Christo Domino, quemadmodum mox dicetur. Deliget Hosius igitur nobiscum, ne consentire plane velit tam in Ecclesiæ Catholicæ voce, quàm in dictis eius ministerij gradibus: An verò infulæ suæ consitus, cum Prophetis, Apostolis, & ipso deniq; Christo Domino in certamen descendere.

Quò diligentius, quem ad finem has nobis Laskus quæstiones proponat, nobiscum reputamus, hoc magis in eam opinionem venimus, vt eum ipsum quid garriat non intelligere putemus. Nam sicut reliqua superiora, sic & hæc, quod ad rem propositam quicquam faciant non videmus, ita vt nullo prorsus scopo (quod est in prouerbio) iaculari nobis videatur. Esse in publico verbi ac doctrinæ ministerio certa quædam discrimina certosq; gradus constitutos, scripturis proditum reperimus. Dedit enim Deus quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios pastores & doctores, ad consumationem sanctorum, in opus ministerij, & ædificationem corporis Christi. Hos gradus & ordines in Ecclesia nostra Catholica distinctos esse videmus: apud vos verò, partim confusos, partim sublatos penitus. Ex quo coniecturam facimus, vestram istam non Ecclesiam Dei, sed Sathanæ synagogam esse. Porrò de fundamento docuit nos idem Paulus: Quod fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. Quod etiam alibi vocat fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Nam quem clarè iam & perspicuè prædicabant Apostoli CHRISTVM, pro nobis passum & resurrexisse, cum sancti Patriarchæ figuris quibusdam & sacrificijs adumbrabant: Prophetæ verò aliquanto apertius venturum annunciabant, vt non super aliud fundamentum ædificauerint Patriarchæ & Prophetæ, qui præcesserunt Christum, quàm super quod ædificauerunt, qui secuti sunt Apostoli, nimirum super vnum & eundem Dominum nostrum Iesum Christum. Tempora tantum variata sunt ait Augustinus non fides, fides enim erat, & est eadem: Vẽturum illi Christum saluatorem annũciabant, Apostoli venisse prædicabat. Sed fundamentũ hoc Lasce cõmune quodãmodò Catholicis est cum hæreticis. Quãuis. n. hæretici sint aliqui, dicit explicans illũ Pauli locũ Ambrosius, non tñ docent nisi sub Christi nomine: aliter. n. cõmenta erroris cõmendare non possent, nisi interposito saluatoris nomi- Ephes. 5. 1. Cor. 3. Aug. tract. 45. in Ioan. Sect. 131. & 181. de

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne prædicent, vt res contrarias & absurdas nominis dignitas faciat acceptabiles. Hoc est quod de Donatistis quoq; scribit Augustinus: Contra Christum portant signum Christi, & contra Euangelium, de ipso Euangelio quod non intelligunt gloriantur. Super hoc igitur fundamentum superædificare scribit Apostolus, alium aurum, argentum, lapides pretiosos: alium ligna, fœnum, stipulas. Et vniuscuiusq; opus, inquit, ignis probabit. Hæc est Lasce de gradibus de q; fundamento doctrina, quam ex Pauli scriptis hausimus. Quorsum autem hæc afferantur à te, nescimus, Videris cùm nihil haberes, quod de re proposita dicere posses, scribere nihilominus, & chartas explere voluisse. Quamuis tu fortasse verbis ijs aliud quiddam significare voluisti, quod explicare nescis, & lectorem diuinare cupis. Nos gradus quos recenset Paulus, & fundamentum quod ab illo didicimus, libenter agnoscimus, & cũ eo quòd oporteat esse distinctos gradus & ordines in Ecclesia, quod q; fundamentum aliud nemo ponere potest præter id quod positũ est, quod est Christus Iesus, aperte profitemur: & super hoc, non autem super aliud fundamentum ædificare nos gloriamur. Sed num idcirco quia profitemur hæc & agnoscimus, gladium quem in te vibrare conabamur, iam ipsi tibi porrigimus, quò nos conficias? Nobis verò nihil certius est persuasum, quàm hoc, hominem hunc, ipsum quid loquatur nescire. Prosequitur deliramenta sua.

Epist. 61.

Atq; Hosius quidem quiduis potius facturus esse videtur, quàm vt nobiscum vlla in re consentiat. Metuit sibi ab idololatria scilicet, in qua interim quantus est, demersus iacet.

Rectè conijcis. Certum enim nobis est, priùs & facere & pati omnia, quàm vt in vestris impijs dogmatibus vobiscum consentiamus, qui non solum nobis Christianis, verùm ipsis etiam Lutheranis, tam estis inusitam execrabiles, vt haud aliter quàm viperam & basiliscũ congressum vestrum fugiant, nec in suis terris receptum vobis dari permittant. Pergit iterum.

Nobis autem maior est Prophetarum atq; Apostolorum authoritas, in summo alioqui lapide illo angulari Christo Domino obfirmata, cui primarium, hoc est fundamenti locum in Catholica ipsius Ecclesia libenter tribuimus, quam coniurati sensus & consensus (quem tantopere urget Hosius) centies mille suarum Ecclesiarum.

Atqui hæc ipsa Prophetarum & Apostolorum authoritas deterret not maximè, quo minùs in vestris dogmatibus vobiscum consentiamus, cùm toties nos hortentur & moneant, Recedite ab idolis. Fugite ab idolorum cultura. Custodite vos à simulacris. Vos autem esse illa idola, & illa simulachra, quæ tantópere fugere nos iubent Prophetæ & Apostoli, clarius & dilucidius in libello nostro de expresso Dei verbo demonstrauimus, quàm vt ambigere de eo quisquam possit, eadem iterare, nihil est necesse. Quas autem tu vocas Hosianas Ecclesias? Ego me in partem sollicitudinis vocatum esse fateor. Cæterùm vel ex Cypriano discere potuisti, quòd Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur Ecclesia quo que vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo Solis multi radij, sed lumen vnum: Et rami arboris multi, sed robur vnum, tenaci radice fundatum. Et cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur, exundantis copiæ largitate vnitas tamen seruatur in origine. Præclarè Augustinus. Sicut cœli & cœlum, montes & mons, non aliud sed hoc ipsum. Sic Ecclesiæ multæ, & vna Ecclesia, non aliud sed hoc ipsum. Numerantur in nomine, inquit, Optatus, sed vno intellectu suo iunguntur in corpore, vt in manu digiti, quos inter uallis singulos videmus esse. Qui fit autem, quod apud nos Ecclesiæ cum sint multæ, vna sit nihilominus Ecclesia? Causam reddet Optatus dicens: Quia in vno Petro, qui cùm esset caput Apostolorum, propter eà Cephas appellatus est. Cathedræ vnitas ab omnibus seruatur. Nõ sunt igitur apud nos Lutheranæ non Zuinglianæ, non Lascanæ Ecclesiæ, sed vna tantum est sancta Catholica Apostolica Ecclesia, cuius nos esse membra profitemur. Sic in cœlis caput vnum Christum agnoscentes, vt ille tamen interea in gubernanda Ecclesia, quò facilius vnitas conseruari possit, vnius vtatur ministerio, qui locum illius in terris gerat. Cui & ipsi quẽ debemus honorem & reuerentiam, summa cum animorum alacritate præstamus. Ego verò Deum precor, vt omnia mihi prius eripiat, quàm hanc mentem, qua semel mihi deliberatum est, millies mortem oppetere potius, quàm vt quod tu cum tuis Lasce fecisti, schisma tis, & ab Ecclesiæ Dei sacrilegæ separationis author vnquam esse velim. Habeo quidem & ipse meam Ecclesiam, quam Deus mihi gubernandam commisit, sed procul ablit, vt ea sitã reliqua vnitate separata. Tu es ille Lasce, qui tibi seorsum Ecclesiam colligis, cuius commu nio non est cum toto, sed in parte Caluini siue Zuinglij esse maius. Tu es qui altare vel (nouo quodam instituto) mensam potius contra altare erexisti, qui Cathedram contrã Cathedram constituisti. Qui nouos quosdam ritus, nouam quandã & peregrinam fidem in patriam induxisti. Quo q; magis planum fieret omnibus, fidem hanc tuam esse peregrinam & ab ea, qua sanctorum maiorum nostrorum animi imbuti fuerunt, prorsus alienam, cùm Londini, cùm Francoforti, cùm alijs quibusdam in locis vitam degeres, nec vsquam diu consisteres, quam seorsum ab orbe Christiano colligebas Ecclesiam, illam peregrinorum Ecclesiam vocari voluisti, quò sic eam peregrinam à Christo neq; commune cũ eo quicquam habere demonstrares. Prosequitur Laskus.

Ezech. 14. 1. Cor. 10. 1. Ioan. 5. *De simplicitate prælatorum siue de vnitate Ecclesiæ.*

Malumus Propheticum de Apostolis testimonium sequi, qui pro patribus filios nobis natos, Apostolos inquam, atq; per vniuersum orbem terrarum salutaris doctrinæ principes constitutos esse docent, vt omnis alioqui sensus & consensus Ecclesiæ, ab authoritate doctrinæ Apostolicæ, quam scripturis suis potissimum ad nos transmiserunt, non autem doctrina Apostolica a sensu & consensu illius etiam, nedum Hosianæ, nescio cuius Ecclesiæ dependeat omnino.

Psal. 44.

Nos verò Lasce Propheticum testimonium, tanquam ab authore Spiritu sancto profectum libenter accipimus, verum interpretationem hanc tuam, qui per filios solos Apostolo

rum intelligi vis, non recipimus. Fuerint filij Patriarcharum & Prophetarum Apostoli, quid igitur? Num ipsi soli filij nobis nati, num ipsi soli per vniuersum orbem salutaris doctrinæ principes constituti sunt? Num ipsis mortuis Ecclesia esse, & salutaris doctrina propagari desijt? Quod tu certè sentire videris, cùm non alios quàm Apostolos, pro patribus filios nobis natos interpretaris. Atqui longè diuersum sentit probatissimus ille totius Ecclesiæ consensu Doctor, Augustinus: Qui locum hunc enarrans, pro patribus tuis, inquit, nati sunt tibi filij, genuerunt te Apostoli, ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi patres. Sed nunquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? Etsi vnus eorum dixit: Cupio dissolui, & esse cum Christo multò magis optimum est, manere in carne necessarium propter vos, dixit hoc quidem, sed quàm diu hic manere potuit? Nunquid vsque ad tempus hoc? Nunquid vsque ad posterum? Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. Vides quemadmodum Augustinus apertè contra tuam hanc interpretationem pugnat, qui solos Apostolos filios Ecclesiæ datos, qui solos Apostolos Doctrinæ salutaris Principes esse constitutos innuere videris. Sed audi quemadmodum ille clarius etiam rem explicat. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Quid est pro patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam. Quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es. De prole tua tibi creuit paternitas: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constituti eos principes super omnem terram. Hæc est Catholica Ecclesia, filij eius constituti sunt principes super omnem terram. Filij eius constituti sunt pro Patribus. Agnoscant qui præcisi sunt, veniant ad vnitatem, adducantur in templum Regis. Templum suum Deus vbique collocauit, fundamenta Prophetarum & Apostolorum vbiq; firmauit. Filios genuit Ecclesia constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram. Quàm hæc ex Diametro pugnant Lasce cum interpretatione tua? Quos tu fuisse vis filios eos patres, vocat Augustinus Apostolos. Nam ipsi nos genuerunt verbo veritatis. Et quoniam nobiscum in carne perpetuò præsentes esse non potuerunt, pro patribus illis, dicit nobis natos filios, esse constitutos Episcopos, qui salutarem Apostolorum doctrinam ad extremum vsque iudicij diem propagarent. Intelligis ne Lasce, quemadmodum ipse contra te Propheticũ hoc testimonium attuleris, & ipse nobis arma, quibus conficerere suppeditaueris? Cur .n. quos pro patrib⁹ filios esse nobis natos, Episcopos, quos doctrinæ salutaris principes constitutos esse dicit Propheta, non eorum populus ductum sequatur, non eorum sensum & cõsensum amplectatur potius, quàm vnius alicuius vestrum, qui heri (quod aiunt) aut nudiustertius nati, nec ex qua authoritate prodieritis ostendere, nec origines Ecclesiarum vestrarum ædere, nec ordinem Episcoporum vestrorum euoluere potestis, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit authorem & antecessorem. An attem & hoc perspicis Lasce, quod his verbis Propheta, successionem illam Episcoporum ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, comprimis nobis commendatam esse voluit? Qua se in Ecclesiæ Catholicæ gremio iustissimè teneri, alio quodam loco testatur idem Augustinus. Quam tamen vos hostilem in modum oppugnatis, neq; minus quicquam quam illius nomen ferre potestis. Atqui hoc est quod monet nos Propheta. Ne propterea concidamus animo, ne propterea desertam Ecclesiam est: putemus, quod non videmus in ea nunc præsentes Petrum & Paulum, & cæteros Apostolos, qui nos genuerunt verbo veritatis. Esse quidem illos iam in cœlum translatos, & ibi cum Christo quem piè coluerunt viuere. Sed non ideo tamen Ecclesiam orbam esse. Nam pro patribus illis datos nobis esse filios, datos Episcopos qui succurrerent in Cathedras illorum, qui doctrinam salutarem, quam à suis patribus Apostolis & Apostolicis, siue per sermonem siue per atramentum sibi traditam acceperunt, vicissim suis posteris, ita vt à patribus illis acceperunt per munus traderent, nullum vt sit periculum, vt deseratur vnquam Ecclesia illa, cũ qua se futurum vsq; ad consumationẽ seculi, qui fallere nescit Christus promisit. Quàm autem patérne quàm amanter hortatur te sanctus hic Episcopus Lasce, cum ait: Agnoscant qui præcisi sunt, veniant ad vnitatem, adducantur in templum Regis. Agnosce, inquit, ô Lasce, qui tuo ipsius iudicio condemnatus, qui tua ipsius voluntate ab vna, sancta Catholica & Apostolica Ecclesia præcisus, & è cœtu piorum es eiectus: agnosce filios patrum nostrorum Apostolorum successores eorum Episcopos. Et quod in Ecclesia Catholica per ordinem sibi succedentium Episcoporum, vnanimiter & constanter ad hæc vsq; nostra tempora per manus traditum esse vides, per successores itidem eorum ad seram posteritatem quoad seculum hoc duraverit, transmittendum. Hoc tanquam Dei verbum ample ne dubita, & à qua te per summum sacrilegium diuisisti, ad eam vnitatem reuertere, ac in CHRISTI summi Regis templum adduci te, vel reduci potius patiaris, extra quod nihil est quod salutem reconse qui posse speres. Vtinam autem aliquid apud te Lasce tam sancti patris huius, hæc tam pia valeret admonitio, Multò maius ex vno te reuerso gaudium conciperemus, quàm ex nonaginta nouem, qui nunquam ex Ecclesiæ domo egressi, constantes in ea permanserunt: neq; minore lætitia sancta Mater Ecclesia te redeuntem ad gremium suum, esset exceptura quàm prodigum illum filium, qui bona sua peregrè profectus abliguriuerat omnia, exceptum à patre fuisse in Euangelica legimus historia. Sed vnde deflexit eò redeat oratio.

Contra Manichæi epistolam quam vocant fundamẽti c. 4.

Luc. 15.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod asseris deinceps. Ecclesię sensum & cõsensum ab authoritate doctrinæ Apostolicę, q̃ scripturis suis potissimum ad nos transmiserunt, non aũt doctrinam Apostolicam à sensu & consensu Ecclesiæ dependere, quatenus id rectè dici possit, iam antè docuimus. Certum est, quòd doctrina Apostolica non pendet ab authoritate Ecclesiæ. Quòd autem hæc & non illa scriptura doctrina sit Apostolica, quin hoc Ecclesiæ nobis authoritate traditum habeamus, inficias iturum te puto. Cumprimis autem id est rationi consentaneum, vt cuius authoritatem sequimur in scriptura Canonica à non Canonica discernenda, eiusdem authoritate nitamur in vero scripturæ sensu à non vero dijudicando. Dictum est autem à nobis alibi, quod omnis authoritas & scripturarum & Ecclesiæ, non est aliundè quàm à Spiritu sancto, à quo veritas etiam est omnis. Scriptura sortitur authoritatem ab Ecclesia, quatenus ab illa planum fit hominibus, hanc & non aliam esse scripturam Canonicam. Ecclesia accipit authoritatem à scriptura quatenus illa testificatur, quod suggerit illi Spiritus sanctus, quod docet illam omnem veritatem quòd nunquam illam destituit. Quòd portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, quod est columna & firmamentum veritatis, quod qui non audit eam, habendus est, tanquam ethnicus & publicanus. Quamobrem quærere, scripturæne maior sit authoritas an Ecclesiæ, nihil aliud esse videtur, quàm quærere maiórne sit authoritas Spiritus sancti loquentis per os Ecclesiæ, an eiusdem loquentis in scripturis per literas amanuensium suorum Prophetarum & Apostolorum. Præclarè dictum est ab Ambrosio: Quod omnis veritas est à Spiritu sancto. Ille est enim qui docet omnem veritatem. Quod si verò Ecclesia columna est & firmamentum veritatis, æquè à Spũ sancto illius atq; scripturarum est veritas, cùm præsertim qui docet illam oẽm veritatem, vel ipsa teste veritate, sit Spiritus sanctus, inutilis vt sit & superuacanea de eo disputatio, scripturæ ne an Ecclesiæ maior sit authoritas. Quandoquidem omnis authoritas à Spiritu sancto est, à quo est omnis veritas. Pergit Laskus.

Ioã. 14. & 16. Matt. 16. 1. Ti. 3. Matt. 18.

In cap. 12. primæ ad Corimb.

Malumus item Apostolicum de Prophetis vicissim audire testimonium, quo nobis prophetica oracula commendantur ea non equidem humana vlla persuasione, industria ac voluntate, sed ipsomet Spiritu sancto afflatana obisq; ita demum tradita esse constet, vt intelligamus illorum veritatem non sanè ab hominibus vllóue sensu ac consensu ipsorum, sed ab ipso eorum authore omnis alioqui veritatis Doctore petendam & expectandam esse. Sine cuius alioqui dono, nemo vere potest dicere Dominum Iesum, etiam si sensum ac consensum omnium Hosianarum Ecclesiarum prætendat. Ac rursum: Nemo per Spiritum doctus potest dicere, anathema Iesu, etiam si illi sensus ac consensus omnium Hosij Ecclesiarum, modis omnibus reclamet.

Atqui hoc est, quod nos proximè docuimus ex Ambrosij sentẽtia, & octauo ab hinc anno in Confessione nostra Christiana ijs ipsis verbis scripsimus. Quicquid verum à quocunque dicitur, à sancto dicitur Spiritu, quicquid igitur habet authoritatis vel scriptura vel Ecclesia, quicquid habet veritatis, certum est, quod non ab hominibus, verum ab authore spiritu Sancto proficiscitur, cùm propria sint hominis, mendacium & peccatum iuxta illud, omnis homo mendax. Spiritus autem sanctus est, qui docet omnem veritatem, non solum per literas amanuẽsium suorum Prophetarum & Apostolorum, verumetiam per os Ecclesiæ suæ, cui se nunquam defuturum, nec aduersus eam portas inferi præualituras vnquam promisit. Aequè igitur est à Spiritu sancto Ecclesiæ atq; scripturarum veritas, & authoritas, vt hæc superuacanea prorsus disceptatio esse videatur.

Illius est maior authoritas, de quo maior est opinio veritatis. At veritas non est ab hominibus, verum à Deo. Cuius igitur veritas eiusdem est & authoritas. Nimirum Dei, siue per Prophetas is loquatur siue per Apostolos. Et sicut per Prophetas & Apostolos suos veritatem suam literis consignatam reliquit Deus, quos homines fuisse constat, quamuis maiori gratia præditos, sic per eorum successores itidem homines, qui sit literarum illarum verus sensus, non alius explicat, quàm ipse Deus Spiritus sanctus.

Conuenit igitur inter nos, q̃ omnis veritas & authoritas à solo Deo est, quod vt est verissimum, ita non minus verum est & hoc, quod cùm ipsam indubitatam veritatem quæ est in scripturis, tum verum scripturarum sensum, per homines nobis Deus aperuit, & adhuc aperit. Quid igitur est quod in disceptationem vocatur? Nihil aliud quàm hoc. Per eum ne Deus explicet scripturæ suæ sententiam, qui inflatus sensu carnis suæ, proprium illi sensum astruit, qui singularem illius intellectum adfert, qui nouam quandam & solitariam atque tot seculis inauditam interpretationem excogitat, an per eum potius, qui cum nihil per contentionem, nihil agat per inanem gloriam, sed se superiores alios arbitretur, sensum & consensum Ecclesiæ sibi sequendum esse putat? Hic nos asserimus priorem illum, etiamsi clamet ad rauim vsque, illud quod sathanas CHRISTO obiecit, scriptum esse nim. Quoniam tamen proprium scripturæ sensum astruit, nec illi cum Ecclesiæ sensu & consensu conuenit, è scriptura, quæ Dei verbum est, non Dei, verùm Diaboli verbum eliquitur, mendacium loquitur: Tùm & illo Prophetico testimonio. Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quin & iste Petri locus, quem adfers tu Lasce, pro nobis facit, quem sic interpretatur vir ille venerabilis Beda: Nullus Prophetarum sanctorum propria sua interpretatione populis dogmata vitæ prædicauit, sed quæ à Domino didicerat, hæc suis auditoribus agenda commendabat, quæq; in secreto cordestia arcana perceperat, hæc simpliciter vel loquendo vel scribendo Dei plebi tradebat. Et non sicut gentium diuini, qui quæ ipsi de corde suo finxerant, hæc turbis deceptorum quasi diuini oraculi consulta proferebant.

Phil. 2.

Ioan. 8.

Ezech. 13.

Sicut ergo Prophetæ non sua propria, sed Dei verba scribebant, ita & lector eorum, non sua

sua propria interpretatione potest vti, ne à sensu veritatis exorbitet, sed hoc omni modo debet attendere, quomodo sua verba voluerit intelligi ipse qui scripsit. Vides quemadmodum hoc ipso scripturæ loco docemur, cauendum esse, ne in scripturis propria interpretatione vtamur, verum illud diligenter attendamus, quomodo qui scripsit intelligi sua verba voluerit: quod nemo certè diligentius attendit, quàm qui, non quod sibi, sed quod Ecclesiæ Catholicæ videtur, id in exponenda scriptura sequendum esse putet, cum solum hoc verum & expressum Dei verbum sit, quod iuxta sensum & consensum Ecclesiæ fuerit expositum. Quòd certissimum est, qui Ducem sequitur Ecclesiam, nec ab eius sensu & consensu diuelli se patitur, eum errare non posse. Hæc fuit sententia nostra Lasce. Num autem eam tu reprehendis? Quamlibet sis ad quiduis audendum proiectus, nondum tamen hoc ausum te fuisse video. Nam & ipse certò scis, nihil dici potuisse verius. Et hoc ipsum quod adfers ex Petro testimonium pro nobis facit. Quid igitur? Cum non habeat Lasceus, quòd appositè loquatur ad rem, aliena quædam à causa profert, & incipit nobis quæstionem hanc excutere. Num scripturarum authoritas ab Ecclesia, an authoritas Ecclesiæ dependeat à scripturis, Qua de re quamuis nihil actum est in libello nostro, possumus tamen paucissimis respondere. Quòd cùm Ecclesiæ, tum scripturarum authoritas à veritate dependet. Veritas autẽ est à Deo, quamobrem, à Deo dependet authoritas vtriusq;. Hoc inspirati scripserunt sancti Dei homines, hoc inspirati locuti sunt etiam homines, & loquuntur adhuc in Ecclesia. Num autem, æquè præstò semper adest singulis Ecclesiæ membris Spiritus sanctus atq; toti Ecclesiæ? Certè, certiorem habet Ecclesia tota perpetuæ præsentiæ Christi & gubernationis Spiritus sancti promissionem, quàm singula eius membra. Quod euidentissimis rationibus copiosè demonstratum est à nobis, in ijs libris quibus Brentij prolegomena confutauimus, ad quos lectorem remittimus. Cæterùm si quis ab Ecclesiæ sensu & consensu discrepat, etiamsi scripturarum examina producat: Diaboli verbum proferre non potest. Sed nos verbosiores fuimus, quàm volebamus, in re præsertim tam clara explicanda. Ignoscat autem nobis lector, cui cùm tenebras offundere Lascum velle videremus, tanto magis contendendum & elaborandum nobis esse duximus, vt omni prorsus aduersa caligine, claram lucem inferre possemus. Prosequitur Lasceus.

Præterea credere malumus Apostolo Paulo, quam Apostatæ Hosio, non tam equidem caput à corpore, quàm potius à capite corpus totum pendere. Cum alioqui non corpus capiti, sed caput corpori iuxta mensuram vniuscuiusque partis seu membri, incrementum præbet ad eius ædificationem: cum in vita, tum vero multo maximè in salutari doctrina.

Apostatæ nomen in te Lasce quadrat, non in me. Nam ego cùm Hieronymo gloriari possum, quòd illam senex teneo fidem, & adiutus Dei gratia semper tenebo, in qua puer natus sum, nec vnquam ab Ecclesiæ compage me diuelli passus sum, vt quod olim Basilius idem & ego dicere nunc possim. Etiamsi multa sint in nobis, quæ meritò quis gemitu prosequatur, tamen hoc vnum in domino gloriari audeo, quod nunquam habui opiniones vllas de Deo, quæ aberrarent à vero, nec; secus vnquam sapiebam, vt mihi dedisceudum id postea foret. Sed quam à puero, Dei notionem accepi, à fœlicis recordationis, Matre mea, mihi traditũ, & à nutrice mea Macrina, hanc ita retinui semper vt augeretur. Tu verò Lasce, cùm esses Christianis parentibus prognatus, Christianus & ipse, factus es initio Lutheranus, deinde verò Zuinglianus. Ita desertis Ecclesiæ signis, nunc ad horum, nunc ad illorum castra leuissimus homo transfugisti. Ac fieri potest, vt ab ijs etiam in quorum nunc es castris desciscas, & non ita multò pòst ad Picardos transeas. Quod aliquando te cogitasse, ferebatur. Quis autem hoc vel audiuit vnquam à me, vel in scriptis meis legit. Quod ego caput à corpore pendere sentirem? Non te pudet ista comminisci? Mihi verò non solum dicere aut scribere, sed ne cogitare quidem tale quid in mentem venit vnquam. Nunc video, non temerè factum esse, quòd quidam ex tuis pseudoli tibi nomen imposuit. Sed reliquas eius nugas, audiam. *Postremo cum Christus ipsemet, Dominus pro ijs duntaxat precetur, qui, non sanè per sensum & consensum vllius omnino, ne dicam Hosianæ Ecclesiæ, sed per doctrinam Apostolorum in ipsum aliquando credituri essent: mirum Hosio videri non debet, si nos ipsam Apostolorũ doctrinam, vt à nos Christi illa Domini precatio pertineat omni sensui & consensui, omnium etiam Hosij Ecclesiarum modis omnibus anteponendam esse statuamus.*

Hier. ad Pãmach. & Oceanum. Basil. in epist. ad Eustochium.

Quæ sunt hæc deliramenta? Putásne lector hunc hominem cùm ista scriberet mente constitisse? Num pugnant inter se Apostolica Doctrina, & sensus ac consensus Ecclesiæ? Num hęc nos aliquã ab inuicẽ separauimus? Qua de re agebatur fuit hoc: Prophetica & Apostolica doctrina, quam scriptis mandatam habemus, quo sensu accepta verũ & expressum Dei verbũ dici posset. Hãc Propheticam & Apostolicam doctrinam nos esse dicimus in Ecclesia, à quæ sicut edocti sumus, hanc esse, illam verò non esse Propheticam & Apostolicam doctrinam, ita æquum esse censemus, ex illius consentienti interpretatione, simul & hoc nos doceri, quod hic sit, & ille non sit verus illius intellectus. De Prophetica & Apostolica doctrina gloriamur nos, qui per Dei gratiam Christiani sumus Catholici & Orthodoxi. Num autem de eadem hac minus gloriati sunt, ac nunc etiam gloriantur hæretici Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, ac nostro tempore Lutherani, Zuingliani, Anabaptistæ, Seruetiani. Cùm igitur vtriq; tam Catholici quam hæretici Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ se inniti glorientur, occasionem nobis dederunt libellum de expresso Dei verbo scribendi, in quo sumus illud demonstrare conati, quòd doctrina Prophetarum & Apostolorum, quæ scripturis continetur. Dei quidem verbum est, sed non iuxta sensum Arij, Macedonij, Nestorij, Eutychetis, non iuxta sensum Lutheri, Zuinglij, Lasci, Pacimontani, Seruetised iuxta sensum & consensum patrum, qui in Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonen. & posterioribus alijs Oecumenicis Cõcilijs Ecclesiam Catholicam repræsentarũt. Hãc à te

sen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sententiam nostram oppugnatam oportuit Lasce, vt doceres in explicanda scriptura, quam vel Arrius verbi gratia, vel Macedonius, vel Nestorius produxit, non vnanimem Patrum qui fuerũt in illis concilijs congregati, sed priuatum Arrij vel Macedonij spũm sequendum fuisse, vt quem de suo sensum attulit Arrius, vel Macedonius, iuxta eum scriptura quã protulerat Dei verbum esse crederetur, non autem iuxta sensum & consensum Ecclesiæ, quam patres in illis concilijs congregati patrum suorum sententiam sequuti, repræsentabant. Hoc tu Lasce demonstrare debebas, non autem alienam à causa disputationem inire, num Apostolica doctrina à sensu & consensu Ecclesiæ, an verò sensus & consensus Ecclesiæ ab Apostolica doctrina dependeat. Quod non alio consilio te fecisse constat, q̃ vt hisce verborũ tuorum præstigijs hanc de nobis opinionem apud imperitos concitares, quasi nos Apostolicam doctrinam ab Ecclesia seiunctam velimus. Atqui fatetur hoc antesignanus nostri temporis hæreseon Lasce, Martinus Lutherus, quod Propheticam & Apostolicam doctrinam quæ continetur scripturis Canonicis, non aliundè quàm à nobis habeat, è quibus nefario se schismate separauit. Quod si maximè negaretis etiam vos, clamat hoc tamen res ipsa. Nostra est igitur Prophetica & Apostolica doctrina, nec vobis in eam iuris quicquam competit, sicut in libro de præscriptionibus aduersus Hæreticos pluribus verbis à Tertulliano demonstratum est. Quod cùm ita sit, aperi tandem oculos Lasce, & aliquando tamen quo verseris in errore tecum reputa, contrarię claram veritatis lucem contendere desine. Vel ipsa te magistra rerum experientia, quin & sensus communis (si nondum es eo destitutus) docere te potest, si fas erit vnicuiq; proprium sensum scripturis adstruere, & à sensu atq; consensu Catholicæ Ecclesiæ recedere, necessariò consecuturum, vt quod scribit Hilarius, tot sint fides quot voluntates, dum aut ita scribuntur fides vt volumus, aut ita vt volumus intelliguntur. Quid autem aliud Ambrosius hæreticum esse dicit? quàm proprium sensum verbis adstruere legis. Aut quare hæreticus suo iudicio damnatus est, vt ait Apostolus, nisi quia non vult referre se ad iudicium & sensum Ecclesiæ Catholicæ relicto suo. Sed excutiamus hæretici quam adfert ille definitionem. Hæretici sunt, inquit, qui per verba legis, legem impugnant. Legem vocat hic doctrinam Prophetarum & Apostolorum. Lex enim vetus Prophetarum, lex noua Apostolorum est doctrina. Non eum igitur Ambrosius esse vult hæreticum, qui reijcerit legem, hoc est, doctrinam Prophetarum & Apostolorum (talis enim Ethnicus est, non hæreticus) communia sunt verba legis Catholicis cum hæreticis, communis est cum illis doctrina Prophetica & Apostolica. Quid est ergo, quo discerni vult Ambrosius Catholicum ab hæretico? Non verbis legis, quibus vtitur vterque, ac non raro magis etiam hæreticus, sed peruerso verborum legis vsu. Quam enim ad rem vtitur verbis legis Catholicus? Ad legem tuendam & confirmandam. Num autem eundem sibi scopum propositum habet hæreticus? Nihil minus, inquit Ambrosius: quin ille per verba legis legem impugnat. Quid hoc est? Profert, inquit, prophetarum, profert Apostolorum verba, non ad confirmandam, sed ad euertendam eorũ sententiam. Qui nam aũt id fieri potest. Propriũ, inquit, sensum adstruit verbis legis, Discedit à sensu & consensu Catholicæ Ecclesiæ, quodq; sibi seorsim ab illa videtur, hoc sentire legẽ, hoc sentire prophetas, hoc sentire vult Apostolos. Cur aũt ad impugnandam legem verbis legis potissimum vtitur? Nec huius rei rationem zælare nos voluit. Ambrosius, vt prauitatem, inquit, mentis suæ, legis auctoritate commendet. Scis tu Lasce, scit etiam quiuis alius hæreticus, fœtorem suum non facile cuiquam placiturum, itàque cœlestis eloquij veluti quodam aromate eum aspergit, vt ille qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Et hoc est quod dicit Ambrosius: Rem malam quæ per semetipsam accepta esse non potest, bono nominis commendari. Hoc à vobis fit Lasce, profertis enim aliquot verba legis, & errori vestro nomen obtenditis Euangelij, quò sic irrepere sub hoc prætextu facilius in animos hominum, & incautos decipere possitis. Vel solus hic Ambrosij locus Lasce, docere te poterat, quod hoc est hæreticum esse, hoc est diaboli verbum proferre, proprium sensum adstruere verbis legis. Contra verò hoc est, esse Catholicum, hoc est Dei verbum proferre, non inniti prudentiæ suæ, non loqui de suo, non sequi spiritum suum in verbis legis explanandis, sed sequi sensum & consensum Ecclesiæ Catholicæ. Quam cùm à Spiritu sancto gubernari, nemo pius dubiter, certum est, eam errare non posse. Stat igitur adhuc fixum & immobile nostrum hoc axioma, quod hoc demum propriè Dei verbum dicitur: Quando scripturæ verbis non proprius astruitur sensus, verùm is qui omnium. Qui Ecclesiæ Catholicæ est, quem eundem esse Dei sensum, tantò minus dubitare debet homo Christianus, quanto certius persuasum habet, non mentiri veritatem, quæ se missuram ei Spiritum sanctum recepit, qui doceret eam, & cum ea maneret in æternum. Pergit Lascus.

Hil. ad Constantiũ. Amb. ad Tit. 3.

Vt interim taceam: Quod olim iudicem omnis nostræ vitæ ac fidei habituri sumus. Non eundem sensum ac consensum Hosianæ Ecclesiæ, sed ipsum sermonem ac doctrinam Christi, quam nobis per Apostolos ipsemet tradidisse testatur.

Quam autem tu vocas meam Ecclesiam Lasce? Nunquam ego, quod à te factum constat, seorsim ab Ecclesia Dei, meam aliquando Ecclesiam collegi. Fateor in partem sollicitudinis me vocatum esse, verùm interea sicut fides mea, non est nisi fides Catholica: Sic Ecclesia mea non est nisi vna, Sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia, cui tam constanter adhærere semper cupio, nihil vt ardentius à Deo precer, quàm vt à corpore meo prius animam meam auelli, quàm ab illa me separari patiatur, extra quam sicut olim extra arcam Noë, nullam salutem esse certò persuasum habeo. Quod autem ais, futurum, vt olim vitæ fideique nostræ iudicem habeamus sermonem & doctrinam Christi. Legimus quidem in Euangelio dixisse Christum, Sermo quem locutus sum, iudicabit eum in nouissimo die; sed in eodem Euan-

Matt. 19. Ioan. 12.

Euangelio legimus: Quod omne iudicium dedit pater filio, quodq; venturus est ipse Christus iudicare viuos & mortuos, & quod cùm sederit in sede Maiestatis suæ, sedebunt cum eo qui secuti sunt eum, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Neque verò soli duodecim Apostoli, verùm & multa millia electorum (sicut scribit Augustinus) sedebunt in duodecim sedibus istis. Quamobrem vbi sedebit iudicans nos Christus, qui caput est Ecclesiæ nostræ, vbi sedebunt Apostoli, qui præcipua sunt membra Ecclesiæ, vbi sedebunt tot millia sanctorum, qui & ipsi pertinent ad corpus hoc Christi, dubium non est, quin ibi iudicem habituri simus sensum & consensum Ecclesiæ, & erit vna sententia de vobis omnibus Lasce, qui vos ab isto Christi corpore nefario scelere præcidistis, qui sensum illius & consensum pro nihilo duxistis. Qui somnia vestri capitis, quàm Ecclesiæ spiritum sequi maluistis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Dico vobis Lasce, quamlibet laudabiliter viuere vos existimetis, tamen hoc solo scelere, quòd huius Ecclesiæ sensum & consensum priuato vestro iudicio posthabuistis, quod ab huius Christi corporis vnitate vos disiunxistis, non habebitis vitam, sed ira Dei manet super vos. Neq; verò mea sunt hæc, sed Augustini verba: Erit ergo iudex noster sensus & consensus Ecclesiæ. Iudicabit nos caput illius Christus, iudicabunt nos membra illius electa tot millia sanctorum, quæ corpus eius constituunt, à quorum sensu & consensu quicunq; disiuncti fuerint, solũ id suffecerit illis ad hoc, vt digni pronuncientur incendijs gehennæ sempiternis. Sed post multos longos logos inaniter profusos victus vi veritatis, pro nobis tandem concludit Lascus ijs verbis.

In Psal. 96.

Epist. 152.

Vt igitur ad primam Hosij ratiocinationem respondeamus fatemur sensum & consensum Catholicæ Christi Ecclesiæ nobis sequendum modis omnibus esse: quandoquidem illa perpetuo & Christum nobis pro suo vnico summo atq; æterno capite, & se pro mystico ipsius corpore: Propheticam item & Apostolicam doctrinam, pro fundamento cui ipsa perpetuò inniti debeat, reuerenter agnoscit, sequiturq; vocem pastoris, non autem illi sensu & consensu suo præcurrit.

Rectè pronunciauit ille, qui cùm quæritum fuisset, quid nam cæteris rebus fortitudine præstaret, fortissimam omnium dixit veritatem. Ad quam opprimendam cùm ingenij sui neruos omnes Lascus contenderet, ex hac arena victus tandem nihilominus abit, quin vltrò manus ipsæ dat fortissimæ veritati. Quamq; sententiam nostram cunctis viribus oppugnandam susceperat, eam suomet ipsius ore, veram ad extremum esse pronunciauit. Quæ enim est alia nostra Ecclesia, præter eam quam hoc loco describit Laskus? iuxta cuius sensum & consensum, expositam scripturam, verum & expressum Dei verbum esse docemus. Cæterùm si quis contrarium & diuersum illius sensum adferat ab eo qui totius Ecclesiæ sensu & consensu receptus est & approbatus, quamlibet ille multa produxerit scripturarum examina, verùm & expressum, diaboli, non autem verum & expressum Dei verbum ab eo produci constanter asseueramus. Quæ fuit igitur hactenus alia pugna Lasci, nisi quod iuxtà vetus prouerbium, aërem verberauit? Quod ne fecisse videretur, incipit suam quoq; tandẽ Ecclesiam describere, quam esse nostram fingit.

3. Esdræ cap. 3.

Negamus, inquit sensum & consensum vllius omnino Ecclesiæ, ne dum eius quam Hosius propugnat, pro vero, legitimo atq; æterno Dei verbo habendum esse, si non vocem pastoris sui sequatur, nõ item à capite suo tota dependeat, & Propheticæ atq; Apostolicæ doctrinæ non omni ex parte nitatur. Imo verò vbi id non obseruetur, laruam sanè pestilentem Catholicæ Ecclesiæ, & furum ac latronum spelunca nocentissimam esse, Christi ipsius Domini voce affirmamus, tantum abest vt quam Hosius obtrudit, pro Catholica Christi Ecclesia, ipsumq; adeò Hosium pro membro illius vllo modo habeamus: multo minus autem, vt coniuratum Hosianæ Ecclesiæ sensum & consensum vnanimis scripturæ totius mẽti anteponi patiamur.

Nos verò Lasce libenter istud confitemur, quod Ecclesia vestra non sequitur vocem sui pastoris: quod non dependet à capite nostro Christo, quòd Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ non innititur, quòd larua sanè pestilentissima Catholicæ Ecclesiæ, quod furum ac latronum est spelunca nocentissima, quòd tu cuiusuis potius alterius, quàm Ecclesiæ Christi membrum es, quandoquidem tibi cum Christi corpore commune nihil est, à quo, nefario scelere te pridem præcidisti. Ex quibus omnibus illud quoq; necessariò sequi dicimus, sensum & consensum Ecclesiæ vestræ pro vero legitimoq; Dei verbo habendum non esse. Si dixisse, vicisse est, iam nobis quidẽ est causa perorata, neq; videmus, cur penes te potius quàm penes nos esse victoria debeat, modò tu, vbi nomen est Hosij, Lasci nomen adscribas, nihil à te dici potuisse verius, libenter confitebimur.

Sed Laskus noster tanquam debellatis hostibus, & re præclarè gesta, triumphum agit ante victoriam: Et cùm ne verbum quidem vnum hactenus protulerit, quo nostram sententiam, quam refellendam susceperat confutaret: quin potius vi veritatis victus, vltrò manus nobis dederit, haud aliter tamen quàm si victor euasisset, & primum axioma nostrum validissimis rationibus refellisset, quæ duo reliqua consecuta sunt, ea contemptim iam tractat, cùm vno quasi ictu, priore illa confecta, reliquas etiam duas vt ipse vocat ratiocinationes nostras, iugulasse sibi videatur. Sunt autem hæ

Quòd cum sensus & consensus duntaxat Ecclesiæ sit verum atq; expressum verbum Dei, tum sane non possit etiam verbum Dei ipsum, nisi intra Ecclesiam haberi.

Quod Hosius ipse cum suis, imprimis autem cum suo creatore Papa, sint ea ipsa Ecclesia, cuius sensus & consensus sit verè oppressum (expressum dicere volebam) verbum Dei.

His duabus propositionibus nostris, quibus ipsius causæ visum erat commodius, verbis productis, ita respondet Laskus, vt eas iam esse confutatas, nec alicuius nouæ confutationis indigere glorietur. Sic enim loquitur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad secundam simul ac tertiam sic respondemus, quod euersa prima Hosij ratiocinatione vtramq; hanc etiam corruere oportet.

Cum autem ille non euerterit, verum vltrò confirmauerit ratiocinationem vt vocat nostram, quid aliud restat, quàm hanc etiam vtramq; fixam & stabilem permanere oportere. Prosequitur Laskus.

Catholica nimirum Ecclesia, suam erga caput suum in subiectionem suam erga pastorem suum, obedientiam, suum in Prophetica atq; Apostolica doctrina fundamentum prorsus immutabile perpetuò agnoscit, omnem sensum ac consensum suum, censuram Christo Domino reuerenter submittit, in doctrina ac verbo ipsius.

Hoc verum est Lasce. Verùm hic ipse Christus, quoniam visibili præsentia inter nos non habitat, in dignoscenda vera doctrina hominum vtitur ministerio, & quasi vicariam operam adhibet, vt suum per eos opus agat ipse, qualiter ad opus quodq; faciendum artifex vtitur instrumento. Eos constituit arcanæ suæ voluntatis interpretes, eos personam suam in terris representare voluit, præcipuè verò Petrum, cui pascendas oues tradidit, cui claues regni cœlorum concredidit, cui ligandi soluendi q; potestatem concessit, quem vnum præ cæteris Ecclesiæ præesse voluit. Quod hic illi firmissimus vnitatis retinendæ nodus visus est, quo Ecclesiam suam astringeret, si vnum aliquem illi præfecisset, cuius in ea gubernanda visibili ministerio vteretur. Non quod non possit ipse per seipsum, sine alio quouis aut adminiculo aut organo omnia præstare, sed quod hoc modo visum est illi, suam erga nos dignationem declarare, cum ex hominibus sumeret, qui pro se in mundo legatione fungerentur. Huic itaque Petro & legitimis eius successoribus de sensu & consensu Ecclesiæ tanquam suo in terris Vicario, censuram reuerenter deferri voluit. Quod ab omnibus Concilijs Oecumenicis semper fuisse factitatum, in ijs libris quos contra Brentium edidimus, satis copiosè declarauimus. Subdit.

Quod posteaquam Hosius in sua creatorisq; sui Papæ Romani Ecclesia facere detrectat, re ipsa declarat, suam & Papæ sui Ecclesiam esse sine controuersia Apostaticam planè à Catholica, ac proinde Antichristianam quoq; Ecclesiam, cuius alioqui sensus & consensus nihil aliud sit, quam coniuratam aduersus Christum Dominum & Catholicam eius Ecclesiam furum ac latronum conspiratio, nedum vt in vlla parte Catholicæ Christi Ecclesiæ vniuersa Hosij & Papæ sui Ecclesia censeri, sensusq; ac consensus illius pro expresso Dei verbo haberi quoquomodo aut debeat, aut etiam possit, tantum abest vt in hac Hosij & Papæ sui Ecclesia doctrina verbi diuini locum habere vllum, nedũ vt eius veritas ab illius sensu ac consensu nefario peti expectariq; queat. Videt igitur Hosius, aut si is videns videre nolit, videant interim pij omnes, euersa prima sua ratiocinatione simul quoq; & secundam & tertiam subsistere haud quaquam posse, cum aliud nihil sint, quam prioris veluti appendices quædam.

Quàm sibi falsus & facetus esse videtur Laskus, quando Papam Creatorem meum & meæ Papæ creaturam appellat? Quàm sibi placet istis nominum allusionibus? Mirum autem cùm hæc ita loquitur, in multos habeat applausores, quibus hac ratione persuasum esse cœpit, nos qui per Dei gratiam Catholici sumus, & Orthodoxi, quiq; sanctæ sedis Apostolicæ cumprimis nos esse studiosos profitemur, Pontificem Romanum non alio loco quàm quo Deum ipsum habere, ac Deo soli debitum honorem in eum transferre. Creatoris enim nomen vsitato loquendi more Deo tribuitur, cuius creaturæ vocantur omnia quæ sunt ab eo condita. Quid autem Lasce? cùm Creatorem vrbis Romanæ Romulum Tullius appellat, quòd vrbem Romam primus ipse condiderat. Num Deo suum honorem eripuit, & ad hominem transtulit? An & illud apud Liuium & alios bonos authores, qui latinè scripserunt, parum frequens est. Creare Dictatorem & Consules. Creatus Dictator, creati Consules. Erat igitur populus Creator Dictatoris & Consulum. Dictator autem & Consules erant creaturæ populi. Quin & hodie, nónne Pontifex à Cardinalibus creari dicitur? Sunt igitur Creatores Pontificis Cardinales, & Pontifex est Creatura Cardinalium. Quàm sunt hæc puerilia Lasce, quæ tu consectaris? Qui cùm aliunde non possis, ex istis vocum lusibus, inuidiam nobis conflare conaris, vt hæc sit de nobis apud imperitos opinio, quod nos haud aliter atq; Deum ipsum Pontificem Romanum colamus. Ego verò, quem illi me debere suo, libenter, honorem tribuo, nec vnquam istud diffitebor esse me creatum Episcopum à Paulo tertio Romano Põtifice. Nec est quod quisquam suspicetur, me propterea Deo suũ honorem eripere velle, quem ego Creatorem esse meum agnosco: Ipse me creauit hominem, sed non tamen sine parentum opera. Sic & Episcopum ipse me creauit, sed non sine ministerio tamen eius, quem suum in terris vicarium constituit, cui me dicto audientem esse iussit, cui potestatem etiam concessit, quos idoneos iudicasset in partem sollicitudinis vocãdi. Quorsum igitur lusus isti tui Lasce? Sed cùm in re seria quod diceret non haberet, visum est ei lusibus eiusmodi lectorem recreare.

Quid autem Lasce? Si negem ego tibi, quod detrectem sensum meum in doctrina & verbo Dei censuræ Christi Domini reuerenter submittere. Quid si probem præterea, te esse eum, qui id facere detrectes? An tu putas Lasce quando legitimæ potestati, cui te dicto audientem Deus esse voluit, subijcere te recusas, & illius iudicio tuum iudicium anteponis, quòd hominem & non potius Deum ipsum ac Dominum nostrum Iesum Christum reijicias. Non ita nos Paulus docuit. Qui cùm dixisset. Non est potestas nisi à Deo, itaq; qui resistit inquit potestati, Dei ordinationi resistit. Et alio loco: Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum in nobis. Legimus in historia Regũ, quòd cùm senuisset Samuel, qui fuit iudex super Israel, posuit filios suos iudices. Qui cũ non ambulassent in vijs eius, sed declinassent post auaritiam accipientes munera, & peruertentes iudicium, non eos ferendos putauerunt filij Israel. Sed Regem à Samuele sibi constitui postu-

Rom. 13.
1. Thes. 4. 1.
Reg. 8.

larũt, qui iudicaret eos. Visi sunt ij reijciendorũ iudicũ honestũm habere prætextum, quandoquidem cum patris locum tenere cuperent, in eius integritatem succedere, et in viis eius ambulare nolebant. Quid autem adhæc Deus? Cum quereretur ea de re Samuel: Non te reiecerunt inquit, sed me, ne regnem super eos. Idem tum vociferabantur filij Israel, qd vos nunc, qui negatis eos iudices ferre vos posse, qui cum successerint in Cathedram Petri, non successerunt in sanctimoniam Petri. Sed, sibi nihilominus hanc esse factam iniuriam Deus interpretabatur. Non te reiecerunt, inquit sed me, ne regnem super eos. Itidem & vos Lasce, cum Romanum Pontificem qui Christi vicarius, & Petri legitimus est successor, reijcitis, vnà cum reliquis Episcopis, qui sunt in partem sollicitudinis vocati, non alio magis prætextu, quam quod quorum loca tenent Apostolorum, in eorum vijs non ambulant, cum eos habere doctrinæ vestræ iudices recusatis, quid aliud quam Christum reijcitis, ne regnet super vos? et eius censuræ doctrinam vestram reuerenter submittere detrectatis? Ipse est enim qui iudicat, ipse est qui censuram agit, quando munus hoc per ministros suos Episcopos, præcipuè verò per sedentem in Petri Cathedra Pontificem Romanum, exercet. Nam si de seculi Regibus rectè dicit Sapientia, Per me Reges regnant, & legum condi- Pro. 8.
tores iusta decernunt, per me Principes imperant, et potentes decernunt iusticiam: quanto rectius de ijs, quos pro patribus nasci nobis filios voluit, quosq; constituit Principes super omnem terram Christus, Dei virtus & Sapientia, dicere credendus est, quod per eos regnet, per eos in doctrina religionis quæ iusta sunt decernat. Quisquis igitur eorum censuræ Luc. 10.
reuerẽter se submittere detrectat, Christo submittere se detrectat. Vis aũt Christũ ipsum id cõfirmantẽ audire? Verba sunt eius hæc ad Apostolos, & eorũ successores: Qui vos audit, me audit: & qui vos reijcit, me reijcit. Vides quẽadmodũ se audiri in patribus nostris Apostolis, & eorũ filijs Episcopis Christus interpretatur? Cõtrà vero se reijci, quoties eorũ censura reijcitur. Iam ne tibi Lasce satis planum feciſſe videmur, vos eos esse, qui Christi Dñi cẽsurę, vos in Religionis doctrina submittere detrectatis? dum quos ipse iudices constituit, eorum censuram non admittitis, quodq; primus author sectarum nostri temporis dixit aliquãdo, vestrum quoq; quilibet dicit: Nolo iudicium, sed requiro obsequium. Verbo quidem vos Christum iudicem agnoscitis, sed reipsa prorsus negatis. Vultis vt ipse tum primum causam vestram cognoscat, cùm venturus est iudicare viuos & mortuos. Interea verò temporis, vt quidvis facere vobis, vt ima summis, vt sacra prophanis miscere, vt omni genere pestilentissimæ doctrinæ multitudinem imperitam inficere liceat. An autem idem hoc Lasce non omnes cupiunt sicarii, parricidæ, venefici, fures, & latrones? Et quotquot rei sunt criminis capitalis, ne sit in terra iudex alius præter eum, quem è cælo venturum expectamus, iudicẽ viuorum & mortuorum? quò sic eis in quorumuis interea fortunas & capita liberè grassari liceat. Atqui Lasce, quamuis relictis terris in cælum Christus ascenderit, inuitis tmen omnibus inferi portis, in terris quoq; nihilominus iudicium is exercet. Ac sicut in baptizando sicut in consecrãdo, sicut in offerendo sacrificio, sicut in peccatis remittendis, hominum vtitur ministerio, cum tamen ipse sit qui baptizat, qui consecrat, qui peccata remittit, cùm ipse sit & Sacerdos & sacrificium: sic in scripturarum vero sensu explicando, & in vera doctrina à falsa discernenda, mortalium itidem hominum vtitur ministerio, nimirum eorũ de quibus dicit propheta, quod ipsos Principes constituit super omnem terram, cùm tamẽ ipse sit superior ille princeps, qui scripturæ suæ sensum explicat, qui verum à falso per eos tanquam organa sua discernit. Si quis igitur audit constitutos à se Principes se audiri, si quis reijcit, se reijci Deus interpretatur. Hos itaq; cum tu Lasce reijcias, & CHRISTO Domino per constitutos à se principes, de doctrina religionis censuram agenti reuerenter te submittere detrectas, reipsa declaras tuam & tuorum Ecclesiam esse sine controuersia Apostaticam planè à Catholica, ac proinde Antichristianam quoque Ecclesiam, cuius sensus, ac si quis est cum paucis consentiens consensus, nihil sit aliud, quàm coniurata aduersus CHRISTVM Dominum, & aduersus Ecclesiam eius furum & latronum conspiratio. Iam intelligis opinor, quemadmodum in caput tuum, quæ in nos torsisti tela recideriṅt, tum quàm nihil hactenus abs te sit allatum, quod vel ad infirmanda nostra, vel ad confirmanda tua facere quicquam possit: cùm tamen interea sicut causæ tuæ commodius videbatur, nõ autem sicut à nobis scripta sint verba nostra proposueris. Ac si volebas, sicut à te posita fuit, priori nostræ quemadmodum tu vocas ratiocinationi consentanea dicere, sic alteram enunciatam abs te oportuit.

Quod cum scriptura iuxta sensum & consensum duntaxat Ecclesiæ, sit verum atq; expressum verbum Dei tum sane non possit verbum Dei ipsum, nisi intra Ecclesiam haberi.

Duo dicuntur hic: Vnum quod scriptura iuxta sensum & consensum duntaxat Ecclesiæ, sit verum atq; expressum Dei verbum. Quod adeò verum est, vt ipse tu vi veritatis adactus, id ad extremum vltrò concedere necesse habueris? Alterum, quod ipsum Dei verbum non possit haberi, nisi intra Ecclesiam. Quod & ipsum scriptum ijs verbis à nobis non est. Sed verba nostra sunt: Quod si non custoditur expressum Dei verbum, charitas nisi in Ecclesiæ vnitate, quis iam erit qui dubitet? quòd extra vnitatem hanc, expressum Dei verbum haberi non potest? Quoniam verò de sensu constat, nihil est quod de verbis pugnam aliquam suscitare velimus. An autem potuit aliquid dici verius eo, quod scriptum est à nobis? Expressum Dei verbum, hoc est, veram scripturarũ intelligentiam, nisi intra Ecclesiam haberi non posse. Nam vt sententiam nostram lector melius intelligat, & scripturam DEI verbum, & Dei verbum, quod in libris Canonicis continetur, scripturam esse non diffitemur. Sed quoniam scripturas etiam hæretici non rarò trahunt in eum sensum, quem ipsi sunt commenti, libuit nobis Dei verbum appellare, veram scripturarum intellectum, quando quis eo sensu scripturas profert, quo Deus verba sua prolata voluit, cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

suum quoque sensum ex illis non rarò diabolus eliciat. Negamus igitur veram scripturarum intelligentiam vsquam haberi plenè, præterquam in Ecclesia, cui spiritum veritatis promissum & missum esse scimus. Nam vt extra illam scripturæ locus aliquis rectè queat intelligi, sola tamen est Ecclesia, quæ in vero scripturarum omnium sensu explicando, falli & errare nunquam potest, quam qui ducem non sequuntur, suum non illius spiritum secuti, facilè decipiuntur, & in varios errores labuntur. Hoc est, quod à Propheta scriptum est:
In Psal. 57. Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa. Quem locum explicans Augustinus: Ideo, inquit, errauerunt à ventre, quia locuti sunt falsa, an potius ideo loquuti sunt falsa, quia errauerunt à ventre? In ventre quippe Ecclesiæ, veritas manet. Quisquis ab hoc vêtre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est, vt falsa loquatur. Quid aliud hic dicit Augustinus, q̃ quod scriptũ est à nobis? Expressum Dei verbum extra Ecclesiæ vnitatem haberi non posse. Nisi fortè ibi expressum Dei verbum esse credendum est, vbi non est veritas, quam apud eos esse negat Augustinus, qui sunt ab Ecclesiæ ventre separati. Annotauit autem hoc Caluinus etiam vester Lasce. Peculiariter notandum esse, sanæ intelligentiæ lucem Ecclesiæ promitti, quod ipse tu quoq; verum esse non ignoras: alioqui nunquam fuisses commissurus, quin hoc axioma nostrum oppugnandum susciperes. Sed illustrior fuit & fortior illius veritas, quàm vt expugnare te posse confideres. Quæris igitur aliam rimam, per quam elabi liceat. Fingis me docere, quod ego cum meis, præcipuè verò
In epistolam ad Hebræos. sicut vocas tu, cum Creatore meo Papa, sim illa Ecclesia, in qua sit expressum Dei verbum. Atqui toties iam hoc sum contestatus, me nullam Ecclesiam colligere, seorsum ab illa, quã vnam sanctam Catholicam & Apostolicam in symbolo profitemur, cuius membrum esse me confido. Fieri potest, quod minus viuum quàm oporteret, verum in Dei tamen misericordia spem & fiduciam meam collocatam habeo: quandoquidem ab illius me corpore, nunquam, neq; per hæreseos, neq; per schismatis sacrilegium præcidi, quod non despiciet qualemcunq; carnem corporis illius sui, quod pro nobis passum, crucifixum, & mortuum, abundè pro peccatis totius mundi satisfecit. Hæc est fiducia mea Lasce, quam tu certè similem habere non potes, qui tibi conscius es, quod semel & iterum ab isto te corpore præcidisti.

Cæterum quòd Papæ quoq; facis mentionem, profiteor & hoc, quod illum Ecclesiæ caput agnosco, Christi capiti subiectum: Neque enim propterea caput Ecclesiæ, Papa non est, quod Christus reuerà caput illud est, quod virtute potestate q; sua regit & moderatur Ecclesiam? Nónne quotidie ferè de Christo canit Ecclesia: Tu solus sanctus, tu solus Dominus?
Deut. 6. Nónne soli Deo seruire nos iubet scriptura? Num ideo nullum in terris dici sanctum, nullum dici Dominum oportebit, nec seruire mortalium cuiquam licebit? Atqui sexcentis in locis contrarium scripturis reperies. Quin & tu Lasce, te dominum à tuis appellari non molesté fers. Itaq; clara voce profiteor, quod eius Ecclesiæ membrum esse me confido, certoq; persuasum habeo, cuius Papa, sub Christo capite, caput est. Neq; video, quam vnam in symbolo profitemur Ecclesiam, quemadmodum eam vnam habere possimus, nisi gubernetur ab vno. Christum eum esse vis? CHRISTVM libenter agnosco. Verum & regnum Poloniæ communem patriam nostram CHRISTVS gubernat, nihilominus ad eam rem hominis Regis vtitur ministerio, nec propterea quicquam honore dignitatiq; Christi detrahitur, quod SIGISMVNDVM AVGVSTVM REGEM & Dominum nostrum appellamus, quamuis infinitis partibus Rex & Dominus ille sit superior. Quid autem impedit, quo minus rectè de Ecclesia quoq; dicamus? cuius gubernandæ virtus omnis & potestas penes Christum solum est, ministerium autem penes eum, quem ille super terrã principem constituit, quem suum in terris locum tenere voluit, Pontificem Romanum. Sed hac de re nihil est quod agamus pluribus, cùm in ijs libris, quibus Prolegomena Brentij cõfutauimus, abundè satis locus hic à nobis tractatus fuerit. Ad quos libros lectorem remittimus. Eadem enim repetere non libet.

Aggreditur iam Laskus, quartam (sicut ipse vocat) argumentationem siue ratiocinationem nostram, quam proposuerat his verbis:

Quod veri Ecclesiæ Doctores inuehantur in peccata populi, Prophetarum & Apostolorum exẽplo, & addant diuinæ in illa seueritatis comminationes: Id verò à suis fieri, à nostris verò negligi affirmat, ac proinde apud nostros vt falsos Doctores scilicet, non haberi verum & expressum Dei verbum.

Quò melius qua de re agatur intelligi queat, visum est nobis vnde nata sit hæc nostra (sicut Laskus vocat) argumentatio, paucis exponere. Statim in ipso libelli nostri exordio, nõ esse nouum docuimus, quod Hæretici de expresso Dei verbo subinde gloriantur. Multis antè seculis, quàm Christus natus est: Pseudoprophetas, in quorum locum hæretici successerũt, non se minus iactasse, nec minori confidentia vociferatos fuisse, quod ipsis Dominus loqueretur. Et quod expressum illius verbum proferrẽt, quàm veros Dei Prophetas: Quod etiam producto Hieremiæ testimonio demonstrauimus. Quòd sicut ipse loquebatur: Hæc dicit Dominus, Os Domini locutum est, Verbum Domini factum est, ad eundem modum Ananias quoq; Semeias, & reliqui Pseudoprophetæ sunt locuti, & ijsdẽ verbis vsi. Indicauimus etiam, quem verũq; modum in prædicando sequuti fuerint: Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem, Ioëlem, Ionam, & alios Dei Prophetas, arguere scelera populi solitos fuisse, terrores denunciasse, gladium, famem, pestem, ad pœnitentiam homines inuitasse, vt conuerterentur ad Dominum in ieiunio, fletu & planctu. Pseudoprophetas contrà pacem & securitatem annunciasse, nec minus quicquam fecisse, quàm vt ad pœnitentiam populũ incitarent. Horum similes esse docuimus nostri temporis Pseudoprophetas hæreticos, qui & ipsi, nihil aliud, quàm pacem & securitatem annunciantes, multorum animas decipiẽt.

Cõtrà verò q̃ legitimè missi sũt ab Ecclesia, eos Hieremiæ, & aliorũ Dei Prophetarum exẽplo, grauiter in vitia inuehi, terrorem incutere, & ad pœnitentiam populum inuitare. Hac ratione nobis demonstrandum esse putauimus, nos esse illos, qui Prophetarum & Apostolorum doctrinæ niteremur, à qua nostri temporis hæretici prorsus abhorrerent, & pugnantia cum illa prædicarent. Nunc quid Lascus ad hæc dicat audiamus: Verba eius hæc sunt:

Dum dicit, veræ vocationis in verbi ministerio, hanc esse notam certissimam, vt exemplo Prophetarum atq; Apostolorum in populi vitia grauiter inuehantur, atq; subinde ob oculos omnium ponant, diuinæ aduersus peccata seueritatis comminationes, non reclamamus.

Laudamus te Lasce, quod manifestæ veritati non reclamas. Sed quid est tandem, quod te tantoperè offendit.

Sed dum, inquit, à suis id potissimum fieri dicit, à nostris non item, more suo cornicari eum affirmamus.

Quod si dixissemus tantum, quod Laskus facere consueuit, qui reuerà nihil aliud quàm cornicatur, causam tamen aliquam habere potuisset, cur de nobis hæc ita scriberet. Nunc autem cùm non dicta sint hæc magis à nobis, quàm productis ipsius Lutheri verbis comprobata, quæ est hæc hominis vanitas, quòd nihilominus quæ sua sunt propria, nobis ea tribuere non veretur? An hæc in libello illo nostro verba Lutheri non reperiuntur? Qualiacunq; sint opera nostra, dum tamen firma sit fixaq; fides nostra, certos nos esse nostræ salutis oportere, quandoquidem opera Deus non respicit, nec ei de illis curæ quicquam est. Quicquid sit de operibus nostris, certò nihilominus vnumquemque statuere debere, quod gratis propter Christum peccata sibi sint remissa, quòd acceptus Deo, quod vitæ sit hæres æternæ, quandoquidem omnis iustitia & sanctitas nostra merum est peccatum, & res damnata. Contritio verò vsq; eò nihil prodest, vt magis etiam faciat peccatorem. Itaq; si quem arrodit propter peccatum conscientia, sic respondet: Quid peccatum peccatum? Attamen ego sanctus sum. Si ego probus non sum, Christus tamen probus est. Huius iustitia nos iustos, huius probitate nos esse probos, etiam si non modò micam nullam eius probitatis in nobis habeamus verum insuper omni flagitiorum genere cooperti simus. Quò turpior es, inquit, eò citius impertit gratiam suam Deus. Itaq; dic: Peccata mea non meam, sed Christi conscientiam premunt. An hæc ipsa verba nos in illo libello nostro non posuimus? quibus demonstrare conati sumus, esse vestros, non Hieremiæ, aut Esaiæ, sed Ananiæ & Semeiæ similimos, & eorum exemplo consuere pulvillos sub omni cubito manus, & facere ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendos homines, quando nihil aliud annunciatis, nisi pax pax, securitas securitas, contra Dominum dicentem, non est pax impijs. Interea tamen iste cornicator, cùm hæc in libello nostro non legere non potuerit, audet de nobis quod cornicemur affirmare. Sed quid non audeat, qui semel eo audaciæ atq; amentiæ prorupit, vt à sacrosancto Christi corpore, vna sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia nefario scelere se præcidere non dubitaret? Sed hic nobis iterum cornicator iste quæstiones quasdam proponit, verùm ita, vt num ipse quid loquatur intelligat dubitemus. Siquidem confirmare magis nostram sententiam q̃ refellere videtur: sic enim quæstionem suam orditur:

Ezech. 13.

Vtri magis laxant frena obsecro sceleribus ac flagitijs omnibus? Nos ne qui vnicum duntaxat lenissimi etiã cuiusuis peccati nostri remediũ cõstituimus, & quidẽ non in hominis vllius operis ve nõstri qualiscunq; merito, dignitate aut satisfactione, sed in solo duntaxat mortis Christi filij Dei viui merito & satisfactione: quæ interim, iudicij diuini aduersus peccatum seueritati opponi non potest (in adultis præsertim) nisi vera ac viua, minimeq; hypocrita fide apprehendatur. An verò Hosius cum suis, qui nullum non flagitij genus bullis & ampullis Papæ meritisq; non congruis modo, sed condignis (sic enim loquuntur) & tam propitiatorijs, quàm etiam supererogatorijs satisfactionibus expiari, redimi atq; aboleri docet.

Nos verò meruemus, ne nobis ipsi præuaricatorem Lascum opposuisse videamur, tam apertè pro nostra sententia pugnare videtur. Quid enim? An hoc non est laxare pœnas sceleribus & flagitijs omnibus? operibus meritum omne detrahere, pro peccatis nullam satisfactionem requirere, solum Christi mortis meritum & satisfactionem ita prædicare, vt si quis eam fide apprehenderit, securus iam esse debeat, quicquid sit de suis operibus, cùm nulla iam ei cruce, nulla membrorum mortificatione sit opus, verùm in omni peccatorum cœno tanquam suem impunè volutari liceat, posteaquam crucifixus & mortuus pro nobis Christus abundè pro peccatis totius mundi satisfecit. Non est igitur opus iam nobis vlla probitate, cùm sufficiat Christum pro nobis probum fuisse, cuius iustitia iusti, cuius probitate probi sumus, quamlibet etiam sceleratè viuamus. Modò credamus eum pro peccatis nostris morte sua satisfecisse, iam nobis impunè peccantibus, in aurem quod dicitur vtrãq; dormire licebit, cum peccata nostra non præmant conscientiam nostram, sed ipsum Christum: nec vlla Christus opera nostra respiciat, sed sola fide sit contentus. Itaque crede, quod pro peccatis tuis Christus satisfecit, deinde fac quod vis, epulare, pergræcare, Deum ventrem cole, corona te rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria tua, nec sit vlla corporis voluptas, quam non expleas, gratius id Deo fuerit, quàm si quod hypocritæ faciunt ieiunio te macerueris, cilicio corpus afflixeris, fletu & planctu cor dis contritionem aliquam ostenderis, cùm eiusmodi contritio magis faciat peccatorem, de trahit enim passionis & mortis Christi merito, quasi non satis ille contritus & afflictus pro nobis fuerit, aut quasi non plenè pro peccatis nostris satisfecerit, ita vt si vel minimum pro peccatis tuis dolorem ostenderis, grauiter in Christum pecces, quòd viuam illam fidem amisisse videaris, qua semel persuasum esse cunctis oportet, quòd ille tot & tantos cruciatus ferendo abundè pro eis satisfecit, nullos vt alios, vel animi, vel corporis cruciatus nos ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere, nouamq; satisfactionem ex illis quærere sit necesse. Quamobrem etiãsi voto fueris ob-
strictus, nihil te iurisiurandi quod fecisti moueat religio, qui tu nisi Christi satisfactioni pro
nobis in cruce factæ diffidere velis, primo quoque tempore, cucullam quæ pœnitentiæ si-
gnum est abijce, Monachus Nonnam complectere. qui cum oblectare te possis. Interea tà-
men honestum coniugij nomen incestæ libidini tuæ prætexe, saltationibus indulge, dies
hilares sume.

Protinus ante meum quicquid dolet exue limen.

Hæc sunt Lascæ quæ vestri docent. Ijs quidem quæ Semeias & Ananias eorumq; similes
annunciabant vel maximè consentanea, ab illorum verò qui veri Dei Prophetæ & Aposto-
li fuerunt doctrina tam aliena q̃ quæ maximè. Num aũt hoc non est laxare frena sceleri-
bus quibusuis & flagitijs? dum Christi mortis obtentu qua pro peccatis nostris ille satisfe-
cit, quiduis cuiuis facere licere vultis, modo solam istam vestram fidem habere se pro-
fiteatur? Atqui non ita nos Prophetæ, non ita nos Apostoli docuerunt, quorum nos legiti-
mam sobolem esse gloriamur. Annunciabant illi quidem de Christo, quòd verè languores
nostros ipse tulit, dolores nostros ipse portauit: Quòd vulneratus est propter peccata no-
stra: quòd attritus est propter scelera nostra: quòd omnia peccata nostra, cùm quæ non ra-
puit exoluisset, post tergum suum proiecit: quòd ea pertulit in suo corpore super lignum:
quòd ea delens peccati nostri chirographum quod erat contrarium nobis de medio tulit,
affigens illud cruci: quòd dedit semetipsum redemptionem pro omnibus: neq; corruptibi-
libus auro & argento, sed pretioso sanguine suo nos redemit. In illo lauit nos à peccatis no-
stris, in illo propositus est à Deo propiciator per fidem, in illo factus est propitiatio pro pec-
catis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Sed nunquid in-
tra hos fines constiterunt? Nunquid solam horum fidem sufficere nobis docuerunt? Mini-
me gentium. Quin illi populum ad ieiunium, ad fletum, ad planctum, ad cinerem, ad cilici-
um, ad saccum, ad orationes, ad eleemosynas, & ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos di
ligenter hortabantur, & sic demum: iram Dei placatam iri docuerunt. Non dicebant illi sic-
ut vos: Non respicit Deus opera, sed vidit Deus opera eorum, qui conuersi sunt, & misertus
est: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ac si quid à Deo sibi concedi vellent, ora
bant quidem, vt id faceret propter nomen sanctum suum, propter illud nomen, de quo di-
xit Petrus: Quod non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat sa-
uos fieri, præter solum nomen IESV CHRISTI, qui Deus est & salutaris noster, quem
toties ostendi sibi Dauid postulauit. De hoc nomine dicebant: Non nobis Domine, non no-
bis, sed nomini tuo da gloriam: ac Deum precabantur, vt auerteret à peccatis suis faciem
suam, vt respiceret in faciem Christi sui, pro nobis in carne pendentis & morientis, vt hu-
ius contemplatione propitius esset peccatis eorum, vt huius contemplatione quæ pete-
rent, largiretur. Quicquid petebant, sicut ipse postea Christus docuit in hoc, id est, in Chri-
sti nomine petebant: in hoc se fore saluos, & propter huius nominis gloriam se à Deo ad-
iutos iri sperabant. Quam cum spem certam & indubitatam habuisset, dicebant illi pres
cantes nihilominus: Respice ad orationem serui tui, respice ad humilitatem nostram. Vi-
de humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta meo: vide hu-
militate meam, & cripe me, quia legem tuam non sum oblitus. Vide quoniam mandata
tua dilexi, in misericordia tua viuifica me. Iudica me secundum iustitiam meam, & secun-
dum innocentiam meam super me. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis e-
ius. Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in
corde profecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Vides quem nobis doctrinam san
ctí Patres nostri tradiderunt? quorum tu filius desertor es, & à quorum Ecclesia per summũ
sacrilegium te separasti. Volebant illi quidem vt esset hoc nobis certò persuasum, passione
sua & morte Christum pro peccatis nostris abundè satisfecisse, & cùm peccatorum nostro-
rum remissionem, tum regni cœlestis hæreditatem nobis promeruisse, nec esse nomen ali-
ud, propter quod inuocantes nos Deus Pater exaudiret, præter nomen salutaris sui Domi-
ni Iesu Christi, in quo nomine si quid ab eo petiuissemus, nihil ambigendum esse, voti no-
stri compotes nos esse futuros. Verùm interea cum hæc ita docerent, à nobis quoq; adferri
aliquid volebant, ad iram eius placandam, & ad misericordiam impetrandam. Quamuis e-
nim vnicum sit remedium omnium peccatorum nostrorum, Christi mors, per quam Deo
Patri nos ille reconciliauit, remedium tamen hoc, cum sit propositum & expositum omni-
bus, non omnes percipiunt, nec in omnes ex æquo recõciliationis & satisfactionis per Chri
stum in cruce factæ, fructus redundat, cuius ij soli participes fiunt, qui non secundum car-
nem ambulant, sed secundum spiritum: qui mortificati quidem carne, viuificati autem spi-
ritu, mortificationem Iesu Christi, semper in corpore suo circumferunt, vt & vita Iesu ma-
nifestetur in carne eorum mortali. Non igitur satis esse putauerunt, fide satisfactionem hãc
apprehendisse, compati necesse esse, si conglorificari, commori, si conuiuere, sustinere, si cõ
regnare vellemus necesse esse, dignos fructus, dignaq; opera pœnitentiæ facere docuerũt,
nihil absq; ijs, etiam ea quæ mores transferre queat fides profuerit, extra quam tñ fidem in
Christum, qualiacunq; sint opera nostra, certum est ea non posse mereri nobis gloriam il-
lam sempiternam. Quicquid igitur meremur, operibus quidem nostris meremur, sed ita,
vis vt omnis & dignitas meritorum nostrorum non sit aliunde, quàm ex merito passionis
& mortis Christi. Quod si sustuleris ex operibus nostris, nulla iam erit merendi ratio, cùm
non propter illa, sed propter Christum pro nobis passum, crucifixum, & mortuum, nobis
merces datur vitæ sempiternæ. In hunc potissimum respicit Pater noster cœlestis, verùm
ita, vt opera manuum suarum ne despiciat, quibus quod deest supplet meritum passionis &

Esai. 53.
Psalm. 58.
Est. 38.
1. Pet. 2.
Col. 2.
1. Tim. 2.
1. Pet. 1.
Apo. 1.
Rom. 3.
1 Ioan. 2.
Ion. 3.
Gen. 4.
Acto. 4.
Psalm. 84.
Psal. 113.
Psalm. 50.
Psal. 83.
Ioan. 14.
Psal. 57.
Psal. 78.
3. Reg. 8.
Iudit. 6.
Psal. 24.
Psal. 118.
Psal. 7.
Psal. 138.
Esai. 38.
Rom. 8.
1. Pet. 3.
2. Cor. 4.
Rom. 8.
2. Tim. 2.
Marc. 3.
Acto. 26.
1. Cor. 13.

& mortis Christi. Vidit hoc ille, qui cum fuisset precatus, propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, mox addit in eodem Psalmo: Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Non dubitabat ille quidem, quin propter nomen suum, propter dilectum filium suum, sibi Deus propitius esset futurus: interea tamen suam etiam humilitatem, suum laborem attulit, ad misericordiam illius faciliùs impetrandam. Non est placandi Dei ratio tam expedita, quàm eam esse tu vis Lasce, præcipuè si qui lapsi sunt post baptismum. Adferri necesse est, si velis impetrare veniam, illud, quod non despicit Deus, cor contritum & humiliatum. Sed audi, quid ea de re scribat vetus author Eusebius Emissenus: Non putemus, inquit, tam facilè remitti posse inusta semel crimina, & profundo vulnere in animæ ipsius impressa visceribus: Multò opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis, ad sanandos ipsius cordis dolores. Tota insistendum est spiritus contritione, vt vetusta mala tanquam sagittæ de conscientia euellantur. Non sufficit summis labijs dicere: Peccaui, parce, remitte. Saul dicebat, peccaui, sed non obtinuit illam veniam, quam Dauid vna pœnitentiæ voce promeruit. Et hoc quare? Quia confessionem, nuda magis verba, quàm veri gemitus exprimebant: quia non compensabat magnitudinem criminis lenta humiliatio supplicantis. Non leni agendum est contritione, vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur. Nec transitoria opus est satisfactione pro malis illis, propter quæ paratus est ignis æternus. Et iterum homilia decima: Ieiunia, vigiliæ, ac sanctæ afflictiones, humiliata corda macerant, sed maculata corda purificant, membris subtrahunt fortitudinem, sed conscientijs addunt nitorem. Nihilominus de contritione animi redimuntur crimina voluptatem. Per duræ crucis exercitia, deceptæ dudum carnis gaudia puniuntur, ac sic mortificatione præsenti, futuræ mortis sententia prænenitur: & dum culpæ author humiliatur, culpa consumitur, dumq́ exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi iudicij offensa sedatur, & ingentia debita labor soluit exiguus, quæ vix consumpturus erat ignis æternus. Tractantes ergo causam salutis nostræ, faciamus intra nos, quod circa nos facere solent medici. Si læsura aliqua vel querela in prima corporis cute sentitur, curatio medicamenti blandioris apponitur: Si verò in ossibus vulnus absconditum, aut in viscere profunda immersum est, austeriorem & fortiorem posci vis occulta medicinam. Et vlceris magnitudo, aut sectione, aut exustione supercuretur, & dolor dolore pellatur. Similis ratio est in ægritudine hominis interioris adhibenda. Si leuia sunt fortasse delicta, verbi gratia, si homo vel in sermone, vel in aliqua reprehensibili voluptate, si oculo peccauit aut corde, verborum & cogitationum maculæ, quotidiana oratione curandæ, & priuata compunctione tergendæ sunt: Si verò quisquam conscientiam suam intus interrogans facinus aliquod capitale commiserit, aut si fidem suam falso testimonio expugnauerit, ac sacrũ veritatis nomen periurij temeritate violauerit: si veram baptismi tunicam cœno commaculati pudoris infecerit, si in seipso nouum hominem nece hominis occiderit: si per augures & diuinos atq; incantatores, captiuum se diabolo tradiderit: hæc atq; eiusmodi commissa expiare pœnitus communi & mediocri, vel secreta satisfactione non possunt: sed grauiores causæ, grauiores & acriores publicas curas requirunt: vt qui cum plurimorum destructione se perdidit, cum plurimorum ædificatione se redimat. Homo enim seipsum decipit, si cum in medullis feruere sibi sentiat morbum, per superficiem corporis molle deducat vnguentum. Ad eundem modum Theodoretus quoq; Sunt medicabilia, inquit, etiam quæ post baptismum fiunt vulnera. Medicabilia autem non vt olim per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas, & fletus & luctus, & ieiunium, & orationẽ, & laborem facti peccati quantitate commoderatum. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidẽ didicimus, nec diuina sunt illis manu-impartieda. Nolite, inquit, sanctum dare canibus nec margaritas porcis. In eadem sententiam reperire multa licet apud Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Beatum Ephrem, Chrysostomum, & alios plerosq;, quæ pro ducta sunt per nos in Confessione nostra. Hos enim Patres agnoscimus, & eorum doctrinã libenter sequimur. Nunc secum expendat æquus lector, vtri magis laxent frena sceleribus & flagitijs omnibus? Lascus ne cum suis Lutheranis & Zuinglianis, qui cunctis operibus pœnitentiæ rectis, vnicum grauissimorum etiam quorumque criminum remedium esse volant Christi mortis meritum & satisfactionem, dummodò sola fide quis eam apprehendat, an nos qui sicut à Patribus nostris Prophetis & Apostolis, & qui pro illis nati sunt nobis filij, successoribus eorum Episcopis accepimus, docemus quidem fideles oẽs, vt fide Christi mortis meritum & satisfactionem apprehendant, & illi potissimum innitantur, sed interea tamen dignis etiam operibus pœnitentiæ fructum illius in se transferre conentur, nec per solam fidem, sed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationes, & eleemosynas, & labores cõmissi peccati grauitati cõmoderatos adferri medicinã posse, persuasum habeant. Verùm hic Lascus, vt dixisse tamen aliquid videatur, aliud quiddam à nobis docteri cõminiscitur. Nimirum bullis & ampullis Papæ, meritisq; non congruis modò, sed etiam condignis. Et tam propitiatorijs quàm supererogatorijs, satisfactionibus, nullum nõ flagitij genus à nobis non expiari, redimi, atq; aboleri.

Quantum autem hic mare ingreditur? Quod si persequi singula vellemus accuratius, ad singula tractanda singulis voluminibus opus foret. Nunc strictim de singulis verba faciemus. Quas tu Papæ bullas vnq̃ vidisti Lasce, quibus abolitio peccatorum conceditur, in quibus non fiat ieiuniorum, eleemosynarum, & orationum mentio? Aut cuius in illis expiantur peccata, qui non priùs cõtritus, & confessus ea sit? Vt vel ex hoc liqueat, falsum esse commentum hoc tuum, quo nimis faciles Pontifices in expiandis peccatis esse contendis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm illi non solam fidem, sed insuper opera pœnitentiæ requirant ab eis, quibus peccata sunt condonanda, quæ non modò non requiruntur à vobis, verumetiam si qui requirunt, in eos grauiter inuehimini, quasi Christi satisfactioni pro nobis in cruce factæ detrahant.

Porrò si tu quæ sunt congrui, quæ condigni merita, quæ propitiatoriæ, supererogatoriæ satisfactiones, intelligeres, nunquam ita ioculariter hisce de rebus loquereris. Non est quòd existimet pius lector, temere factum à Doctoribus fuisse, qui vulgò vocantur Scholastici, quòd has meritorum distinctiones inuenerunt. Nam cùm illi subinde legerent in scripturis, secundum opera retributionem fieri, ad opera Deum respicere, & operibus non rarò placari, simul animaduerterent, quædam opera præcedere, quædam verò subsequi fidem: in gratia quædam, alia vero fieri extra gratiam ab ijs, qui se peccato mortali contaminassent. Illa quæ facta essent, vel ab infidelibus, vel à criminis alicuius capitalis reis, visum est illis vocare merita congrui. Quod scirent ea non esse digna, quæ respicerentur à Deo, sed congruere tamen existimarent diuinæ bonitati, vt non prorsus eos aspernaretur, & reijceret, qui tanto studio contenderent & elaborarent, vt sibi gratiam eius demereri possint. Cuius tamen generis opera, visum est Patribus in Concilio Tridentino congregatis, præparationes aut dispositiones ad gratiam appellare potius, quàm vt ea meritorum nomine digna rentur. Cùm in scholis cumprimis hoc axioma celebretur: Quod primam gratiam nemo mereri potest. Tales præparationes siue dispositiones, graues quidam authores in Cornelio fuisse scribunt, & in Eustachio. Cornelio quidem sic angelum dixisse legimus, cùm nondum esset baptizatus: Corneli, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Hæc appellare quibusdam visum est merita congrui, sed rectius vt diximus præparationes ac dispositiones ad gratiam vocantur. Condigni verò merita vocauerunt Scholastici, quę fideles fecissent opera bona, qui renati ex aqua & Spiritu sancto, Dei filiorum adoptionem recepissent, atque ita digni facti essent in partem sortis sanctorum. Quæ tamen & ipsa merita dignitatem suam habent ex precio Christi sanguinis. Quod si tollatur ex operibus nostris, nullum eorum erit meritum. Itaque si quis omnia nostra merita dixerit vnum esse Christi meritum, à vero nihil aberrauerit. Nam pars ohis & mortis Christi merito meremur, quicquid meremur, vt verissimè dictum sit ab illo, Mors Domini meritum meum, refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea, meritum meum miseratio Domini. Hæc namque Domini miseratio, qua adductus tot tam graues cruciatus, & tam acerbam, & ignominiosam mortem pro nobis oppetijt, meritum nostrũ est. Hæc opera nostra in honorem adducit, vt quicquid habent dignitatis, non aliunde quàm ex hac miseratione Domini consequuta esse videatur. Quam etiam ob causam Propheta, cùm precatus Deum fuisset, vt videret humilitatem suam, & quod legem Dei non sit oblitus, & quod eius mandata dilexerit, sic tandem concludit: In misericordia tua viuifica me, illam eius misericordiam implorans, qua morte sua pro peccatis nostris satisfaciens, mortem nostram destruxit, & vitam reparauit. Poterat mercedem perfectæ charitatis expectare, sed miserationis diuinæ suffragium poscere maluit, vt in ea viuificaretur à Domino: nec arrogans debitæ mercedis exactor, sed verecundus esse voluit misericordiæ diuinæ deprecator, omnem vt laudem & gloriam soli Deo tribueret. Ab hoc nos docti, sic nostris meritis confidimus, sic eorum dignitatem extollimus, vt cum Propheta nihilominus dicamus, Non nobis Domine, nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam. Oẽm gloriam in passionem & mortem Christi transferimus, cuius merito valent quicquid valent opera nostra, totum vt sit misericordiæ diuinæ, quæ & præuenit nos & subsequitur nos. Qua de re nunc hæc dixisse sufficiat, cùm in Confessione nostra Christiana satis copiosè locus hic de meritis tractatus à nobis fuerit, quò lectorem remittimus.

Porrò quod addis de propiciatorijs & supererogatorijs, nos propiciatoriam satisfactionem aliam nescimus, præter eam, qua CHRISTVS in Cruce pro nobis pendens, obtulit semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, & per eam nos patri suo cœlesti reconciliauit. Quæ reconciliatio illius & satisfactio fuit quidem ad expianda totius mundi crimina sufficiens, verùm non omnes illius fructum in se trãsferre conati sunt. Quamobrem scribens ad Corinthios clamat Paulus, Obsecramus pro Christo, Reconciliamini Deo, cuius tamen in Epistola ad Romanos hæc verba leguntur: Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Quorsum igitur, vt reconciliemur Paulus hortatur, si semel in Cruce Dei filius nos Patri suo reconciliauit? An illi reconciliationi parum fidebat? Quin ille fidebat illi plurimum, sicut & nos non alia magis in re spem & fiduciam nostram omnem, quàm in vnica illa oblatione collocatam habemus, per quam Deo mundum Christus reconciliauit. Sed aliquid à nobis adferri oportere Paulus indicauit, quo possemus reconciliationis & propitiationis illius participes fieri: Nimirum doloré lachrymas pro peccatis, & ardentes ad Deum preces.

Supererogationis verò nomen ex Euangelio sumptum est, cuius authoritatem secuti sancti Patres nostri, longè diuersa nobis tradiderunt ab ijs, quæ cum suis docet Laskus. Inter, alios Diuus Augustinus multa scribit esse facienda non iubente lege, sed libera charitate. Et ea sunt, inquit, in officijs nostris gratiora, quæ cùm liceret nobis etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Nec dissentit ab hoc Hieronymus, vbi consilium, inquit, datur, offerentis arbitrium est: vbi præceptum, necessitas est seruitutis, sed maioris est mercedis, quod non cogitur, sed offertur. In eãdem sententiam scribit etiã pleraq; Chrysostomus. An aũt hæc Lasce dogmati vestro consentanea sunt, quo cõtẽditis, abominabile esse Deo cultus oẽs volũtarios, qui fiunt absq; expresso mandato Dei? Non ita Sancti Patre

ij, qu

Col. 1.

Augusti. in Manual. cap. 22.

Psal. 24.
Psal. 118.

Psal. 113.

Cap. 73.

Ephe. 5.

2. Cor. 6.
Rom. 5.

Luc. 10.

De adulterinis coniugijs li. 1. c. 14.
Cont. Iouinian. & ad Eustochium de custodia virginitatis.
Homil. 21. in 1. ad Cor.

ij, qui docent in officijs nostris esse gratiora, quæ libera charitate, quàm quæ fiunt iubente lege. Nam si ea quæ non iubentur, sponte nostra obseruanda suscipimus, maiorem in eo nostram erga Deum charitatem ostendimus: & ea quoq; quæ iubentur, nos studiosius obseruare declaramus. Quam etiam sententiam plerisque scripturæ locis confirmat Augustinus. Iubente lege fecerat Paulus, vt Euangelium prædicaret: vt autem sine sumptu poneret Euangelium, vt gratis illud prædicaret, lex nulla præcipiebat, quin sicut in lege, qui in sacrario operabantur, quæ de sacrario sunt edebant: & qui altario seruiebant, cum altario participabant. Sic & Dominus ordinauerat, vt qui Euangelium annunciarent, de Euangelio viuerent. Fecit nihilominus Paulus libera charitate, vt suo sumptu prædicaret Euangelium, nec vili ex Corinthijs esset oneri. Cumq; liber esset, omnium seruus fieri voluit, vt plures lucrificaret, sciens etiam omnia sibi licere, non sequebatur tamen nisi ea quæ magis expedire iudicabat, ostendens quæ licita sunt, hoc est, nullo præcepto Domini prohibentur, sicut expedit potius esse tractanda, non præscripto legis, sed consilio charitatis. Hæc sunt, inquit Augustinus, quæ amplius erogantur saucio, qui curandus ad stabulum Samaritani illius miseratione productus est, & ideo dicuntur non à Domino præcipi, quamuis à Domino moneantur offerri, vt tanto intelligantur esse gratiora, quanto magis ostenduntur indebita. Supererogationis igitur opera vocat Augustinus indebita, quæ non iubente lege, sed libera fiunt charitate. Docet autem hoc etiam Ioannes Chrysostomus: Nihil à Deo præceptum nobis esse, quod præstare non possimus, quin etiam plura præstitisse nonnullos, q̃ præcepta fuerint. Nam de virginibus negat Paulus habere se præceptum, sed consilium tantum dat. Quàm multi autem fuerunt in Ecclesia, qui perpetuò virgines permanserunt? Itidem facultates omnes abijcere, nusquam præcepit Christus, sed consilium tantum dedit: Si vis, inquit, perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus. In tua, inquit Chrysostomus, iacet voluntate, Dominus eris consilij tui: Non cogo, non grauo, sed profitentem quidem coronabo, non proficientem non punio. Nam ea quæ ex mandato, quęúe ex debito fiunt, premium iam non tale consequuntur. Quæ de industria sponte; fiunt, splendidas coronas suscipiunt. His quoq; verbis docet Chrysostomus, maiora premia constedi his, qui non iubente lege, sed libera charitate faciunt aliquid. Quod etiam confirmat eadem Pauli exemplo, quod ab Augustino productum, paulò antè cõmemorauimus. Hoc itaq; constituto, q̃ sunt quædam opera erogatoria, quæ vocat Augustinus indebita, & Ambrosius superfluentia, cuius generis sunt ea q̃ iam recensuimus, cõsiderandum illud venit, quin Ecclesia duo sunt saluandorum hominũ genera. Sunt enim quidam iusti, qui tanta sanctitate vixerunt, vt alijs etiam eorum succurrere merita possint, de quibus ait Christus, Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Sunt alij, non ijs præditi moribus, vt liberandis eis absq; suffragio iustorum illorũ sua possit vita sufficere. Quibus præcepit Dñs, vt sibi facerent illius amicos, quorũ suffragijs & meritis in æterna tabernacula recipi possint. sic enim futurũ, vt misericordia superexaltet iudicium. Beati. n. misericordes, dicit Dñs, quoniam & ipsi misericordiam consequentur. Sicut igitur ij misericordiam sanctis egentibus impertiuerunt, sic vicissim illorũ suffragijs fit, vt eandem à Dño misericordiam consequantur, vt in eorũ delictis iudicãdis, plus misericordiæ q̃ iudicij Deus adhibeat. Hoc est, quod alibi quoq; dixisse Christus videtur: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Habet aliquis Prophetiæ gratiã, qua tu destitutus es, habes tu vicissim ingentem rerũ omnium copiam, quæ sunt vitæ degendæ necessariæ, quarum ille summa laborat inopia. Cupis esse particeps eius mercedis, quam accepturus est Propheta? Fac vt ille tuorum quoq; fit particeps copiarum, quò sic quos fert labores, eos minus difficulter sustinere queat, & eris quod optas consequutus. Est alius vir iustus, qui quanto minus in hoc mundo possidet, tantò maiorem habet pro iustitia loquendi fiduciam. Tu quoniam diuitijs abũdas, metu prohiberis, quò minus eadem vtaris libertate, ne de tuis facultatibus in dubiũ venias. Velles nihilominus, vt ad te quoq; pars aliqua mercedis illius iusti perueniret? Non deerit ratio, qua voti tui compos effici queas, dummodo suppeditet illi iusto vitæ necessaria, propter hoc ipsum, quod illi benignè feceris, eadem quæ ille premia feres. Et sic eueniet illud, quod à Propheta dictum est: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mãdata tua: & satisfit illi, quod à Paulo scribitur, Necessitatibus sanctorum communicantes. Quem locum explicans Chrysostomus: Non dicit, inquit, Necessitatibus illorum subuenite, sed necessitatibus illorum communicantes, ostendens, quod plus accipiant, quàm præstent, & quòd res ista, negociatio sit: communicatio siquidem est, Tu pecuniam adfers: Illi tibi fiduciam erga Deum adferunt. Non omnes ex æquo Deum timemus, non omnes ex æquo mandata eius custodimus. Fit etiam non tarò, quantò quis maiore copia rerum omnium affluit, vt tanto longius absit ab eorum perfectione, qui nihil timent præter vnum Deum: nec rei cuiusquam alterius maiore cura tanguntur, quàm vt illius mandatis custodiendis vacare toti queant. Num autem qui sunt eiusmodi, statim eis desperandum est, propterea quod cùm alligati sint vxoribus, cùm liberorum cura districti, cùm rei familiaris tuendæ, quin & honestis rationibus augendæ studio sint implicati, non perinde vt illi vacare DEO toti possint. Minimè gentium. Quin hi faciant sibi illos amicos de Mammona iniquitatis, & si defecerint etiam in aliquo, futurum est nihilominus, vt amici illi timentes DEVM, & custodientes mandata eius, recipiant illos in æterna tabernacula: quòd sic eorum quisq; cum Propheta gloriari queat: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Hoc est, quòd nos Paulus quoq; videtur inuitare, cùm ait: Vestra abundantia illorum inopiam

sup-

1. Cor. 9.

1. Cor. 6.

Luc. 2.
Matt. 5.

Homil. 8. de pœnitentia.

1. Cor. 7.

Psal. 118.

Homil. 21. in epi. ad Rom.

2. Corinth. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suppleat, vt & illorum abundantia vestræ sit inopiæ supplementum, vt fiat æqualitas. Mercaturam quandam docere nos Paulus videtur. Abundatis, inquit, vos pecunia, & estis inopes iustitiæ? Contrà, illi abundant iustitia, & sunt inopes à pecunia, fiat quædam inter vos commutatio. Date vos pijs egentibus pecuniam, quæ vobis affluit, & illis deficit: sic futurum est, vt illi vicissim iustitiam suam qua abundant, & qua vos estis destituti, vobiscum communicent, cum præsertim, quicquid impensum à vobis fuerit, non illis dederitis, verùm Christo. Quicquid enim vni ex minimis istis feceritis, id sibi factum Christus interpretabitur: Qui sunt isti minimi, quærit Augustinus: & respondit ipse, Minimi sunt, qui dimiserunt omnia, & secuti sunt CHRISTVM, & quicquid habuerunt, pauperibus distribuerunt, vt Deo sine seculari compede seruirent, & ab oneribus mundi liberatos, velut pennatos, sursus humeros tollerent. Hi sunt minimi. Quare minimi? Quia humiles, quia non elati, quia non superbi. Non potes animum inducere, vt sis vnus ex istis minimis. Qui stulti facti propter Christū, omnia sua deseruerunt? Nō potes nunciū seculi rebus omnib. remittere, & eorum exemplo soli Christo vacare, saltem eos amicos tibi fac de Mammona iniquitatis, & ipsi tibi, quod superfluit eis impartient, ac etiamsi defeceris in aliquo, nihilominus in æterna tabernacula te recipient, modò ne grauiore labores alsquo defectu, quàm vt eilargitas eleemosynarū tuarū subuenire queat. Hęc est de supererogatorijs operib. doctrina nostra, quam à Christo ipso, tum à Prophetis & Apostolis eius hausimus. In cuius etiam sensu explicando, non nostrum, sed Ecclesiæ spiritum sequuti sumus. Nihil enim à nobis dictum est, quod à præcipuis Ecclesiæ membris Augustino, Gregorio, Chrysostomo, Ambrosio, Theophylacto, miro quodam consensu dictum antea non fuerit. Quorum nos in enarrandis scripturæ verbis sententiam attulimus. Hanc igitur doctrinam dum vos Lasce ridetis, & oppugnatis, quid aliud, quàm ipsum de quo tātopere vos iactatis Euangelium ridetis, & oppugnatis, cùm ex eo doctrinam hanc manasse constat? Quid autem est in ea, quod non pium, quod non charitate Christianæ sit cumprimis consentaneum. Quamobrem illud etiam, quod in symbolo profitemur, Nos credere sanctorum communionem, ad hanc doctrinam pertinere videtur. Qualis enim est membrorum inter se societas, vt operatio cuiusq; membri cadat in commodum totius corporis: talis est & inter Ecclesiæ membra, qui sunt fideles, bonorum operum quædā cōmunio: non solū eorum q̄ fecit Christus caput sui corporis Ecclesiæ, ex quo manat in reliquū corpus omne: & in singula eius mēbra, quicquid est boni, q̄quid est meriti. Verùm & piorū & sanctorum omnium, qui sunt, quiq; fuerunt ab initio mundi, nobis vt eorum benefacta subueniant, nos iuuent, nos ædificent, vt bonorum omnium spiritualium quæ fiunt, & quæ facta sunt olim in Ecclesia, quòd eius esse membra non desierimus, participes efficiamur. Itaq; sæpè vel vnius alicuius viri sancti merita, multitudini peccantium profuere, quò minus peccatorum suorum statim pœnas luerent. Horrenda fuerunt Sodomæ flagitia, tamen si vel decem in ea ciuitate iustos reperire licuisset, minime se deleturum illam Deus promiserat. Qua de re copiosius in Confessione nostra scripsimus.

Verum hic vos Lasce quiritamini, Docere nos nundinationem quandam bonorum operum, & cœlum venale proponere, quasi precium Christi sanguinis ad illud nobis comparādum non suffecerit. Sed quid si non trecentis neq; sexcentis annis his, verùm ante mille ducentos annos, prolatis etiam scripturarum testimonijs, ita nos loqui Sancti Patres noſtri docuerunt? Vnus ex prisc æ Ecclesiæ Doctoribus est ille, qui cumprimis in Ecclesia celebratur, Magnus Basilius. Eius hæc verba sunt: Omnes qui viam Euangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum, nobis possessionem cœlestium comparamus. Quem secutus Augustinus, Auaritia te, inquit, ad Indos misit, ad deportandum aurum, ego tibi ante ostium Christum posui, à quo emeres regnum cœlorū. Et alio loco, cùm illud explicat: Qui dederit calicem aquæ frigidæ, &c. Regnum cœlorum venale proposuit, & precium eius calicē aquæ frigidæ esse voluit. Et iterū: Tantum emit vidua duobus minutis, quantū emit Petrus relinquens retia. Quantū emit Zachæus dando dimidiū patrimonij: Regnū Dei tanti valet, quantū habueris. Et in Psal. no. Quid potentius, inquit, q̄ vt regnū cœlorū non solum Zachæus emat dimidio rerū suarum, sed & vidua duobus minutis, & tantundē vterq; possideat. Quid potentius, q̄ vt idē regnū & thesauris diuiti, & calice aquæ frigidæ pauperi valeat. Et qui baptizauit eum Ambrosius, Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus, ieiuniū habes, redime peccatū tuū: Non venalis est Dns, sed tu ipse venalis es, peccatis. n. venundatus es. Redime te operibus tuis, redime te pecunia tua, vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia. Eleemosyna à peccato liberat. Et alibi dicit: Redemptio viri diuitiæ eius: & in Euangelio Dns dicit: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: Et æqualis horū Ioannes Chrysostomus: Preciū, inquit, non appono, ne obijcias inopiā. Quanti potes, tanti eme. Habes denariū? Eme cœlū: Non quod venale sit cœlū, sed quod clemens est Dns. Non habes denariū? Da calicē aquæ frigidæ. Inquit. n. quicūq; dederit ex minimis istis calicē aquę frigidæ, ppter me, non perdet mercedē suā. Mercatura negotiatioq; cœlum est, & ipsi pigrita mus? da panē, & accipe paradisum. Da parua, & magna suscipe: Da corruptibilia, & incorruptibilia accipe. Et alio loco: Pro paucis iugeribus, & exiguis habitaculis, nō modò aurū, sed propriū quoq; sanguinē frequēter impēdimus. Vt verò cœlū nobis emamus ipsum, ne hæc quidē quæ nostris vsibus superāt, erogamus. Et hoc cum & exiguo illud precio emere possimus, & in perpetuum possidere si semel emerimus. Et in ijsdem in Matthæum commentarijs: Deus tibi pecuniam tradidit, vt cœlum merceris. Et in homilijs ad populum Antiochenum: Vide quanta sit DEI misericordia. Temporalem redimere mortem tibi non concessit, sed concessit æternam. Ne breuem, inquit, emas vitam hanc, sed vitam illam æternam. Illam tibi vendo, non hanc. Non illudo tibi. Et qui non multò fuit posterior Saluianus: Si opes non damus ob peccatorum redemptionem, demus saltem ad emendam beatitudinem. Similia & apud Gregorium Nazianzenum, & apud Petrū Chrysologum legere licet. Quod si verò, tot tam venerabiles viri, quos Patres nostros libenter & reuerenter agnoscimus, ab hoc loquendi genere non abhorruerunt, scilicet abhorrebimus nos, ne quid hæreticorum auribus molestum proferamus?

Verūm quò sensu piè dici possit mercatura quædam cœlum, in confessione nostra diligenter à nobis explicatum est. Vbi simul & illud ex Basilij sententia docuimus, quòd ieunia, eleemosynæ, & id genus alia, per se ad mundationem non sufficiunt, cùm principaliter opus sit misericordia Dei, & sanguine Christi, in quo & aliorum omnium redemptionem habemus si in vno quoq; dignos resipiscentiæ fructus fecerimus. Quamobrem quicquid valent hæc, in Christi sanguine, & propter Christi sanguinem valent, Christi enim sanguis precium nostrum est, quod si tollas ex operibus nostris, nihil futurum est eis vilius. Sed ista cùm de supererogatorijs, tum de alijs operibus nunc dicta sufficiant. Pergit Lascus.

Quid verò hic dicam non de viuorum modò sed de mortuorum quoq; donationibus? Quas, vocat mortuorum donationes non satis intelligere me fateor, sed si fortasse, dicit de suffragijs, quæ fiunt pro mortuis, cùm ex Augustino, tum ex alijs sanctis patribus in Confessione nostra docuimus. Quod orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur non est dubitandum, mortuos adiuuari, vt cùm eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoq; id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Nec omnino ambigēdum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mortē, vt possint eis hæc vtilia esse post mortē. Nam qui sine fide, quæ per dilectionē operatur, absq; sacramētis, de corporibus exierūt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impēduntur officia, cuius dū hic essent pignore caruerunt, vel nō suscipientes vel in vacuū suscipientes Dei gratiā, & sibi non misericordiā thesaurizantes sed iram. Non enim mortuis noua merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum præcedētibus consequentia ista redduntur. Non. n. dictū est, nisi cum hic viuerent, vt eos hæc aliquid iuuarēt, cum hic viuere destitissent. Et ideò istam finiens vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam. Hæc est Augustini patrumq; omnium sententia. Nullum nouum meritum post mortem comparari, sed in hac vita meruisse quemq;, vt sibi mortuoſsuorum suffragia prodesse possint. Et habemus apertum scripturæ locum: Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Itaq; nihil opus est hic agere pluribus. Prosequitur.

Quid iterum? Non de præteritorum inter viuos tantum, sed & futurorum quoq; donationibus.

Quæ sanè omnia Hosius adeò negare non potest, vt plena istorum haberi passim in libris suorum fateri cogatur. Et facile vel digito, quod aiunt, etiamsi ipse neget passim commonstrari possunt.

Quis nam est hic loquendi modus, aut quis est horum verborum sensus, vt plena istorū haberi passim in libris suorum fateri cogatur, equidem non satis assequor, sed conijcio tamen hoc eum dicere voluisse, quod pleni sint omnes libri nostri, mendacijs ijs quæ fingit Laskus. Existimo autem quòd loquatur de libris doctorum, qui scholastici vocantur. Qui si pleni sunt Lascanis ijs fabulis, mirum est, cùm ego quoque nonnihil eis legendis temporis impenderim, nihil hactenus, in eorum quoquam reperire tale potui? Vel vnum locum aliquem commonstrasset cornicator hic. Ego multa possem ostendere quæ prorsus pugnant cum hac Lascana fabula. Patrem Theologiæ quam vocant scholasticam fuisse Petrum Lombardum, Laskus opinior non negabit. In huius enim libros qui sententiarum inscribuntur, vnde etiam magister sententiarum est appellatus, vel commentarios, vel summulas ferè scripserunt, ij qui scholastici Doctores vocantur. Atqui Petrus hic Lombardus, vbi de pœnitentia tractat, sic eam definit: Pœnitentia est virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda vlterius committere nolumus. Quæ quidem definitio, partim ex Ambrosij & Augustini, partim ex Gregorij verbis sumpta est. Ex ea colligunt Doctores illi duplicem actum esse pœnitentiæ. Vnum respectu præteriti, qui est præterita mala plangere: alterum respectu futuri, qui est, plangenda non admittere. Primus actus aiunt est in re, secundus in re, vel in proposito. Exigunt igitur à pœnitente, vt non solum actu, verum ne voluntate quidem flenda iterum committat. Negant esse verè pœnitentem, si quis non peccet actu, sed habeat nihilominus peccandi voluntatem, quod ad veram pœnitentiam non sufficiat, non committere actu pœnitenda & flenda nisi voluntas & propositum peccandi simul absit. Hinc illud: Vade, & amplius noli peccare. Quem locum explicans Augustinus: Non dicit, inquit, non pecces, sed ne voluntas peccandi in te oriatur. Itaque pœnitentiam omnino requirere docent, de cætero cauendi propositum, & plangenda mala non committendi. Quòd qui plangit quidem peccata, sed iterum facto vel proposito seu animo admittit, eum Isiodorus haud aliter facere scribat, quàm si quis lauet laterem crudum, quem quantò magis lauerit, tantò amplius lutum facit. Porrò de satisfactione quoque cuius vos vel nomen solum horretis, docent scholastici, quòd ea tertia fit pars, vel tertius actus pœnitentiæ, cuius magister sententiarum hanc adfert ex Augustino definitionem: Satisfactio est, causas peccatorum excindere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere. Ex qua definitione colligunt scholastici, quòd in satisfactione principalius requiritur emendatio in futurum, quàm recompensatio præteritorū? Cuius rationē adferunt: Quoniā Deo nihil subtrahi potest, quāuis peccator quantū in se est, ali-

Homilia 35. de verbis Domini.
De Ciuit. Dei. lib. 21. cap. vltimo.
In homil. 17. in 2. ad Corinth.
In 2. ad Cor. cap. 8.
In eundem Pauli locum.
Genes. 18.
Cap 30.
In hom. quam scripsit in initium prouerb.
De verbis Apostoli ser. 32.
In lib. 50. homiliarum homil. 13.
In Psal. 49.
De Helia & ieiunio. cap. 20.
Homil. 9. de pœnitentia.
Homil. 12. in Matt.
Hom 78.
Hom. 36.
Lib. 2. contra Auaritiam.
Cap. 73. In Regulis contractioribus, quæst. 2.
Hom. 32. de verbis Apostoli.
2. Macb. 12.
Ioan. 8.
In lib. de vanitate cap. 13.
Dist. 15.
Dist. 14. cap. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquid subtrahat. Cæterùm ex cautela futurorum agnoſci poſſe dicunt recompẽſationem
In diſtin. 14. præteritorum. Docent, ſatisfactiones medicinas quaſdam eſſe, non magis purgatiuas, quàm
præſeruatiuas. Nam & curant culpam præteritam, & præſeruant à futura. Hæc nos ipſis eo-
rum verbis tranſſcripſimus, cum ex alijs, tum ex Thoma præſertim. Quæ cum ita ſint, cum
pleni ſint hac doctrina ſcholaſticorum libri, cùm & pœnitentiam & præcipuè ſatisfactio-
Eſai. 28. nem, non ad præterita magis quàm ad futura, reſpicere nos doceant, vt ſi quis peccandi vo-
luntatem non abiecerit, eum abſoluiritè non poſſe dicant: an Laskus ex eorum numero
non eſt, qui dicunt apud Prophetam. Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio
protecti ſumus? Prius Laſce, libros iſtorum inſpectos, ac deinde vel vnum aliquem locum
indicatum ſaltem oportuit, in quo docerent, futura quoq; crimina peccantibus indulgeri:
cùm eos contraria potius omnia docere conſtet. Verùm tibi ſatis erat audiuiſſe ex aliquo,
quòd ſcholaſtici talia docerent, neq; quàm id verè diceretur inueſtigandum eſſe putaſti.
Rurſus queri Laſcus incipit:

*Et tamen nos ſi Deo placet peccatis hominum indulgemus, illis blandimur, illis puluinos ſubſter-
nimus Hoſio iudice, qui ſolo Chriſti Domini merito excluſo, omnia eſſe exitialia omninò clama-
mus. Qui iterum deteſtinatum & rebellem illius contemptum, non tantum plagis externis mul-
tò grauiſſimis, ſed æterna etiam, animæ excœcatione atque impœnitentia puniri iuſſo Dei iudicio
docemus.*

Hic iterum alia de re ſermonem inſtituit Laskus, quàm de qua agebatur. Non enim de eò
agebatur, quanta ſit peccatorum grauitas, & quàm acerbæ ſint illis pœnæ conſtitutæ. Etſi
non poſſumus non mirari, quòd externarum potius, quàm æternarum pœnarum Laskus
mentionem faciat, niſi fortè grauioribus peccatis, deberi gehennæ ſupplicia non credit.
Quis autem vnquam illud in dubium vocauit, quòd excluſo Chriſti merito, peccata nobis
exitialia ſunt omnia? Quodq; contemptus eorum, non tantum externis (vt ſcribit Laskus)
verùm & internis & æternis pœnis punitur? Quodq; accedit inſuper (quæ non eſt leuiſſima
Pro. 18. pœna excœcatio mentis & impœnitentia, vt eueniat illud, quod ſcriptura dicit: Impius
cum venerit in profundum contemnit. Cuius quidem ſupplicij non eſt opus longius exem
pla petere. Quoties te Laſce videmus, & qui tuarum ſunt partium, quid aliud quam hanc
Rom. 1. in vos Dei ſingularem animaduerſionem non ſine ſtupore quodam cernimus? Qui iuſto
Eſai. 6. quodam iudicio ſuo tradidit vos in reprobum ſenſum, vt & audientes non intelligatis, &
videntes & non videatis. Videmus igitur nos Laſce grauiſſimas pœnas has, quas de pecca-
tis veſtris Deus perſequitur, & cùm ex animo vicem veſtram doleamus, medicinam illis fa-
cere cuperemus, ſi quis ei faciendæ locus apud vos eſſet, hoc eſt, ſi quod eſtis cœcos eſſe vos
Ioan. 9. agnoſceretis. Nunc autem quoniam videre vos nihilominus putatis, peccatum veſtrum
manet, nec eſt vlla ſpes ab eo vos aliquando liberari poſſe, quoad in iſta cœcitate veſtra per
ſtiteritis.

Verùm non de grauitate, ſed de remiſſione peccati, ſermo fuit Laſce. Vocabatur illud in
controuerſiam, vtri peccatorum indulgentiam faciliorem facerent. Vos ne qui ſolo Chri-
ſti merito, dummodò fide quis illud apprehendat, eam acquiri docetis an nos, qui libenter
quidẽ illud concedimus, paſſione mortemq; ſua Chriſtum & peccatorum remiſſionẽ & vitã
æternam abunde nobis promeruiſſe verum, ad fructum illius in nos transferendum ſolum
illud minime ſufficere ſi credamus, morte ſua Chriſtum hæc nobis promeruiſſe, neceſſari-
1. Pet. 1. um eſſe præterea vt illud memori mente teneamus, quod à Petro ſcriptum eſt. Chriſtus
1. Pet 3. paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Et quod non-
nullis interiectis ab eodem dictum eſt Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatio-
ne armamini. Quia qui paſſus eſt in carne deſijt à peccatis, vt iam non deſiderijs hominum,
ſed voluntate Dei, quod reliquum eſt in carne viuat temporis. Non ijs igitur qui nudam &
ſolam fidem habere ſe iactant, promeruit Chriſtus remiſſionem peccatorum & vitam æter-
nam, verum ijs qui ſequuntur eius veſtigia q ſibi quoq; ferendũ eſſe aliquid putant pro pec-
catis ſuis, qui dignos pœnitentiæ fructus faciunt, qui mortificationem in corpore ſuo cir-
cumferunt. Quæ cum vos omnia Laſce cachinnis proſequamini, cùm ſolum hoc ſufficere
prædicetis, ſi quis credat paſſione mortemq; ſua pro peccatis noſtris Chriſtum ſatisfeciſſe, re-
miſſionem eorum & vitam æternam promeruiſſe, nos contra doceamus, promeruiſſe illũ
quidem omnia, verùm non omnibus ſed ijs tantum qui fructum ſatisfactionis in cruce pro
nobis factæ, per fidem cum obedientia mandatorum, per ieiunia, per lachrymas & oratio-
nes, per eleemoſynas in ſe transferre conati ſunt, vt ita Chriſti veſtigijs incedentes aliquid
& ipſi pro peccatis ſuis patientes, quo dammodo ſatisfaciant, & peccatis mortui iuſtitiæ de-
inceps viuant. Hic tu Laſce ipſe iudica túne, qui ſolam fidem ſufficere dicunt, an qui nos in
Chriſtum, credẽtes ſequi præterea Chriſti veſtigia iubent, quò patiamur & ipſi aliquid pro
peccatis noſtris & ſic demum fructum ſatisfactionis illius pro nobis in cruce factæ conſe-
quamur: tuíne peccatis hominum indulgeant, illis blandiantur, illis puluillos ſubſternant,
an nos qui ſolam fidem ſufficere negamus, ſed opera ſatisfactoria præterea requirimus? Hac
de re dictum aliquid oportuit à te Laſce, non de peccatorum enormitate, de qua tacente e-
tiam te ſatis res ipſa loquitur, nec eſt quiſquam qui de ea dubitet. Sed cùm nihil haberes
quod contra manifeſtam veritatem dicere poſſes, hoc tibi ſermonis diuerticulum quærere
viſum eſt vt aliquid nobis de peccati grauitate narrares. Proſequitur Laskus.

*Hoſius verò ex ſui acerbiſſimè in peccata inuehuntur (ſcilicet) qui nullum vſq; adeo graue atq;
enorme flagitium committi patrariq; poſſe arbitrantur, cum Creator ipſorum Papa, non protinus ob
nummus aureus tinnuerit, mille remedia expectoris ſui ſcrinio proferre poſſit.*

Nos verò Laſce qui per Dei gratiam Catholici ſumus & orthodoxi multò grauius inue-
mur in peccata quam vos. Reducimus peccantibus in memoriam immenſa Chriſti benefi-

cia, quibus nos immerentes affecit: inde ſumimus occaſionem execrandi peccata, quibus
ingrati tantorum in nos beneficiorum, tam beneficum dominum vel patrem potius, tam
grauiter offendimus. Intereà tamen fatemur, non inuiti, docere nos hoc quoq; quod tu ſcri
bis, Nullam eſſe tam graue atq; enorme flagitium, cui per pœnitentiæ ſacramentum reme-
dium adferri non poſſit. Neq; verò non ſecundum patrum noſtrorum exemplum id faci-
mus. Fuit ante mille ducentos plus minus annos Theodorus quidam, qui quod à Luthe-
ro, Bucero, Pellicano, & ab alijs eiuſdem farinæ factum eſt hoc noſtro tempore, cùm eſſet
monachus cuidam ſe fœminę coniunxerat, & cùm ea ſe oblectabat, ac incœſtam hanc ſuam
libidinem, honorabile connubium & immaculatum thorum appellare volebat. Potuit ne
grauius aliquod eſſe flagitium, quàm quod ab eo patratum fuerat? Certè Ioannes Chryſo-
ſtomus in ijs duabus epiſtolis, quas ad eum ſcripſit, acerbè ſatis & grauiter in eum inuectus
eſſe videtur. Exaggerat crimen, grauitatem eius ante oculos ponit, terret incendijs gehen-
næ ſempiternis, nec eorũ quicquam prætermittit, quæ pertinere putat ad animũ illius per-
mouendum, vt quàm graue ſcelus deſignauerit, & quo verſetur in diſcrimine, cognoſcat.
Nunquid autem in eo conſiſtit? Minimè gentium. Quin ille ſic terret, vt noxiam quidem
exilius animo ſocordiam & ignauiam expellat, & eiuſmodi terroribus expauefactum pro
nocet quidem ad reſipiſcentiam, auocet autem à deſperatione. Quamobrem nihil ei de di-
uina miſericordia non pollicetur, quod non vult Deus mortẽ peccatoris, ſed magis vt con-
uertatur & viuat. Ac inter alia ſic loquitur: Finge ſi lubet aliquem vniuerſa malitia redun-
dantem, qui patrarit omnia, quæ à regno excludunt? Is vt non ſit extra fidem, ſed fidelis ali-
quando fuerit acceptusq; Deo, poſteà verò factus ſcortator, adulter, mollis, pedico, fur, e-
brius, calumniator, aliaq; id genus flagitia ſedulò committat, equidem illi non ero deſpe-
randi author, neq; ſi perſeuerauerit ad extremam vſq; ſenectam, cum infandis illis, maxi-
miſq; vitijs. Ac Nabuchodonoſoris hiſtoriam recitans, quàm benignum & miſericordem
illi pœnitenti ſe Deus præbuerit. Tanta eſt inquit, Dei humanitas, & erga nos amor, nun-
quam auerſatur pœnitentiam ſincerè factam, etiam ſi quis ad ſummum perueniat malo-
rum, illinc tamen reuerti velit ad virtutis viam: & ſuſcipit redeuntem, & ſuauiter ample-
ctitur, nihilq; non facit, quo in priſtinam dignitatem reformet, quodq; eſt maioris facilita-
tis argumentum, etiamſi non omnem præ ſe fert pœnitentiam, breuem illam & ex tempo-
re factam non abnuit, ſed magna penſitat mercede. Id quod manifeſtum eſt ex ijs, quæ de
populo Iudæorum alicubi dicit Eſaias, Propter peccata pauliſper contriſtaui eum, & per- *Eſaiæ 57.*
cuſſi eum, & auerti faciem meam ab eo, & ipſe contriſtatus ſum, & ambulaui mœſtus, & ſa-
naui eum, ſolatus ſum eum. Deinde productis exemplis Dauid, Achab, Manaſſe, Niniuita-
rum: Quacunq; inquit, hora ſe deijciens peccator, vel vnum dixerit verbum, in eo mo-
mento totius vitæ peccata ſimul abſterſit. Adfert poſteà parabolam de oue, quæ cùm aber-
raſſet à nonaginta nouem alijs ouibus, inuenta mox fuit & reducta: tum de prodigo filio,
deſq; Corinthio illo, quem Sathanæ Paulus tradiderat, tandem ita concludit: Quam diu hic
ſumus, etiamſi peccemus decies millies, ſemper erit ſpei locus: Omnia dabitur abluere
ſcelera dignam exhibentibus pœnitentiam. Et addit non ita multò pòſt. Equidem dico, qd'
ſupra veri fidem alijs apparet, ne illud quidem peccatum Iudæ eſſe maius, quàm auxilium,
quod nobis à pœnitentia venit. Sic egit cum Theodoro Chryſoſtomus. Qui ſi nihil aliud
quàm enormitatem ſceleris ob oculos poſuiſſet, fortaſſe nullum eius admonitio fructum
attuliſſet. Nunc autem hac vſus dexteritate, tantum profecit, vt eum ab errore ſuo auoca-
ret, & ad reſipiſcentiam adduceret. Extat in Bibliotheca Vaticana Theodori huius præclara
quædã epiſtola, qua Chryſoſtomo gratias agit, quòd eum hortatione ſua tam paterna, pecca
tum ſuum agnoſcere fecerit & ad mentem ſaniorem adduxerit. Non diſſimiliter agit cum
lapſa virgine quadam Ambroſius, in quam inuehitur quidem initio perquam acerbè, ſed
ſub finem nihilominus ad reſipiſcentiam hortatus, nihil ei de diuina miſericordia non pro-
mittit. Horum igitur & aliorum ſanctorum patrum exemplo, facimus & nos, vt inueha-
mur quidem in peccata grauiter, neq; magis externarum, quàm internarum: & externa-
rum ignis gehennæ pœnarum terroribus mentes peccantium percellimus. Verùm intereà *Geneſ. 4.*
nihil eſt, quod minus ferre queamus, quàm vt cum Cain dicat aliquis: Maior eſt iniquitas
mea, quàm vt veniam merear. Nos verò cum Propheta potius peccantes hortamur, vt con- *Ioel. 2.*
uertantur ad Dominum in toto corde ſuo, in ieiunio, in fletu, in planctu. Quia benignus &
miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper omni malitia, nullum vt
eſſe queat ita grande peccatum, vt non infinitis partibus, maior ſit illius miſericordia, qua
ſit, vt ſemper verè pœnitentibus, quorumcumq; tandem peccatorum veniam ſperari lice-
ret. Quid igitur habes quod arrodas in hac doctrina noſtra? Num ferre nõ potes, quòd mi-
ſericordias Domini tantoperè prædicamus?

Niſi te fortè magis hoc offendit, quòd arbitramur, Papam peccatis noſtris remedium
adferre. Quid autem? An & in hoc aliquid à nobis peccatum eſt, ſcilicet ignoramus nos,
quòd remedium peccatis, præter vnum Chriſtum adferre poteſt nemo? Nos verò plus eti-
am aliquid aſſerimus. Non ſolum animi, ſed & corporis morbis non mederi quemquam,
præter Deum. Num ideo medicorum hominum opera nobis vtendum non erit, quorum
Deus miniſterio morbis noſtris adferre ſolitus eſt medicinam? An aũt corporum Deo tan-
ta cura eſt, animorum verò nulla? Scilicet propter neceſſitatem eorum, quorum corpora
languent, creauit Altiſſimus medicum, & propter multò maiorem neceſſitatem Eccleſiæ *Eccleſ. 38.*
de Medico, qui multò grauioribus animi morbis conſulat, non proſpexit? Ille verè proſpe-
xit Laſce, & inter eos miniſtros, quibus medendis morbis animorum curam mandauit, Pe-
trum, & vnumquemq; ſucceſſorem eius legitimum principem conſtituit. Illi præ cæteris
oues ſuas paſcendas tradidit, illi peculiariter claues regni cœlorum concredidit, illi ſeor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum ab alijs dixit: Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Penes alios partem sollicitudinis, penes illum esse voluit plenitudinem potestatis. Vocem igitur Euangelij negat, quisquis de hoc medico, qui peccatis nostris oportunum remedium adferre queat, Ecclesiæ suę Deum prospexisse negat.

Sed medendi ratio fortasse Lascum offendit, cùm dicitur: Simul vt nummus aureus tinnierit, iam peccatis remedium allatum esse. Venalem peccatorum remissionem, venale cœlum etiam ipsum proponere videmur. Hoc est quod Lascus fieri posse negat. Cur autem ille nobiscum potius hac de re, quàm cum Daniële rixatur? Qui dixerat Regi Nabuchodonozori, Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum? Forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Aut cum Solomone dicente, Redemptio animę viri diuitiæ suæ. Aut cum ipso Christo, cùm ait: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Cum istis rixare Lasce, non mecum. Non dubitauit dicere Cyrillus Hierosolymitanus, quod potest aliquis per pecunias iustificari, Esurriui, inquit, & dedistis mihi manducare, omnino à pecunia proficiscatur. Vis autem scire, quod pecunia tibi ianua quædam esse potest regni cęlestis: Vade & vende substantiam tuam ait scriptura, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis. Gaudentius quoq; : Vende, inquit, patrimonium, & eme patrocinium, cuius interuentu certus de imperrata venia venturum iudicem liber merearis aspicere. Sed nimis tibi videtur vile precium tantæ rei, nummus aureus. Vilius est quod dicit Chrysostomus, Habes denarium, eme cœlum: da panem, & accipe paradisum. Vilius est adhuc de quo Christus ipse meminit, dicens: Quisquis potum dederit vni ex minimis istis calicem tantum aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Ergo vos, inquit Lascus, venale cœlum facitis? Respondet Ioannes Chrysostomus: Non quòd venale sit cœlum, sed quòd clemens est Dominus. Ne putes Lasce, tam ab omni mente desertos fuisse sanctos patres nostros, aut etiam nos tam esse stupidos, bardos, truncos, vt non intelligamus, nummo argenteo aut aureo, regnum cœlorum comparari non posse. Quod si minus tibi videmur in scripturis exercitati, vt ex Paulo discere non potuerimus, quod non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Saltem Aristoteles, qui totseculis terebatur semper, & adhuc teritur scholasticorum manibus, docere nos potuit, quod finiti ad infinitum nulla est proportio. Quod si nec hunc legissemus, vel sensus ipse communis hoc nobis indicare potuit, quod multò plùris est regni cœlorum fœlicitas, quàm sit aureus nummus. Non sumus igitur, Lasce, tam rudes, vt hæc ignoremus: Verùm quod Chrysostomus dicit, idem dicimus & nos: Non est venale cœlum, sed clemens est Dominus: Cuius si tanta est benignitas & clementia, vt non solum aureum, verùm & argenteum, & nonnunquam æreum nummum, quin & calicem aquæ frigidæ tanti æstimet, vt ei mercedis loco tribuat in hac quidem vita peccatorum remissionem, post mortem autem regnum cœlorum, nunquid oculus tuus nequam est Lasce, quoniam Dominus noster bonus est? Noli putare Lasce, quòd magno perè Deus attendat, aureum ne nummum aliquis, an argenteum, an æreum largiatur: anmum ille dantis, non quod datur inspicit. Itaq; sæpè minutum vnum æreum aut alterum pluris æstimat, quàm multa aureorum millia. Documento nobis esse potest illa vidua, quæ cùm æra duo minuta misisset in Gazophilacium, videns Christus hoc illi testimonium dedit, verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit. Omnes enim ex eo qui abundabat illis miserunt, hæc verò de penuria sua omnia quę habuit, misit omnem victum suum. Itaq; verè dixit ille, Non pensat Deus quantum detur, sed ex quanto detur. Numisma nostrum Lasce, quo remissionem peccatorum & regnum cœlorum comparamus, non est aureum, non est argenteum, non æneum. Vis aut scire cuiusmodi sit. Docebit hoc te vetus doctor Clemens Alexandrinus, qui fuit Origenis præceptor. Ne si Pactolum quidem, inquit, qui totus aureo fluit fluento, vt est in fabulis, quis dederit pro salute, iustum precium numerauerit. Ne verò ergo laborasse pigeat, licet vobis si velitis precioßissimam salutem emere proprio thesauro, Charitate & fide vitę, quod quidem est iustum precium. Non aurũ, non argentum, sed charitatem ille vocat iustum salutis precium.

Daniel. 4.
Prouerb. 13.
Lucæ 16.
Catechesi 8.
In sermone de Natali Domini contra auaritiam Iudæ.
Rom. 8.
Matth. 20.
Mar. 12.
Clem. Alexand.

Apertius autem Ioannes Gerson, qui vixit patrum aut auorum certè nostrorum memória. Numisma, inquit, nostrum charitas est, quæ precium imponit actibus nostris, per quam (libet autem ipsius verbis vti) non ex illorum dignitate, sed ex dignissima seu dignantissima Dei condescensione mercamur cum eodem de regno cœlorum cum fœnore multo. Et quamuis omnia quæ damus sunt de suo, & suscepimus ea de manu sua, & ita dare proprię nequimus, quid pro quo, nihilominus ipse totus desiderabilis acceptat bona nostra ex valore huiusmodi numismatis, tanquam nostra essent appropriatè, & non sua. Reddit quoq; absq; vlla commutatione ciuili, vinum compunctionis, lac deuotionis, imò & seipsum & regnum cœlorum.

An autem & hic ignorauit etiam eo tempore, quo vos Euangelium sepultum & absconditũ fuisse vultis: q; non est venale regnũ cœlorũ? q; emptio hæc est gratuita, q; in ea nulla sit ciuilis cõmutatio? Nihil horum ille nesciebat: sed quia clemẽs est Dñs, ideo q; à nobis offertur, eũ acceptare dicit, nõ ea eius q; offertur, sed ex numismatis, hoc est, ex charitatis valore, q̃ solam Deus intuetur. Hoc numismate remissionem peccatorũ, & regni cœlestis hereditatem nobis Christus comparauit. Nam propter nimiam charitatem qua dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo: & cùm inimici essemus, per mortem suam Deo patri suo reconciliatos fratres nos & cohæredes suos effecit. Quod itaq; numisma pro nobis exoluit, idem hoc vicißim à nobis exigit, si fructum aliquem factæ per illum reconciliationis adipisci volumus. Solam à nobis exigit charitatem, quam quoties vni ex minimis

Ephes. 5.
Rom. 5.

nimis impenderimus, sibi impensam interpretatur, nec est aliud malagma, quod sanandis animorum nostrorum vulneribus præsentius remedium adferre queat, quàm sit hoc numisma. Permultum autem refert, quemadmodum eo vtamur, cùm aliquando minor sit illius vsus. Quamobrem, quomodo & quando maiorem hoc malagma curandis vulneribus nostris applicatum vim & efficaciam habeat, docet nos optimus & maximus ille medicus noster IESVS CHristus, per ministrum suum Papam, in terris locum gerentem. Nam sicut alijs grauissimis de rebus, ita de sanctorum quoq; necessitatibus, ad hunc potissimũ ex orbe toto Christiano referri cõsueuit. Hic itaq; sicut expedire maximè iudicat, ita malagma hoc vulneribus nostris applicandum curat. Verbi gratia: Perferuntur ad eum, captos esse plerosq; à Barbaris, & in grauem seruitutem abductos, & quidem eos qui sunt eiusdem nobiscum corporis membra, cùm ab eodem Christo capite dependeant, mox communis ille pater & medicus omniũ, quotquot Christiani censeri gaudent, eos diplomatibus suis certiores reddit, quanta sẽ nunc offerat occasio conciliandæ diuinæ misericordiæ denunciat: Nunc rectè reddi numisma Christo, quod prior ille pro nobis exoluit, nunc præsens animarum remedium adferri posse. Quamobrem exererent viscera charitatis, sanctorũ necessitatibus communicarent, ac pro suis quisq; facultatibus vel aureos, vel argẽteos, vel æreos nummos impartiret, quò possent infelices illos & calamitosos à tam dura seruitute liberare. Nihil is quidem præscribit, quid aut quantũ numerare debeant, liberam eius rei facultatem cuiq; permittit, hoc solùm admonet, quantò quis reipsa maiorem charitatem exhibuerit, tantò facilius eum peccatorum suorum omnium remissionem esse consequuturum. Scriptum est enim, Charitas operit multitudinem peccatorum. Et de muliere peccatrice dicit Christus, Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. Et rursus: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et alibi dicit scriptura: Omnis misericordia faciet locum vnicuiq; secũdum meritum operum suorum. Iudicium aũt sine misericordia ei, qui nõ facit misericordiam. Cedo Lasce, cum hoc genus malagma vulneribus peccatorum nostrorum imponit Papa, quem & medicum & pastorem, & Episcopum animarum nostrarũ loco Deus constituit, an aliquid à medici pastoris q; fidelis officio facit alienum? an profert saucijs aliud remediũ q̃ q; expresso Dei verbo cũprimis est consentaneũ? Quod si nullũ est Dei verbũ expressius q̃ charitas (sicut in libello nostro quẽ oppugnãdũ suscepisti docuimus, & paulò pòst vberius de eo disseremus) quãdo nos ad hãc inuitat medicus noster, quãdo per hanc animorũ nostrorũ vulnera sanare contendit, certè nihil facit, qd nõ ad amussim cum expresso Dei verbo quadrare videatur. Vides igitur iam Lasce, nihil habere te, qd meritò reprehendere possis, siue cùm arbitramur, vel asserimus potius, nullum vsq; adeò grauẽ flagitium committi patrariq; posse, cui non remedium adferri queat, siue cùm remedium hoc à Pontifice rectè dicimus adhiberi, siue cùm credimus, protinus vt nummus aureus, aut argenteus, vel æreus etiam tinnierit, iam esse peccatis nostris medicinam factam, cùm præsertim nõ eo sensu dicamus hoc, quasi nummi tinnitum tanti Deus æstimet: quandoquidem si mundi etiam essent innumerabiles (quod Philosophus quidam affirmasse fertur) & omnes eorum opes appenderentur, nequaquam tamen sufficerent, vel ad minimã cœlestis illius beatitudinis partem compensandam? Non igitur dicimus, quod nummi tinnitum attendat Deus, sed cùm quod ipse charitatis numisma pro nobis redimendis exoluit, hoc propter se proximis rependi videt, quæ nunquam est prædicanda satis bonitas illius & misericordia, sibi factum interpretatur: nec aliter id accipit, quàm si pro peccatis nostris ipsi satis fecissemus, cùm tamẽ in eius morte sit & fuerit semper omne precium, & omnis satisfactio, & redemptio: nostrã tñ eam dici patitur, quando sua nos in impertienda suis & nostris membris misericordia, vestigia persequi velit. Sed nos longiores sumus, quàm initiò volebamus, vt autem ista verbosius persequeremur, quorundam importunitas in causa fuit, qui cùm intelligant nihil contra nos apud vulgum dici posse plausibilius, condonationes istas Romanorum Pontificum subinde nobis exprobrant, quasi venalis fuerit apud nos peccatorum remissio. Quamobrem vt errorem hunc ex multorum animis euellere remus, visum est pinguiore quod aiunt Minerua paulò fusius de ijs agere, & ita rem explicare, cuius esse perspicuum possit, nullam istos iustam & legitimam habere caussam, cur tantoperè contra condonationes istas debachentur. Quarum tamen si qui fuerunt abusus, eos nobis defendere propositum non est. Cuius autem rei nunc abusus est maior, quàm Euangelij, quàm scripturæ propheticæ & Apostolicæ? Num igitur scripturas omnes abijciemus? & eis autoritatem omnem derogabimus? quòd hæreses non aliundè ferè, quàm ex earum abusu natas esse videmus? Cæterùm vt ad propositam caussam redeamus, nec Lascum imitemur, qui nihil facit libentius, quàm vt ab instituto quàm longissimè discedat. Etsi certum est, quòd cùm eiusmodi condonationes (vulgo vocant indulgentias) largitur Pontifex, non alijs quàm contritis & confessis largitur, à quibus etiam ieiunium & orationem insuper exigit. Verùm demus tamen ita esse, vt scribit Lascus, quòd nihil requirat aliud, quàm vt nummus aureus tinniat: Sic quoq; nihilominus æquus lector iudicet, ab vtris facilior indulgentia concedatur, à Lasco ne cum suis, qui docent solam sufficere fidem, adeò vt si fraterunt sóror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat illis aliquis: Ite in pace, calefacimini & saturemini, non det autem eis, quæ necessaria sunt corpori, an ab ijs qui requirunt, vt fidem suam ex operibus ostendat, & pro eo ac facultas eius fert, aureum vel argenteum ant æreum nummum indigenti tribuat? Quis, modò sit rationis particeps, non dixerit, illos quàm hos multò faciliores? Verùm de hac re plus quàm satis. Pergit Lascus.

Iacob. 5.
Lucæ 17.
Matth. 5.
Eccles. 18.
Iacob. 2.
Iacob. 2.

Nos porrò hanc talem peccatorum reprehensionem, neque apud Prophetas, neque apud Apostolos vsquam legimus, proinde illam apud Hosium ae suos nihil moramur.

Atqui nos Prophetarum & Apostolorum verba produximus, ex quibus nihil alienum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab eorum doctrina à nobis doceri demonstrauimus. Nam & illi cùm peccata reprehendissent, hoc remedium protulerunt. Peccata tua eleemosynis redime: & charitas operit multitudinem peccatorum. Cùm itaq; nihil morari se dicat Lascus, quid ea de re Prophetæ, qđ Apostoli scribant, facilè cuiuis ex eo coniecturam facere licet, quod nihil est ei commune cum ea Ecclesia, cuius illi præcipua membra fuerunt. Cæterùm ad intelligendum ea quæ sequuntur, Oedipo quodam opus est.

Daniel. 4. Iacob. 5.

Satis est, inquit, nobis, cùm ad solandos pios, tùm ad terrendos impios, atque item ad agnoscendum mundi huius circa diuina ingenium, Simeonis illud apud Lucam, de Christo Domino ad virginem matrem, vaticinium, quo illum in multorum partim resurrectionem partim interitum, & insignum perpetuò alioqui hic ἀντιλεγομένων positum esse testatur.

Quorsum hoc Simeonis testimonium adferat, equidem ingenuè fateor, me non intelligere. De puero IESV vaticinatus est Simeon, Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Num ideo quia prædixit hoc ita futurũ Simeon, si sanctorũ necessitatibus aliquis cõmunicãdum, & eis nũmum aureum aut argenteum impartiendum esse dixerit, quo facilius misericordiã consequamur, cùm & ipsi misericordes fuerimus, ei Christus in ruinã, & in signum cui cõtradicitur positus est. Certè docuit nos hoc ipse Christus, Beati inquit misericordes, quoniam ipsi misericordiam cõsequẽtur: Et iterum, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Num igitur si quis Christi præceptis ijs parendum esse docet, ei Christus in ruinam & in signum cui contradicitur positus est? Quæ te Lasce agunt intemperiæ? mihi quidem non satis mente cõstare visus es, cùm hæc scriberes. Nisi fortè propterea locum hunc proferendum esse putasti, vt nos quibus eum fortasse non esse succursurum putabas, eius cõmonefaceres, quò possemus ex eo demonstrare, vos eos esse, quibus Christus in ruinam, & in signũ cui contradicitur, positus est. Hoc animo si productus es à te, agimus tibi gratias Lasce, fortasse enim nos in memoriam eius non incurrissemus. Enarrans hunc locum Ambrosius, prophetasse dicit Simeonem in ruinam, & in resurrectionem plurimorum venisse Dñm IESVM CHristum, vt iustorum iniquorumq; merita discernat, & pro nostrorũ qualitate factorum iudex verus & iustus, aut supplicia decernat, aut merita. Cùm aũt vos Lasce nulla iustorum esse merita, nec respicere Deum opera nostra doceatis, contra tot tam aperta scripturæ testimonia, an cunctis perspicuum non facitis, vos eos esse, quibus Christus in signum cui contradicitur, & in ruinam positus est? Est enim positus in ruinam infidelium, & resurrectionem fidelium: in ruinam impiorum, & in resurrectionem piorum: in ruinam hæreticorum, & resurrectionem Catholicorum. Quibus autem est Christus magis positus in signum, cui contradicitur quàm vobis? Dicit ille, Hoc est corpus meum, ac ne quis dubitare possit, de quo corpore loquatur, addit, quod pro vobis tradetur: dicit, hic est sanguis meus, ac vt omnem dubitationem excludat, & omnem scrupulũ eximat, addit, qui pro vobis effundetur. Potuit ne quicquam dici clarius? dilucidius? apertius? vt non intelligi magis ab omnibus quam libet ij fuerint hebetes, quàm ipsis propè manibus cõtrectari queat? Nihilominus & hęc dicens Christus, factus est nobis in signum cui contradicitur. Audetis. n. apertè contradicere, clamantes: Non est verum quod dixit Veritas. Non est ibi præsens corpus Christi, nõ est ibi præsens sanguis Christi, sed est signum tantum, est figura tantum corporis & sanguinis Christi. Significat Christi corpus & sanguinem absentis, nõ est autem ibi realiter præsens. An & nobis exclamare cum Propheta non licebit, obstupescite cęli super hoc. Audent veritatem arguere mendacij, qui non aliundè, quàm ex fraude, fallacijs, & mendacijs toti sunt conflati. Porteſt autem de vllis alijs mortalibus magis appositè dici, quòd eis Christus positus est in ruinam, & in signũ cui contradicitur, quàm de istis, qui huc audaciæ & amentiæ proruperunt, vt hæc tam impia dicere non formident? Sed nos Lascum reliqua prosequentem audiamus.

Matth. 5. Luc. 13.

Quemadmodum, inquit, nullos olim grauiores atrociores q; aduersarios CHristum Dominum habuisse legimus, quam principes sacerdotum, Scribas & Pharisæos, ita nihil mirum est, & nunc eos esse summos atque implacabiles propemodum hostes atque aduersarios Christi, qui pro sacerdotum nescio quorum principibus, scribisque ac pharisæis, haberi volunt. Per quos sane si vnquam alias, nunc proculdubio multò grauissimè accusari, affligi, ac denuò crucifigi in doctrina veritatisque membris ipsius palam videmus, etiamsi Hosius camino huic oleum oppressi hoc verbi diuini libello non addidisset, ad cuius Sycophanticam quartam argumentationem hoc ita paucis respondendum est.

Reuera Lasce, nullos grauiores & atrociores habet aduersarios Christus Dñs, quàm istis vos, qui cùm facilè principes hæreticorum nostri temporis iudicari possitis, tantum operæ posuistis in opprimendo Dei verbo, in eius Ecclesia expugnanda, in cultu abrogando, in omni pietate euertenda, vix vt alijs quicquam reliquum iam feceritis. Quid enim intactum reliquistis? Potuitnè cuiusquã hominis esse maior audacia atq; amentia, quàm fuit Martini Lutheri? Qui gladiatorio quodam animo, primus ex nescio quibus tenebris, ad exteriorem oẽm Dei cultum conuellendum & labefactandũ prorupit. Et hanc tũ longo vos interuallo superastis. Reliquit ille tũ quędam externa signa, quibus vtcunq; se nõ ex omni parte Deum negare testaretur. Nec oẽs ritus abrogauit, nec impediuit, quo minus iuxta morem à maioribus nostris nobis traditum, & legeretur & prædicaretur in templis Euangeliũ. Et cùm ex numero septem sacramentorũ quinq; sustulisset, duo tũ fecit reliqua, Baptismum & Eucharistiam: & veritati de veritate sui corporis dicenti, Hoc est corpus meum, tribuendum esse nonnihil putauit. Vos aũt Lasce, quid nobis tandem inconuulsum in Ecclesia reliquistis? cũ non alia magis in re neruos vestros oẽs contenderitis, quàm vt oẽm CHristi beneficiorum memoriam ex piorum animis prorsus aboleri possetis. Quamobrem quęcunq; vel ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris, in Ecclesia Dei constituta fuerunt, quò magis ea mortalium animis externis etiã quibusdã signis inculcari atq; infigi possent, ea sustulistis omnia: quin & ipsa quæ reliqua tamen fecerat Lutherus, duo sacramenta nobis eripere conati estis. Neq; minus vobis idololatræ sunt Lutherani, quàm nos Christiani. Nam si quis Christum in Eucharistia præsentem esse credit & adorat, idololatra vobis est. Quin & ipsum baptismum, idololatriam à te Lasce vocari scribit Erasmus Alberus, homo Lutheranus. Affirmat idem, docere te, quandoquidem qui prædestinati sunt ad vitam æternam, salui fiant, ad salutem consequendam opus non esse baptismo. In quem modum si fas fuerit argumentari, nec Euangelio fuerit opus. Deinde verò, quid à vobis curæ, diligentiæ, laboris susceptum nõ est, vt à vero veri Dei cultu mentes hominum auocaueritis? Audi quid ea de re loquatur Aug. qui mihi tanquam præsagamente de vobis hæc dixisse videtur. Vnum, inquit, sciant insipientes, tardi ad intelligendum, & præcipites ad reprehendendum, quod dęmon sibi sacrificium non exigeret, nisi Deo vero deberi sciret. Falsus enim Deus, sic se vult honorari ab eis quos decipit. Quomodo verus Deus honoratur ab eis, quibus confulit. Et maximè sacrificium est, quod præcipuè debetur Deo. Nam obsequia cætera, quæ diuinitate exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbię fastu homines arrogare, rarissimi autem commemorantur, qui sibi vt sacrificaretur, cũ regia potestate possent, ausi fuerint imperare. Quicũq; aũt ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerũt: Sacrificio aũt Deũ nõ egere, quis nescit? Sed nec laudibus nostris eget: verũ, sicut nobis nõ illi vtile est laudare Deum: sic nobis nõ illi vtile est, offerre sacrificiũ Deo. Vides Lasce, quẽadmodũ Aug. propriè deberi Deo sacrificiũ affirmat, quam etiam alibi propriè diuinitati debitam seruitutem vocat. Cùm itaq; per vos & sacerdotiũ, & sacrificiũ, ita sit abrogatum, nihil vt magis exosum sit auribus vestris, quàm sacerdotij sacrificijq; nomen, quid aliud quàm Sathanæ persuasionibus adducti (quod etiam anteſignanus vester ipse fatetur) ipsum Deum in ordinem cogere, & vt nullus in terris Deus agnoscetur, efficere conati estis. Neq; verò sua Sathanæ consilia non pulchrè processerunt. Sustulistis vos externum & sacerdotium & sacrificium, exorti sunt non ita multò pòst, qui verbi quoq; ministerium externum, quantum in ipsis est abrogarunt, qui simul scripturarum authoritate scripturis authoritatem omnem detraxerunt: nec vnquam immanes illi barbari, qui Christum in crucem egerunt, tanta sunt vsi crudelitate, in vero & viuo Christi corpore nullo non genere suppliciorum excruciando, quantum vos in corpus eius mysticum, sanctam Ecclesiam Catholicam exprompsistis. Nam illi quamuis in corpus illud perquam atrociter sæuierunt, tamen sicut scriptum est, Os non comminuerunt ex eo. Vos autem quas ex eius mystico corpore particulas non feciſtis? Inter manus immanium illorum barbarorum, integrum nihilominus Christi corpus permansit, inter manus verò Christianorum (proh dolor) quam discerptum, quamque dissectum miserandum in modum corpus eius mysticum Ecclesiam videre nunc licet? Quod horrendo vestro sacrilegio factum esse, suo loco demonstrabimus.

Contra aduersarium legis & prophetarum cap. 18.

Propositionis quam quinto loco suscepit oppugnandam Lascus, vel vt ipse vocare maluit, argumentationis nostræ, sicut eam suis ipse verbis recitat, duæ sunt partes. Vna quod omnis verbi diuini doctrina in vno hoc potissimum verbo consistat, Dilige. Altera, à quo cum nos inquit Lascus ipso iudice quã longissimè absimus: tam longè nos etiam à vero atq; expresso Dei verbo abesse etiam, si scripturas habeamus: quàm longè absumus nostris inuicem dissidijs, à mutua inuicem dilectione.

Porrò in libello nostro de expresso Dei verbo, prior pars à nobis ita scripta reperitur: Sũt quidem in diuinis scripturis multa Dei verba, sed omnia tamẽ illa sunt vnum Dei verbum, Dilige. Omnis. n. lex vno sermone impletur, inquit Apostolus, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Nec vniuersa modo lex in hoc pendet, verùm & Prophetæ, sicut ipse testatur Christus. Itaq; plenitudo legis, & finis omnis præcepti, charitas est. Ad eam. n. refertur omne præceptum. Quæ nos omnia prolatis aliquot ex August. locis pluribus confirmauimus. Miraremur aut, si qđ esset, qđ in priore parte tantoperè Lascum offenderet, nisi sciremus, nihil hæreticorum aures minus ferre posse, quàm charitatis præconiũ, cùm sibi cõscij sint, ab ea se quàm longissimè remotos esse. Non. n. diuidit vnitatem, inquit Aug. (vel potius res ipsa loquitur) qui quis habet charitatem. Hanc igitur quoties efferri laudibus audiunt, suã sibi diuisionem & odia, quibus inter se flagrant, exprobrari putant. Sed audiamus quid hic Lascus balbutiat.

Gal. 5. Matth. 22. Rom. 13. 1. Tim. 1.

Multò libentissimè fatemur, inquit, cum Paulo finem legis esse dilectionem.

Agimus tibi gratias Lasce, quòd Pauli nobis authoritatem saluam tamen esse vis. Sed si verum hoc esse fateris, Quid igitur est in hac propositione nostra, quod aures tuæ tam eruditæ ferre nequeunt.

Sed hanc inquit doctrinam Apostolicam, aut non intelligi ab Hosio, aut quod multò est grauius, malitiosè depraui dicimus.

aut non intelligimus Lasce, aut malitiosè depraua mus? Posterius hoc, multò grauius est. Verùm quî probas ea quæ dicis?

Aut enim ostendat, inquit, Hosius, sola lege omnem verbi diuini doctrinam ita circumscribi, vt extra illius præcepta, nulla vsquam extet verbi diuini doctrina. Tum enim demum valeret hęc ipsius argumentatio, vt vnum atq; eundem scopum & legis & verbi diuini esse oporteret. Aut si ad se ostendere non posse videt, culpa se hic vel insciti æ vel malitiæ liberet, aut illam ingenuè agnoscat. Atq; insciti am forte suam, hac episcopali scilicet amplitudine atq; existimatione indignam esse putabit, præcipue cum Papismi totius Achlas videri nunc velit. Pharisaicam igitur malitiam agnoscat Reuerendus pater: nisi doceat, Omnem verbi diuini doctrinam ad sola legis præcepta ita alligatam esse, vt latius patere non possit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid hoc disputatore subtilius? q sic me miserũ isto cornuto suo dilémate cõstrinxit, vt quo me vertam non habeam. Quamobrem velim nolim, vel inscitiam meã agnoscere, vel malitiã confiteri cogor. Sed prius tñ quàm id faciã, libet mihi quoq; quiddã ex eo scisciatari. Heus tu vir sapiens, intelligis ne qd loquaris? Hoc.n. nos docere videris, aliud esse legem, aliud verbũ diuinũ. An lex verbũ diuinũ non est? Ego verò didici in Ecclesia, verbũ diuinũ, hoc est, eam de qua nũc loquimur scripturã Canonicã, lege veteri & noua circumscriptam esse, extra q̃ legem, nullum verbum diuinum, hoc est, nullã esse scripturã Canonicã. Quod si tu nosti verbum vllum diuinum, scripturam vllam Canonicã, extra legem veterem & nouam, vel vt clarius dicam, extra vetus & nouum testamentum, profer. Sed proferre sat scio non poteris. Quam igitur tu facis inter legem & verbum diuinum differentiam? Vis vt ostendam. Sola lege oẽm verbi diuini doctrinam ita circumscribi, vt extra illius præcepta, nulla vsquam extet verbi diuini doctrina. Tum demùm valituram dicis hanc meam argumentationem, vt vnum & eũdem scopum & legis & verbi diuini esse oporteat. Atq; vestra est hæc cãtilena Lasce. Nullum esse Dei verbum, præter id qd scriptũ est in libris Canonicis. Nunc tu vis esse Dei verbum aliqd p̃ter hoc. Quod ego tibi nõ grauatim cõcedo, verùm etiam illud ipsum Dei verbũ, qd est extra legem veterem & nouam, qd non scriptum, sed per manus nobis traditum est, nõ aliò refertur, q̃ ad charitatem. Oẽs. n. Ecclesiæ traditiones, q in alijs libris nostris docuimus, ad charitatem referuntur, & charitati seruiunt. Quod & à Bernardo in li. de p̃cepto & dispensatione, & à Petro Abbate Cluniac. ad eũdem Bern. scribente, pluribus est demõstratum. Itaq; siue sit verbum scriptum, siue nõ scriptum, sed p manus nobis traditum, in hoc vno potissimũ verbo cõsistit, Dilige. Iam igitur & inscitiæ & malitiæ culpa liberatus esse videor. Interea tñ nihil est, qd certius psuasum habeam, q̃ ipsum te qd dicas nõ intelligere. Scripseram ego in libello quem oppugnas, esse qdem in scripturis diuinis multa Dei verba, sed in hoc potissimum verbo, Dilige, cõsistere verbi diuini doctrinã oẽm. Non ego negaueram, in scripturis multa reperiri alia & p̃cepta, & promissiones, sed ad vnũ hoc omnia referri docui, vt diligamus, sicut Dñs dixit, Qui me diligit, sermones meos seruabit, idcirco veteres Patres mandatum de charitate περιεκτικον appellarũt, qd in se vim faciendi omnia mandata cõtineret. Quid aũt aliud à me, q̃ ꝓ olim à Christo dictũ est: In his, inquit, duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ. Duo hæc mandata constituntur in hoc vno verbo, Dilige. Num p̃tereà nihil scriptũ aut p̃ceptũ est, vel in lege, vel in Prophetis? Quis hoc negauerit? Quid igitur? Si Lasco credimus, Falsum dixit Veritas, Nam & in lege, & in Prophetis, plura multò scripta sunt, q̃ hæc duo mandata. Non est aũt hoc nouũ Lasco, Veritatẽ arguere mendacij. Quãuis adhuc ego qd sibi velit nõ intelligã. Nã in eã opinionẽ aliquando venio, q̃ legis nomine vetus testamẽtum intelligat: Verbi verò diuini, nouũ. Quasi lex verbũ diuinũ non sit, aut quasi legis quidẽ sit scopus charitas, Euangelij nõ itẽ. Quantò rectius aũt ille qui dixit: Hæc est apertissima & breuissima differentia duorum testamentorum, timor & amor. Illud ad veterẽ, hoc ad nouum hominẽ pertinet. Fallitur itaq; Lascus, si putat veteris magis q̃ nouæ legis esse scopum charitatẽ, cùm p̃clarẽ dictum sit ab eodẽ Aug. Cùm in duobus mandatis charitatis tota lex pendeat & Prophetę, quãtò magis Euangelium, quo lex non soluitur, sed impletur, de que Dñs dicit, Mandatũ nouũ do vobis, vt vos inuicẽ diligatis. Charitas. n. innouat hominem, quia sicut malignitas veteres, ita dilectio nouos facit. Quare si scopum legis, Lasce, cõcedis esse charitatẽ, quæ perfectio legis est: Euangelium multò magis charitatẽ scopum esse cõcedas, necesse est. Scitum est aũt & illud Aug. qd pietas inchoatur timore, p̃ficitur amore. Primũ igitur populus timore cõstrictus in veteri lege tenebatur. De noua verò dicit Apost. Non. n. accepistis iterum spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus, Abba pater. Æquè igitur, ac magis etiã scopus nouæ legis est charitas, q̃ veteris. Quod Aug. alibi quoq; disertis indicat verbis, ad vetus testamentum timorẽ potius ptinere, sicut ad nouum dilectionẽ: quanq; & in veteri nouum lateat, & in nouo vetus pateat. Eadẽ. n. sunt in vtroq;, sed ibi adumbrata, hic reuelata: ibi p̃figurata, hic manifestata. Quãobrẽ Euangelij vocẽ negas Lasce, quando negas vtrãq; legẽ in dilectione pendere, cùm omnis etiã historia Euangelica, nihil sit aliud, q̃ demõstratio quædã, & instructio charitatis. Quid. n. incarnatio? Quid in hoc seculo etiã cum peccatoribus cõuersatio? qd passio? qd in crucẽ sublatio? qd mors? qd resurrectio? qd oẽs aliæ res gestę Christi? Quid clamant aliud, q̃ charitatẽ? qd aliud oculis nostris cõtemplandum proponũt, q̃ immensam illam & ineffabilẽ charitatẽ, q̃ de cœlo Christus detrahi voluit, vt nos ad cęlũ attraheret. Quod etiã ipse p Prophetã loquitur, Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum. Et iterum: In charitate ꝑpetua dilexi te, ideo miserans attraxi te. Hanc igitur misericordiam, hanc erga nos, q̃ nullis verbis satis exprimi potest Dei dilectionem, & oculis nostris ingerit, & auribus inculcat, & mentibus infigit Euangelium. Num vt ociosi spectemus tãtum & admiremur? Num vt credamus modò, q̃ hac sua charitate, p̃ peccatis nostris satisfecit, & patri suo cęlesti nos reconciliauit? Nequaq̃. Sed Christus passus est, p̃ nobis ait Petrus, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Quomodo aũt sequamur? Docet hos alius Apost. dicens. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam, p̃ nobis posuit, & nos debemus, p̃ fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatẽ habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate. Non aliò nos igitur inuitat Euangelium, nec alium nobis proponis scopum, ad quem colimemus, præter vnam charitatem, nihil vt à nobis erratum fuerit, cùm diceremus, Quemadmodum ipse tu recitas, quòd omnis verbi diuini doctrina in vno hoc potissimum verbo consistit, Dilige. Nam & Christus ipse charitas est: Et Euangelium charitas est, & quicquid siue in veteri, siue in noua lege traditur, nõ aliò

Aug. contra Adimantum, cap. 17.

Prosper in sententijs Aug. cap. 173. Ioan. 15.

De vera religione cap. 17. Rom. 8.

In quæstionibus Exodi quæst. 73. Aug. in quæst. Numeri, quæst. 23.

Hier. 12. Hier. 31.

1. Pet. 2. 1. Ioan. 3.

aliò nos inuitat, quàm ad charitatem. Præcipuè verò mandatum nouum in lege sua nouã solum hoc nobis Christus dedit, vt diligamus inuicem. Sed contra hæc Lascus.

Paulus, inquit, Apostolus multis ostendit, verbi diuini doctrinam de salute ac iustitia nostra in Christo Domino latius multò patere, quàm vt intra legis præcepta constringi vllo modo debeat, dũ promissiones salutis ac iustitiæ nostræ, nõ tantũ extra legẽ cõstituit sed etiã legi ipsi opponit. Paulum Apostolum igitur hæreseos conuincat Hosius, aut in sua malicia, nisi velit resipiscere contemptetur.

Quò longius progredior in ijs ineptijs legendis, hoc minus qd is homo balbutiat intelligo, q̃ sibi videtur hoc vnum habere propositũ, vt aliena semp à re loquatur. Nihil est. n. dictum in libello nostro, quem oppugnat, q̃ nõ & ab Aurelio Augustino, & à Ioan. Chrys. & à multis alijs sanctis patribus multis ante seculis dictum fuerit. Nimirum summam & scopũ scripturæ totius esse charitatẽ. Nec esse verbũ aliud in scripturis expressius, q̃, Dilige. Clara sunt ea q̃ citauimus ex Aug. q cùm dixisset, Quicqd salubriter mente concipitur, vel ore ꝑfertur, vel de qualibet diuina pagina exculpitur, nõ habet finem nisi charitatem. Interiectis paucis quibusdam, subiungit: In nullis scripturis aliud inquiratis. Nemo vobis aliud præcipiat. Quicqd obscurum est in scripturis, hæc ibi occulta est: quicqd ibi planum est, hæc ibi aperta est. Cur igitur iste nõ cùm hoc rixatur potius, q negat inquirendum esse quicq̃ in scripturis p̃ter vnam charitatem? Cur aliena q̃dam adfert à proposito? De charitate sermo nobis fuerat institutus, nũc ille nescio qd garrit de lege Moysi, de q̃ nulla nobis fuit cum quoq̃ disceptatio. Nos verò nõ ignoramus, q̃ Paulus verbi diuini doctrinã de salute ac iustitia nostra in Christo latius ostendit patere, q̃ vt intra legis Mosaicæ p̃cepta constringi debeat. Lex namq; Mosi, sicut scribit Paul. pædagogus quidam fuit, q veluti muro quodam timoris angustijs populum constringebat: Lex Christi suaue iugũ illud est, & onus leue, q̃ à nobis ipse tolli p̃cipit. Illa timoris, hęc est amoris: de hac dixit Propheta: Latum mandatũ tuum nimis. Quid. n. est latius charitate? q̃ cùm fuerit in alicuius corde diffusa p̃ spiritũ sanctum, id sine vllis angustijs q̃libet arctam & angustã viam, q̃ ducit ad salutem, ingredi nobis licet, eo donante cui dictũ est, Dilatasti gressus meos subtus me, & nõ sunt infirmata vestigia mea. Postea aũt eo mandato quicq̃ esse latius, in quo pendet tota lex & Prophetæ? Noluit itaq; Paulus doctrinam de iustitia nostra in Christo seruilibus illis Mosaicę legis p̃ceptis cõstringi, sed ad mãdatum illud q̃ nimis latum esse dicit Propheta, nos inuitauit, & eo iustitiam cõtineri docuit. Nemini quicq̃ debeatis inquit, nisi vt inuicem diligatis, q diligit proximum, legem implenit. Plenitudo legis est dilectio. Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximũ tuum, sicut teipsum. Finis p̃cepti & vinculum pfectionis, est charitas. Quod si legem implere, hoc est iustum esse, Lex aũt impletur hoc vno sermone, Dilige. Dilectionẽ igitur habere, iustum est esse. Qua de re sic etiã loquitur Aug. Nemo sibi idoneus est ad salutem, q̃ salus nõ est pfecta iustitia, nisi Dei adiuuet gratia. Quia plenitudo legis nõ est, nisi charitas, q̃ nõ à nobis existit in nobis, sed diffunditur in cordibus nostris p̃ spiritũ sanctum, q datus est nobis. Verùm hac de re plura disserũimus in Cõfessione nostra Christiana, quare nihil est, q̃ nũc lõgiores esse velimus. Hoc tãtum dixisse sufficiat, q̃ nõ lege Moysi, verùm lege Christi Paulus iustitiam nostram circumscribit. Quę sit aũt lex Christi, docet nos idẽ ipse cùm ait, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi: legẽ Christi vocat charitatẽ, p q̃ fit, vt alter alterius onera portemus. Charitas. n. patiẽs est, & benigna. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Quamobrem & hoc q̃ dicis, Paulum promissiones salutis iustitiæ nostræ, non tantum extra legem constituere, sed etiam legi ipsi opponere. Verùm est de lege Moysi, non autem de lege Christi, cùm huic ab ipso Christo magnę sint promissiones cõstitutæ. Qui dixit, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mãsionẽ apud eum faciemus. Potest ne maior esse vlla, quàm sit hęc promissio? Magistrum aũt suum secutus dilectus illius discipulus, si diligamus, inquit, inuicem, Deus in nobis manet, Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Vides Lasce, quales promissiones factæ sunt legi Christi, quæ charitas est? Tuam igitur insciti am agnosce, qui cùm tantus videri Magister velis, nõdum scis, quod sit inter Mosi legem & Christi discrimen. Sed item ratiocinatur Lascus

Si Hosij argumentatio procedere debeat, vt omnem verbi diuini doctrinam legis duntaxat præcepto ἀναχεφαλαιῶσθαι de dilectione ineludamus, eò quod Paulus finem ac scopum totius in dilectione constituit, cur & nobis vicissim aduersus Hosij theologiam argumentari non liceat, vt ostendamus, non tam equidem in nostra inuicem dilectione, quam potius in donato nobis gratuitò a patre Deo Christo Domino positam esse omnem verbi diuini doctrinam salutarem. Siquidem idem ipse Paulus, Christum Dominum perinde atq; nostram inter nos dilectionem, ne dicam euidentius multò legis totius finem ac scopum esse docet.

Contra quem autem pugnans Lasce? Contra Paulum ne, an contra Hosium? hoc enim ostendere velle videris, quòd contraria sibi Paulus dixerit. Qui cùm scripserit vno loco, Finis præcepti est charitas, scripserit alio, Finis legis est Christus. Pugnantia Paulus loquitur, si Lasco credimus. Quid huic homini facias, qui sic est inflatus sensu carnis suæ, vt non dubitet arguere Spiritum sanctum, quem fuisse per Paulum locutum, certum est & indubitatum, quasi contradicat ipse sibi? Sed non cõtradicit ipse sibi Paulus Lasce, neq; pugnant hæc inter se, finis præcepti charitas, & finis legis est Christus ad iusticiam omni credenti. Quò magis autem intelligas, nullam hic esse pugnam, paucis rem accipe. Legi fuerat propositum, iusticiam hominibus conferre, verùm imbecillior fuit, quàm vt id præstare posset, nihil enim ad perfectum adduxit lex, ducebat igitur homines ad Christum. Hunc aliquando venturum promittebat, hũc figuris quibusdam & cæremonijs adumbrabat, nec aliud crepabat, quàm futurum olim, vt ipse iusticiam, ipse salutem hominibus conferret, & quod impossibile erat legi, mittens Dei filium suum, damnaret peccatũ in carne. Vt iustificatio le-

Galat. 3. Matth. 11. Psal. 118. Rom. 5.

Psal. 17. Matth. 22.

Rom. 13. Galat. 5. 1 Tim. 1. Colos. 3.

Galat. 6. 1. Cor. 13.

Ioan. 14.

1. Ioan. 4.

Cap. 68.

Heb. 7.

Rom 8.

gis impleretur in nobis. Fuit itaq; finis legis CHristus. Nã & figuræ & cęremonię legis, tum & scripta prophetarum omnia, nõ alio referebantur, nec aliud nobis renunciabant, quàm venturum Christum, qui mederetur morbis peccatorum nostrorum, & nos ab illis liberatos pristinæ sanitati restitueret. Quæ esset autẽ ista sanitas, non tacuit lex, cuius omnis doctrina non aliò referebatur, quàm ad sanitatem hanc, quæ charitas est, nobis demonstrandam, vt non minus rectè finem præcepti charitatem, quàm finem legis Christum Paulus esse diceret: Quod medicus noster esset Christus, sanitas verò nostra, charitas. Hucigitur pręcepta legis omnia respiciebant, vt nobis ostenderent, non aliam esse sanitatem nostram, quàm charitatem, & eandem esse iusticiam nostram. Quam vt consequi vellemus, credere nos in Christum, ad eum supplices confugere, & ab eo sanitatem hanc expectare debere, quam ostendebat quidem lex, verùm non præstabat. Solum itaq; Christum esse, per quem eam adipisci nobis liceret. Quod is non solum verbo, verùm & factis ipsis, exemploq; suo charitatem hanc nobis inculcaturus, quin etiam per Spiritum suum sanctum, eam in cordibus nostris esset diffusurus. An autem non præstitit hoc finis legis Christus? Ille verò cùm expansis in cruce manibus suæ benignitatis erga nos affectum moriens demonstrasset, tanta vicissim sui charitate credentium animos inflammauit, vt qua nihil ante passum illum & mortuum pro nobis, viris etiam sanctis terribilius fuerat, ipsam quoq; mortem contemnerent, ac ludibrio haberent, nec vlli tanti potuerint cruciatus excogitari, quàm non forti animo tolerarent potius, quàm ab ipsius fide desciscerent. Ac reperire plerosq; licuit, qui voluntarij, summa cum animorum alacritate tantis cruciatibus istis, quin & horrendæ morti sese offerrent, nec minore cum gaudio, ad quæuis pro Christi nomine perferenda supplicia, quàm ad epulas delicatissimas mortales alij connolarent. Hoc nobis præstitit finis legis Christus, præstitit inquam nobis finem præcepti charitatem, quæ salus est animæ nostræ. Prior ipse dilexit nos, prior ille calicem amaræ passionis bibit pro salute nostra, quò sic amati ab illo, vicissim amaremus illum, & amantes amplius amari mereremur. Hoc à nobis ipsis habere non potuimus, verùm, nec à lege, quæ fuit imbecillior, quàm vt conferre nobis posset. Ostendebat illa quidem, & monebat, sed solus fuit finis legis Christus, qui non modò verbo doceret, exemploque suo demonstraret, & ad eam inuitaret, verumetiam per Spiritum suum sanctum in cordibus nostris diffunderet finem præcepti charitatem, quæ iustitia nostra, quæ sauitas est animæ nostræ. Neque enim à morbis peccatorum nostrorum aliter nobis liberari licuit, quàm per eam, quæ multitudinem eorum operit charitatem. Iam ne intelligis, quomodo finis legis Christus, & quomodo finis præcepti charitas? Etiam iusticia nostra Christus est, factus est enim nobis, ait Paulus, Sapientia & iusticia sanctificatio & redemptio, neque tamen propterea non est iusticia nostra charitas. CHRISTVS est ea iusticia, quæ nos iustos facit: Charitas est ea iusticia, qua nos iustos facit, dum eam diffundit in cordibus nostris. Ad eundem modum, CHRISTVS est finis legis, eum enim lex prænunciabat venturum, vt nos pristinæ sanitati restitueret. Charitas est finis præcepti, quòd omnia præcepta legis non alio referebantur, quàm ad charitatem, quæ sanitas esset animæ nostræ. Quam sanitatem non per alium, quàm per summum illum medicum nostrum CHRISTVM consequi nobis liceret. Et certè cùm sit scripturæ locus manifestus, quòd Deus charitas est, quisquis charitatem sibi ponit finem, Deum sibi ponit finem, vt perinde sit dicere, Finis legis CHRISTVS, qui est Deus noster, & finis præcepti est charitas. Vindicatus itaque iam est Paulus à censura Lasci, cui nos libenter concedimus, in donato nobis gratuito à patre Deo, CHristo Domino, positam esse omnem verbi diuini doctrinam salutarem. Sed negamus propterea reprehendi Paulum meritò posse, quòd finem ac scopum totius legis in dilectione constituit. Est ita, Donatus est nobis CHristus nullis nostris præterquàm gehennæ meritis præcedentibus, per quem salutem nobis consequi liceret. Hoc vniuersa lex, hoc docent omnes Prophetæ. Sed illi ipsi docent hoc quoq;, quòd idem ille Christus hanc salutem esset nobis largiturus, charitatem nos docendo, charitatem erga nos demonstrando, ad charitatem exemplo suo nos inuitando, charitatem cordibus nostris infundendo. Itaq; sicut de saluatore, sic de modo salutis nobis impartiendæ, plena lex, pleni sunt libri prophetarum: nec alius fuit eorum scopus, quàm docere, quod Christus charitatem suam erga nos demonstrans, per eandem nobis infusam nos regni sui cohæredes esset facturus. Sed non quiescit adhuc Lascus, nec desinit oppugnare sententiam hanc Pauli, quòd finis præcepti est charitas.

Alibi rursus, inquit, ad Ioannis Baptistæ testimonium de Christo Domino alludens, negat ab vllo homine vnquam Deum aut esse visum, aut videri etiam posse, nedum vt nos vlla nostri inuicem dilectione, vt eum videamus efficere possimus. Sed explenitudine Christi Domini, nobis à patre donati, petere nos atq; expectare oportet, quicquid omnino in verbi diuini doctrina verè scire, aut docere postulamus. Quo pacto igitur omnem verbi diuini doctrinam in vnico hoc verbo, Dilige, positam dicit Hosius, cùm ne dilectionem quidem ipsam inter nos mutuam nosse etiam vere negem habere possimus, nisi patefacta nobis prius, ex Christi nobis gratuito donati plenitudine verbi diuini doctrina de ipsa dilectione.

Hæc verò maioribus etiam sunt, quàm illa priora tenebris obfuscata. Neq; verò capiat quemquam admiratio, nam & ipse quæ scribit nõ intelligit: nec aliud esse videtur eius oratio, quàm scopæ qd' est in prouerbio dissolutę, adeò nihil est in ea quod cohæreat. Quorsum enim hoc qd' ex Paulo citat, Deum nõ videri. Aut qd' ex plenitudine CHristi Domini nobis à patre donati, petere nos atq; expectare dicit oportere, quicqd omnino in verbi diuini doctrina verè scire aut docere postulamus. Quasi verò quisquam sit mortalium, qui negare hoc. Nos verò, nihil profitemur libentius, quàm quòd vnus est, qui cathedram habet in cœlo Magister noster IESVS CHristus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ

1. Tim. 6.

absconditi. Ipse est sapientia nostra, ipse est illuminatio nostra, ipse nisi nos intus docuerit, frustrà cuiuscunq; tandem hominis quamlibet docti, quamlibet sancti foris lingua perstrepit. Ipse per Prophetas, ipse per Apostolos, ipse per Ecclesiam suam, ipse per sanctos illius Doctores, & verbi sui prædicatores nos docuit, docet, docebit semper. Ipse est de quo testimonium de cęlo prolatum fuisse legimus, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, hunc audite. Quamobrem libenter tibi cõcedimus, quod ex Christi plenitudine petere debemus, quicquid scire postulamus. Nemo Christianus hoc vnquam iuerit inficias. Sed quid tum posteà? Num quia Deum nemo videre potest, aut quia de plenitudine Christi nobis omnis est petenda scientia, ideò finis pręcepti non est charitas? ideò verbi diuini doctrina, nõ in vno potissimum verbo consistit Dilige, nec in eo pendet lex & prophetæ? Quale est hoc per Deum immortalem collectionis genus? Nemo pius contradixerit ei, quod abs te verè dictũ est, nisi patefacta prius ex Christi gratuito nobis donati plenitudine, verbi diuini doctrina de ipsa dilectione, eam nec nosce nos, nec habere posse. Sed num falsum est propterea, quòd in hoc vno verbo, Dilige, pendet lex & Prophetę? Cùm pręsertim non aliud à Deo petendum esse nobis arbitremur, quàm vt ille doctrinam hanc de dilectione patefacere nobis velit, quam vbi consecuti fuerimus, nihil eorum nos latebit, quæ sunt ad salutem necessaria, quemadmodum in alijs libris nostris, copiosè per nos demonstratum est. Quin & ad cognoscendum Deum permultum ea res adfert momenti, si quis ardenti sit studio. Quod etiam ille testatur, qui dixit: Qui vult habere noticiam Dei, amet. Fruſtrà accedit ad legendum, ad meditandum, ad prędicandum, ad orandum, qui non amat. Amor Dei, amorem animæ parit, & eam attendere sibi facit. Et in alio quodam libro dicit idem: Diuinarum scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamq; doctrinã, sine vllo errore cõprehendit, & sine vllo labore custodit, cuius cor plenum est charitate. Dicente Apostolo: Plenitudo aũt legis est charitas: Et alio loco, Finis aũt legis est charitas. Si ergo non vacat oẽs paginas scripturarum euoluere, tene charitatem, & in ea inuenies oẽm scientiam. Quid est aũt pręcepti finis, nisi præcepti adimpletio? Quid est præcepti adimpletio, nisi legis plenitudo? Quod ergo ibi dixit plenitudo legis est charitas, hoc etiã hic dixit, Finis præcepti est charitas. Ac nõ nullis interiectis, Si non vacat oẽs paginas sanctas perscrutari, omnia volumina sermonum euoluere, omnia scripturarũ secreta penetrare, tene charitatem, ibi pendent omnia: ita tenebis qd' ibi didicisti. Si. n. nosti charitatem, aliqd nosti: vnde & illud pendet, qd' fortè non nosti. Et in eo, qd' in scripturis intelligis, charitas patet. Et in eo quod non intelligis, charitas latet. Ille itaq; tenet, & quod patet, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Et enarrans Psalmum septuagesimũ nonum, Quomodo inquis, ero plenitudo scientiæ? Quis hoc implet? Habes vnde impleas. Plenitudo legis charitas. Noli per multa ire atq; distendi. Terret te ramorum diffusio, radicem tene, & de magnitudine arboris noli cogitare. Sit in te charitas. Et necesse est, plenitudo scientiæ consequatur. Quid. n. nescit qui charitatem scit? quandoquidem dictũ est, Deus charitas est. Quid apertius dici potuit ad sententiã nostram confirmandam? Itaq; nihil est, qd' simus longiores in ijs confutandis, quæ non intelligere nos ingenuè fatemur. Nec dubitamus etiam, ab ipso qui scripsit Lasco non intelligi. Qui certè non potuit magis aptam inscriptionem libelli sui facere, quàm est hęc de oppresso Dei verbo. Quis. n. vnquam, vt illud opprimere posset, magis quàm ipse laborauit? Est aũt verbum vllum in vniuersa scriptura magis expressum, quàm sit hoc, Finis præcepti charitas, Plenitudo legis est dilectio, In verbo, Dilige, pendent lex & Prophetæ? Tamen & hoc verbum, tam clarum, tum apertum, tam dilucidum, vt ne sol quidem ipse magis clarus & dilucidus esse videatur, quibus verborum suorũ inuolucris implacere, quibus tenebris infuscare Lascus non conatur? Quanto studio contendit & elaborat inimicus iste charitatis, & hostis vnitatis, vt illud opprimere queat? Verùm irriti cadent conatus eius omnes. Sicut alia pleraq; omnia, sic & hoc pręclarè dictum est ab Augustino, Quomodo oleum à nullo humore præmitur, sed diruptis omnibus exilit & supereminet, sic & charitas non potest premi in ima, necesse est vt ad superna emineat. Propterea de illa dicit Apostolus, Adhuc supereminentem viam vobis demõstro. Sed cùm semel charitati bellum Lascus indixerit, & hoc illius præconiũ ferre non potest: Quamobrem iterum cum Paulo litigat, quod is ausus fuerit anteponere fidei charitatem.

Coloss. 2. 1. Cor. 1. Psal. 26. Matth. 17.

Aug. in Manuali cap. 20. De laudibus charitatis, sermon. 39. de tempore. Rom. 13. 1. Tim. 1.

Et hoc inquit scire ex Hosio velim, Num idem etiam legi diuinæ includat? dum deos nobis alienos coram facie Domini habere, dum nullum illius simulachrum, siue in cœlo superne, siue hic in terra sub cœlo, siue sub terra in aquis facere & colere, verbis expressis prohibemur. Si negat Christo hic Domino, non mihi respondeat, qui vt ipsam legis totius ἀνακεφαλαίωσιν ex Moyse recitatam probat, ita eiusdem ipsius Moisi explicationem Satanæ se tentanti opponit, Dominum inquit Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Aut igitur neget Hosius fide imprimis coli Deum, vt fidem legis totius prædicto compendio excludat, aut fateatur fidem in illo æque atq; dilectionem ne dicam magis multo requiri, quatenus sanè, idem ipse Paulus, Qui charitatem fidei alibi certa quadam ratione anteponit, quam & nos libenter amplectimur, id quod non ex fide esset, peccatum esse, ac proinde Deo placere non posse pronunciat, quicquid illud omnino esset. Et Christus ipsemet Dominus etsi multis elogijs dilectionem ornet passim atq; etiam inculset, non tamen ita illi salutem nostrã alligat, quemadmodum fidei facit. Qui credit, inquit, habet vitam æternam. Ac vicissim, qui non crediderit, condemnabitur. Videmus igitur vanum esse quod vrget Hosius: Omnem verbi diuini doctrinam in vnico verbo Dilige positam esse.

Tract. 6. in Ioan. 1. Cor. 13.

Satis tu quidem verbis Lasce, nec tamẽ scitis quid velis explicas. Nos verò fidem diuinę legi libenter includimus, quodq; Ioannes Chrysostomus olim scripsit, asserimus & nos. Fidem originem esse iustitiæ, caput sanctitatis, principium deuotionis, fundamentum religionis. Nullus vnquam sine hac dominum promeruit, nullus absq; illa fastigium sublimita-

In hom. de fide, spe, & charitate.

tis

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis ascendit. Est enim fides, innocés ac pura credulitas, qua ad Deum accedimus, qua præceptis insistimus, qua expiata mente dominum veneramur, Hanc qui tenet, fœlix est: qui deseruit, miser: hæc amplexanda nobis est semper, hæc mentis virtute tenenda. Per illam venimus ad Christum, per illam pergimus ad Deum, per illam properamus ad cœlum. Hanc
Lib. 4. in Ioã. c. 9. Ser. 53. de temp. & Cyrillus ianuam & viam in vitam, & recursum quendam atq; reductionem esse dicit à corruptione in immortalitatem Huic etiam Augustinus testimonium hoc perhibet, quòd hæc est porta vitæ, hæc ianua regni, per ipsam discitur veritatis scientia, & percipitur cognitio diuinitatis, per ipsam gratiã Dei inuenimus, quia sine fide impossibile est placere Deo.
Lib. 2. Strom. Verè enim beatus est, qui & rectè credendo bene viuit, & bene viuendo fidem rectã custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus bonis, ita nihil proficiunt opera sine fide recta. Et qui præcessit hos omnes Clemens Alexand. primam ad salutem inclinationem, fidem esse dicit. Sed quorsum attinet patrũ ea de re testimonia recensere? Nos quin sua fidei laus tribuatur, non impedimus, sed reprehendi Paulum, qui vocat hãc supereminentiorem viam, & non ita multis interiectis disertis verbis, ita loquitur: Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior aũt ijs est charitas: Id verò ferendũ esse non putamus. Excellens est fidei donum, nec minus excellens spei, sed quanta sit charitatis excellentia, vel ex eo coniecturam facere licet, quòd ille dilectus Christi discipulus non putauit eam pro dignitate prædicari satis posse, nisi diuino quodã afflatus numine, prorumperet in hæc verba: Plus charitas est.
1. Ioan. 4. Huic igitur cùm tu detrahis Lasce, cui nisi Deo detrahis ipsi? nec te charitatis magis quàm ipsius hostẽ esse Dei declaras. Vbi aũt dixit scriptura, Deus est fides, sicut eam disertis verbis dixisse legimus, Deus est charitas? Et adhuc de charitatis excellentia dubitabimus? Et plus habebimus fidei, nescio cui fanatico, tam apertis scripturarum testimonijs contradicenti, quàm sancto spiritui per electum vas suum dicenti. Quòd hæc est supereminentior via, qd fide maior est, & spe charitas, quàm etiam ipsi Christo, qui dilectionis mandatum maximũ,
Matth. 22. & primum vocat mandatum. Illud ipsum, qd ex lege profert Lascus testimonium, apertè sententiam eius oppugnat. Nam in ijs ipsis locis, quæ citat, non fidem à nobis Deus, verùm
Exod. 20. & Deut. 5. dilectionem exigit. Sic. n. loquitur: Ego sum Dñs Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Nõ facies tibi sculptile, neq; oẽm similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, nõ adorabis ea, neq; coles. Quid aũt colendi verbo significare voluerit, paulò pòst explicat, dicens: Ego. n. sum Dñs Deus tuus fortis, zelotes, reddẽs iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem ijs qui oderunt me, & faciens misericordiã in multa millia diligentibus me. Non dixit, credentibus, sed diligentibus, apertè demõstrans se non alium quàm dilectionis cultum exigere. Quod etiam indicat, cùm se dicit esse Deum Zelotem. Zelores aũt, siue Zelotypus is dicitur, qui qd ipse concupiuerit, eo potiri alterum non vult. Talem itaq; se dicit esse Deus, non modò non præferri, sed nec exequari sibi quicquam in amore patitur. Quò magis aũt planum fiat, quòd charitatis cultum à nobis Deus exigit in eo, qd statim sequitur Deuteronomij capite, sic loquitur: Audi Israel Dñs Deus noster, Dñs vnus est. Dilige Dñm Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota
Epist. 120. cap. 18. fortitudine tua: Non dixit, Crede quòd vos nunc tantoperè solum vrgetis, sed dixit, Diligite Dominum Deum tuum. Præclarè dictum est ab Augustino, quod pietas Dei cultus est: Pietas autem inchoatur timore, perficitur amore. Timorem parit in nobis fides. Nam quando promissis & comminationibus Dei credimus, non possumus non metuere, ne vel illis excidamus, vel in has incurramus. Indè nascitur quædam pietas, quam posteà perficit charitas. Non colitur igitur Deus, sicut ab eodem Augustino scriptum est, nisi amando. Libet autem
Vbi supra & epist. 29. tem ad ea omnia diluenda, quæ proferuntur à Lasco, verba proferre Augustini, quę videntur ad caussam hanc esse valdè accommodata. Quod autem, inquit, hic ita dixit: Hoc est
Hom. 83. in Ioan. mandatum meum, velut non sit aliud, quid putamus fratres mei? Nunquid nam solum eius de ista dilectione mandatum est, qua diligamus inuicem? Nónne est & aliud maius, vt diligamus Deum? aut verò de sola nobis dilectione mandauit, vt alia non inquiramus? Tria certè commendat Apostolus, dicens: Manent autem fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum charitas. Etsi in charitate, hoc est, in dilectione concluduntur duo illa præcepta, maior tamen dicta est esse sola. De fide igitur nobis quàm multa mandata sunt? quàm multa de spe? Quis potest cuncta colligere? Quis enumerando sufficere? Sed intuemur, quid ait idem Apostolus: Plenitudo legis est charitas. Vbi ergo charitas est, quid est quod possit deesse? Vbi autem non est, quid est quod possit prodesse? Dæmon credit, nec diligit: nemo diligit, qui non credit. Fruſtrà quidem, sed potest sperare veniam, qui non diligit: nemo autem potest desperare qui diligit. Itaque vbi charitas est, ibi necessariò fides & spes. Et vbi dilectio proximi, ibi necessariò etiam dilectio Dei. His AVGVSTINI verbis discussæ iam sunt quæstiones, quas nobis proposuit Lascus. Et quamuis alia quoque sit causa, quamobrem PAVLVS fide & spe charitatem maiorem esse vult,
Iacob. 2. tamen & hæc est non postrema. Quòd vbi charitas, ibi necessariò est & fides, & spes. Fides
Marc. 1. 5. autem esse potest absque charitate. Nam & Dæmones credunt & contremiscunt. Et Dæmones dixerunt CHRISTO, Tu es filius Dei altissimi, scimus quod sis sanctus Dei. Confitentur Dæmones, quod non credebant homines. Illi tremuerunt, homines occiderunt. Quid autem? Num quia dixerunt Domino, Tu es filius Dei altissimi, ideo regnaturi sunt cum filio Dei? Quod PETRVS dixerat, Tu es CHRISTVS filij Dei viui,
Matth. 16. totidem verbis dixerunt hoc ipsum Dæmones. Ille beatus propter fidei suæ confessionem dicitur, & Ecclesiæ fundamentum factus, regni cœlorum claues accipere meruit. Dæmones audiunt, obmutescite, & cùm idem quod PETRVS dixerint, repelluntur. Vna vox est, & eadem fidei confessio, sed DOMINVS radicem interroga

tionem florem. Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando. Vel ex hoc vno exemplo liquere cuiuis potest, quod sola fide nunquam Deus colitur, quæ communis esse potest pijs, cum ipsis etiam dæmonibus, sed ea tantum, de qua Paulus ait, Neq; circumcisio valet aliquid, neq; præputium, sed fides. Quæ fides? non sola vestra Lasce, sed quæ per charitatem *Galat. 5.* operatur. Hanc fidem non habent dæmones, non habetis vos, qui membra eorum estis hæretici, sed soli serui Dei, soli sancti Dei, soli fide filii Abrahæ, soli filij dilectionis, filij promissionis. Enarrans illum Pauli locum Augustinus, Pax fratribus & charitas cum fide. Si non *Lib. 50. homil. 17.* credãs, inquit, non amas. Ac incipit quidem Apostolus à fide, & venit ad initium, dicens: *Ephes. 6.* Pax, charitas cum fide. Nos verò dicamus, Fides, charitas, pax. Crede, ama, regna. Si enim credis, & non amas, adhuc non discreuisti fidem tuam ab eis qui tremebant, & dicebant: Filius es Dei altissimi, & sanctus Dei. Ergo tu ama, quia charitas cum fide ipsa te perducit ad pacem. Quam pacem? Veram pacem, plenam pacem, solidam pacem, securam pacem. Vbi nulla pestis, nullus hostis, vbi finis est omnium desideriorum bonorum. Quamobrem *Lib. 2. Stromat.* rectè Clemens Presbyter Alexandrinus, fidem appellat fundamentũ charitatis. Sicut aũt fundamenti nullus est vsus, nisi superstruxeris aliquid, sic & fidei. Quamuis itaq; sint ea verissima, quæ profert ex lege Lascus, quod inde tamen colligit, imprimis Deum fide coli. Si de sola fide vult intelligi, quę sit anima sua, charitate destituta, falsissimum est, nec aliud facere videtur, quatenus hoc affirmat, quàm quòd hæretici solent, vt per verba legis legem impugnet, cùm sicut iam est à nobis demonstratum, longè diuersum lex ipsa pronunciet, quæ Dei cultum in dilectione maximè consistere non obscurè indicat. Si verò loquitur Lascus de fide, quæ per dilectionem operatur, illa cum primis Deum coli, nunquam inficias iuerimus, nec erit, quòd hoc quidem nomine vel tria verba cõmutemus inter nos. Quam autem illud inconsideratè dictum est à Lasco, fidem in lege magis requiri, quàm charitatem, propterea quòd Paulus dicat: Omne quod non est ex fide, peccatum esse, neq; Deo placere posse, quicquid illud omnino esset, quasi verò charitas absq; fide esse posset. Charitas *Rom. 14.* nummi potest esse, & absq; fide, & cum fide, charitas qua de nunc agimus, Dei & proximi, absq; fide esse non potest. Nemo enim diligit, qui non credit. Itaq; vbi charitas est, ibi necessariò fides est, & spes: Contrà fides, non vulgaris aliqua, sed etiam ea quæ montes transferat, absq; charitate esse potest. Magis itaq; requiritur ea, quæ fidem in se includit charitas, quàm sola vestra fides. Celebris est Augustini vox hæc: Nihil amatur, nisi cognitum. Porrò sicut humanarum, sic diuinarum quoq; rerum cognitio fide comparatur. Nam quod o- *De Trinit. libr. 10. cap. 1. & 2.* lim dixerat Philosophus, oportet addiscentem credere, dixit idem æterna quoq; sapientia *Li. 1. posteriorum.* per electum vas suum, Accedentem ad Deum oportet credere: Et per Esaiam Prophetam, *Hebr. 11.* Nisi credideritis, non intelligetis. Non potest igitur ea, de qua nunc loquitur, charitas absq; *Esai. 7. iuxta 70.* fide subsistere. Verùm & Pauli locus hic citatur à Lasco, non de ea loquitur fide, de qua nunc sermo nobis est, verùm de conscientia. Si quis enim contextum capitis illius totius legerit, facilè perspexerit, verborum Pauli, non alium sensum esse, quàm quòd peccatum est, quicquid fit contra conscientiam. Hoc enim in eo capite monere Paulus videtur, vt quę dubitat aliquis ne faciat, nihil vt ad præsens institutum locus iste pertinere videatur. Sed aliunde quoq; probat Lascus, multò magis requiri fidem quàm charitatem: quod non ita charitati salutem nostram Christus alliget, quemadmodum fidei. Qui credit, inquit, habet *Ioan. 5.* vitam æternam: qui non crediderit condemnabitur. Poterat & illud addere, quod in Euan- *Marc 16.* gelio non vno loco dictum est à Christo: Fides tua te saluum fecit. Sed qualis fuerit illa fi- *Luc 7.* des, de qua CHristus ita loquitur, expendamus. Legimus apud Lucam, quòd cùm apud *Matth. 15.* Pharisæum quendam Christus manducaret, ingressa fuerit mulier quædam peccatrix in domum illam, & attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secùs pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Huic itaq; dixit Christus, Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te saluam fecit. Num autem hæc fuit sola fides, quam vos prædicatis? Num opera non accesserant? non ex alia quàm ex charitatis radice profecta? testatur hoc ipse Christus, qui priusquàm dixisset mulieri, fides tua te saluam fecit, dixerat ad Pharisæum, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit. Non ait, quia credidit multum, sed quia dilexit multum. Huic itaq; fidei, quæ per dilectionem operatur, lachrymis pedes rigauit, capillis terfit, labris osculata est, vnguento vnxit: huic inquam fidei, non illi soli vestræ tribuit Christus, vt mulierem hanc peccatricem saluam faceret. De hac fide dixit idem Christus, Qui credit in me, habet vitam æternam. Eum autem qui verba *Matth. 7.* sua audit, vnde fides nascitur, & ea non facit, viro stulto comparat. Seruo quoq; scienti vo- *Luc. 12. cap. 4.* luntatem Domini, & non facienti, non modò salutem non promittit, verùm vapulabit, inquit, plagis multis. Quem secutus Iacobus. Scienti, inquit, bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Quis autem alius dicendus est scire voluntatem Domini, scire bonum, quàm qui credit spiritui sancto, per amanuenses suos Prophetas, Apostolos, & Euangelistas dicenti, quòd hæc voluntas Domini, quòd hoc bonum est? Iam de principibus Iudæorum legimus in Euangelio, quòd multi ex illis in Christum crediderunt, qui tamen cùm hominum quàm Dei gloriam dilexissent magis, non sunt salutem consecuti. Quid autem illi, de *Matth. 7.* quibus dicit Christus, quòd in nomine suo prophetauerunt, quòd dæmonia ei ecerunt, quòd virtutes multas fecerant, an fide fuerant destituti? Certè nisi fidem habuissent, hæc tanta facere nunquam potuissent. Num autem ideo salui facti sunt? Quin audiuerunt illi terribilem CHRISTI vocem dicentis, Non noui vos, discedite à me operarij iniquitatis. Quod verò futurum est extremum illud iudicium, de fidelibus ne futurum est, an de infidelibus? Certè qui non credit, iam iudicatus est, inquit CHRISTVS. Futurum *Ioan. 3.* est igitur de fidelibus. Quorum itaque fides per charitatem operata est, audient *Matth. 25.*

exopta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

exoptatam illam iudicis vocem : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: quorum verò fides nihil est per charitatem operata, contrariam illi vocem horrendam sunt audituri: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Non dicetur eis, quia credidistis, necijs, quiæ non credidistis. Sed quoniam vtrique se credere sunt professi, dicetur illis: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi potum, &c. His autem, Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi bibere, &c. Vides quemadmodum non soli vestræ fidei, sed illi quæ per charitatem operatur: quin ipsis charitatis operibus merces à Deo tribuatur? Quod pluribus etiam scripturæ testimonijs confirmare possemus, cuius plenæ sunt omnes paginæ. Quod redditurus sit vnicuique Deus secundum opera sua, nisi vereremur ne hæc quoque quæ sunt per vos allata, nimis multa videri queant. Manifestum igitur est ex scripturis, quod non soli vestræ fidei Lascæ, sed charitati, quæ nunquam esse potest à fide disiuncta, salus à Deo promittitur, qua qui destitutus fuerit, audi quid de eo dicat Spiritus sanctus: Qui non diligit, inquit, manet in morte. Quamlibet se iactet aliquis, quod fidem habeat, sit ea tanta præditus, vt etiam montes transferat, expressum est Dei verbum, quòd, qui non diligit, manet in morte. Inuitis itaque portis omnibus inferorum, certum est hoc & indubitatum, quod non soli fidei, sed charitati, cuius inseparabilis comes fides est, æterna salus promittitur, quodque non aliud signum habere manifestius possumus, nos à morte transiisse ad vitam, quàm si diligamus fratres. Quod cùm ita sit, cùm ex dilectionis mandato legem & prophetas pendere dicat Christus, cùm finem præcepti, plenitudinem legis, vinculum perfectionis, charitatem vocet Paulus, cùm dilectus à Christo discipulus in illa sua aurea epistola, nihil nobis inculcet aliud, quàm charitatem: nec alia quàm hac sola nota discerni velit inter filios Dei, & filios diaboli: non is noster, sed Christi, sed Apostolorum, cuius doctrinam oppugnat, quicumque negat omnem verbi diuini doctrinam, in hoc potissimum verbo Dilige, positam esse. Verùm hic Lascum nos docentem audiamus, in quo consistat omnis verbi diuini doctrina.

Nos porrò docemus, inquit, omnem verbi diuini doctrinam consistere primum, in efficaci per Spiritum sanctum de bona Dei erga nos in donato nobis CHristo Domino voluntate, & complacentia testificatione. Quo sanè nomine Euangelium cum Paulo virtutem ac potentiam Dei salutarem esse profitemur. Deinde: In doctrina de fide, quam Deus à nobis ad attestandam nostram erga se gratitudinem requirit, ne inter obstinatos ac rebelles ipsius contemptores numeremur. Quo quidem etiam vniuersum verbi & sacramentorum ministerium spectare imprimis docemus. Postremò in doctrina de officijs omnium ac singulorum membrorum in Ecclesia, iuxta mensuram fidei cuiusque & vocationem. Quo equidem potissimum loco, mutuam inter nos dilectionem reponimus, vt sit vere nostræ fidei tam intra nos ipsos, quam extimè etiam apud alios, & in Ecclesia & extra Ecclesiam, iudex conspicuus & testis. Hoc nos ita inquam de dilectione mutua inter nos hic docemus.

Non possumus hoc differi, quòd in eorum sensu, quæ scribit Lascus, assequendo, plus à nobis laboris plerumque sumatur, quàm in refellendo. Vsque eo studet ille, ne quis quæ scribit intelligat. Itaque diuinare sæpè cogimur id, quod in hoc quoque loco facere necesse habemus. Quod si Lascus hoc vult dicere, doctrinam omnem verbi diuini in eo consistere: Primùm, vt Spiritus sanctus testificetur nobis, quòd habemus Deum propitium propter donatum nobis Christum Dominum, cui cùm proprio filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum, fieri non possit, quin cum illo simul omnia nobis donauerit: Deinde, vt huic spiritus sancti testimonio, quo pleni sunt omnes libri scripturæ Canonicæ, fidem habeamus. Postremò, vt sicut ipse Christus dilexit nos, & semetipsum tradidit pro nobis, ita nos vicissim ipsum, & proximum propter ipsum diligamus: neque dubitemus ipsi quoque, si quando res postulauerit, pro fratribus nostris animas nostras ponere. Si hæc est Lascæ verborum sententia, nos eam obuijs quod aiunt vlnis amplectimur, & ei gratulamur, quòd aliquando tamen Catholicam sententiã protulerit. Nam reuera scripturæ totius hic est scopus, quòd commendat in illa charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, ac ad eandem charitatem exemplo filij sui nos inuitat, quam tamen ipse per spiritum suum sanctum diffudit in cordibus nostris, vt amati ab eo vicissim amemus eum, & amãtes amplius amari mereamur. Hic si verborũ Lascæi sensus est, (quod nos diuinatione quadam assequi nobis videmur: Et quoniam de charitate sermo nobis est, quod illa suadet, eius hæc verba libenter in meliorem partem interpretamur,) aliud affirmare non possumus, quàm quòd nihil à nobis, nihil ab Ecclesia Catholica, de summa totius Euangelij sentit alienum. Quæ quidem hoc vno verbo comprehendi videtur, Dilige. Quod verbũ breuiatũ, super terram prior ipse Christus fieri nobis dignatus est, nec sermone magis quàm exemplo suo nos ad illud inuitat, quinetiam vt quod iussit præstare possemus, facultatem nobis ipse donauit.

Quæ sunt hactenus à Lasco scripta, principio quidem non aliò visa sunt pertinere, quàm vt Christi Paulique sententiam oppugnaret, qui legem & Prophetas in mandato dilectionis pendere, plenitudinem que legis & finem præcepti charitatem esse docuerunt. Sed postea tamen reueritus eorum authoritatem, in sententiam nostram pedibus iuisse videtur. Nunc ad alteram propositionis nostræ partem confutandam aggreditur, quæ sicut ab ipso proferetur, continebat hoc, Lascum & qui sunt eiusdem cum eo farinæ, tam longè à vero atque expresso Dei verbo abesse, etiamsi scripturas habeant, quàm longè absint, suis inter se dissidijs à mutua dilectione. Sed priusquàm de hac altera parte verba faciamus, quoniam dubiũ nõ est, multis admirationi magnæ futurum, quæ caussa Lascum impulerit, vt tanto studio charitatem oppugnaret, paucis eam esse duximus explicandam.

Docet

Rom. 8.
Ephes. 5.
1. Ioan. 3.
Rom. 5.
Rom. 12.

Docet hoc Augustinus, quòd hæretici possunt omnia cum Catholicis habere communia. Possunt habere scientiam, possunt habere Sacramenta, possunt cantare Halleluia, possunt respondere Amen, possunt Euangelium tenere, possunt in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti fidem & habere & prædicare, ipsa est charitas, quam si habere possent, hæretici esse non possent: neque enim diuidit vnitatem, quisquis habet charitatem. Itaque proprium hoc est donum Catholicæ vnitatis & pacis, nec eius in omnibus, quia nec eius sunt omnes. Nec Augustinus modò, verùm & Chrysostomus Charitatis neglectum omnes hæreses genuisse docet. Quod affirmat Ambrosius quoque dicens: Tertullianus & Nouatianus non paruæ scientiæ fuerunt, sed quia per zelum charitatis fœdera perdiderunt, in schisma versi, ad perditionem sui hæreses creauerunt. Sola est igitur charitas, quæ sicut Dei filios à Diaboli filijs, ita discernit Catholicos ab hæreticis. Hæc enim est, quæ non modò non inflatur, verumetiam in mortalium animis eam parit modestiam, vt alteri se præferat nemo, qui charitatis huius est donum consecutus, verùm in humilitate se potius alterum esse superiorem existimet. Hac se destitutos esse non ignorant hæretici, qui posteaquam segregauerint semetipsos inflati sensu carnis suæ, nihil sibi non arrogant, nihil cæteris non derogant, sibi lumen & intelligentiã scripturarum, sibi solis ita pietatem vendicant, vt qui tot seculis in sancta Catholica Ecclesia magna cum pietatis & constantiæ laude vixerunt, eos omnes nihil dubitent, aut cœcitatis, aut impietatis condemnare, qui aut nihil viderint in tam clara scripturarum luce, aut agnitam veritatem (quò nullum sacrilegium esse maius potest) amplecti noluerint, quin oppugnarint potius: nec alia de re magis contendunt & elaborant, quàm vt peruersa loquentes abducant post se discipulos, & seorsum ab Ecclesia Dei, suos sibi cœtus colligant: & euenit eis illud, qđ in psalmis legimus, Vocauerunt nomina sua in terris, vt dicatur, hæc est Confessio siue fides Lutheri, hæc Brentij, hæc Ioannis Caluini, hæc Ioãnis à Lasko. Cùm itaque conscij sibi sint, se fœdera charitatis rupisse, fudes est in eorum oculis verbum Charitatis, nec est quod eorum aures minus ferre possint. Quoties enim illud legunt aut audiunt, suam sibi diuisionem exprobrari putant. Nihil itaque miretur lector, si Laskus charitati tam atrox bellum indixit, à qua se quàm longissimè remotum esse non ignorat: neque enim ab hæreticorum instituto quicquam facit alienum. Nunc ad ineptias Lasci redeamus, quarum cùm nos pridem sit pertesum, non libet deinceps nobis eius omnia verba proferre, sed ea tantum, quæ ad rem facere videbuntur.

Lib. 3. de bapismo contra Donat. c. 16
Hom. 2. in 1. ad Timo.
In ca. 13. 1. ad Cor.
Phil. 2.
Actor. 20.
Psalm. 48.

Vi veritatis victus, donatis nobis tandem, Omnem verbi diuini doctrinam ex hoc vnico verbo, Dilige (sic enim ipse loquitur) æstimandam esse. Quærit autem ex nobis. Num hoc vnico verbo comprehendi simul putemus eam dilectionem, qua dominum Deum nostrum in toto corde, in tota anima, ac mente nostra diligere iubemur? Respondemus, Etiã. Quærit iterum: Num ex Dei dilectione potius proximi dilectioni, quàm Dei dilectionem è proximi dilectione æstimemus, vt non tam Deum propter proximum, quàm proximum propter Deum diligendum: nec tanti nobis proximi, quanti Dei dilectionem faciendam esse putemus? Respondemus, etiam. Duobus ijs concessis, colligit. Hactenus nobis proximi dilectionem obseruandam esse, quatenus id nobis diuinæ gloriæ dignitas, ac dilectio Dei permittit: Assentimur. Addit, si proximi dilectio aliquid in fraudem dilectionis Dei postulare quoquo modo videatur, magis multò nos ad Dei gloriam ac dignitatem nominis diuini retinendam, quàm ad proximi commodum atque obsequium attentos esse oportere. Concedimus. Subiungit. Si non esse veram dilectionem putemus, quæ Dei gloriæ, dignitati ac dilectioni non planè omni ex parte respondeat, se libenter assentiri, qui iam olim istiusmodi consociationes in nulla alio qui parte veræ dilectionis ponat, sed pro coniurata aduersus Christum Dominum, furum ac latronum conspiratione indubitato habeat. Verissimè dictum, & omnino talis est Lasci, & eius sectatorũ consociatio. Ostẽdi sibi porrò per nos vult, à nobis veram obseruari dilectionem, ac proinde apud nos, omnem verbi diuini doctrinam veram, ipsius que adeo expressum Dei verbum petendum, atque expectandum esse: contrà vero, se & suos ab ea vera dilectione abesse quàm longissimè, ac proinde nullum verbum Dei verè habere. Atqui nihil nobis est factu facilius. Veram enim & erga Deum & erga proximum dilectionem apud nos, vt Laskus loquitur, obseruari, clamant ædes tot sacræ, quę sunt in honorem Dei, tanto sumptu constructæ: clamant largitiones, in sacerdotes alendos, qui sunt Dei & Ecclesiæ ministri, quàm liberaliter factæ, per quos & cultus diuinus propagatur, & offensus peccatis nostris Deus persæpè mitigatur. Quin & in vasa aurea & argentea, reliquamque suppellectilem, vestrumad cultum diuinum pertinentium Clamant monasteria virginum & continentium, nec magis virorum quàm fœminarum, in quibus ex vtroque sexu quamplurimi sustentantur, casto Dei timore imbuuntur, cùm literis, tùm virtutibus excoluntur, & ad omnem pietatem exercentur, hymnodijs & psalmis dies noctesque Deum laudantes, & assiduè pro communi omnium salute misericordiam eius implorantes. Clamant Xenodochia, Ptochodochia, Nosocomia, Ierontoconia, Brephotrophia, Orphanotrophia, sic rebus & ad victum & ad amictũ necessarijs instructa, nihil vt degentibus in illis deesse queat. Quæ omnia singularem eorum, à quibus instituta sunt, & qui curam eorum gerunt, pietatem sic arguunt, vt quisquis ea viderit, quamlibet is dura fronte fuerit, negare tamen haud queat, quin vbi talia cernuntur, ibi vera sit dilectio Christiana.

Quæ potest autem vsquam gentium ostendi ciuitas, quam latè patet orbis Christianus, in qua tot, tam aperta signa verè Christianæ dilectionis huius videre liceat, quàm nos in hac vrbe non sine quadam admiratione contemplati sumus. Quod Paulus Apostolus, ad Timotheum scribens, obsecrat, vt fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & qui in sublimitate sunt: id, haud scio, an alibi magis, q̃ in hac vrbe, maiore cum deuotione frequentetur. Sunt in ea tres Ecclesiæ Patriar-

Romanæ Vrbis communi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

chales: sunt ferè viginti Collegiatæ. Habent suos Prælatos, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, qui sine intermissione, orant, psallunt, incruentum sacrificium offerunt, iram Diuinam placare contendunt. Sunt plusq̃ centum viginti Parochiales: sunt Monasteria ferè octuaginta: sunt præterea diuersa templa, Oratoria, siue Capellæ ferè centum: sunt Hospitalia ferè triginta, sunt Collegia sacerdotum: sunt societates diuersæ tam sacerdotum q̃ secularium personarum, pleræq; earum numerosissimæ, ferè octuaginta. Habent hic sua templa, Oratoria, Monasteria, hospitalia, præter nobiliores totius Italiæ ciuitates, singula etiam Regna, Galli, Hispani, Germani, Græci, Arabes, Armeni, Æthiopes, Indi, Dalmatę, Sclaui, Bosnenses, Illyrici, Angli, Vngari, Poloni, Bohemi, Suedi, Scoti. Nil aliud in omnib. istis tẽplis, capellis, societatibus, & collegijs videtur, nil auditur, q̃ cõtinuæ orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones: psalmi, hymni, cantica, prophetiæ, sanctorum laudes, certamina, victoriæ, coronæ, leguntur, cantantur, prædicãtur: signis, figuris, imaginibus, gestu, habitu, imitatione repræsentantur. Dies & noctes scriptura sacra legitur, officia Diuina peraguntur, Missæ celebrantur, sacrificia offeruntur, conciones varijs linguis habentur, populi docentur, Sacramenta administantur, Confessiones frequentantur, communiones celebrantur, colloquia deuota miscentur: iciunijs, orationibus, eleemosynis ira Diuina placatur, misericordia imploratur. Quædam ex istis loca, suos certos & constitutos habent redditus, quibus sacerdotes & ministri Deo & Ecclesiæ seruientes aluntur: sed multa quoq; sunt templa, monasteria, oratoria, societates, q̃ nullos certos habent redditus: sed symbola, prout cuiq; Dñs inspirauerit, ex suis priuatis opibus, conferunt, & ex his sacerdotes, concionatores, cantores, aluntur: tẽpla & oratoria noua construunt, ornãt: pleræq; etiam eleemosynas aliundè colligunt: eleemosynis viuunt, ex eleemosynis Ecclesiæ & ministerij sui necessitates supplẽt: & nihilominus tantum abest, vt ipsi egeant, vt nil etiam eorum desiderari patiantur, quæ vel ad ornatum pertineant: pleriq; etiam ex eleemosynis, eleemosynas faciunt, sæpè sibi detrahentes, vt proximorum necessitatibus subueniant. Deinde verò certum quoq; est, non aliũde certius, q̃ ex operibus veram dilectionem demonstrari, ad quam nos inuitat Ioannes dicens: Filioli, non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate. Porrò non alia sunt opera, quibus vera dilectio magis declaratur, q̃ ea secundum quæ iudiciũ facturus est in extremo die illo, cùm sederit super sedem maiestatis suæ, Dñs noster Iesus Christus, quæ quidem enumerat ipse dicens: Esuriui, & dedistis mihi mãducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus & visitastis me: in carcere erã, & venistis ad me. Quid autem horum non prolixius & liberalius in hac vrbe, quàm vsquam alibi præstatur? Vbi maior est in alendos pauperes benignitas? Præter illa triginta ferè ptochodochia, hospitalia, in quibus alicubi centum, alicubi ducenti, & trecenti, & quadringẽti alicubi, pauperes vtriusq; sexus & egeni, & morbis & languoribus oppressi, cœci, claudi, debiles, manci, læsi, vulnerati, recipiuntur, aluntur, vestiuntur, sustentantur, fouentur: suis tẽporibus, suis horis, suis momentis curantur, purgantur, vruntur, secantnr, à medicis, ministris, curatoribus, pharmacis, medicinis, somẽtis, & cæteris rebus necessarijs sanantur, prout cuiusq; valetudo postulat. Ac ne ea quidem, quæ ad salutem animæ pertinent, deesse permittuntur. Sacerdotes pij lectulis ægrotorum assidentes, consolantes, confortantes, ad patientiam, ad tolerantiam, ad plenam in Deum fiduciam adhortantes, sacramenta ministrantes, agonisantibus succurrentes, piam & honestam sepulturam procurantes, & animas defunctorum orationibus & sacrificijs subleuantes. Præter ista omnia, quæ alibi quoq; obseruantur, sunt in hac vrbe, vt dictum est, ferè octuaginta societates tam Ecclesiasticorum q̃ laicorum, in quas nomina sua dederunt, & S. R. E. Cardinales, & Duces, & Principes, Barones, Nobiles, Mercatores, Opifices, Agricolæ, Operarij, & reliquum quantumcunque vile genus hominum. Habent sua templa, oratoria, sacerdotes, ministros, officiales, statura, obligationes, congregationes, dies & horas ad laudandum Deum, & consulendum de proximorum necessitatibus constitutas. Aliæ ægrotos & indigentes in plateis, & in domibus etiam priuatis colligunt: vel ad domos priuatas, vel ad loca assignata deducunt. Aliæ priuatorũ ciuium ædes inuisunt, si qui fortè lapsi sunt facultatibus, & quo minus egestati suæ succurri petant, verecundia prohibentur, inter eos semel & iterum in hebdomada certũ frumenti numerũ diuidunt, ac pecunias etiã impartiũt: si filios vel filias habent, obseruant an in timore Dñi educãtur, quibus artibus, quibus studijs occupentur: ac vbi expedire iudicãt & filios, & filias aliqñ à proprijs parentibus auellunt, & alijs in timore Dñi nutriendos & educandos cõmittunt. Quædã etiã societates habent in libris descriptos eos, q in priuatis passim domibus habitãt, egẽtes & lãguentes, q ex aliquo casu, morbo, & dãno, iniuria, oppressiõe ad egestatẽ deuenerunt: ad quos statutis tẽporib. accedũt, cibis, potu, vestibus prouident, cæteraq; necessaria subministrant. Ab vna tantũ societate plures q̃ ducentas familias ad hunc modum sustẽtari, grauium virorum testimonio didicimus. Sũt aliæ quoq; societates, quarum opera prouidetur, vt q peregrè veniunt, & vbi caput suum reclinent, non habent, & per plateas oberrant, hospicio recipiantur: quibus etiam per octo nonnunq̃ & amplius dies necessaria suppeditantur, vestes resarciuntur, purgantur, lauantur, mundantur pedes illis ab ipsis aliquando Principibus sacco indutis, & à Romana nobilitate ferè semper lauãtur, inter quos sunt multi q sibi laudi gloriæq; hoc ipsum charitatis officiũ deputant, idq; solum maximè ambiũt, vt ad mensæ ministerium, ad ferendos cibos, sternendos lectos, exuendos peregrinos, lauãdos pedes, primas partes primaq; loca occupent: ad pietatẽ, ad deuotionẽ, ad cõmunionem, adhortantur: ad Basilicas vrbis, ad septem Ecclesias deducunt, martyria & sepulchra sanctorũ, loca insignia, miraculorũ monumenta ostẽdunt: & vt reconditiores sanctorum reliquias & imagines videant & adorent, procurant: libellos pios, coronas, imagines, discedentibus offerunt, & fraterno osculo salutatos dimittunt. Iam verò q morbis aliquibus laborant, quanto stu-

studio prospicitur, vt pristinam incolumitatem recuperare queant? Quibus curandis diuersa sunt loca cõstituta. Nam alius est, in quẽ recipiuntur ij, quorum non diuturnus fore morbus existimatur. Alius eorum qui plagas mortiferas acceperunt, alius q vlcere pessimo laborant, quibus oculi, nares, pedes, exesi: alius eorum quos curari posse spes nõ est: quam etiam ob causam Nosocomium illud, Incurabilium appellatur, quibus omnibus & de medicis & de pharmacis, & de cunctis rebus curandis corporibus necessarijs, quantum satis est, prouidetur, nõ ijs solũ qui in hospitali decũbunt, sed alijs etiã quibuscunq; egẽtioribus pharmaca ministrant: & ministrasse dicũtur aliqñ in vno anno fere quinq; millia personis. Est rursus alius locus, in quẽ conualescentes recipiũtur, ne iterum egestate & incõmodo aliquo superueniẽte, in morbos recidant, ac vitę periculum incurrant: quorum ipsorũ quoq; cura singularis habetur. Sed & de ijs q carceribus inclusi sunt, nõ desunt, q̃ sollicitudinẽ gerant, societates: quò & victus illis suppeditetur, & quatenus id fieri possit, viæ rationesq; reperiantur, quibus carcere soluti in libertatẽ vendicari queant. Alunt stipendijs suis aduocatos, procuratores, solicitatores, q causas carceratorum agant apud Iudices, ne iniquis iudicijs opprimantur, ne nimijs expẽlis grauẽtur, ne sint prædę potẽtioribus, ne sorde & squalore contabescãt. Missas haberi singulis diebus in carcere, Litanias & orationes fieri procurant: egentibus victum subministrant, & vt causæ citò cognoscantur & expediantur, laborant. Fiunt etiam singulis mansibus carcerum visitationes: vbi recẽs carcerati examinantur, quare, à quo, detrusi sunt in carcerẽ: & si quid p iniuriam vel potentiam factum à quoquam deprehendunt, carceratũ liberant, & ad supremam potestatẽ de iniurijs referunt. Est vicissim alia Societas, cuius id officium est, vt quos ad vltimum trahi videt supplicium, eos comitetur & cõsoletur, ac ne magnitudine flagitiorum deterriti, cõsequendæ veniæ spẽ abijciant, hortantur: q etiam Christi crucifixi simulachrum ferentes, plectendorum oculis illud ingerunt: simul reducunt in memoriam, q̃ graue suppliciũ crucis innocens & immaculatus agnus ille pro nobis tulerit, quo patri suo cœlesti pro peccatis totius mundi satisfecit, vt nullum tam atrox & immane flagitium esse queat, cuius remissionem non rectè sperare liceat ei, q spẽ & fiduciam suam oẽm habuerit in cruce & morte Christi collocatam: quandoquidẽ hæc est meritum nostrũ, hæc est refugium nostrã, hæc est vita, salus, & resurrectio nostra. Quamobrem raptos ad supplicium diligenter monent, qñ sua non possunt, vt Christi pro nobis crucifixi merita, ad Deum Patrẽ allegent, & satisfactioni illius innitentes, forti atq; alacri animo, quam se cõmeruisse sciunt, mortem oppetant, latronis illius memores, q cùm & ipse, ppter nõ dissimilem causam in crucẽ actus fuisset, posteaq̃ in Christum prope se crucifixum oculos defixit, illiusq; misericordiã implorauit, è vestigio paradisi ciuis effectus est, & sempiterna gaudia consequutus. Neq; verò finibus his tantùm, circumscribitur eorum dilectio, quos in eo quem adduximus Euangelij loco, notatos legimus: nequaq̃ isti sibi satisfaciũt, si charitatẽ in viuos tantum exerceant, etiã vita functis omnia Charitatis officia cumulatè pstant. Est societas, q̃ vulgò dicitur, de morte, cui curę est, vt corpora defunctorũ etiã eorũ q vel sunt laqueo strãgulati, vel gladio percussi, vel alio supplicio quopiam affecti, sepulturę mandentur, & Christi mediatoris pro illis sacrificium offeratur, ac supplices ad Deum preces fundantur, vt remissis peccatis, requiem eis donet sempiternam. An verò hæc magna non sunt veræ dilectionis indicia, q̃ non viuis magis q̃ mortuis præstatur: q̃ quamuis in alijs etiam ciuitatibus, Catholicis pstertim, videre liceat, nusquam tñ vel plura vel eminẽtiora sunt, q̃ in hac vrbe: ex qua etiã ad alios populos hæc exẽpla manasse dubium non est. Est aũt dictu mirum, q̃ hæc in hac vrbe frequententur, q̃ sit in ea multorum pietas, q̃ ardens in proximos charitas: qua q maximè p cæteris pditi sunt, ij vel maximè latere cupiunt, dum nil est quod magis metuant, q̃ vt illud Euangelicum in eos rectè quadrare possit: Amen dico vobis, receperunt mercedẽ suã, si fortè laudem sint aliquã ex his q̃ piè fecerunt ab hominibus cõsequuti. Quoties itaq; dant eleemosynam, ita dant, vt nesciat sinistra, quid fecerit dextera: nec ferè quis q̃ vndè sit ea, pfecta satis exploratũ habeat. Vsu nonnunquam in Ptochodochijs & Nosocomijs quibusdam eueniss dicitur, vt cùm ij, quibus eorum cura mandata est, posteaquam pecunia se defici videbant, de numero eorum, quos alebant, minuendo, cogitationem susciperent, postridie mox eius diei mille, quin & duo millia aureorũ in arca reperta sunt, q̃ pridie eius diei vacua visa est, neq; tñ interea sciret quisq; à quo fuerit hæc tanta pecuniæ summa suppeditata. Sed & hoc à fide dignis audiui mus affirmari, quod in eo nosocomio, quod vocatur Incurabiliũ, singulis sabbatis in cista cẽtum auri, ab vno aliquo, papyro inuoluti & impositi reperiuntur. Anno verò sancto quẽ Iubileum vocant (quẽ verè sanctum propter incredibilem hominum deuotionem & pietatem à multis seculis inauditam vocare possumus) cùm ad vnũ tantum Hospitale sanctissimæ Trinitatis, decem, vt audio, peregrinorum millia ex diuersis orbis partibus, vno die ferè subitò eõfluxissent, ita vt panes apud pistores, q tantis hospitibus sufficerent, nõ reperirentur, & magna propterea cura & sollicitudine premerentur Hospitalis procuratores, è vestigio tanq̃ è cœlo delapsi viginti aut triginta equi antè fores apparuerunt, panibus onusti: quibus depositis discesserunt: nec sciri potuit vndè venissent, aut à quo missi essent: idẽ de vino nonnunq̃ accidisse memoratur, & de frumento. Venisse etiam aliq dicũtur in peregrinorum specie, vt illam tantám nobilitatis Romanæ in pauperes curam & sollicitudinẽ, humilitatem illam in omnium necessitatibus procurandis oculis ipsi suis viderent. Recepti & ipsi sunt, phumaniter tractati, abluti. Postridie cùm discederent, trecentos, & quadringentos aureos eleemosynæ loco reliquerunt, & ignoti abierunt. Quidam viri etiã Illustrissimi saccis induti, facie tecta ostiatim ad aliorũ principem domos eleemosynam petituri accedebant, & vesperi, quingentos & sexcẽtos quandoq; aureos ad hospitalis Procuratores reportabant. Scimus nõ neminem nobilẽ Romanum, virum pium, nostræ pciuè nationis peregrinos pauperes, in domum suam propriam sæpissimè recepisse, in plateis inuẽtos ad se deduxisse, non solum tecto,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed etiã mẽsa, lecto, excepisse: ad mẽsam, cum vxore liberis, familia, ministrasse: nec satis hoc, etiã eos vestiebat, sordes, immũditias ablui curabat, pãnos laceres sarciri curabat, manus singulorũ osculabatur, pedes abluebat, eleemosynas dabat, nec antè cibũ sumebat, q̃ hospites suos saturaret, & de cęteris vitæ cõmoditatibus prouideret. Referebant etiam ex ijsdẽ peregrinis plurimi, q̃ sæpissimè noctu ex suo hospitali, viginti & plures, à quopiam sacco induto vocarentur, & ad domũ quandã deducerẽtur, vbi mensa lautissima excipiebantur, ipso dño & ministris saccis indutis, & facie tecta, summa cum humilitate ministrantibus: post cœnam singulorum pedes abluebantur, &, eleemosyna in singula capita distributa, dimittebantur. Quis aũt cõmemorare posset omnia, q̃ publicè à diuersis congregationibus & societatibus geruntur? Quotidianas illas processiones, supplicationes, repræsentationes, eleemosynas, preces, lachrymas, quas oculis nostris non sine stupore vidimus. Integræ societates nudis pedibus ex diuersis Italiæ partibus ad vrbem accedebant: corpus suum ferreis catenis, aut funiculis nodosis ita castigantes, vt sanguis ex scapulis in terram vsq; deflueret, ita vt nobis illud aliqñ cogitare in mentem venerit, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Sed hæc vnius tantum sunt temporis: neq; dubium est, quin eius generis alia plurima facta sint, & fiant adhuc, q̃ nondum ad aures nostras peruenerũt. An aũt et hoc ad veram dilectionẽ nõ pertinet? Quod cùm animaduersum fuisset p fœneratores Iudæos, à Christianis fœnus ingens exigi, & eorum plurimos p hunc modum oppressos, & ad extremam egestatẽ redactos esse, inuenta est ratio, qua huic quoq; malo obuiam veniretur, & locus quidã est designatus, quem visum fuit Montem pietatis appellare, in quo iuxta præceptum Christi mutua daretur indigẽtibus pecunia, nec inde quicq̃ speratur. Quale aũt est hoc, q̃ etiã Catechumenis & neophytis locus quidam est cõstitutus, in quo publicè aluntur, & mentes eorũ salutiferrimis Christianæ religionis præceptis imbuuntur. Habent masculi suos magistros, à quibus instituuntur: habent & feminellæ, nobilem quandã matronam, q̃ nil curæ, studij, diligẽtiæ p̃termittit, ne quid eorum ignorent, q̃ necessaria sunt Christianis ad salutem æternam comparandã. Quanta verò est & hæc pietas, quod multæ virgines in cœnobijs aluntur, quibus cùm nubiles factæ fuerint, dẽ dote prouidetur, qua possint honestis viris matrimonio copulari. Sunt præter priuatos innumeros vltra viginti societates, q̃ elocandis tantum eius generis puellis operam nauant, & cùm ipse Pontifex centum & viginti singulis annis sumptu suo elocet, reliqui cùm priuatim, tum publicè, decem, & viginti, & triginta puellis, dotis ꝑdia exhibent. Quinetiã sicubi sunt in tenuiorum ædibus honestè educatæ puellæ, quibus cùm dos non suppetat, non ita facilè maritos reperire queant, q̃ coniugio sibi eas copulari velint, non desunt q̃ scrutantur tales diligentius, vt eis de dote prospiciant: quodq; multò maiore laude dignũ est, sicubi matres habere filias comperiuntur, quibus ad quæstum suũ eas vsuras, q̃ earũ integritati pudicitiæq; consulturas suspitio sit, præsto sunt insignes pietate viri, q̃ sicubi id olfaciũt, quod puellarũ est ætas tenerior, vel clàm vel apertè nonnunq̃ inuitis parentibus eas tollunt, & in Monasterijs alendas, ac in omni pietatis virtutisq; genere curant exercendas, penes quas cùm adultæ fuerint, libera nihilominus est potestas, vel immortali sponso Christo perpetuò se virgines castas deuouendi, vel cum homine mortali nuptias cõtrahendi: cui dos etiã est ab illis qui curã earũ susceperũt parata. Neq; satis est, hac in re viscera Charitatis ostendisse, etiam si q̃ parum continenter vixerint, & aliquandiu se fœdis voluptatib. oblectauerint, nec earum curæ p̃rmittitur. Nã cùm non desint, q̃ summo studio cõtendant & elaborẽt, vt eas ab impuriore vitæ genere dimouere, Christoq; lucrifacere, queant, posteaq̃ suã Deus gratiã impartiuit, vt eas anteactæ vitæ suæ pœnitere & ad frugẽ se meliorẽ reciperent, designatus est & ipsis locus, in quo pœnitentiã pro suis peccatis agant, & q̃ illis Deus vitæ reliquũ tẽpus esse vellet, id in illius misericordia sibi precib. & lachrymis concilianda cõsumerent: quibus & ipsis, ita piorum liberalitate securritur, vt eis q̃ sunt ad vitam sustẽtandã necessaria, nequaq̃ desint. Vocatur aũt illud vulgo monasterium Conuertitarũ, & aluntur simul aliqñ centũ: cùm tũ nullos certos reditus habeãt, eleemosynis tantũ viuũt. Quoniã verò nonnunq̃ accidit, vt ab improbis maritis vxores vel expellãtur vel deseratur, nec illis quoq; deest, quo se recipiant, & vbi tantisper honestè degant, adhibitis earũ vitæ custodibus, dũ per eos q̃ prouinciã hanc vltro susceperunt, cum suis maritis in gratiã reducantur, qd & ipsum certè cũprimis est memorabile pietatis genus. Est & alius locus, quo inobedientes & inhonestas vxores mariti detrudunt, vbi in pane & aqua pœnitentiã tantisper ãgunt, dũ signa melioris vitæ in eis appareãt, tũ demũ à maritis in domũ & gratiã recipiũtur. Est itẽ alius, vbi inobedientes & procaces flagellis ceduntur, & durã pœnitentiã facere jubentur. Est & alia societas, q̃ habet domos suas, in quibus, nobilibus derelictis viduis, cõmoda habitatio gratis assignatur. Quale aũt est hoc quoq; quod & sacerdotes peregrini propriũ locum habẽt deputatũ, in quẽ diuertere, & p aliquot dies cõmorari eis licet, dũ sibi de aliquo vitæ genere prouideant. Est alia quoq; Societas, cuius est hoc munus proprium, docere pueros doctrinæ Christianæ principia. Gratis operã suã nauant, pueros inquirunt, colligunt, instruunt: etiã extra vrbẽ oppida obambulant vt colonorũ liberos in eadẽ pietate instituant. Sunt aũt aliæ multæ societates, q̃ quoties sanctissimũ Eucharistiæ sacramentũ ad infirmos defertur, illud summo cum honore & deuotione deducunt & reducũt, ipsi quoq; suas preces pro infirmo offerentes. Pro expositis etiam infantibus, orphanis, vel proiectis, ferè ducẽtẽ nutrices vnius hospitalis sancti Spũs impensis aluntur, & quingenti nonnunq̃ simul ægroti febricitantes. Quis enumeret, Collegia, Scholas, Congregationes, in quibus & iuuenes & senes pietatis studiosi, certis diebus cõueniunt, de rebus Diuinis sermones inter se cõferentes: de vita emendanda, de peccatis p̃teritis deflendis, de sanctorum dictis & factis confilia & exempla inter se cõmunicantes, & ad suam quisq; correptionẽ reuocantes. Sunt alij quoq; viri pij, q̃ sicubi ortas inimicitias audiunt, ad vtranq; partem accedunt, orant, obsecrantur, obtestan-

tur, minantur, omnia agunt, vt in gratiam reducere dissidentes possint, nec patiũtur odia inueterascere, quod & ipsum certè cumprimis memorabile est pietatis genus. Num autem vsquam alibi tot hæc & tanta veræ dilectionis exempla videre licet, quanta per nos in hac vna vrbe Roma commemorata sunt? In qua vt quisq; dignitate & opibus excellit maximè, sic ferè ferre nõ potest, vt in hoc veræ dilectionis genere posterioris apud Deum tulisse videatur. De Paulo III. Pontif. Max. memoriæ proditum legimus, q̃ relatis à misericordium largitionum dispensatore viro integerrimo rationibus, aurei nummi octuaginta millia, cùm ad egentium inopiam subleuandam, tum ad nubiles ex infima plebe virgines collocandas, erogata fuerunt reperta. Quod alios etiam Põtifices itidem factitasse dubitandum nõ est. Constat aũt ex purpuratis Patribus, plerosq; societatibus Charitatis & misericordiæ præfectos esse, q̃ curam pauperum gerunt singularem, nec liberalitatem suam in illos requiri patiuntur. Nam & rationes exigunt ab illis quibus peculiariter cura pauperum est mandata: & si quando pecunia non sufficit, q̃ vel ex vectigalibus ad opera pia designatis, vel ex piorum largitionibus colligitur, aut ex arca sua suppeditant, aut vt collato symbolo miserorum inopiæ succurratur, prospiciunt. Certum est, plus in hac vna vrbe pecuniæ pro vsu egẽtium erogari, q̃ in coniunctis alijs pluribus, etiamsi multò maior sit in illis populi frequentia. Vnum ex purpuratis Patribus decem millia aureorum quotannis in pios vsus expendere solere, homine quodam fide digno, referente, didicimus. Itaq; dubium non est, multas reperiri prouincias, in quibus tanta non sit in egentes largitio, quantam in hac vna vrbe fieri cognouimus. De Gregorio quoq; tredecimo non absimile quid possumus dicere: qui & ipse non minorem summam in egenos & pauperes quotannis expendere dicitur: qui etiam nouis Collegijs, Seminarijs, Hospitalibus, Germanico, Græco, Anglico, Hungarico, in quibus adolescentes in recta fide & in omni pietate instruuntur, non paruo sumptu excitatis, nouis templis & Capellis, huius vrbis maiestatem illustrauit, & indies illustrare non desinit: & cùm se nõ vrbis tantum, sed orbis Episcopum esse meminerit, etiam in remotissimis ab vrbe Prouincijs, egentium necessitatibus succurrit. Anglos adolescentes, Germanos, Flandros, Polonos, Bohemos, Vngaros, Græcos, Dalmatas, Scotos, Suedos, Danos, in diuersis Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, Bohemiæ, & Dalmatiæ ciuitatibus, suis sumptibus alit, ac in recta fide & pietatis studijs erudiendos curat: quin & ex ipsa quoq; Moscouia adolescentes euocandos curauit, vt in fide Catholica instructi, suos deinceps à schismate ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ reuocent. Omnes in vniuersum, digna antecessoribus suis Gregorijs vigilantia, Christo lucrifacere contendit, & maiora indies promittit. Seruet eum Deus Ecclesiæ suæ sanctæ incolumem.

Habes igitur iam ostensam per nos, Lasce, veram dilectionem, & quidem in hac vrbe ostensam, quam vos odistis cane peius & angue. Ac fieri potest, vt vel ob hanc ipsam causam, ea vobis tam sit vehementer inuisa, quòd in ea tam aperta veræ dilectionis indicia videtis. Nihil enim est quod sathanas minus ferre queat, quàm charitatem: minus vt mirari quempiam oporteat, si vos, quos illius agi spiritu dubium non est tam atrox illi bellum indixistis, vt eam vrbem in qua maximè charitas exercetur, æquis oculis aspicere non possitis. Est aũtẽ id cumprimis admiratione dignum, quod ex quo tempore, vos ex ijs terris, in quibus verbum vestrum, pro Dei verbo rudi plebeculæ venditare, cœpistis, omnem Christianam charitatem exterminastis, & opera omnia ab illa profecta in summum odium & contemptum adduxistis, ex eo tempore magna ex parte sunt ea quæ superius recensuimus, in hac vrbe instituta. Nam ante quadraginta hos annos plerisq; talibus institutis eam caruisse constat. Inter alias autem Societates, etiam IESV societas laudatissima fuit instituta, idq; eo ipso, tempore quò exortum est Euangelium scilicet hoc vestrum, non aliam ad rem, quàm ad extinguendam charitatem à sathana inuentum. In qua si vsquam alibi veram dilectionem videre licet. Nam qui nomina dederunt huic societati, cùm ij seculi rebus omnibus nuntium remiserint, certum diei tempus ad eam rem habent sepositum, vt soli Deo contemplando vacẽt. & eius in genus humanum beneficijs recolendis, ad quorum cõtemplationem etiam alios, quamuis adhuc in seculo degentes inuitant, nec pijs hortationibus illis desunt, à vitijs auocant, ad studium pietatis inflammant: & quoad eius facere possunt, eos quibus cum familiaritatem contraxerunt, in officio continere conantur. Quorum consuetudine nos paucos q̃ declinauerunt ab officij religione, ad frugem se meliorem recepisse, & in alios viros mutatos esse scimus, nec vllus dies in eorum templo præterit, quo nõ aliquot videre liceat, quoties sacris operantur sacerdotes, expiatis prius per confessionem peccatis suis, sacrosanctũ Christi corpus & sanguinem percipientes. Quid autem ab illis laboris prætermittitur? non in ijs modò qui iam nonnihil annis progressi sunt, verumetiam in pueris tenerioris ætatis instituendis, & ad Dei cultum excitandis. Qui tamen interea, nullam ab hominibus, verum à solo Deo mercedem laborum suorum expectant, piorum tamen benignitate fit, vt eis nihil desit, vtq; rectè de illis Paulinum illud vsurpari queat: Nihil habentes, & omnia possidentes. 2. Cor. 6.

Instituta fuit Societas hæc, quo tempore gubernabat Ecclesiam Dei Paulus tertius, ac paucis ijs annis longè late q̃, non modò per Europæ, verumetiam per eius Indiæ quæ nouus orbis appellatur, ciuitates propagata, vbi sic Euangelium Christi prædicatum accepimus, vt extremum etiam vitæ discrimen adire, sanguinisq; sui profusione, quam adferebant doctrinam confirmare nihil dubitarent. An autem & hæc vera dilectio non est, quam ostendit qui Paulo successit Iulius III. erga eos ipsos, quos & suos, & sanctæ sedis huius infestissimos hostes experiebatur? Qui sunt enim alij, qui magis euersum & abolitum Papatũ vniuersum cupiant, quiq; suas curas & cogitationes omnes magis in hac vna re defixas habeant, quàm religiosissimi quondam, & sanctæ sedi huic addictissimi Germaniæ populi? Fecit nihilominus Iulius, quod à vero legitimoq; Christi Vicario, factum oportuit, & quos in suum sanctæq; se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dis huius exitū cōspirasse sciebat, de ijs non perdendis, verùm seruandis, sanandis, & Christo lucrifaciendis cōsilia capiebant. Itaq; de loco quodam oportuno prouidit, in quo si qui vellent ex Germania adolescentuli, sub magistris ijs, qui sunt ex Iesu Societate, bonis literis ingenia sua excolerent, simul in omni genere pietatis ab illis exercerētur. Quibus vt per sex annos, & de victu & de amictu prospiceretur, sua fratrumq; suorum amplissimorum Patrū liberalitate efficere deliberabat, ac effecisset etiam, nisi morte præuentus fuisset, quò fieri posset Ecclesiæ ministros Germania, à quibus purum Dei verbum, & verum Christi Euangelium doceretur. Numerus autem alendorum in ea schola futurus erat, centum quinquaginta. Quid autem aliud est, quod dixit Christus, Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos, quàm quod ab hoc Pio Pontifice factū est? Verùm quis est, qui singula possit enumerando recensere, quæ vel pia sunt in hac vrbe instituta, vel magna cum laude charitatis à pluribus exercentur? Quod monet Augustinus, quisquis per aliam necessitatē non potest implere, quod iubet Deus, amet illum qui implet. Et in illo implet. Hoc in hac vrbe diligentius, q̄ vsquam alibi vidimus obseruari. Quod enim quis in se non potest, hoc in alio se posse credit. Verbi gratia. Habet aliquis vxorem, quam dimittere non potest: Oportet vt obtemperet Apostolo dicenti, vxori vir debitum reddat. Et, Alligatus es vxori, ne quæsieris solutionem. Venit in mentem, quia melior est vita illa, de qua dicit idē Apostolus: Vellem omnes esse sicut meipsum. Attendit eos, qui hoc fecerint: amat eos, suscipit, admiratur, benignè facit eis, ita fit, vt impleat in illis, quod in se non potest: & facit, vt eorum virginitas & continentia, sua sit virginitas & continentia. Non potest vigilare, non potest ieiunare, non potest assiduè precibus vacare: Amat eos qui facūt, suppeditat illis victui necessaria, quò diu possint facere: suas hac ratione reddit vigilias, suum ieiunium, suas preces. Hoc ideo dicit Augustinus, quia in illo tu es. Per proprietatem enim non es tu, per charitatem es tu. Atq; ita q̄ sunt aliena proprietate, tua fiūt charitate. Et quemadmodum idem scribit Augustinus: sic quisq; etiam ipse habet, cùm amat in altero, quod ipse non habet. Tracta. 67. in Ioan. Quinetiam plerosq; cernere licet, qui cùm ipsi non viuant absq; grauibus criminibus, vt vera charitate prorsus esse destituti videantur, admirantur tamen & in oculis ferunt, neq; vulgari quadam liberalitate nonnūquam eos prosequuntur, quorum spectata & probata est vitæ integritas, & erga Deum pietas. Etsi verò quæ proficiscuntur à talibus, non sunt eius generis, vt ad promerendam Dei gratiam pondus aliquod habere queant, cùm odio sit Deo impius & impietas eius, quæ tamen est nunquam satis prædicanda Dei misericordia, facit is non raro, vt etiam talium opera non prorsus reijciat, & eis mentem aliquando saniorem inspiret, vt à peccatis suis auersi, conuertantur ad se, & cùm vel in extremo saltem vitæ suæ die nō obscura veræ pœnitentiæ signa dederint, sic ex hac vita migrent, vt bona sit spes, eos quoq; cœlestibus gaudijs esse potitos, quandoquidem illos amicos sibi facere studuerunt, per quos in æterna tabernacula recipi possent, quorum precibus hoc dedisse Deum rectè credi potest, vt eos nisi toto corde ad se conuersos ex hac vita excedere noluerit. Accepimus à fide dignis, cùm ante annos triginta & amplius vrbs depopulata fuisset, quosdam ex ijs & non paucos, qui multorum ciuium bona diripuerant, & omnem propè vitam suam (sicut ferè qui captiua sequuntur facere consueuerunt) in hoc genus direptionibus, cædibus, & grauioribus alijs flagitijs traduxerant, priusquam è corporum suorum diuersorijs æternam illam in domum migrassent, mandasse suis, vt restitueretur ijs, qui spoliati per eos fuerant, quicquid illis per vim ereptum erat: bona præterea facultatum, quas morientes relinquerant, pars in vsus pauperum erogaretur. Sic factum est, vt ex vltimis Hispaniarum finibus in hanc vrbem non contemnenda vis auri adferretur, qua satisfieret illis, quos illi fortunis suis euerterant. An & hoc ad Christianam dilectionem non pertinet? Num autem simile quid factum est ab ijs, qui venerant ex Germania Lutheranis, per quos itidem bona multorum direpta fuisse constat, qualia facta commemorauimus, ab ijs qui degebant in Hispania Christianis? Illorum verò ne teruncium quidem quisquam huc misisse dicitur, quo vel minima ex parte satisfieret ijs, quos ad summam ægestatem redegerant. Cur autem tale quid facere animum inducerent ij, qui vobis credunt solam fidem sufficere? Qui cùm dici de satisfactionibus audiunt, vel cachinantur, vel nomen etiam ipsum satisfactionis execrantur, quòd hac ratione Christi satisfactioni detrahi persuasum habeant. Verùm hæc per nos dicta iam sufficiant, apud nos esse veram dilectionem, id ipsa in ea vrbe præcæteris, quam vos miris modis deformare, & inuisam omnibus reddere conamini, dum quæ sunt in illa vitia, magna cum applausu multorum diligenter admodum recensetis, præclaras verò multorum virtutes & instituta pulcherrima, silentio prorsus præteritis. Quid autem vel hoc vno magis contrarium esse potest charitati, cui Paulus hoc tribuit elogium: quòd non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Vestrum contrà qua de re maius est gaudium, q̄ si quid in Ecclesia perperam & iniquè factum commemorare potestis? Si quæ verò rectè facta auditis (quod est extremæ cuiusdam improbitatis) ingentem ex eo dolorem accipitis. Quæ vel solæ res abundè magno est documento, vos omni charitate prorsus esse destitutos, ita vt minime necesse sit alijs id argumentis comprobare. Nihil est igitur, quod à nobis exigas, vt ostendamus vos à vera dilectione abesse q̄ longissimè. Quorsum enim attinet id verbis demonstrare, cùm clamet hoc ipsa facta vestra? Quid enim? An vos magna ex parte, quæ piè fuerunt à vestris & ijsdem nostris maioribus instituta, non omnia conuulsistis? An plerisq; in locis domos Dei, quas illi domos orationum vocat, si minus manibus vestris euertistis, collabi saltem & corruì passi non estis? An ex eis vel horrea, vel equorum stabula, vel ouium caulas alicubi non fecistis? Vasa verò aurea & argentea, in quibus Christi corpus & sanguis conficiebatur & offerebatur, an conflanda non curastis? vt ex eis, quæ semel Dei cultui dedicata fuerant, vel pocula fierent ad explendam ebrietatem vestram apta, vel equorum freni, vel vxorum ornamenta.

Matth. 5.

Ita Psal. 120.

1. Corint. 7.

Ita lib. 50. homiliarum. homil. 25.

Sapien. 14.

1. Corint. 13.

Galat. 5.

vel quicquid aliud tandem, quod ad luxum & fastum pertinet? Sūtne autem apud vos vlla monasteria virginum & continentium? de quibus tot sanctorum patrum illorum Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Basilij, Chrysostomi, & aliorum præconia legimus. Cū ijs verò vobis irreuocabile bellū fuit, & ea quantū in vobis erat, funditùs euertere conati estis. Quę sint ex eo postea dedecora, quæ flagitia consecuta, quorum attinet pluribus recensere, cùm (quod est in prouerbio) lippis & tonsoribus hæc nota sint? Scimus, alicubi magno studio fuisse laboratum, vt monasteria virginum saltem restituerentur, quòd absq; ijs, filiarum suarum pudori non benè prospici posse, parentes quærerentur, Ac fieri potest, vt plerisq; in locis è sacerdotiorum & monasteriorum fructibus scholæ fuerint institutæ: sed vt maximè nihil in illis doceretur, quod cum Christiana pietate pugnaret, si tamen verū est illud, quod non esse verum non potest. Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui, quis est qui non videat, quod abominationi Deo sunt, quæ spoliatis ministris eius in hunc vsum conferuntur? De suo liberalem oportet esse, qui Deo gratum facere vult, non de alieno. Sed bone Deus, quàm refixit ibi liberalitas in pauperes, vbi Cacangelium vestrum feruet maxime? Nec iniuria. Cùm enim bonis operibus, inter quæ principem locum obtinet eleemosyna, dignitatem omnem detraxeritis, cumq; celebretur imprimis hoc vestrum axioma: Peccare iustum in omni opere bono, quis apud vos non rectè facere malit aliena rapiendo, & omnia scelera patrando, vt censeri possit sicut vos ipsi vocatis Euangelicus, quàm peccare, de suo pauperibus largiendo, & se in omni genere pietatis exercendo, vt censeatur & vere sit Christianus?

Ecclesi. 34.

Vbi autem vera dilectio magis ostenditur, quàm in altaris illo tremendo sacrificio? Quod sicut à Cypriano scriptum est, nihil est aliud, quàm passio Domini, quæ sic ibi non animis tāLib. 2. Epist. 2.
tùm infigitur, verùm & oculis & auribus astantiū inculcatur, vt quanta fuerit erga nos Christi dilectio, qui pro nobis peccatoribus, impijs inimicis, tam horrendum ignominiosæ mortis supplicium adire dignatus est, latere queat neminem. In hoc sacrificio, compendio quodam Christi beneficia simul repræsentātur omnia, quo nos ea recolentes, vicissim amore tā benefici Domini rapiamur. Adest ibi præsens caput sui corporis Christus, vnum cum illo manens, qui offertur, vnum ipse faciens eos, pro quibus offertur, vnum ipse qui offert, & quod offertur, ipse & sacerdos & sacrificium. Adest suo modo quodam & corpus eius mysticum vniuersum, non eorum tantùm qui sunt in hac vita superstites, verùm & illorum, qui vel in cœlis cum Christo triumphant, vel quoniam purgationis adhuc indigent in abditis quibusdam receptaculis detenti superstitum orationibus, vt ad illorum consortium celerius peruenire queant, adiuuantur. Quod ex hac vita migraturus, patrem suum cœlestem precatus est Christus pro ijs, qui crediturí essent in se, vt sint vnum, sicut ipse & pater vnum sunt, ipse in eis, & ipsi in eo sint consumati in vnum, hoc impleri quodammodo in isto sacrificio videtur. In hoc enim vnum omnes cum Christo, & vnum efficiuntur inter se. Nec enim fas est, ad hoc sacrificium, in quo suam erga nos inimicos suos charitatem Christus declarauit, dum nos morte sua patri reconciliauit, quenquam accedere qui cum fratre suo dissidet, vel nonnihil aduersus eum odij retinet. Itaq; cùm in eo præsens adūt verè, & quod dici solet, reāliter Christus, caput sui corporis Ecclesiæ, adsit etiam corpus eius mysticum Ecclesia vniuersa, fit vt ipsa per illū & ille pipsam offeratur. Neq; fieri pōt, vt non sint cūprimis efficaces preces, quas p hunc aduocatū suū, & caput sui corporis ad patrē cœlestem fundit Ecclesia. Cui quoties offertur corpus, quod pro nobis in cruce pependit, & sanguis q fusus est in remissionē peccatorū nostrorū, credi nō pōt, eum quod in ipsius nomine petitur, negaturum. Nus q̄ igitur magis ardens vel erga nos Dei, vel erga Deum nostra vicissim dilectio demōstratur, q̄ in isto venerando sacrificio, quod non facile crediderim vs q̄ alibi maiore cum pietate religioneq; celebrari, q̄ in hac vrbe. Vbi quoties illud à sacerdote peragitur, eum qui adstat populū sic in id attentū videre licet, vt & verba sacerdotis excipiat, & actiones illius oēs diligenter subsequatur, vt facilè quiuis existimare queat, ipsum vnà cū sacerdote, qui ministet, & cū capite nostro Christo, q recōciliationis huius, quā repræsentat sacerdos, author est, vnū corpus, & vnū spiritum effectū sursum habere cor erectum, cogitationes q̄ suas oēs non alia in re omni q̄ in cœlestiū illorum beneficiorū contēplatione definisse. Ecce aūt & hoc sacrificiū, quo nihil habemus in terris augustius, magisq; venerandum: in quo sic expressam videre licet verā dilectionem, per vos antiquatū, abrogatum, atq; spurcissimis maledictis & blasphemijs in tantum odium & contemptum adductum est, vt apud eos, qui nōdum satis quid agatur in eo perspectum habent, nihil magis execrandum, nihil sit magis abominandum & detestādum. Adeo studium omne vestrum in hac vna re collocasse videmini, vt ex cordibus mortalium charitatem propulsare, & memoriā illius oēm extinguere possetis. Et erit interea quisq; q credat, apud sempiternos hostes istos charitatis, Dei verbū esse, quo nihil nobis aliud magis, q̄ ipsa charitas cōmēdatur. Verū hæc ijs de rebus dicta sufficiant. Videmur enim iam abundè docuisse, quòd cùm in Ecclesia nostra Catholica & Apostolica multa non obscura signa veræ dilectionis appareant, expressum in ea Dei verbum esse, quod apud vos nullum esse potest, cùm à vera dilectione non absitis modò q̄ longissimè, verumetiam atrox illi bellum indixeritis, & infestissimos eius hostes vos esse declaraueritis.

Ioan. 17.

Verùm Laskus quoq; conatur ostendere, q; neq; sui à vera ac Christiana dilectione ita sint alieni, sicut nos fingere dicit etiam, si eos homines hic esse fateatur, & apud nos ne vestigium quidē restet veræ ac Christianæ dilectionis, atq; ita iuxta nostrāmet ratiocinationē, non esse apud nos locū vllū vero atq; expresso verbo Dei, sed potius esse os, vocē, ac verbū diaboli, qđ p nos ex detortis depravatisq; scripturæ locis docetur & sonat. Ac quo magis id cōspicuū fiat omnib. etsi multa dici posse scribat, tū vt rē in pauca cōtrahat, abundè satis fore putat hac in parte, si q̄ nos potissimū quò minus dilectio Christiana inter suos retineri omnino possit, ea

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsa apud nos familiarissima esse, adeoq; & regnare, à suis verò quàm lõgissimè aliena esse doceat? Magnam rem polliceris Lasce, sed vide quemadmodũ polliceris ſtare possis. Duo dicit constituisse nos, quæ à suis propulerint, scilicet, veram dilectionem, neq; ei locum apud suos vllum permittant: Secessionem ab Ecclesia, & mutua inter eos dissidia, etiam quod ad doctrinam ipsam attinet. Quod si constiterit, non se suosq; sed nos potius cum nostro creatore Papa, & vniuerso ipsius grege à Catholica Christi Domini doctrina nos subduxisse, nouamq; nobis Christo Dño aduersariam Ecclesiam instituisse: si ptereà constiterit, papisticos Doctores oës (sic enim illi visum est nostros appellare) non ideo tantopere inter se nõ dissidere, quantopere nobis illi dissidere inter se inuicem videntur, quod nostris inter se de vera religione doctrinaq; salutari Euangelij Christi melius q̃ ipsis cõueniat, sed quod abiecta omni cura & custodia gloriæ Dei, cultusq; veri, & salutaris doctrinæ in Ecclesia, animũ totum ad erigendũ stabiliendumq;, ac demum etiam propugnandum regnum nostrum, laxatis omnibus idololatriæ ac blasphemiarum frenis, adiecerimus? an non nostra met argumentatio in nos sua spõte recidit, nempe nullum reliquũ locũ esse inter vos veræ dilectioni, ac proinde ne veræ quidẽ verbi diuini doctrinæ, quatenus sanè nos & à Catholica atq; Apostolica Christi Ecclesia pfidè desciuisse, & coniuratã aduersus Christũ eiusq; doctrinam conspirationem inter nos alere constat. Tametsi in ea quoq; tali nostrorum conspiratione plena dissensionũ odijq; planè implacabilis ac rixarum vbiq; omnia esse, qui oculos modò habent, videre proculdubio possint. Suos verò oës eadẽ nostra argumentatio, omni culpa liberabit.

Hæc nos verbis illius produximus. Ac satis ille quidem verbosè rem agit, verum intereà nihil probat, vt nihil videas præter verba. Sed incipit tandem probare.

Quod ad defectionem, primum à Catholica Christi Ecclesia attinet, diximus, inquit, in primæ Hosianæ argumentationis responsione, Catholicam Ecclesiã non esse aliã, quam quæ vniuersum mysticum filij Dei corpus cum omnibus vbiq; membris ipsius, ab initio ad finem vsq; orbis intra se complectatur. Atq; inea ipsa Ecclesia certos esse vocationũ gradus, quod ad publicũ imprimis ministerium attinet, nempe alios datos esse, qui eiusdem ipsius Ecclesiæ fundamẽtum in doctrina sana, cultuq; vero iuxta capitis summi sui proportionem collocarent. Alios autem, qui posito semel fundamento suã superstruerent, non autem fines fundamenti illius excederent, quoquo modo, illudve aut restringerent, aut etiam laxarent, nedum vt illud vel mouere suo loco, vel minima etiam ex parte mutare omnino possent. In eam porrò Ecclesiam cum nos pro nostra infirmitate omnes deserta Antichristiana Papæ Romani totiusq; rasi & vncti ipsius satellitij apostasia Dei beneficio includamus, eiusq; æternam henadem sub vnico et tam eodemq; æterno capite nostro Christo Domino, vnanimiter omnes profiteamur, & in ea ipsa henade omnes nos, subiectionem & obedientiam vnico illi atq; æterno capiti nostro Christo Domino in tradita nobis per Prophetas & Apostolos Doctrina, ipsius debere modis omnibus agnoscamus: denicq; cum extra eam ipsam Propheticam & Apostolicam doctrinam nihil nobis credi, ac ne audiri nos quidẽ velimus. Hosius verò & sui disrupta illa æterna sub vnico duntaxat, eodemq; æterno capite, henade, cum nouum sibi quoq; gregi toti, caput succedaneum in Christi domini æterni alioqui sine vlla cuiusquam successione capitis nostri contumeliam erexerunt, adorẽt, & propugnent: cum item Prophetici & Apostolici fundamenti pertæsi, noui sibi canonis condendi pertæsi, atq; authoritatem arrogent: præterea cum hactenus duntaxat suam ergà Christum, Dominum in prodita nobis scripturis sanctis salutari doctrina ipsius obedientiã agnoscant, quatenus per sensum & consensum coniurati cœtus ipsorum approbetur. Adhæc cum nouum sibi quoddam ex Iudaismo atq; ethnicismo conflatum sacerdotium, nouum item sacrificium contra vim meritum ac dignitatem naturamq; adeo ipsam æterni atq; ἀπαραβάτου vt Paulus ait, sacerdotij atque sacrificij Christi impudentissime constituerint, nouum sibi Deum Maizin ex crustulo panis confectum formauerint, in quo alij qui omne robur ac præsidium Antichristianæ ipsorum abominationis consistit, quemq; illi auro, atq; argento colunt, & ferro ac flammis propugnant, vt sub eius nomine & agno ipsi, quemadmodum Ioannes docet, & omnibus que illum sequuntur sanctis Dei bellum inferant: postremò cum reuocata ex Iudaismo aduersus doctrinam Apostolicam prosopolipsia, quam in magicis suis vnctionibus rasuris & consecrationibus positam esse volunt, panis mystici ac corporis in Ecclesia, vniusq; adeo nostrum omnium in Christo hominis henadum nefandissime violent, & conculcant: cum hæc ita faciant omnia, quis non videat, non nos monstruose, sed Hosium ipsum vna cum sui Papæ vniuersa caterua, ab vnitate Catholicæ Christi Ecclesiæ malitiosè desciuisse, sueq; isti defectionis fraudulenter obtendere titulum mentitum Catholicæ Ecclesiæ Christi: quæ ita fœdæ ac perfidæ apostasiæ omnem ab illis veram ac Christianam dilectionem, ac proinde omnem etiam salutarem verbi diuini doctrinam excludat, proculdubio iuxta ipsiusmet Hosij argumentationem.

Hæc sunt portenta verborum, & horrendæ blasphemiæ Lasci, quibus ostẽdere conatur, nos potius, q̃ se suosq; ab Ecclesia Dei defecisse. Quæ num satis omnia lector assequaris, nescio. Nam ego pleraq; me nondum intelligere fateor, pcipuè q̃ de gradibus nescio quibus loquatur, q̃ nec ab ipso authore intelligi persuasum habeo. Quod Ecclesia Catholica mysticũ filij Dei corpus vniuersum, cum omnibus vtiq; membris ipsius ab initio ad finem orbis intra se complectatur, nemo est q̃ eat inficias, quanq; ea non tam complectitur, q̃ est ipsa corpus Christi. Et sic. n. Paulus loquitur: Vos estis corpus Christi, non, vos cõplectimini corpus Christi. Et alijs aliquot in locis Ecclesiam Christi corpus appellat, non autem dicit, quod complectatur intra se corpus Christi. Verùm de locutionis genere nihil est quod contendamus. De gradibus istis vocationum, nobis maior est ambiguitas, ac diuinatione quadam opus est. Nam hic homo non dignatur ita loqui, vt intelligi queat. Fortassis enim habet sibi persuasum, quantò fuerit obscurior, tantò se maiorem opinionem doctrinæ consecuturum. Existimamus igitur hoc eũ dicere voluisse, priorem gradũ in Ecclesia tenere Prophetas & Apostolos, quorũ doctrinã scripturis cõprehensam habemus, quas esse vult fundamẽti loco. Alterũ Doctores, & interptes, quos nõ vult fundamẽti fines excedere. Quod sibi q̃ audiat Paulũ admonentẽ,

1. Cor. 12. Ephe. 5. Col. 2.

State & tenete traditiones, quas didicistis siue p sermonem, siue p Epistolam nostram, & eius hac ad ductus authoritate, sibi tuenda putet, nõ ea modò q̃ per epistolas & scripturas, verùm & ea, q̃ per sermonem Apostoli tradiderunt, eum Laskus hoc ipso nomine, quod audire Paulũ quã se maluerit, ad Ecclesiam ptinere negat, quod in ea nihil pter Propheticã & Apostolicam doctrinam, & eam literis consignatam audiri debere censeat. Quæ est hæc hominis vesania? Quẽ si quis audiendum potius q̃ Paulum Aplũm pttauerit, quid ex eo cõsequetur aliud q̃ Athanasium, Hilarium, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Cyrillum Alexandrinum, Leonem I. Pontificem, & q̃ senserunt cum eis in Ecclesia nõ fuisse. Fuisse aũt Arrium, Macedonium, Nestorium, Eunomium, Eutichetẽ, & vt vno verbo rem cõplectar, quoscunq; tanq̃ Catholicos & Orthodoxos doctores, recipimus, & veneramur oës, cõsentientibus etiã hac in re nobiscum sectarijs ipsis, eos in Ecclesia nõ fuisse. Fuisse aũt oës illos, quos hæreseos legimus esse cõdemnatos. Quorsum. n. aliorum illæ pter q̃ hæreticorum voces fuere? Præter scripturas nihil recipi oportere. Nolo verba, q̃ nõ sunt scripta (dixit Arrius.) Quid ad hæc Hilarius? Dic, inquit, priùs, si rectè dici putas. Nolo aduersus noua venena, nouas medicamẽto rum comparationes, Nolo aduersus nouos hostes, noua bella, Nolo aduersus nouas insidias cõsilia recentia. Quid aũt Athanasius? Cùm ex Theognosto, Dionysio, Alexandrino, & Origine probasset, q̃ in scripturis reperiri negabat Arrius, filium eiusdẽ esse cum Patre subſtantiæ: Ecce, inquit, Nos quidem ex Patribus ad patres p manus traditam fuisse hanc sententiã demõstrauimus. Vos autem (ò noui Iudæi & Caiphæ discipuli) quos tandẽ nominum vestro rum ostẽdere potestis progenitores? Verùm hac de re copiosius disseruimus in libris, quos cõtra Brentiũ edidimus, vbi productis quator primorũ Cõciliorum actis, planũ fecimus, hæreticorũ hãc vocẽ fuisse, nihil recipi pter scripturas oportere. Cõtrà Catholicos & Orthodoxos, patrũ semper traditionibus inhæsisse, & ad eorũ iudicia prouocasse. In hanc igitur hæreticorũ Ecclesiã, q̃ Sathanæ synagoga veriùs dici potest, inclusum se Laskus esse iactat. Ac quominus id alicui dubiũ esse queat, aliud etiã fortius argumẽtum profert, dum Ecclesiã quoq; Papæ se deseruisse gloriatur. Nam sicut prius illud, sic & hoc posterius propriũ semp fuit hæreticorũ. Quod etiã sanctus Epũs & martyr ille Cyprianus indicat, dicens: Neq; n. aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, q̃ inde, quod sacerdoti Dei nõ obtẽperatur, nec vna in Ecclesia ad tẽpus sacerdos, & ad tẽpus iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundũ magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus sacerdotũ Collegiũ quieq; moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiã scinderet, nemo sibi placens ac tumẽs seorsim nouã hæresim cõderet. Quam esse certissimã hæretici notam docet sanctus martyr hic, qñ nõ cogitatur vnus in Ecclesia ad tẽpus iudex vice Christi, hac se Catholicũ esse probat Laskus. Quod tam verũ est, q̃ verũ est, niuẽ calidam, aut ignẽ esse frigidũ. Iam verò quibus rationib. demõstrare conatur, nos ab æterna henade (mauult. n. Græcè loqui q̃ Latinè, quò monstris quibusdam verborum lectorẽ terreat) sub æterno capite Christo discessisse, quid ijs potuit produci validius ad probãdum, nos in ea firmos & stabiles ppetuò permansisse? Videtur aũt sex rationes proferre. Primo loco, q̃ habeamus aliud caput pter Christũ. Secundo, q̃ præter scripturã Canonicã sit apud nos ius quoq; Canonicũ. Tertio q̃ scripturas nõ iuxta priuatũ cuius q̃. sed iuxta sensum & cõsensum Ecclesiæ recipiamus. Quarto q̃ externo sacrificio Deũ colimus. Quinto q̃ Christũ in Eucharistia præsentem adoramus. Sexto q̃ ad mysteria diuina tractanda non quosuis citra delectũ aliquẽ admittimus. Quæso te Lector, potuit ne Lascus certiora documenta proferre, quibus demonstraret, nos nunq̃ ab vnitate Ecclesiæ discessisse, q̃ sint hæc, quibus contrarium doceare conatur? Nam q̃ ad primum attinet. Cedo quis est, q̃ disrupit æternã illam henadem sub æterno capite Christo? Is ne, q̃ cui pascendas oues suas Christus cõmisit, quem Ecclesiæ suæ caput & fundamentum cõstituit, cui claues regni cœlorum tradidit, ei tanq̃ Christi vicem in terris gerenti se reuerenter submittit, & debitam præstat obedientiã, memor illius quod ab ipso Christo dictũ est: Qui vos audit, me audit. An q̃ dum de solo æterno capite Christo gloriatur, nullum intereà caput in terris agnoscere, nec à Deo cõstitutæ potestati parere dignatur? Sed æterno capiti Christo contumeliam fieri Laskus interpretatur, si caput aliud in terris esse creditur. Ac eadem hac ratione colligit, quando quidem sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Christus est, nullos nec esse, nec dici debere sacerdotes, ne Christi sacerdotis dignitati detrahatur. Quid aũt impedit, quò minus eadẽ hac ratione colligat in hunc modum: Pastor æternus est Christus, & Rex æternus est Christus, nullos igitur in Ecclesia pastores, nullos Reges agnoscere licet, ne qua fiat æterno pastori, & æterno Regi Christo contumelia, néue quid illius dignitati derogetur. Vides quorsum horum doctrina spectat? Nullum vt caput, nullus pastor, nullus Rex, nullus sacerdos, nullus ordo sit in Ecclesia. Cùm. n. hæc omnia reuerà sit Christus, illũ afficit cõtumelia, illius dignitatem imminuit, si quis aliud in Ecclesia præter illum caput, alium pastorẽ, alium Regẽm, alium sacerdotem agnouerit. An tibi nõ videtur hoc homine tanq̃ flabello quodam seditionis vti Sathanas? Quis autem est, qui non videat, vbi doctrinæ genus hoc receptum est, ibi nec Imperatoriæ, nec Regiæ Maiestatis rationem vllam haberi? quod metuitur, ne qua fiat æterno Regi contumelia, si quis præterea alius Rex agnoscatur. Cumprimis terribilis est Sathanæ, castrorum hæc acies ordinata. (Sic enim rectè quis Ecclesiam vocauerit) Quamobrẽ in hoc neruos suos contendit omnes, vt ordinem ex ea tollat. Quam ad rem non aliam videt viam compendiosiorem, quàm si gubernatorem primum sustulerit, quod eo sublato licitum sibi iam fore perspicit, vt atrocius atque violentius circa Ecclesiæ naufragia grassetur. Hanc igitur cautam esse scribit Cyprianus, quamobrem CHRISTI aduersarius & Ecclesiæ inimicus, Ecclesiæ præpositum tanta infestatione persequatur. Glorietur impius hic, quantum

Ad Constantium.

In decretis Nicenæ Synodi contra Ebionæos.

Matt. 10.

Psal. 44.

Lib. 1. epist. 3.

Lib. 1. Epist. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

velit de sua nescio qua henade, certum est, quod æternum caput Christum in Ecclesia nō agnoscit, quisquis ministrum eius Pontificem non agnoscit. Nam quòd Samuel Deum dixisse legimus: Non te reiecerunt, sed me, ne regnem super eos, hoc totidem verbis de istis dici potest, quod non Paulum, non Iulium, non Pium Pontificē, sed Christum Pontificem reiecerunt, ne regnet super eos. Est reuerà æternum & inuisibile caput Ecclesiæ, Christus, verū sicut is, & baptizat, & consecrat, & peccata remittit, & docet, & id genus alia, facit p visibiles ministros: Sic & gubernat Ecclesiam per ministrum visibilem Pōtificem, in qua non potest aliter vnitas retineri, q̄ si gubernetur ab vno Christo, per vnum illius ministrum visibilem, quem qui reijcit, Christum reijcit. Præclara sunt Cypriani verba: Ecclesia vna est, quæ vna esse intus & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit: si verò apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatiōe successit, Nouatianus in Ecclesia non est. Quàm diuersa vox est, sancti martyris huius ab ea, quam effutiuit Laskus? qui ibi Ecclesiam esse iudicauit, vbi erat Papa Cornelius. Qui etiam alio loco: Cum Cornelio esse, idem esse scribit, q̄ cum Catholica Ecclesia cōmunicare. An autem dissentit ab hoc Hieronymus? Is verò scribens ad Pontificem Damasum, Ego, inquit, nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, hoc est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in arca Noë non fuerit regnante diluuio peribit. Ac paulò pòst: Non noui, inquit vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunq; tecum non colligit, spargit: qui Christi nō est, Antichristi est. Sic ille vir non doctrina magis q̄ vitæ sanctimonia celebris, quicunq; cum successore piscatoris Damaso Papa non colligerent, eos pro Sathanistis & Antichristis haberi voluit. Quod apertiùs etiam scribit in ea, quæ proximè sequitur Epistola. In tres, inquit, partes scissa Ecclesia, ad se rapere me festinat. Ego interim clamito, quisquis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis atq; Paulinus, tibi hærere se dicunt. Possem credere si vnus hoc assereret, nunc autem duo mentiuntur aut omnes. Tanta fuit Romanæ fidei authoritas, vt illi se hærere etiam hæretici fingerent, cui qui non esset iunctus, cum pro suo non habebat Hieronymus: habet autem pro suo Laskus, quandoquidem is non ad eam Ecclesiam, in qua fuit Hieronymus, sed ad Sathanæ pertinet synagogam. Quod autem hoc loco scribit Hieronymus, idem etiā Theodoritus testatur de Paulino, de q̄ Apollinari, quòd assueuerabat vterq; se cum Romano Pontifice sentire, quò facilius morbum suum tegere posset. Vsq; eò hæretici quoq; videri volebant ab Ecclesia Romana minime dissentire, cuius fides Catholica semp fides est habita. Fidē suā, inquit Hieronymus, quam vocat? Eámne, qua Romana pollet Ecclesia, an illam quæ in Origenis voluminibus continetur. Si Romanam respōderit, Ergo Catholici sumus. Ambrosius verò, Percunctatus est, inquit, ab Episcopo, vtrùm nam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret. Sed quorsum attinet hac de re plura scribere cum ista copiosius tractata sint à nobis in Confessione nostra, vbi ex Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, Augustino, Optato, & alijs nōnullis ibi Ecclesiā esse probauimus, vbi legitima successio est Romanorū Pontificū, quā qui negant, quid aliud, q̄ se hæreticos esse probāt, vt alia eius rei documēta cōtra illos proferre, necesse nō sit.

Quale autem est hoc, q̄ secundò loco dicit? Nos Prophetici & Apostolici fundamenti pertæsos, nouum Canonem condidisse. Conscripsit Clemens quem Petrus sibi successorem constituit. Ganones, q̄ vocantur Apostolorum. In Nicæno Constantinopolitano, Ephesino, & alijs Cōcilijs multis, tā Oecumenicis, q̄ prouincialibus, cōplures Canones editos legimus. Quòd à Basilio quoq; Augustino, Benedicto, & alijs viris Sanctis factitatum esse scimus. Nū hos oēs pertęsum fuit fundamenti Prophetici & Apostolici? Num ideo (quod Laskus blaterat) ab vnitate Ecclesiæ desciuerunt? Quid magis delirum dici potest. Obedite præpositis vestris, ait Paulus: An ei nō respondebit Laskus. Quid nos obedireiubes præpositis? Habemus Propheticū & Apostolicū Canonem, illi verò nos obtemperabimus, non præpositis, q̄ nullū habent ius noui Canonis condendi. Quis aūt est ſic ab omni mente desertus vt credat, tot illos tam sanctos patres, propterea Canones condidisse, q̄ eos Prophetici & Apostolici fundamenti pertęsum esset? Cùm non alia fuerit illis condendorum nouorum Canonum causa, q̄ vt efficerent hac ratione, quò magis homines fundamento illi inhærerent. Ad vitam rectè instituendam, reuerà sufficiebat canon ille, de diligendo Deo, & proximo. Et illud: quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis. Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris: verum rectè dictum est ab illo, quod bonæ leges, ex malis moribus procreatæ sunt: & sicut varias medendi rationes excogitandi, varij multiplicesq; morbi causam dederūt, sic praui mores hominum in causa fuerunt, vt multi Canones noui conderentur, quibus in officio contineri possint. Vtinam autem ita multis Canonibus opus non haberemus. Quoniam verò non cum perfectis viuitur, infirmitatibus hominum visum est, vt hæc adhiberetur medicina. Nec alia fuit causa, tot Canonum condendorū, q̄ vt Propheticum & Apostolicum fundamentum, hoc est, charitas & tranquillitas inter homines retineri possit. Huc enim respiciebant sancti Pontifices, vt semel fine litibus impōsito, mutua inter Christianos concordia atque amicitia coalesceret, nec ea deinceps conuelli & labefactari posset.

Iam verò quod tertio loco ponit, propterea nos ab Ecclesia Catholica desciuisse, quod in exponenda scriptura, non statim priuatum cuiusq; sensum sequimur, verùm eum potius q̄ communi totius Ecclesiæ consensu fuerit approbatus, an & hoc magis delirum non est, q̄ vt vllius confutationis indigeat? Vis autem scire lector, quem Laskus vocet coniuratum cœtū nostrum? Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Augustinum, Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, denique patres omnes Catholicos, qui iam inde à mille trecentis annis in tot Concilijs vel Oecumenicis vel Prouincialibus congregati fuerunt. Horum sententiam quod sequimur potius q̄ ipsius fanaticum spiritum, hoc verò, ferendum illi non videtur.

Lib. 1. Epist. 6.

Lib. 4. epist. 2.

Exod. 12. Gen. 7.

Lib. 5. c 3. Eccl. histo.

Lib. 1. con. Ruff.

In oratione funebri fratris Satyri.

Heb. 13.

Matt. 7.

Sed vide, quò tandem impietatis homo blasphemus progreditur. Quoniam sacerdotio & sacrificio Deum nos agnoscere profitemur, & hoc argumentum esse vult, quo probet nos in Ecclesia non esse, quasi verò ἄθεον esse, quales isti sunt, citra dubitationem vllam, qui neq; sacerdotium, neq; sacrificium vllum habere volunt, hoc sit, in Ecclesia esse Deum verò agnoscere, sit extra Ecclesiam esse. An autem hæc hominis blasphemia non sceptro magistratus potius, q̄ stylo cuius q̄ coērcenda veniret. Vbi nullum sacerdotium, nullum est sacrificiū, nihil est certius, q̄ ibi quoq; Deum nullum esse. Si quidem inter cultus, qui Deo, & qui hominibus tribuuntur, hoc interest, q̄ omne genus aliud obsequij vel cultus, rectè præstatur homini, præter vnum sacrificium. Hoc enim ita soli Deo debetur, vt id ad homines transferri nunquā fas fuerit. Itaq; propriè Deo debita seruitus ab Augustino vocatur. Quisquis igitur hoc tollit, quid is aliud q̄ diserimen inter Deum & homines tollere, nec alio loco Deū immortalem, q̄ quo mortales homines habere velle videtur? Sed contra meritum ac dignitatem, naturamq; adeo æterni atq; ἀπαραβάτου sacerdotij Christi, sacerdotium & sacrificium à nobis institutum esse dicit Laskus. An autem à nobis institutum est, & non ab illo potius, qui dixit: Hoc facite in meam commemorationem? Putas aūt hunc hominem quid loquatur intelligere? Scilicet in hoc externo nostro sacrificio fit aliquid contra meritum, naturā, dignitatem sacerdotij & sacrificij Christi? Num aliam nos victimam offerimus, q̄ quæ fuit oblata in cruce? Num alius est, qui nunc offert, q̄ ille ipse qui obtulit in cruce? Haud scio, ſtolidos ne magis, an blasphemos dixerim hos homines. An illi putant nos ignorare, quod à pueris etiam cantatur & legitur in Ecclesia. Christo dictum esse, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech? Nos verò minime ignoramus, ò stolidi & blasphemi, quin vbiq; clara voce profitemur, quòd præsens adest in altari Christus verus ille Mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo manens cui offert, vnum in se faciens pro quibus offert, vnus ipse qui offert, & qui offertur, ipse & sacerdos & sacrificium: Nostrum verò nihil est hic nisi ministerium. Lingua nostra est, manus nostræ sunt. Virtus omnis & operatio & oblatio, non est nisi Christi solius, sed nunquid, quia ipse est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est qui interpellat pro nobis, ipse est qui docet, ideo nō baptizamus, non absoluimus, non interpellamus nos, non docemus nos? Ad eundem modum quāuis ipse sit qui conseceret, ipse, qui offert, ipse qui distribuit corpus suum, non ideo, non consecramus, non offerimus, non distribuimus nos quoq;. Nostrum est ministerium, verus sacerdos, verus mediator & reconciliator, non est nisi ille, cui dictum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ille de quo scriptum est: Quod factus propitiatio pro peccatis nostris. In illo sacerdote, & per illum sacerdotem valent quicquid valent orationes & oblationes nostræ. Nihil igitur virtuti merito & dignitati sacerdotij & sacrificij Christi p ministeriū hoc nostrū detrahitur, quin illustrantur illa magis. Manet nihilominus penes illum sempiternum sacerdotium, nec in alium quem q̄ transfertur, etiamsi nos ministrorum officio fungamur, Ac si nihil detrahitur illius honori, cum filij Dei vocamur, quod solus ipse naturā est, multo minus detrahitur cùm sacerdotes appellamur. Neq; nobis ille communionem huius nominis inuidet, qui non alia de causa filius hominis fieri dignatus est, quàm vt nobis Dei filijs esse liceret.

Contra Faustum lib 20. cap. 21.

Augustl. lib. 4. de Trinit. cap. 13

Psalm. 110. 1. Ioan. 2.

Sed nō contentus ita blasphemasse Laskus, nouā insuper aliā etiā horrendā profert blasphemiā. Quod. n. Christus corpus esse suū dixit, nō veretur os impurū crustulū panis apellare, & sacrosancto Christi corpori & sanguini p summū sacrilegiū illudere. Et cū hoc monstro pientissime Rex debere potius cēsebis disputari, q̄ vt illud facias in vltimas terras deportari? Scilicet indiget humana ratione Deus ad probandū, q̄ verū fuerit illud, quod accepto pane, cùm eū fregisset ac dedisset Apostolis, dixit: Hoc est corpus meū, quod pro vobis datur, vt nisi fuerit hoc per hominē demōstratū, falsum dixisse Deus existimetur. Absit vt hoc vnq̄ in disceptationē vocari patiamur. Hac quidē in parte nō possumus Martini Lutheri sectam non vehemēter probare, q̄ quamuis hæreticus ipse, cū ijs tū, non paulò q̄ ipse fuit impurioribus hæreticis, negat esse disputandū, sed inauditos, & indicta causa tales manifestos blasphematores censet esse condēnandos. Nā tales, inquit, cōmunes articuli totius Christiatitatis sunt iā satis auditi, declarati, & cōclusi scripto & cōfessione totius cōmunis Christianitatis, sunt multis miraculis cōfirmati, sunt multò sanguine sanctorū martyrū consignati, sunt omniū doctorū libris defensi. Sed & gentes illas & ciuitates, nō possumus quin laudemus, quarū animos quāuis labe Lutherana nō mediocriter infectos esse cōstat, hanc tā extremè impiā doctrinā adeò non ferendā esse censent, vt, si quis eā attulerit, ei ne aue quidē dicant, quin igni potius & aqua in terris suis omnibus interdicant, nec vllū in illis receptū dari permittant. Quod huic ipso Lasco scimus cōtigisse, cùm ex Anglia profugus p Daniā, & quasdā Saxoniæ ciuitates iter faceret. Quarū gentiū nos certè secutos exēplū oportuit.

In Psal. 82.

Nullū blasphemandi finem facit Laskus. Offendit .n. & hoc, q̄ cùm à Paulo docti simus. nemini cito manus imponendas esse, ne fortè communicemus peccatis alienis, non statim ad mysteria diuina tractanda quosuis admittimus, verùm delectum in eis adhibemus. Hanc ille vocat προσωποληψίαν, Latinè dicere possis personarū acceptionem, per quam henadem suam à nobis violari quæritur. Nos verò non obscurè ferimus, quod modis omnibus henadem ipsius conuulsam & labefactatam, Christi verò corporis vnitatē conseruatā cupiamus. Cuius conseruandæ non est alia ratio potior, q̄ si diligenter quæsitū fuerit inter dispensatores, vt fidelis aliquis inueniatur, nec ad mysteriorū diuinorū dispensationem, nisi quē priùs fidelem esse constiterit, admittatur. Qua quidem in re nullus adhiberi delectus tantus potest, quin maior etiam sit necessarius. Vtinam autem eum adhibitum videremus, quem horū temporum ratio postulat, non ita nunc esset Ecclesiæ facies miseranda. Sed fateri necesse est, quod hac in re magis à nostris negligentia, quàm nimia diligentia peccetur. An autem

1. Thimot. 4.

1. Cor. 4.

Luc. 23.

&c

Universidad de Deusto
Biblioteca

& hoc responso dignum ducere debemus? quod blasphemum os istud vnctionibus, rasuris & consecrationibus nostris illudit, & eas magicas appellat. In immensum volumen hoc nostrum creseceret, si quæ nugator hic blaterat, ad singula respondendum esse putaremus. Cõsecrandi ritum hũc ab ipsis Apostolis per manus nobis traditum esse, dubium non est, apud quos, quem hæretici nostri temporis tam grauiter insectantur, magnum chrismatis vsum fuisse constat. Quòd cùm in libris nostris contra Brentium copiosè lit à nobis demonstratum, eadem illa nunc transcribere, necessum non est. Iam enim nos ineptiarum & blasphemiarum Lasci pertęsum est vehementer. Itaq; primò quoq; tempore, suscepto per nos huic operi finem cupimus impositum.

Sic itaq; collige Christiane Lector, Catholicam Ecclesiam Christi corpus esse mysticum, cuius & caput & fundamentum est ipse Christus, qui locutus est primùm per Patriarchas & Prophetas, deinde per seipsum, postremo per Apostolos & eorum successores Sanctos Patres nostros, qui nos genuerunt in verbo veritatis, præcipuè quoties illos in Concilijs Oecumenicis congregari contigit. Qui quidem Christus Ecclesiæ suæ caput & fundamentũ, cum illi præsentiam sui corporalem & visibilem subtracturus esset, vnius vti ministerio voluit, per quem vnitas Ecclesiæ retineretur. Cui præ cæteris oues suas pascendas tradidit, ac à se ipso petitum cognomen tribuit. Nam cùm petram dicat esse Christũ Apostolus, cum Petro in consortium individuæ vnitatis assumpto communicare nomen hoc dignatus est, vt quisquis ab hac petra visibili sese diuulsisset, is à Christo se diuulsum, & mystici eius corporis membrum esse desijsse, certò sciret. Ab hac igitur petra, cùm se Laskus cum suis diuulserit, cùm seorsum à Christo suum sibi cœtum collegerit, cùm, quæ tot seculis propria semper fuit hæreticorum cantilena, nihil præter scripturas recipiendum, traditiones autem Apostolicas, quas nos Paulus tenere iussit, prorsus esse doceat omnes respuendas, cum in ipsarũ scripturarum expositione proprium suum, non Ecclesiæ sensum & consensum: priuatum suum, non Ecclesię spiritum sequatur, cùm reiecto sacerdotio & abrogato sacrificio palam faciat omnibus, nullum se Deum agnoscere, cùm apertè Christo contradicat, nec arguere mendacij veritatem reformidet, de veritate sui corporis dicentem, hoc est corpus meum: quod Christus corpus suum, hoc blasphemus ille crustulum panis appellet: denig; cùm in mandandis Ecclesiæ ministerijs ordine sublato, nullum personarum delectum haberi velit, ãc receptas tot seculis, & ab ipsis Apostolis per manus nobis traditas cæremonias rideat: hęc omnia cùm faciat Laskus, quis non videat, eum cum vniuersa caterua sua ab vnitate Cathołicæ Christi Ecclesiæ malitiosè desciuisse, & eam violasse atq; conuulsisse, in eaq; se antra conclusisse, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Atq; hac fœda ac perfida apostasia sua, omnem à se suisq; verè Christianam dilectionem, ac proinde omnem etiam salutarem verbi doctrinam, citra dubitationem omnem excluisse, iuxta ipsiusmet confessionẽ? Accedit iam Laskus ad eam partem scripti nostri confutandam, vbi de suorum dissidijs fecimus mentionem. Ex quibus perspicuum cuiuis esse potest, eos ab illa, quę expressum est Dei verbum charitate, quàm longissimè abesse. Admisceri per nos multa dicit, quæ nihil ad suos pertineant, quod eodem illos loco haberi velimus, quo Nestorianos, Seruetianos, Anabaptistas, Suenckefeldianos, Campanistas, & alios hæreticos, cum quibus sibi suisq; multò dicit acriorem esse pro doctrinæ Apostolicæ puritate dimicationem, quàm nobis: Tantum abesse, vt vllam cum eis circa diuina præsertim societatem habeant. Nos verò non inuiti fatemur, quòd cum istis hæreticis, qui sunt enumerati, Lasco non per omnia conueniat. Nec illud imus inficias, quòd qui sunt eiusdem cum eo sectæ, grauia cum illis prælia sustinuerit. De Caluino quidem dicunt Serueti discipuli, quòd cùm expresso Dei verbo (sicut ipsis videbatur) Magistrum suum superare non posset, ad fasciculos confugerit: Et cùm rogo Seruetum imposuisset, subiecto fasciculis igne, rationes illius & argumenta dissoluerit. Quòd si factum esset à Catholicis, ferro & flammis doctrinam nostram propugnare nos quiritemini. Sed in Serueto Caluinus disputandi vobiscum formulam præscripsisse nobis videtur.

Cur enim non minus rectè fiat, si fiat à Catholicis, quod factum est à Caluino? Verùm, ad rem. Eodem loco vestros à nobis haberi, quo Nestorianos, Seruetianos, & alios, certum est, & indubitatum. Sed quòd eandem esse vestram, & illorum doctrinam dixerim, hoc in scriptis meis nunquam reperies: neque enim sum adeò rudis vestrorum dogmatum, vt prorsus ignorem, quæ sint inter illos & vos controuersiæ, nisi quod hoc scio, æquè vos atque illos hæreticos esse, & ex vestra illos schola prodijsse. Constat, patrem omnium sectarum nostri temporis fuisse Martinum Lutherum: Cuius erat initio fidissimus Achates Andreas Carolstadius, verùm non diuturna fuit hæc inter illos concordia. Nam posteaquam suum Euangelium prædicare cœpit Lutherus, duo vix anni interceserant, cùm Carolstadio quoq; nouum quoddam suum commiscisci visum est Euangelium, quod à vestris Lasce receptum, à Luthero verò, itidem vt à nostris grauiter fuit oppugnatum. Primus igitur Euangelij vestri fuit author Carolstadius. At qui vir? Amicus tuus Lasce, Philippus Melanchton sic eum describit: Carolstadius primum excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum vnquam humanitatis officium intelligere aut facere animaduertimus, tantum abest, vt in eo manifestatio aliqua Spiritus sancti animaduersa sit. Talis fuit Lasce, si quid Philippo credimus, qui primus ætate nostra vestrum Euangelium, quod annorum tot millibus fuit absconsum, in lucem protulit. Vir certè clarus & dignus, quem vos vestræ sectæ Principẽ & Antesignanum agnoscere tis, An autem ex Lutheri, & ex vestra schola tanquam ex equo Troiano deinceps non prodierunt cum primis nobiles illi viri Pacimontanus, Campanus, Suenckefeldius, & qui cùm alibi, tum apud nos hæresim Nestorij profitentur, quorum nusquam est maior numerus,

Iud. 1.

Matt. 16.
1. Cor. 12

2. Thes. 2.

Iob. 10.

In epist. ad Fridericum Miconium.

rus, quàm vbi tu mendacij cathedram & pestilentiæ, contra veritatis cathedram & salutis constituisti. Solus est (nihil enim dissimulabo) Seruetus, qui ex hac eadem schola non prodierit, sed habet is consentientem sibi Campanum, quem vestrum discipulum fuisse constat, & quicquid est reliquæ fecis hæreticorum, non aliundè ferè quàm ex Lutheri vestroq; ludo profectum est. Putas autem tu Lasce, quod de Serueto fecit Caluinus, quodque tu de Stancaro nuper facere cogitabas, Si fuisset idem statim initio factum de Luthero, quod huius flammæ, qua vel Lutherus, vel primus vestræ sectæ author magnam orbis partem absumere conatus est, vel scintilla nunc aliqua superesset? aut quod non æquè longe lateq; Serueticum incendium atq; vestrum grassatum fuisset, si multis in locis parem impunitatem illi sperare licuisset?

Quorsum autem attinet ad singulas huius hominis ineptias respondere. Arguit me, quod cùm eum quodam loco non dissentire scripserim à Caluino, nihilominus alio loco dixerim, esse in patria nostra aut Caluinianos aut Lascanos. Si tibi, inquit, ego & Caluinus consentire inter nos videmur, cur nos ita diuellis, vt alios Caluinianos, alios verò Lascanos facias? Quod si non diuello Lasce, Dixi: Quotquot à nobis in Polonia discesserunt, eos magna ex parte vel Picardos, vel Caluinianos esse, aut Lascanos. An hoc est diuellere? Quod si eadem est tua & Caluini doctrina, pro veteri illa, quam commemoras amicitia nostra, (quam vtinam tua ab Ecclesia Dei discessio non diremisset) tui magis quàm Caluini nominis gloriæ studere cupiebam: cùm scirem eadem te via, qua quondam Erostratum ad nomen tuum immortalitati consecrandum grassari. Quamobrem etiam si summus esset inter te & Caluinum doctrinæ consensus, æquum tamen fore putabam, vt qui nouam apud nos fidem vestram essent amplexi, nomen à te ducerent potius, quàm à Caluino. Quod itaque dixerim Caluiniani, mox correxi, subiungens autem Lascani. Quid autem si ego te cum Caluino consentire non scripsi. Verba mea sunt: Ioannes à Lasco, qui cum Caluino consentire propemodum videtur. An ignorare me putas, quòd cùm de alijs plerisque dogmatibus, tum de horum ipsorum verborum interpretatione: Hoc est corpus meum, tibi cum Caluino minimè conueniat? Nam cùm ille te omni genere doctrinarum longo superet interuallo, conatus es tu noua quædam affingere somnia, quæ propria tua essent, nec adhuc sectariorum nostri temporis quisquam attigisset, vt nõ omnia è Zuinglio aut Caluino hausisse vi deretis, sed nouorum & ipse dęmoniorum annunciator haberi posses. Quod mihi demonstrare difficile non esset, si tuos & Caluini libros ad manum haberem, Sed fortasse fiet hoc alio tempore.

Porrò quod Zuinglianorum & Tigurinorum facis mentionem, noli existimare, quod eosdem vtroq; esse nesciam. Quin & illud scio, Zuinglij verbum tanquam expressum Dei verbũ Tigurini receperunt. Vt autem eodem loco Caluini verbum haberent, adduci nunquam potuerunt. Nam & à Zuinglij sententia discessisse Caluinum, me minimè fugit, cùm eam locis aliquot oppugnauerit. Permolestum autem Tigurinis id accidit, inuentum aliquem esse, qui cuius ipsi verbum pro Dei verbo receperunt, ab eius discrepare sententia non dubitaret. Quantum autem laboris à Caluino susceptum est, vt suæ doctrinę suffragatores Tigurinos habere posset? Verùm irriti reciderunt conatus illius omnes. Finxit is quidem, se consentire cum Tigurinis in sua de cœna Dominica doctrina: sed non modò cum illis, verùm & cum ijs, qui sunt Augustanæ Confessionis, in hoc ipso dogmate falsò consentire se finxit, quam à te quoque famam non minus falsò sparsam aliquando fuisse scimus.

Incipit iam tandem serio Lascus rem agere. *Si quæ intercedunt, inquit, dissidia omnem protinus dilectionem, ac proinde omnem quoq; verbi diuini doctrinam à nobis propellunt, quemadmodum Hosius argumentatur: tum sanè inter ipsos Apostolorum principes, Petrum inquam & Paulum, dum alter alteri in faciem resisteret neq; dilectio, neq; verbi diuini doctrina, iudice Hosio locum vllum habebat, nisi si resistere in faciem coram omnibus. Hosio non est dissidere aut dissentire. Rursus dum inter Paulum & Barnabam ita acris orta esset disceptatio, vt alter alterum deseret, num paroxismus iste & dilectionem omnem & veram item verbi diuini doctrinam vtriusque tum omnino ademit. Idsi affirmat Hosius, accuset sanè Lucam, qui sub illa ipsa Pauli & Barnabæ separatione Ecclesias interim à Paulo per Syriam & Ciliciam, in verbi haud dubie diuini doctrina confirmatas fuisse docet. Si minus, relinquat igitur ac reformet suam argumentationem Reuerendus Pater, quam Episcopali suo spiritu euomuit, nempè vbi sunt dissidia, ibi non esse locum neq; dilectioni, neq; verbo Dei.*

Potes nè pie Lector dubitare, quin hæc Apostolico spiritu scripta sint? Sic nimirùm contenderunt inter se Petrus, Paulus, Barnabas, & ijsdem verborum leporibus vsi sunt, quibus hunc vrbanum imprimis & facetum hominem vti vides? Ego verò magnam ex ijs tam lepidis eius dictis voluptatem capio, quæ caussa fuit, vt ipsa eius verba producenda putauerim, quibus ille quo spiritu agatur, orbi se prodit vniuerso. Intelligit autem ipse quam sint ea futilia quæ protulit, itaq; respondet ipse pro me:

Dices. Non de doctrinæ controuersia certamina ista inter Apostolos exorta fuisse, Admittimus. Sed nullis alijs præterquàm doctrinæ dissidijs dilectionem violari, id verò ab Hosio probari velimus.

Vtinam verò Lasce, tales vos quoq; sessiones faceretis. Vtinã tales essent inter vos paroxismi, quales fuerunt inter Paulum & Barnabam. Præclarè Chrysostomus hunc ipsum locum tractans: Magnum, inquit, malum est ignorare scripturas, si à quibus vtilitatem capere oportebat, ab ijs incommodo afficimur: ita & remedia sæpè naturam habentia curatiuam, nescientibus ijs, qui vtuntur, bene vti illis corrumpunt & pessundant. Et ab armis quibus se quis tueri posset, si nemo est, qui rectè circumponat, damnum accipi potest. Quantò verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.140. melius vestræ saluti consuleretis Lasce, si peccatum agnosceretis potius, & ad Ecclesię grę-
mium rediretis, quàm vt ad excusandas excusationes in peccatis ad perniciem vestram &
scripturis exempla peteretis. Est autem hoc verisimile, quod qui carnem cum suis conciu-
Galat.5. piscentijs crucifixerant, qui clara voce sic omnes Christo credentes instruerant, Omnis a-
Ephes.4. maritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia,
quod ij eadem illa patrauerint, à quibus alios deterrere conabantur, quòd inter eos ita fu-
erit acris disceptatio, vt iracundia quadã exagitati discederent ab inuicem. Magna est Lascę
dissensionum diuersitas, & hæc ipsa vox, qua Lucas vtitur paroxismus, in bonam nonnun-
Heb.10. quam partem accipitur. Nam vbi dicit Apostolus, Consideremus inuicem in prouocatione
charitatis & bonorum operum, Græcè legitur, εἰς παροξυσμὸν ἀγάπις. Talis igitur fuit A-
postolis dissidendi ratio. Fuit inter illos dilectionis, non odij paroxismus. Requirebat Pau-
lus accuratam censuram Apostolicæ professioni conuenientem, itaq; noluit eum itineris
habere comitem, quem semel metu adductum deseruisse comitatum suum cognouerat.
Barnabas contrà, cùm esset ad humanitatem propensior, posteàquam vidit, quòd eum facti
sui pœniteret, recipiendum putauit. Itaq; Dei quidam Zelus fuit inter eos, non inimicitiæ,
non acris vlla disceptatio. Non sunt vsi flosculis istis Lascanis: Relingat & resorbeat Reue-
rendus pater, quod euomuit. Sed rogabat Paulus Barnabam, inquit Lucas, non debere re-
Genes.13. cipi, quod cùm non impetrasset, credibile est, quod Abraham & Loth exemplo, nonnihil in
hanc sententiam dixerit. Quoniam nec ego volo, nec tu vis, ne pugnemus. Distribuamus
prouincias. Et ita, cùm alter alteri cederet, discesserũt ab inuicem. Iterum atq; iterum dico,
Vtinam Lasce talis esset vestra secessio. Nihil igitur facit exemplum hoc, ad excusandum sa-
crilegium vestrum.

Galat.2. Sed nec illud quicquam adiuuat, quod de Petro adfers, à Paulo reprehenso. Nam vt dé-
Ad August. mus tibi verè fuisse reprehensum, quod negat Hieronymus, & sententiæ suę multos graues
authores citat, putas ne tu, nõ licere superiorẽ etiam aliquando qua par est modestia repre-
hendere? vel citra dissidium aliquod animorum reprehensionem eiusmodi fieri non posse
credis? Nos, errauerit nec ne Petrus, nullam de eo nũc disputationem inire volumus. Nam
qua de re agitur inter nos, ad eam nihil pertinet. Verùm hoc tamen affirmare non dubita-
mus, si quod aliud tum & hoc esse proprium charitatis officium, errantem reprehendere,
Prouerb.27. & in viam reducere. Verissimè dictum est, quod melior est manifesta correptio, quàm a-
mor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Non
itaq; propterea statim dissidium exortum, & propulsam esse charitatem existimandum est,
si fortè quis fratrem amicè reprehenderit: neque fuit hæc vnquam nostra sententia, quod
quibusuis etiam doctrinæ dissidijs vel dilectio, vel verbi diuini doctrina repellatur. liben-
terq; tibi concedimus, fuisse patres quosdam, qui nonnunquam inter se de certis doctrinæ
capitibus dissenserint. De hoc ipso quod nunc protulisti, Petrum à Paulo reprehensum fu-
isse, quantæ fuerint inter Augustinum & Hieronymum dissensiones, vtriusque scripta satis
indicant, in quibus tamen flosculos illos tuos & lepores reperire non licet. Vide autem
quanta sit hæc hyperbole, vt nihil iam dicam de Grammatica. Non fuit quisquam Patrum,
qui non inter se alicubi, & quidem grauiter dissenserint, saltem vnum aut alterum protu-
lisses, inter quos tam grauis fuit dissensio. Certè de rebus ad fidem pertinentibus inter pa-
tres nostros, nulla fuit vnquam: (Patres enim voco Catholicos, non hæreticos,) ac non
modò inter patres, verùm nec inter eos, qui sunt nostri temporis Doctores Catholici. Con-
ciliorum quoq; perpetua semper fuit in doctrina fidei consensio: quamuis in ijs quæ sunt
iuris positiui, pro eo ac temporum locorum, & personarum exigebat ratio, variata quæ-
dam nonnunquam fuerint. Certum igitur est, in ipsis doctrinæ dissidijs, permagnum esse
discrimen, vt sint quæ vnà cum dilectione, ac proinde incolumi quoq; verbi diuini doctri-
na, simul consistere possint: sint item, quæ non possint. Neq; minus certum ac verum est hoc
quoq;, quod Ecclesiastica societas, ac proinde dilectio per eos violatur ac dirimitur maxi-
mè, quos ipse doctrinæ fundamentum, non amplius tenere, sed ab eo desciuisse, denique &
oppugnare constat. Etiamsi hoc perinde verum non est, quòd non per alios violetur Eccle-
siastica societas, & Christiana charitas, præter quàm, per eos qui fundamentum hoc non te-
nent. Nam si per fundamentum Lasce, non aliud intelligi vis, quàm Propheticas & Aposto-
licas scripturas, perpaucos hæreticos commemorare poteris, qui se fundamentum hoc te-
nere non dicant. Nam qui sunt alij, qui magis hoc fundamentum se tenere gloriati sunt,
quàm hæretici, iam inde à multis seculis, quemadmodum & in eo libello, quem oppugnas,
& in alijs libris nostris non vno loco, multis veterum orthodoxorum Patrum testimonijs
productis, à nobis fuit demonstratum, quæ nunc repetere nihil est necesse. Non igitur qui-
quis hoc fundamentum tenet, quisquis illud in ore frequenter habet, quod etiam à Satha-
na productum esse scimus: Scriptum est enim, is Ecclesiæ membrum statim est putandus.
Etiam nostro seculo non soli vos estis Lasce, qui vos fundamentum hoc tenere gloriamini,
gloriantur idem hostes vestri Lutherani, gloriantur Anabaptistæ, gloriatus fuit & Serue-
tus, qui subinde vociferatus fuisse dicitur. Scriptum est enim, Nihilominus Caluinus tuus,
Hilar.lib.2. de Tri- cùm eum in rogum coniecisset, igne subiecto fasciculis eius argumenta dissoluit. Fremant
nitate. licet omnes hæretici, nihil est eo verius, quod scripturæ non in legendo, sed in intelligendo
Hieron.in cap.1.ad Galat. consistunt: quòd Euangelium non in scripturarum verbis est, sed in sensu: non in superficie,
sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Sensus & consensus Ecclesiæ,
vel inuitis omnibus inferi portis, expressissimum est Dei verbum, à quo qui discedunt, eo-
rum Apostatica, non Apostolica est Ecclesia. Nullum in scripturis mendacium extare, sed
meram veritatem, libenter agnoscimus. Simul autem & hoc profitemur, quod omnis con-
troversia versatur in syncera aut detorta ipsarum interpretatione. Hic quærit Lascus, si

hoc verè ita sentimus, cur vnanimi scripturæ menti ex legitima collatione locorum colle-
ctæ, in qua nullum est mendacium, sensum ac consensum Ecclesiæ anteponamus, quem nõ
modò variasse plures, sed etiam secum pugnasse negari non possit. Atqui negamus id con-
stanter, quòd in dogmatibus fidei, variauerit vnquam sensus & consensus Ecclesię, tantum
abest, quòd secum ipse pugnauerit. Nullum eius rei potes exemplum proferre. Videris aũt
ipse quid loquaris, non intelligere. Quis enim est, qui dubitet, quòd in vnanimi scripturæ
mente: nullum est mendacium? Quid autem? Si quam tu scripturæ mentem esse putas, tuæ
sit illa, non scripturæ mens. Quod si eorundem scripturæ locorum, quos tu collectos in vnũ
confers, longè sit sensus diuersus ab eo, qui profertur abs te? Quid si longè secùs eæ scriptu-
ræ ab vniuersa semper Ecclesia fuerunt intellectæ? Num tuum nihilominus fanaticum spi-
ritum sequemur potius, quàm eum qui totius est Ecclesiæ? Multas in vnum scripturas Arri-
ani collegerunt, ex quarum vt ipsis videbatur, vnanimi mente dogma suũ probare conten-
debant, sed obtinuit nihilominus contra illos sensus & consensus Ecclesiæ, Mentem scriptu
rarum proferre visus est Seruetus quoq;, sed aliam protulit mentem earum Caluinus, iuxtà
sensum & consensum Ecclesiæ. Nam in dogmate de Trinitate, vos à nobis minimè dissenti-
re fatemur. Cùm autem Seruetus inflatus sensu carnis suæ nihilominus acquiescere nollet,
debitas pertinaciæ suæ pœnas luit.

Nunquam autem hoc à me, vel dictum, vel scriptum, vel cogitatum est Lasce, quod fin-
gis tu, veram in scripturis verbi diuini doctrinam, ex earum vnanimi mente non esse peten
dam, verùm, quam vos adferre soletis, eam scripturarum esse mentem negaui: Cùm pro-
prium hoc semper hæreticorum fuerit, suum vt sensum scripturis astruerẽt, suo sensui scri-
pturas attemperarent, nõ autem suum sensum scripturis iungerent, neq; pro scripturarum
sed pro sua sententia sic dimicarent, vt eam vellent scripturarum esse, quæ sua est, cùm potiꝰ
eam quæ scripturarum est, suam esse velle deberent. Quamobrem cùm quilibet vestrum
dicat, hæc est scripturæ mens, cùm ea tamen longè sit diuersa, cùm ea de re pugnetis etiam
ipsi inter vos, quemadmodum suo loco demonstrabitur, operæprecium nos facturos puta-
uimus, si pios admoneremus, vt ne statim eam esse scripturæ mentem crederent, quam hæ
reticus aliquis eius esse mentem affirmaret: verùm, quam illius esse mentem, ex Ecclesiæ
sensu consensuq; didicissent, eam potius tanquam expressum Dei verbum amplecterentur.
Quò res dilucidior esse queat, è scripturis exempla proferemus. Protulit scripturã Arrius,
Pater maior est me, qua demõstrare conabatur, quòd non esset æqualis patri filius, nec eius-
dem cum eo substantiæ. Producebant aliam Catholici, Ego & Pater vnum sumus, qua pro-
bare nitebantur, esse patri filium ὁμοούσιον. Quid ad hæc Arriani? quid aliud quàm quòd affer
tis? Scripturam aiebant per scripturam oportet interpretari. Pater & filius vnum sunt, con
cedimus, verùm quo sensu? Docet hoc alia scriptura, vbi de nobis quoq; Christus loquitur,
patrem suum cœlestem affatus: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt Ioan.17.
sint vnum sicut & nos. Et paucis interiectis, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego
in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Ac mox vt sint vnum, sicut & nos vnũ sumus. Quid aper-
tius hac scriptura dicebant Arriani. Declarat hoc ipse Christus, quomodo debeat intelligi,
quòd nõ multò antè dixerat, Ego & Pater vnum sumus, nimirùm ita sicut nos & pater vnũ
sumus. Num aũt eiusdem substantię sumus nos, cuius est Pater? Quis hoc dixerit? Eadem est
igitur & filij ratio. Pater & filius vnũ sunt, vnitate voluntatis, vt quod vult pater, idem sem-
per velit filius, nec vnquam ab eius voluntate discrepet. Qua ratione nos quoq; vnum vt es-
semus, migraturus ex hoc mundo precatus est patrem filius, vt nunquam aliud vellemus,
quàm quòd cœlestem patrem, & eius vnigenitum filium velle scimus. Hæc fuit Arrianorum
ratiocinatio Lascę. Quid autẽ tibi videtur? Verus ne fuit sensus hic, quem illi collatione fa-
cta scripturarum attulerunt? Ego verò non dubito, quin & tu quod ad hoc doctrinæ caput
attinet, idem nobiscum sentias, nec vnquam sis Arrianis concessurus, vt non substantiæ po-
tius quàm voluntatis vnitate, pater & filius vnum esse censeantur: vtrumq; illi diuersum,
vnanimi (sicut illis videbatur,) scripturarum sensu demonstrare se posse credebant. Certè
sancti Patres illi, quibus res tum fuit cum Arrianis, verba hæc, Ego & Pater vnum sumus,
ita debere intelligi, quòd filius vnius & eiusdem cum patre sit substantiæ, nec vlla re quate-
nus Deus patre inferior, non aliundè magis probauerunt, quàm quòd qui præcesserant eos
patres, ita scripturæ locum hunc intellexerint, quorum consentientem in eius explanatio-
ne sensum secuti, vt ab eo se dimoueri paterentur, nulla vnquam ratione adduci potue-
runt. Quin etiam qui sensum hunc eorum & consensum reliquissent, eos minus legitimam
patrum suorum sobolem esse declarauerunt. Quod in libris nostris contra Brentium, Atha
nasij & aliorum quorundam testimonijs docuimus. Possem non dissimile quiddam osten-
dere de verborum illorum explanatione: Hoc est corpus meum, de quibus vos hac tempe-
state nostra tantas tragœdias excitastis; verùm erit alius fortasse aptior hac de re differendi
locus.

Garrit nescio quid iterum Lascus, & reclamare me fingit Apostolicę de Christo Domino
confessioni, ore Petri Apostoli proditæ. Vult vt ei respondeam, num cum Petro & vniuersa
Apostolica Ecclesia indubitato credamus, Dominum IESVM esse verè CHristum illum
filium Dei. Quod autem hoc est interrogationis genus? Num de rebaptizandis nobis cogi-
tat? Nos verò non solum hoc indubitatè credimus, quòd CHristus est verè Dei filius, ve-
rũm & hoc præterea certò persuasum habemus, quòd hunc ipsum CHristum Dei filium tu
Lascę impie negasti, quo tempore ab eius sacrosancto corpore, vna, sancta, Catholica, Apo-
stolica Ecclesia, nefario scelere te præcidisti. Sed eadem, inquit, opera credatis necesse est,
eum & Deum pariter verum, & verum hominem esse: esse item quod ad delegatam ei à Pa-
tre Deo functionem attinet, vnicum, summum atq; æternum Pontificem, Regem, atq; du-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctorem, seu Prophetam Catholicæ Ecclesiæ Dei. Vtinam verò Lasce, equè tu verè, & ex animo credires hæc, atq; creduntur à nobis. Quorsum autem hæc? Num quia credimus, vnicum summum, atq; æternum Pontificem, Regem, ac ductorem & Prophetam Ecclesiæ Christum esse, ideo, nullum iam Pontificem, nullum Regem, nullum ductorem, nullum Prophetam agnoscere debemus in Ecclesia? Mirum ni tuis hoc persuadere coneris, vt sicut Pontificis & Episcoporum, sic Regis quoq; Sigismundi iugum excutiant: & vno Pontifice, vno Rege Christo sint contenti, ne quid eius gloriæ detrahant, si quem alium Pontificem aut Regē in terris agnouerint. Hic est, scilicet doctrinæ vestræ scopus, vt sit populus absq; Rege, absq; lege, absq; sacerdotio, absq; sacrificio, absq; Deo. Nos verò Lasce, etiam filium Dei vnigenitū Christum agnoscimus, neq; tamen propterea quicquam eius dignitati detrahi censemus, si qui credunt in eum filij Dei appellentur. Hoc ipsum de Pontifice, deq; Rege Christo tibi respondum existimato. Æternus & immortalis Pontifex & Rex, solus est Christus Dñs. Nihil tamen impedit, quò minus etiā homines mortales, quibus hæc à Deo potestas concessa est, Pontifices & Reges vocentur, etiamsi propriè loquendo, ministri verius dici possint illius æterni Pontificis & Regis, cum penes illum solum sit omnis virtus & potestas, penes homines verò Pontifices & Reges, ministerium.

Ponit iterum alias quæstiones, ad quas respondere me vult. Si Christum Dñm Deum verum esse credimus, cur operi ipsius in procuranda salute nostra, vbi carnem nostram assumpsisset, non tribuimus omnem ac plenam perfectionem, cùm scriptura doceat, Omnia Dei opera perfectissima absolutissimaq; esse, quandoquidē in eum, qui illa operatur, Deum nulla imperfectio cadere potest? Piget me iam pridem ad has ineptias descendisse, vt ita cum inepto homine ineptire quodammodo cogar. Qui cum aūt ille rixatur? Quis, n. est, qui operibus Christi oēm perfectionē non tribuat? Sed si tribuit, inquit, operi huic diuino Christi Domini oēm ac plenam perfectionē, vbi nam subsistent subsidiaria illa, quæ nos propugnamus salutis nostræ remedia, nempè satisfactiones nostræ pro peccatis, opera item nostra, non tantum meritoria, sed etiam supererogatoria, & quidem quæ non solum nobis adiumento sint, verùm etiam alijs tam viuis quàm mortuis? Quid. n. subsidiarijs vllis omnino adminiculis ad salutem nostram opus habemus, si opus filij Dei viui incarnati, in procurāda nostra salute modis omnibus perfectum atq; absolutum esse nō dubitamus? Aut quomodo opus id filij Dei modis omnibus perfectum atq; absolutum esse non dubitamus, si illud nobis sine nostris adminiculis sufficere non posse dicamus? Hinc, inquit, primum se expediat Hosius cum suis omnibus, & se fundamentum doctrinæ Apostolicæ retinere declaret. Scilicet hoc est fundamentum Apostolicę doctrinę secundum Lascum, firmiter statuere, quod opus filij Dei incarnati in procurāda salute, nostra modis omnibus perfectum est atq; absolutum, atq; ideo summo studio cauere, ne quid boni operis facias, néue te ad pietatem vllā exerceas, ne fortè salutē ijs adminiculis quæ fiuisse videare, quasi absq; illis opus filij Dei nobis ad salutem procurandam non sufficerit? Quid hac doctrina impurius? Quid ad omne studium virtutis eneruandum aptius? Itanè docuerūt Apostoli, Coronemus nos rosis: Pertrāseat omne pratum luxuria nostra: Viuamus in delitijs & nequitijs: Christus. n. pro nobis incarnatus, passus & mortuus, expleuit omnia, quæ fuerunt ad salutem nobis procurādam necessaria. Quod si tu vel minimum tuis voluptatibus detraxeris, si quid egrè carni tuę feceris, si durius aliquod & sanctius vitæ genus amplexus fueris, quid aliud quàm perfuasum habere videbere, quòd opera Christi parū perfecta fuerint, & absq; adminiculis ijs illius, incarnatio & passio tibi ad salutem procurandā sufficere nō potuerit. Epicuri de grege porci sic docuerunt, non sancti Apostoli Christi: & est hoc Epicureæ non Apostolicæ doctrinę fundamentum, quod ego me non tenere velle, clara voce profiteor. Apostoli quidem ad ieiunium, ad castitatem, ad orationes, ad eleemosynas, ad omnia pietatis exercitia, sedulò scriptis & sermonibus suis hortati sunt oēs. Compati nos oportere, si conglorificari, sustinere, si conregnare: cōmori, si conuiuere velimus, docuerunt, vt crucifigentes carnem nostrā cum vitijs & concupiscentijs, cum Christo simul cruci cōfixi videri possemus, vt sicut ille ambulauit, & nos ambulemus, & cùm alijs in rebus tum præsertim in charitate mutua, nobis illū pro peccatis nostris crucifixum & mortuum imitandū proponeremus. Sic docebant Apostoli, neq; se cùm ita docerēt, operis filij Dei incarnati, in procuranda salute nostra perfectioni detrahere quicquam existimabant. De Christo loquens Paulus, Factus est causa salutis æternæ omnibus. Num hic absoluit sermonem suum? Nequaquam. Sed addit, omnibus obtemperantibus sibi, hoc est, mandata sua seruantibus. Neq; discrepauit à Christo, cuius hæc verba sunt: Si vis ingredi ad vitam, serua mandata. Et iterum: Beati eritis si feceritis quę ego præcipio vobis. Iam ne igitur perspicis Lasce, quòd nos illud apertè prædicamus, quòd Christus gustauit mortem pro nobis omnibus? Factus est propiciatio pro peccatis totius mūdi, & fuit opus incarnationis illius & passionis perfectissimum, & ad salutem eternā nobis procurandam sufficientissimum: neq; tū propterea salutem hanc oēs cōsequuntur etiā fideles. Quid ita? Num aliquid operis illius perfectioni deest? Abfit. Perfectissimum esse dicimus & absolutissimum. Sed cùm ille nihil eorum prætermiserit, quæcunq; pertinere poterant ad salutem nostram procurandam nostra culpa, nostro quodā defectu fit, vt eam nihilominus non oēs assequamur. Præclarè Aug. Qui fecit te sine te, nō te iustificat sine te, Templum Dei fiat oportet, qui vult habitare in domo Dei. Templum autem suum, sicut idem scribit Aug. non sic de nobis ædificat Deus, quasi de lapidibus, qui non habent motum suum, leuanturā structore, ponūtur. Non sic sunt lapides viui. Et vos tanquam lapides viui coædificamini in templum Dei. Ducimini, sed currite, sed sequimini. Quia & cum secuti fueritis, verum erit illud, quia sine me nihil facere potestis. Cùm itaq; non simus ex eo lapidum genere, qui sunt spiritu destituti, (quemadmodum Caluino tuo videtur), sed simus viui lapides, ad ferendus & ipsi

Sap. 2.

Rom. 8.
2. Tim. 2.

Gal. 5.
1. Ioan. 3.

Heb. 5.

Matth. 19.
Heb. 2.

De verbis Domini homil. 15.
Ibidem serm. 13.

Ephes. 2.
Ioan. 15.

& ipsi aliquā à nobis necesse est: moueamus nos, si quam salutem Christus nobis morte sua procurauit, eam adipisci volumus. Ac fatendum quidem illud est, qd̄ per baptismi sacramentum non est difficilis ratio salutis consequendæ: tum. n. si quem vitæ anteactæ pœnituerit, sufficit fides, nec impediunt hominem quamlibet grauia scelera quę patrauit, quò minus simul ac per lauacrū regenerationis ablutū fuerit, regni cœlestis hæres efficiatur, nec vlla ab eo satisfactio requiritur. Cęterùm voluntariè peccantibus nobis post acceptam noticiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. Non superest iam alius baptismus, pręter eum quem Greg. Nazianz. & Nissenus vocant baptismum lachrymarum, quem Ioan. Damas. laboriosum baptismum appellat. Non. n. sanātur vulnera post baptismū accepta, nisi per multas lachrymas, & fletus & fuctus & ieiuniū, & orationes, & laborē, peccatiqd̄ cōmissum est grauitati cōmoderatum, pręcipuè verò per eleemosynas. Atq; ea sunt, quas vocamus satisfactiones, quas Ioan. Baptista vocat fructus dignos pœnitentiæ. Quos nisi quis fecerit (dummodo vitæ spacium ad faciendum illi ne desit) frustrà se peccatorum suorum veniam, frustrà salutem æternam consequi posse sperat, etiam si quàm firmissimè credat, opus incarnati Christi, nobis ad salutem procurādam sufficientissimum fuisse. Neq; enim propterea Christus incarnari, pati, crucifigi, mori dignatus est, vt nobis quomodolibet viuētibus salutem procuraret, dūmodo procuratam esse crederemus. Errat toto cœlo, si quis hoc ita persuasum habet. Sed morte quidē ille sua, vita, omni verò vitæ suæ ratione, via nobis fieri voluit, vt sciremus per viam, ad vitam nobis esse perueniendum, hoc est, ambulādum esse nobis. sicut ipse ambulauit, si volumus ad vitam peruenire: ipse est. n. qui dixit, Ego sum via, veritas, & vita. Mors eius à morte nos redemit: pro peccatis nostris satisfecit, & amissam vitam nobis restituit. Vita eius viuendi regula nobis fuit, & viam ostendit, per quam ad vitam ingredi nos oportet. Prius illud vrgetis vos Lasce, quod vita nobis Christus factus est morte sua, de altero illo, mirum est apud vos silentium, quòd via nobis factus est vita sua: cùm tamen, non quibuslibet ille vitam & salutem æternam procurauerit. Sed ijs tantum (de adultis loquor,) qui per eandem viam intederent, qua ipsum incessisse scirēt. Itaq; non sine quibusdam adminiculis nostris, æternam salutem nobis Deus largitur. Procurauit ille quidem nobis eam, absq; vllis nostris adminiculis, & cumulatè præstitit omnia, quæ ad eam nobis comparandam pertinerent, nihil vt in illius operę desiderari queat: Sed interea tamen & ipsi faciamus aliquid oportet, quò salutem nobis per illum abundè procuratam assequi possimus. Paulus Apostolus nihil est veritus dicere, Dei adiutores sumus, Dei agricolatio estis, Dei ædificatio estis. Quid? An indiget adminiculis Deus? An solus ipse per se non potest? An illius incarnationis & passionis opus in procuranda salute nostra perfectum non fuit? Mirùm ni tu Lasce Paulum verè in Christum credidisse negaturus sis, qui putauerit adminiculis Deum egere, quasi non sufficerit nobis ad salutem illius incarnatio & passio? Ac loquitur ibi quidem Paulus de doctoribus, qui plātando & rigando, quasi Deum adiuuant. Sed si nihil detrahitur operis Christi perfectioni, cùm dicitur, magistros adiutores esse Dei, cur magis detractum videri debet, cùm non tam Deum, quàm nosipsos nō sine Deo tamen adiuuare dicimur ad salutē, quam ille nobis absq; vllis adminiculis nostris præparauit consequendam? Iam verò cùm de discipulis quoq; Paulus loquitur, Dei ædificatio estis, ecdo Lasce, vnde nos templum sibi Deus ædificat? Num ex ijs lapidibus, qui spiritu carent, nec motum vllum habent, vt nunc hunc, nunc illum leuet lapidem, & hoc aut illo loco ponat. Quamlibet Caluino tuo sis addictus, non puto tamen, eo te adhuc audaciæ progressum, vt apertè principis Apostolorum sententiam illam oppugnes. Ad Dominum accedentes lapidem viuum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis. Viuus lapis vocatur à Petro CHristus, vocamur nos quoq; viui lapides, qui super illum ædificamur. Itaq; non ita leuamur, sicut inanima saxa: nec è terris in cœlum ita transferimur, vt nihil agamus ipsi, sed sicut ait Petrus, Accedimus ipsi ad viuum lapidem CHristum: Accedimus autem, non pedum, sed affectionum nostrarum gressibus, dolore de peccatis nostris, quibus auersi fueramus à Deo, concepto, & omni voluntate nostra ad eum conuersa. Et hæc sunt adminicula, quibus non tam Deum vocante nos, quàm nos ipsos adiuuamus, sine quibus, quam ille nobis incarnatione, & morte sua salutem affatim procurauit, nulla ratione consequi possumus. Hos igitur viuos lapides per Prophetam vocans Dñs, vt sibi templum ex eis ædificaret, Conuertimini, inquit, in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Vides quod non tanquam inanima saxa leuat, sed accedere iubet, vt conuertamur prępit, modum etiam indicat, quo nos conuertere debeamus, in ieiunio, in fletu, & planctu. Scindite, inquit, corda vestra, &c. Quid aūt Lasce, Num & hunc tu Prophetam dubitasse dices, opus incarnandi filij Dei (in cuius fide sicut nos qui secuti sumus, sic & illi qui præcesserunt incarnationem saluabantur omnes,) in procuranda salute nostra perfectum & absolutum fore, qui subsidiaris ijs adminiculis opus habere nos existimauit, & ad ea tam diligēter inuitauit. Sed plenę sunt omnes & Prophetarum & Apostolorum paginę id genus inuitationibus, Falsum est itaq; fundamentum hoc tuum, quandoquidem opus Dei filij incarnati in procuranda nostra salute modis omnibus perfectum est & absolutū, propterea nullis nobis opus esse nostris adminiculis ad eam consequendam. Et est hoc non Propheticum sicut putas tu, verùm sicut res ipsa clamat, Epicureum fundamentum, super quod quicquid struitur à vobis, corruat necesse est. Fundamentum nostrum Lasce, Christus est. Hoc fundamentum sapiens architectus ille Paulus in animis Corinthiorum se posuisse gloriatur: interea tamen dicit, Alius autem superædificat. Vnusquisq; autem videat, quomodo superędificet. Quibus verbis in vitę certamen (vt Chrysostomo videtur) eos trahit, vt quam plurimum bonorum operum super hoc fundamentum, ędificare conentur, alioqui futurum, vt frustrà de hoc fundamento glorientur.

Heb. 10.

In ser. de sanctis Innocentibus Epiphania. Durius in hom. quam scripsit ad eos, qui alios indicant.

Li. 4. Theol. c. 10.

Matth. 3.

Ioan. 14.

Ioel. 2.

1. Pet. 2.

1. Cor. 3.

Hom. 8. in 1. ad Corinth.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vide autem pie Lector, quorsum istis res tandem recidit. Posteàquam persuasum semel habere cœperunt, quòd Christi mortem euacuant, & alium præter Christum quærunt mediatorem, qui putant opera sibi ad salutem esse necessaria: quoniam & baptismus opus est, eò blasphemię progressi sunt, vt etiam illos aliud præter mortem Christi medium inducere dicerent, qui baptismo nos fieri saluos docent, quodq; Christi sanguini reliquum nihil faciant, qui medicinam peti volunt ex aqua baptismi. Quam istorum sententiam scripto quodam de baptismo libello Ioachimus Vvestphalus oppugnat. Ioannis huius à Lasco scripta, nobis perpauca legere licuit, & ea quæ legimus, nunc ad manum non habemus. Cæterùm extat libellus quidam Erasmi Alberi, hominis Lutherani contra Sacramentarios & Anabaptistas editus, in quo complures errores Lasci vidimus annotatos. Inter alios de baptismo sunt hi, quòd is non sit medium salutis nostræ: quod idolum ex eo faciamus, dum illi peccatorum remissionem tribuimus, cùm non sit ablutio peccatorum, sed signum tantùm ablutionis, quòd qui sunt ad vitam æternam prædestinati, salui fiunt, nec opus habent baptismo. Profert autem & hunc eius syllogismum: per opera salutem non consequimur, Sacramenta sunt opera, ergo per Sacramenta salutem non consequimur. Vide quemadmodum per hos satellites suos, Sathanas non opera bona, verumetiam ipsa sacramenta nobis auferre conatur, dum omnem illorum tollit efficaciam.

Sed audi quemadmodum etiam in hoc suo libello, iterum de Venerabili Eucharistiæ sacramento blasphemat.

Si eundem Christum Dominum, inquit, verum quoq; in carne nostra hominem, personali vnitione coniunctum Deo filio esse credit, nobis alioqui naturæ nostræ communione ita coniunctum, vt per omnia sit nostri similis, excepto duntaxat peccato, quemadmodum Paulus docet: vbi nam quæso manebit doctrina ipsius, suorumq; omnium de crustuli panis in Christi corpus naturale, reali ac substantiali transitione siue per sequipedalem illam transubstantiationem, siue per panis euanescentiam ac corporis Christi substitutionem, vbi item doctrina de corpore Christi inuisibili, immenso, ac nusquam non præsenti?

Qualis autem est hæc hominis oratio? Mihi quidem febricitantis esse videtur. Dixeram paulò antè, quod ad fidem sanctæ Trinitatis attinet, Sacramentarios, de quorum fece Lascus hic est, à nobis non discrepare. Verùm hoc loco dum nescio quid nugatur de Christo Domino, deq; Dei filio, quasi Christus Dominus alius quidam sit quàm Dei filius, nonnihil mihi venit in mentem dubitare, num is de Trinitate rectè sentiat: videtur enim quaternitatem quandam inducere velle. Nos qui per Dei gratiam Catholici sumus & Orthodoxi, Christum Dominum eundem esse Dei filium profitemur. Est enim Christus Dominus, & Dei & hominis filius, & Deus verus, & homo verus, vnus tamen Christus, neq; coniungitur CHristus Dominus cum Dei filio, cùm idem Christus Dominus ab æterno sit Deus Deiqúe filius, nec vnquam Deus Deiqúe filius esse desierit. Qualia sunt igitur hæc verborum portenta, Christus Dominus coniungitur cum Deo filio, quasi tempus aliquando fuerit, quo Christus Dominus non erat Deus, Deiqúe filius. Quàm sunt hæc absurda? quàm blasphema? Fides recta hæc est, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster IESVS Christus Dei filius, Deus & homo est. Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, homo est ex substantia matris in seculo natus, Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens, Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem, qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: vnus omnino non confusione substantię, sed vnitate personæ. Hęc apud nos ne pueri quidem ignorant, verba ista ex Athanasij symbolo frequenter in Ecclesia decantantes. Et scrutator hic maiestatis, qui nihil reformidat altiora se quærere, & fortiora se scrutari, ne hæc quidem satis explicare potest, quæ pueri quoq; tam disertis verbis enunciant. Nondum satis persuadere mihi possum, quòd is cum Nestorio sentiat, alium esse CHristum Dominum, alium Deum filium, sed eum imperitia dicendi magis peccare puto. Non enim ei placent voces vsitatæ, nouas quasdam quærit, & parum tritas, nouorum dæmoniorum hic annunciator ex quo fit, vt in tam absurdos errores incidat, ac se nonunquam ipse non intelligat. Quod hoc in loco ei contigisse dubium non est: quin ipse videtur hoc agnouisse. Nam cùm dubitaret, num satis intelligeretur, eadem illa repetiuit, si fortè quæ dixerat intricatius, magis explicatè tradere posset.

Postulamus inquit, vt simpliciter & perspicuè ostendat Hosius, hæc duo posse consistere: Nempe, vt verè & indubitato credimus, Deũ filiũ in sua incarnatione SIMILITER, hoc est, per nominalem sine viri contactu interim ex matre virgine, virtute spiritus sancti generationẽ, nostræ carni, nostroque sanguini participasse, esseque nobis in naturæ nostræ communione per omnia similem excepto peccato. Et nihilominus statuamus, eam panis in verum & naturale humanitatis nostræ CHristi Domini corpus transitionem, quocunque tandem ea modo statuatur, quæ nullam cum nostris corporibus omnino conuenientiam vllo prorsus modo habeat, habereque in æternum vnquam possit. Ac rursum vt corpus Christi Domini, insensibile, immensum & ἀπεί ρου ναν formemus, cum nihil huius nostris corporibus scriptura ipsa promittat, & tamen doceat, corpora nostra fore conformia glorioso Christi Domini corpori post nostram resurrectionem: imò verò diserte testetur glorificatum alioqui iam CHristi Domini corpus sensuum testimonio potissimum vere agnoscendum, atq; à quouis spiritu adeò discernendũ esse. Atq; hæc quidem de persona Christi Domini.

An autem hęc Lector magis perspicua sunt, quàm illa priora? Mihi quidem maioribus etiam tenebris obfuscata videntur. Sed quid Caparnaitæ huic respondebimus litiganti & quærenti: quomodo potesthic nobis carnẽ suã dare ad manducandũ? Dicemus. Altiora te ne quæ-

Ioan. 6.
Eccles. 3.

ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis, sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Verùm hæc ille iam præoccupauit, ne dici à nobis possent: sic enim scripsit paulò superius: *Nouimus hic sane latebras verborum, quibus hæc omnia inuoluere Hosiani soleant, nouimus & artes ipsorum, quibus vel ad fallendum, vel si aliud non queant, ad absterrendum saltem simpliciores, ab eius rei scitscitatione, vt tantur. Sed hic locus non est, vt de istis disputemus, tantum postulamus, vt simpliciter ostendat, &c.* Prouerb. 25.

Nihil est eo verius Lasce, quod ais, hic locus non est, vt de istis disputemus. Credendum est, non disputandum, non curiosius inuestigandum. Credendum est veritati de veritate sui corporis & sanguinis dicenti: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hic est sanguis meus, qui pro vobis fundetur. Veritas est, mentiri nescit, fallere non potest. Ipse dixit, & factum est: Ipse mandauit, & creatum est. Iussit Dominus, & factum est cœlum: iussit Dominus, & facta est terra: iussit Dominus, & facta sunt maria: iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Si potuit sermo Christi ex nihilo facere, quod non erat, cur non possit ea quæ sunt, mutare in id, quod non erant? An minus est, nouas rebus dare, quàm mutare naturas? Quæris Lasce, quandoquidem Christus carnem per omnia nostræ carni similem assumpsit absq; peccato, qui fieri potest, vt in eam panis transeat. Quærimus vicissim ex te, qui fieri potuit, vt virga Moysi conuerteretur in serpentem, & aquæ Ægyptiacæ in sanguinem, & aqua in nuptijs in vinum? Scilicet ibi potuit Deus, hic non potest? Quæsiuit olim quamuis longè diuersa intentione Deipara virgo, quomodo fiet istud mihi, quandoquidem virum non cognosco? Respondit ei Gabriel Archangelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. An totidem verbis tibi quoq; non rectè respondebimus, quęrenti quomodo panis transeat in corpus CHristi. Spiritus sanctus accedit, & facit hæc, quæ & rationem & intellectum humanum excedunt. Corpus enim reuerà diuinitati coniunctum est: Illud corpus, quod est ex sancta virgine. Non quòd ipsum corpus assumptum è cœlo descenderit, sed quòd ipse panis & vinum transmutantur in corpus & sanguinem Christi. Quod si verò modum quæras, quo id fiat: satis sit tibi audiuisse, quòd per spiritum sanctum, quemadmodum ex sancta Deipara per Spiritum sanctum sibi ipsi, & in seipso Dominus carnem constituit. Nihil præterea scimus amplius, nisi quòd sermo Dei verus est & efficax, & omnipotens, modus autem inscrutabilis. Sic respondit olim Ioannes Damascenus quærentibus idem hoc, quod nunc quærit Lascus. Quæ responsio quin fideli Christiano satisfaciat, dubium non est, sed infideli Lasco ne si persuasum quidem fuerit, facilè persuadebitur, quò magis difficulter ad veram Christi verborum intelligentiam peruenire potest. Cùm rectè dictum sit, quòd intellectum fides aperit, infidelitas claudit. Est enim fidei mentes intellectus, & credendo fit vt intelligere mereamur. Nisi credideritis, ait Propheta, non intelligetis. Sed hæc Lascum fortasse non mouebunt, dicet nihilominus: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Quid igitur faciemus huic incredulo? qui nisi suis oculis viderit, nisi suis manibus cõtrectauerit, fidem habere non vult ipsi Christo dicenti, Hoc est corpus meum: quod negat illius tantam esse potentiam, vt quod dixit, efficere queat. Certè blasphemus hic, sceptro magistratus rectius coerceretur, quàm nostro stylo refutaretur. Sed nos tamen miseret miserorum & imperitorum hominum, quos cœcum hunc ducem secutos, in tam fędum errorem præcipites ruere videmus. Libet itaq; quotidianum eius rei exemplum proferre, quò minus alicui videatur incredibile, si faciat hoc Deus per virtutem, quod facit natura, sicut Gregorius Nissenus loquitur: διὰ τῆς ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως, hoc est, vt Theodorus Gaza vertit, per immutatoriam potentiam. Quamquam aũt proferatur idem exemplum & à Ioãne Damasceno, malumus tñ hominis Latini, quàm Græcorum verbis vti, quò magis etiam à minus doctis res intelligi queat. Petrus is est Cluniacensis Abbas, vir & doctus, & vt illorum temporum ratio ferebat, non vulgari quadam dicendi facultate præditus. Fuit is æqualis Bernardi, & ei summa familiaritate coniunctus, qui cùm productis exemplis pluribus, nec nouum, nec insolitum esse docuisset, alterius generis substantiam in alterius substantiæ genus conuerti, tandem ijs verbis vtitur: Sed quid ad comparandam veritatem de pane mutatæ carnis, & de vino mutati sanguinis Christi exemplis immoror, cùm quotidie ipsum de quo agitur, panem in humanam carnem conuerti, vinum in humanum sanguinem conuerti videam: itaq; hoc manifestum sit, vt ad hoc asserendum non fidem consulere, sed oculos aperire necesse est. Testis est mundus, testis est omnis homo, maximè cùm sine hac mutatione panis in carnem, & vini in sanguinem, nec vnus possit subsistere homo. Sunt quidem multi, qui absque pane, sunt item plures, qui absque vino vitam immortalem transigunt, sed longè pauciores illis, qui semper pane, interdum verò & vino vtuntur. Idcircò propter maiorem partem totum significare volui, cùm dixi, absque mutatione panis in carnem, & vini in sanguinem, nec vnum posse subsistere hominem. Re enim vera maior pars humani generis, pane principaliter viuit, vino solẽnius vtitur, quod & omnes homines facerent, nisi quibusdam in regionibus frigidis vites, in frigidioribus fruges terrarum sterilitas ademisset. Hoc tamen certum est, omnes homines nisi infra annos sint, aut valetudine teneãtur, aut vti aut posse vti pane & vino: sed qui infra annos sunt, aut contraria valetudine detinentur, non possunt quidem per imbecillitatem, sed possunt tamen per naturam. Hoc igitur aut illo modo, pane & vino vtitur omnis homo. Vnde in omni homine natura operatur, quod de solo Christo homine, aut scrupulosi dubitãt, aut infideles non credunt. In omni planè homine per digestionem congruam natura operatur, quod de Christo solo homine per consecrationem diuinam fieri dubitatur. Operatur sanè

Lucæ 2.
Exod. 4. & 7.
Ioan. 2.
Lib. 4. de orthodoxa fide.
Prosper in sententijs Augustini, 128.
Esaiæ 7.
De verbis Domini serm. 51.
Ioan. 20.
In sermone Caluinistico, cap. 32.
Vbi supra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

natura per digestionem in corpore humano, vt panis in carnem, vinum conuertatur in sanguinem, dum (sicut sciunt hi, qui vel leuiter rerum humanarum scientiam attigerunt) defecatiorem ac puriorem susceptí cibi vel potus partem à feculenta segregans, singulis corporis membris ad nutriendam, confouendam, adaugendam, carnis & sanguinis substantiam impertit, ignobiliorem nec corpori necessariam partem per egestionem ordinatam respuit. Fit igitur hoc modo omnibus notissimo de pane caro, de vino sanguis, & hoc non in vno homine, sed in omni homine: nec vno tempore, sed omni tempore. Quare ergo non creditur? quare dubitatur, Deum hoc posse per virtutem, quod potest natura per digestionem? An potuit illud Deus dare humanæ origini, & non potuit restaurationi? An potuit illud constituere creans hominem, & non potuit hoc facere redimens hominem? An debuit id fieri cùm homo à Deo plasmatus est, & non debuit cùm homo à Deo susceptus est? Cesset ergo infidelitas, sanetur dubietas, quia omnipotēs verbum Dei, per quod facta sunt omnia: sicut quotidie facit, vt per commestionem & digestionem humanam, panis in carnem, & vinum vertatur in sanguinem multorum filiorum hominum: sic quotidie facit, vt per consecrationem & virtutem diuinam, panis & vinum commutentur in carnem & sanguinem suum, hoc est, vnius filij Dei & hominis, non multorum filiorum hominum. Qui enim dixit, & facta sunt, mãdauit & creata sunt, qua potentia facit hoc vniuersaliter in alijs, eadem potentia facit hoc singulariter in seipso, vt mutatio substantiarum, quæ hominibus solebat conferre mortalem vitam, nunc eisdem hominibus, sed fidelibus conferat sempiternam. Sed quid mirantur homines Deum facere aliquid de aliquo, cùm in principio creauit cuncta de nihilo. Nam longè maius est (vt dicunt sancti Patres Ecclesiæ) non subsistentia creare, quàm ex subsistentibus alia & alia formare. Iamnè vides, iamnè palpas Lasce, quod vt crederes hactenus animum inducere non potuisti? Posse præstare Deum, quod à natura fieri quotidie cernimus, vt alterius generis substantia, in alterius substantiæ genus conuertatur. Vocant hanc Græci μεταποίησιν, μεταβολὴν, μεταστοιχείωσιν, Latini, mutationem, conuersionem, transitionem, transelementationem, & quam tu periocum, sequipedalem vocas transubstantiationem. Nullum autem potuit verbum aptius reperiri, quò magis proprièrei mysterium exprimeretur: hoc enim significatur isto verbo, quod alia substantia fuit ante consecrationem, quæ modò non est: alia nunc est post consecrationem, quæ prius non erat. Et quamuis hæc vox noua videri possit, in Lateranensi Cõcilio primum ante trecentos annos proferri cepta sit: vt homousij in Nicæno, veritas tamen transubstantiationis itidem vt consubstantialitatis iam inde à mille quingentis annis cõstans in Eccl sia semper fuit. Verùm hac de re satis.

Quid autem sibi velit Lascus, cùm nescio quid garrit de immenso insensibili incircumscripto, & nusquam non præsenti Christi corpore, difficile nobis est intelligere. Nostra quidem fides hæc est, præsens in Eucharistia Christi corpus adesse. Præsentiam autem hanc secundum arcanum mysterij modum intelligimus, non secundum modum ambientis loci. Et tamen vbicunq; & quotcunq; in locis sint mysterij visibilia signa incorrupta, ibi verũ esse Christi corpus fatemur & credimus, qd̃ non est naturam corporis infinitam cõstituere, sed Dei potentiam immensam agnoscere, cuius virtute fit, vt qui naturam humanam finitam, naturæ diuinitatis infinitæ, saluis proprietatibus vnierat admirabili modo, illa etiam saluis proprietatibus vtatur, inæstimabili conditione, nõ diffusione per omnia, sed distributione

De verbis Domini citatur à Beda, in 10. cap. ad Corinth.

in oẽs quos regenerauit. Præclarè Augustinus, Panem hc manducare nõ deterreamur, quasi Dñm consumamus, & deinde nihil residui ad manducandũ supersit: viuit manducatus qui resurrexit occisus, cumq́ manducamus, non frustulatim secatur, licet foris ita fiat, nec fideles ignorant, quomodo Christi carnem comedant. Vnusquisq; partem suam accipit, vnde & Eucharistia particula vocatur, & per partes manducatur, & manet integra. Totus per partes manducatur in Sacramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Totus. n. erat apud patrem, quando venit in virginem, impleuit eam, nec recessit ab illo, venit in carnem, vt eum homines mãducarent, & manebat apud patrem integer, vt angelos pasceret. An aũt hæc ab Augustino satis perspicuè dicta non sunt? Sed Lascus credere nõ vult, nisi prius palpauerit. Quamobrem & hac de re videamus, num exemplum ex

Ser. 145. de tempo.

natura proferre possimus. Libet aũt illud ab Augu. petere. Diuideretis, inquit, inter vos cibum, si adferrem ventribus, nec totus peruenireat ad singulos, sed quantò plures estis, tantò in plura frusta quod ponerem diuideretis, & tantò minus quisq; acciperet, quantò maior esset multitudo accipientium, modò aũt cibum attuli mentibus: dico accipite, sumite & comedite. Accepistis, comedistis, & non diuisistis, quicqd loquor, & omnibus totum est, & singulis totum est. Ecce quomodo non potest satis explicari, quantam vim habet hominis verbum: & dicitis mihi, qd est verbum Dei? Verbum Dei pascit Angelorum tot millia. Mẽte. n. pascuntur, mente replentur. Implet Angelos, implet mundũ, implet virginis vterũ, nec ibi spaciatur, nec hic angustatur. Hæc Aug. Quod si Deus hoc humano verbo pstitit, voce quo-dãmodo vestito, vt si quis illud coram aliquot millibus hominum proferat, totũ vnus, totũ duo, totũ audiãt aliquot millia, nec minus vnus quàm mille, nec plus mille quàm vnus, nec cõminuitur vox, sed qd̃ totum est omnibus, totũ est & singulis, neq; sunt plures voces, sed vna sola, quam eandem oẽs audiũt & singuli. Si præstitit hoc Deus humano verbo voce vestito, quid ni credendus est, idem præstare potuisse verbo suo coæterno carne vestito? Sed si nondum hęc similitudo Lasco satisfacit, proferamus aliam ex eodem, quem nos authorem libenter sequimur, Augustino. Scribit is de anima, qd̃ ea nullo modo inuenitur locorũ spacijs aliqua mole distendi: quandoquidẽ per totũ corpus qd̃ animat, nõ locali diffusione, sed

Epist. 28. & contra epistolam fundamenti cap. 16.

vitali quadam intentione porrigitur. Nam singulis sui corporis particulis tota præsto est, cùm tota sentit in singulis, nec minor est pars eius in digito, & maior in brachio, sicut ipse digi-

digitus brachio minor est, sed vbiq; tanta, quia vbiq; tota. Cùm enim tangitur digitus, non per totum corpus sentit, & tamen tota sentit. Totam enim tactus ille non latet, quod non fieret, nisi tota præsto esset. Nec si tota præsto est, cùm tangitur digitus, & sentit in digito, vt cæterum deserat corpus, & sese ad vnum illum locum in quo sentit agglomeret, sed cùm tota sentit in digito manus, si alius locus tãgatur in pede, nec ibi definit tota sentire. Atque ita in singulis distantibus locis tota simul adest. Non vnum deserens, vt in altero tota sit: nec ita vtrumq; tenens, vt aliam partem hic habeat, & alibi aliam, sed sufficiens exhibere se singulis locis simul totam, quoniam tota sentit in singulis, satis ostendit, se locorum spacijs non tenere. Hæc Augustinus, & quidem verissimè. Quod autem in anima sua quotidie fieri sentit Lascus, audet ne Christum hoc ipsum de corpore suo facere posse dubitare? quod corpus esse constat spirituale: cùm præsertim etiam nocte videat accensa lucerna, si centum ex ea millia candelarum accendantur, nihil tamen illius lucernæ lumini decedere, nec eam inde quicquam detrimenti capere, quin æquè lucere atque tum lucebat, cùm ex ea nulla candela lumen fuisset mutuata. Et posse negabit Lascus illum, qui vera lux est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt suum ipsius corpus & sanguinem absq; vlla sui diminutione cunctis credentibus impartiat, quod lucem candelæ singulis nocẽtibus posse cernit? Quid autem? An & in scripturis non legimus, Viduam illam Sareptanam non habuisse panes, nisi quantum farinæ pugillus capere posset in hydria, & paululum olei in lechyto? Petijt ab illa buccellum panis Elias, respondit (quod res erat) se nõ habere, nihilominus, instituit Elias, promittens, quod hydra farinæ non deficiet, & lechytus olei non minuetur. Abijt mulier, fecit iuxta verbum Heliæ, & comedit ipse & illa, & domus eius, & ex illa die non defecit hydria farinæ, nec est olei lechytus imminutus. Potuit hoc Elias homo de pane isto corruptibili, & non potius Christus Deus & homo de seipso pane viuo, qui de cœlo descendit. Neque verò nos ignoramus, quòd similitudines huius generis, quamuis in tanta mentis humanæ caligine, permultum lucis ad res diuinas perluadendas adferant, non sic tamen per omnia respondent, quin si quis pertinax esse velit, facilè reperiat quod cauillari possit. Quamobrem nihil esse tutius existimamus, quàm vt intellectus in obsequium Christi capiti & corporis captiuetur, neque vnquam illud excidat memoria, quod ab Augustino scriptum est, Mysteria fidei salubriter credi possunt, inuestigari vtiliter non possunt. Itaque ne nos quidem ea de re pluribus agemus, sed quæ reliqua sunt, potius prosequemur.

3. Reg. 17.

Ioan. 6.

Posteàquam de Christi persona quæ voluit Lascus dixit, aggreditur tandem nescio quid garrire de functionibus, quas illi Deus Pater (sicut ipse loquitur) in carne nostra demandauit. *Si credit (inquit) Hosius, typicas omnes Ecclesiæ veteris vnctiones, in Christo Domino nostro completas consummatasq; esse, ac velut vmbras luce exorta cessare simul quoq; credat necesse est Christum Dominum à patre Deo per Spiritum sanctum in vnicum summum atq; æternum Pontificem Regem ac Prophetam Catholicæ suæ Ecclesiæ vnctum esse.* Credo Lasce, quod vnicus summus atq; æternus Pontifex Catholicæ suæ Ecclesiæ Christus est, sed quid tum postea?

Hoc si credit (inquit) velim mihi clarè de Papæ sui, suoq; ipsius ac suorum omnium sacerdotio, regno, doctrinaq; suæ iure quo prætendit, siue authoritate, respondeat:

Quid est hoc per Deum immortalem? Vnicus, summus atque æternus Pontifex, Rex & Propheta Christus est, nullus ergo iam Pontifex, nullus Rex, nullus Propheta, nullus in Ecclesia Dei sit sacerdos? Audin autem hæc tu Sigismunde Rex Auguste. Non iam solos Pontifices Lascus, neque solos sacerdotes de gradu suo deijcit, verùm & Reges ipsos de solio suo deturbat. Nam cum vnicus, summus & æternus Rex in Ecclesia Catholica sit CHristus, si Lascum audiemus, nullum in ea deinceps iam Regem esse patiemur. Gladiatorio quodam animo paulò antè CHristum è sacramento sustulit, nunc eadem audacia Reges etiam è suis regnis pellere conatur. Et hoc tu patieris in disceptationem vocari, cùm sit vnicus summus & æternus in Ecclesia Catholica Rex CHristus, vtrum illius dignitati Regiæ derogetur, si quis alius præterea Rex in terris agnoscatur, cùm illum cœli terræq́ue Dominum & Regem esse constet. Vides quorsum istorum spectent consilia? Quæ si (quod pro sua misericordia Deus prohibeat) quem optant tisti, forent exitum consecuta, sicut ingens quibusdam nunc esse conuicium videtur vocari Papistam, ita periculum est, ne paulò pòst non minori probro ducatur appellari Registam siue Ducistam. Nam quæ Pontificis, eadem est & Regis, & cuiuscunque Principis ratio. CHRISTVS enim non solum Pontifex, verùm & Rex noster est, vnicus, summus & æternus: cuius sacerdotio si detrahit, qui Pontificis aut Sacerdotis munere fungitur, detrahit etiam authoritati Regiæ, qui Regis nomen non respuit, & fit imminutæ maiestatis eius reus. Et erit quisquam qui dubitet, quin ex eorum numero Lascus hic sit, de quibus à Petro scriptum legimus: Post carnem in concupiscentia pudicitiæ ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces, sibi placentes sectas non metuunt introducere. Quos fructus in Germania tulerit, hæc impia doctrina, quem secum letitimi magistratus contemptum attulerit, quas terris illis clades, quas calamitates, quam malorum omnium lernam inuexerit, non ignoras pientissime Rex. Etiam atq; etiam diligenter prospice, ne magno tuo regnig; discrimine discas, quantum in eo mali fuerit, quod nascens malum hoc non statim fueris opprimere conatus.

2. Pet. 2.

Verùm audiamus adhuc, quid de sacerdotio Lascus blateret. *Si, inquit, Hosio & suis CHristus Dominus verè est vnicus ille summus atq; æternus Catholicæ Ecclesiæ Pontifex, in quo typicum omne Aaronis Sacerdotium completum consummatumque cessauit, omnisque propiciatoria oblatio vnica illius victima, per partam alioqui pleni sufficientem omnium toto orbe peccatorum remissionem abolita est, & cuius sacerdotium sine vllo temporis vllius principio aut fine est heri, hodie, & in secula prorsus ἀπαράβατον, & vt nulla neque successione neque translatione ad*

quem

Universidad de Deusto
Biblioteca

quemquam omnino transeat si hoc inquam cum suis iuxta doctrinam alioqui Apostolicam credit Hosius, vbi iam obsecro manebit suum Papæq; sui, ac suorum omnium semiiudaicum & semiethnicum sacerdotiũ? De quo magnus hic alioqui dicendi campus esset, si & res ipsa, et tempus pateretur.

Nihil de Christi sacerdotio tam potest magnificè dici, quin longè sit illius maior excellentia, quàm vt vlla quis eam oratione satis explicare queat. Sed num propterea nullum esse debet in Ecclesia Dei sacerdotiũ, quia functus est, & fungitur adhuc æterno suo sacerdotio Christus? In quo typicum omne Aaronis sacerdotium cõpletum cõsumatumq; cessauisse, tibi nõ inuiti concedimus. Nam nullæ deinceps victimæ ęduntur, nec vllus cuiusq; pecudis cruor funditur, sicut in legali sacerdotio factum esse scimus: Sed num propterea cessauit illud de quo Propheta dixit, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Posteàquam in ara crucis tradidit semetipsum, p nobis Christus oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis: quin ibi Leuitico sacerdotio, qd ab Aarone duxit originem, finem impoſuerit, dubium non est. Cęterùm pridie quã pateretur in illa cœna nouissima, (libet aũt Hieronymi verbis vti,) posteàquam typicum paschа fuerat impletũ, & agni carnes cum Apostolis comederat, sumit panem, qui cõfortat cor hominis, & ad verum paschę transgreditur sacramentum: vt quomodo in prefiguratione eius Melchisedech, summi Dei sacerdos panẽ & vinum offerens fecerat, ipse quoq; veritatem sui corporis & sanguinis repsentaret. Cessauit itaq; typicum pascha, sed non cessauit, quin succesſit in locũ eius veritatis corporis & sanguinis Christi, cuius typus agnus ille fuerat repræsentatio. Cessauit sacerdotium & sacrificium secundum Aaron, sed nõ cessauit, quin succesſit in locum eius, multò sacerdotium & sacrificium excellentius, secundum ordinem Melchisedech. Quo non potes dicere Lasce, p vsquam sit functus Christus, præterq; in illa nouissima cœna. Non est igitur abolitum sacerdotium, sicut nugaris tu: nõ est sublatum, sed translatum. Sic n. Paulus loquitur: Translato sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat. Christus aũt dicit, se non venisse legem soluere, sed adimplere. Ad eundem modum non venit sacerdotium abrogare, sed cõsumare: venit qd erat imperfectũ perficere. Quid n. fuit sacerdotium Iudęorum? Quid aliud quàm vmbra quædã & figura? Quid aũt Christi sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quo nunc ille fungitur in Ecclesia sacerdos æternus & immortalis? Quid? Nisi corpus ipsum & veritas vmbræ corpus, figuræ succesſit veritas. In vmbratico illo sacerdotio & sacrificio, verum corpus & sanguis Christi sub panis & vini speciebus fideliũ oculis exhibetur: ac quẽadmodum corpus illud in crucẽ actum, quemadmodum de pendentis latere sanguis in remissionem peccatorum nostrorum fusus fuerit, repræsentatur. Qui quamuis reipsa nõ fundatur in hoc sacrificio, funditur tñ secundũ cõmemorationẽ & efficaciam: Itaq; sicut Christus anteq; effunderetur sanguis eius dixit, qui pro vobis effunditur (sicut habet vera græca lectio,) vt indicaret illud omni momẽto effundi, sic & post profusum illũ, quoties fit hoc in memoriã eius, qd fieri Christus pcepit in Dei cõspectu, quodãmodo renouari videtur sanguinis effusio: nec minus efficax nunc est, q̃ fuit illo tempore, quo fundebatur. Habes itaq; iam qd nõ sublatum est sacerdotium, sed translatũ: nõ abrogatum, sed cõsumatum. Et in aliud multò angustius & excellentius translatum. Hoc est, qd à Chrysost. quoq; scriptum legimus: In veteri quidẽ testamẽto, cùm imperfectiores essent, quẽ idolis offerebant sanguinẽ, eum ipse Deus accipere voluit, vt ab idolis eos auerteret: qd etiã inenarrabilis amoris signum erat: hic aũt multò admirabilius & magnificentius sacrificium præparauit, cùm & sacrificium ipsum cõmutaret, & p brutorum cæde seipsum offerẽdum præciperet. Audin tu Lasce, qd scribat Chrysost. Non dicit, abrogauit, sed cõmutauit sacrificium, & p brutorum cæde seipsum offerendum præcepit. Vbi verò facta est ista cõmutatio, præterq; in illa nouissima cœna, quando suum corpus & sanguinem nobis cõmendauit? Tunc enim cuius hîc à Chrysostomo mentio fit, præceptum illud adiecit. Hoc facite in meam commemorationẽ. Quibus verbis cæde brutorum seipsum offerendum præcepit, ac noui testamenti, nouam oblationem, nouosq; sacerdotes instituit. Quod nos in Confessione nostra plerisq; patrum testimonijs productis pluribus demonstrauimus. Libenter itaq; tibi concedimus Lasce, quòd omne typicum Aaronis sacerdotium in æterno sacerdote Christo completum consumatumque cessauit: sed quòd Christi sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quo per suos ministros in Ecclesia fungitur, cessauerit, id verò tibi nunquam concedimus, cùm huic tuæ sententiæ manifestè reclament scripturæ: quæ Christum esse sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech, non obscurè nobis indicant: cuius vnica victima cùm parta sit in orbe toto, sufficiens peccatorum omnium remissio, certum est, omnes legis oblationes abolitas esse, in quarum locum succesſit hæc victima.

Sed quæ nam est hæc inscitia tua Lasce, quòd audes dicere, CHristi sacerdotium sinè vllo temporis principio aut fine esse, heri, hodie, & in secula? An ignoras tu, non secundum id quod natus est de patre Deus, apud Deum coeternus gigneti, sacerdotẽ esse Christum, sed esse sacerdotem, propter carnem assumptam, propter victimam, quam à nobis offerret & nobis acceptã. Nõ prius enim sacerdos factus est, quàm quando carnem suscepit, quando sacrificium obtulit. Si ergo Deus est, ex substantia patris ante secula genitus, homo autem ex substantia matris in seculo natus, nec prius sacerdos quàm homo, quomodo tu audes dicere, quod sacerdotium illius fuerit sine vllo temporis vllius principio? Et interea de Christi sacerdotio doceri non vis, cùm qua ratione sit sacerdos Christus ignores. Habuit ille sacerdotij sui principium, & quamuis in æternum sacerdos esse dicatur, nec hoc tamen ita videtur accipiendum, quasi nõ sit finem aliquando sacerdotium eius habiturum: Durabit illud quidem quamdiu mundus duraverit, nec ante finem illius, finis erit Christi sacerdotij: cęterùm post factum iudicium, cùm Regnũ Deo patri Christus restituerit, nõ est futurus amplius Pontifex aut sacerdos, nõ assistet amplius ad interpellãdũ p nobis, nec tunc erit vllũ sacerdotium? Quorsum enim? Cùm nulla tum sit futura transgressio. Nam pro quibus esset interpellaturus. Certè non pro ijs, quos ad ignem æternum damnauit. Quos verò fuerit regno suo dignatus, ij vitam illam beatam consecuti, nullius interpellationis indigebunt.

Psal. 109. Epheſ. 5.

Inca. 26. Matth.

1. Cor. 5.

Heb. 7.

Hom. 24. in 1. ad Corinth.

1. Cor. 15.

Quod autem dicis ἀπαράβατον esse sacerdotium eius, agnoscimus Pauli verbum, sed sicut alia pleraq;, sic & hoc abs te minus intelligi videmus. Quis enim vnquam ita fuit infans, vt diceret succesſisse mortalium aliquem Pontifici vel sacerdoti CHristo? aut ad hominem aliquem Christi sacerdotium esse translatum, quod manet in æternum, hoc est, vsq; ad consummationem seculi? Quis audiuit aliquando, quod se Pontifex Romanus Christi successorem vocari voluerit? Dicitur à nobis, Vicarius Christi, successor autem non Christi, sed Petri. Non enim succedit Pontifex Romanus Christo, qui sempiternum & ἀπαράβατον habet sacerdotium, sed Petro. Illius Vicarius & minister, huius verò successor est. Sacerdotium Lasce quo fungimur, non est nostrum, sed Christi: neq; tu nostrum, sed Christi sacerdotium & sacrificium oppugnas. Nostrum enim sicuti alibi copiosius de eo disseruimus, non est nisi ministerium, virtus omnis & efficacia sacerdotij penes æternum sacerdotem illum est, qui semper viuit ad interpellandum pro nobis. Itaq; succedimus nos mortales inuicem in ministerio, Christo verò immortali, nemo succedit in sacerdotio. Ministerium reconciliationis vt est apud Paulum, dedit nobis Deus, verus autem reconciliator, verus mediator & sacerdos ipse Christus est. Piget nos pridem suscepti laboris huius contra hunc tam infantem hominem, qui nescit ipse qd blateret: neq; tamen desunt intereà, qui magno cum applausu doctrinam eius recipiant, quorum nos animarum saluti prospicere cupientes, quamlibet ineptas eius ratiocinationes has nobis confutandas esse duximus.

Heb. 7.

1. Cor. 3.

Promittit se tandem Lascus compendium facturum. *Si Christus, inquit Dominus vnicus est duntaxat sacerdos Catholicæ Ecclesiæ Dei, vnde est alius quisquis ille tandem sit in eius sacerdotio socius aut collega? præsertim cum nemo sibi societatem in propitiatorio Christi sacrificio arrogare possit, nisi cum illo quoq; mediatorem se Dei ac hominum aduersus doctrinam Apostolicam constituere velit, quatenus sanè quemadmodum vnus est Deus, ita vnum duntaxat etiam Dei ac hominum mediatorem in sacerdotio & sacrificio ipsius esse docemus.*

Nihil est infantiâ loquacius. Quis aũt est Lasce, qui se faciat socium aut collegam Christi in eius sacerdotio? Quærit Apostolus, quis igitur est Apollo? quis autem Paulus? & mox respondet, Ministri eius cui credidistis. Ministros itaq; nos, non autem socios & collegas in sacerdotio Christi profitemur. Ministerium reconciliationis nobis à Deo datum agnoscimus, non autem societatem in propiciatorio eius sacrificio arrogamus. Vnum etiam cum Paulo mediatorem Dei & hominum, hominem CHristum IESVM, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis, libenter confitemur: neq; tamen propterea non homines quoque mediatores rectè dici posse, credimus. Libet autem hac de re Cyrilli sententiam adscribere: Mediator, inquit, Dei & hominum IESVS Christus est, Non solum quia reconciliauit homines Deo, verumetiam quia naturaliter & substantialiter & Deus & homo in vna substantia est. Hoc enim modo naturam nostram sibi Deus reconciliauit. Nam aliter quomodo vnum mediatorem Christum Paulus dixisset? Multi enim sanctorum mediationis ministerio vsi sunt. Et ipse Paulus clamat: Rogamus pro Christo reconciliamini Deo. Moses quoq; Mediator fuit: Ministrauit enim filijs Israel legem datam à Deo. Mediator etiam fuit beatus Hieremias, præcipuè quando clamabat ad Deum: Recordare mei stantis coram te, ad loquendum pro ipsis bona. Quid multa? Singuli prophetarum mediatores fuêre. Apostolorum quoq; singuli. Quomodo igitur vnicus mediator Dei & hominum Christus? nisi noua inauditaq; in alijs mediatio sua sit, sed modum quoq; perstringere non alienum est. Quod itaq; duo quædam, sicut medium coniungit ab vtroq; necessariò tangitur, & hoc modo diuersa per medium coniunguntur. Est autem Christus mediator Dei & hominum, quia in eo vno Deus & homo coniunguntur. Vides Lasce, quemadmodum nihil impedit, quo minus etiam homines multi mediatores dicantur, etiam si sit vnus mediator Dei & hominum, homo CHristus IESVS. Nam qui simul Deus & homo fuerit, solus Christus est: ministerium verò mediationis, habere etiam potest purus homo. Itaq; nihil dubitauit dicere vetustior aliquantò Cyrillo Gregorius Nazianzenus, quòd speciale sacerdotis est officium, populi mediatorem apud Deum effici. Nec ab hac locutionis forma, cæteri quoque Patres abhorruerunt, Anacletus, Cœlestinus, Gregorius, Pontifices, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus: quorum ea de re verba in Confessione nostra produximus. Interea tamen illud libenter fatemur, quòd verus mediator, verus reconciliator, verus Sacerdos & Pontifex non est, nisi solus verus Dei filius, Dñs noster IESVS CHristus, in quo & per quem valent quicquid valent preces hominis sacerdotis, cuius nihil aliud est, nisi ministerium. An autem non est multò præstantius Dei filium appellari, quàm me diatorem? Atqui nec hanc nobis appellationem Deus inuidit, qui dedit nobis potestatem filios Dei fieri, quodq; ipse naturâ est, id per adoptionis gratiam, commune secum nobis esse voluit. Pergit Lascus:

1. Tim. 2.

Libr. 12. Thesaur.

2. Cor. 5.

Exod. 20.

Cap. 53.

Si item summus est sacerdos Christus Dominus, quo pacto vel parem, vel etiam maiorem se alium quemcumque sacerdotem ferret? Nisi si Papa maiorem se Christo Domino non facit, dum Christum Dominum suo sacerdotio pariter ac sacrificio, culpam duntaxat, & quidem non omnium totam vitam nostra peccatorum, sed originalis tantum peccati: si verò & culpam simul & pœnam omnem omnium etiam peccatorum expiare posse quoties illi libet, affirmet, cum alias quidem semper, tum verò maxime in confectitio sacrificio suo, fabricato videlicet in cotumeliam mortis Christi, meritiq; ac efficaciæ ipsius.

Hæc ex tuo cerebro Lasce conficta, non ex Ecclesię doctrina deprompta sunt. Nam quòd Christus culpam solam expiauerit, id nemo vnquam in Ecclesia Dei docuit: Et reclamat

Universidad de Deusto
Biblioteca

huic tuo commento, quod ab omnibus sacerdotibus in sacrificio misse, quoties de passionis dominica celebratur, in præfatione dici consueuit, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Non ergò culpam solam expiauit, sed mortem etiam sempiternam & pœnam, quæ peccatis nostris debebatur, morte sua sustulit in illo sacrificio, quod in crucis ara peregit: cuius in Missæ sacrificio memoria quædam fit & representatio. nec; tantum originalis peccati, sed omnium simul, quæ vel ante, vel post baptismum patrata sunt, eodem illo sacrificio culpam aboleuit, nec alij cuiquam præter illud sacrificium tribuimus æternæ pœnæ condonationem: hanc enim sola Christi mors nobis attulit. Falsum est igitur, quòd scribis, Papam Christo Domino se maiorem facere. Quin quot verba, tot propè sunt in ijs tuis dictis mendacia. Falsum enim est quod affirmas, docere nos Christum Dominum sacerdotio sacrificio; q; suo, culpam duntaxat, & quidem originalis peccati tantum expiasse. Falsum est quod confictitium sit sacrificium nostrum: falsum est, quod fabricatum sit in contumeliam mortis Christi, meriti q;, & efficaciæ ipsius. Docetur in Ecclesia nostra Catholica disertis verbis, quòd Christus eo sacrificio, quod in ara crucis obtulit, non solum originalis, verùm & actualis peccati non culpam tantum, verùm & pœnam omnem expiauit: pœnam autem cùm expiatam dicimus, æternam illam intelligimus. Nam
Osee 13. Christi mors, mors fuit mortis nostræ sempiternæ, iuxta propheticum illud, Ero mors tua ô mors. Quas verò pœnas temporarias primo parenti nostro propter peccatum inobedientiæ Deus inflixit, eas morte sua Christus non sustulit. Ita q; quibus calamitatibus & grumnis obnoxium fuit genus humanum, ante passum & mortuum Christum ijsdem & nunc subiecti sumus. Æquè nunc laboramus, æquè cruciamur, æquè morimur atq; illi, qui Christi passionem & mortem præcesserunt. Quin auctæ potius quàm sublatæ videntur huius
2. Tim. 3. vitæ ærumnæ, posteaquam peccata nostra sua morte Christus expiauit, cùm eorum vita, qui verè Christiani sunt, nihil aliud quàm crux quædam esse videatur. Oportet enim omnes,
Matth. 16. qui piè volunt viuere in Christo, persecutiones pati: Et qui sequuntur illum, suam quoque crucem vt ferant necesse est. Docemus itaque nos, quòd mortem æternam peccatis nostris debitam sua morte Christus expiauit: non autem pœnam temporariam, quàm comminatur nihilominus peccantibus Dominus. Visitabo, inquit, in virgam iniquitates eorum, & in
Psal. 88. verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam, non dispergam ab eis. Quæ autem ibi est misericordia, vbi pœna est sempiterna? Quamobrem vel ex hoc loco facilè quiuis perspicere potest, etiam post expiatas pœnas æternas superesse nihilominus temporarias, quibus non ad internecionem, sed ad correctionem nostram Deus vtitur, quas iustus ille Deus non semper nobis remittit, etiam post condonatam nobis culpam, & pœnam æternam: quod multis etiam scripturæ locis productis docemus: Quin peccatum diffidentiæ remissum fuerit Moysi & Aaron, quis est qui dubitet? Nihilominus non fuit remissa pœna
Num. 11. 12. 14. 20. Deut. 1. 2. Reg. 12. Esaiæ 38. 3. Reg. 2. Ionæ 3. temporaria, quam denunciauerat illis Dominus, dicens: Quod non essent ingressuri in terram promissionis. Idem de reliquo populo Israel, idem de Maria sorore Moysi, idem de Dauid Rege factum legimus. Quibus omnibus remissis peccatis, non sunt remissæ pœnæ temporariæ, quas effugere cùm nunquam licet, quando ieiunijs, orationibus, eleemosynis Deum nobis placatum reddere conamur, sicut Ezechiam, sicut Achab, sicut Niniuitas, sicut alios nonnullos fecisse legimus. Qua de re cùm à nobis satis copiosè tractatum sit in Confessione fidei Catholicæ Christiana, & in confutatione prolegomenon Brentij, superuacaneum esse ducimus, eadem hoc tempore pluribus verbis repetere. Sed nec ad reliquas, Lasce, obiectiones & calumnias tuas, quibus à magistro tuo Sathana doctus, nimis impudèter Ecclesiam Dei laceras, æquè multa affingis, atq; obstinatè defendis, & pro veris rudi plebeculæ venditas, respondere libet hoc tempore: cùm ex ijs quæ hucusq; persecuti sumus, cuiq; perspicuum esse possit, non per nos, qui per Dei gratiam Ecclesiæ Catholicæ sensum & consensum per omnia sequimur, sed per te tuiq; similes alios, qui vos ab illa segregastis, & in aliud cuiusuis potius, quàm Christi Euangelium transferri passi estis, Expressum Dei verbum opprimi, Deum ipsum in ordinem cogi, & sursum deorsum omnia in orbe Christiano misceri: quod quæ vos estis, qui posuistis sicut ait Propheta, mendacium spem vestram, & mendacio protecti estis: id q; tanta impudentia facitis vt Ioachimus Vvestphalus, quamuis Lutheranus, libellum tamen edere fuit coactus, aduersus insignia mendacia tua, Lasce: in quo ostendit, te posuisse mendacium spem tuam, & mendacio protectum esse. Quamobrem ego Deum potius precabor, vt auferat à vobis cor lapideum, & det vobis cor carneum, vt ne sitis amplius inflati sensu carnis vestræ, neiuxta capitis vestri visiones scripturas interpretari velitis: sed Ecclesiæ potius Catholicæ, cui promissus & missus est Spiritus sanctus, quam columnam & firmamentum veritatis vocat Apostolus, sensum & consensum sequamini: sacrilega verò separationis consilia haud aliter atq; præsentissimum venenum fugiatis: acilud quod olim sanctus ille pater Augustinus scriptum reliquit, certo persuasum habeatis, quod doctrinam veritatis, posuit Dominus in cathedra vnitatis. Vultis doctrinæ sacræ veritatem inuenire: ad vnitatis cathedram vos conferte: in ea vera sancti Euangelij luce illustrabimini: extra eam lux nulla, sed plusquàm cymmeriæ tenebræ sunt: extra eam Andabatarum mors pugnatur in tenebris, sicut oculis ipsi nostris ab ijs fieri videmus, qui cathedram hanc vnitatis deseruerunt, qui proficiunt indies in peius, ac in plures ac magis etiam horrendas sectas dissecantur, ac magis etiam dissecabuntur. Cæterùm cathedram hanc vnitatis non Vvittembergæ quærendam esse existimatis, vbi docuit Lutherus: non Genevæ, vbi Caluinus: non Tyguri, vbi Zuinglius: non Argentorati, vbi Bucerus: non Monasterij, vbi Pacimontanus: non Pinzouiæ, vbi Stancarus: non Oxoniæ, vbi Petrus Martyr: non Regiomonti, vbi Osiander: non in ijs, quas tu quoq; Lasce partim in Germania, partim in Anglia errans, & in errorem mittens ciuitatibus peragrasti: nec in ijs, quas (proh dolor) in patria

tria quoque nostra tui quidam similes, quos impurissimus ille Beza suos siue Simmistas, siue synagonistas appellat, Trecij, Sarnicij, Gregorij, Philipponij, nescio quibus in Lucis & Lukiskis fabricare voluerunt (quas non vnitatis, sed pestilentiæ cathedras, vel conuenticula potius, & impiorum consilia, in quibus aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, sæpe etiam aduersus Reges & Principes suos, atque à Deo constitutam potestatem, nefarias conspirationes facitis, esse constat) non in istis, inquam locis, sed nec in alijs quibuscunque tandem angulis, in quibus monstra hæc hominum venena sua sparserunt, hanc vnitatis Cathedram inuenietis, sed in ea, quæ caput est orbis, in qua vertex Apostolorum Petrus Apostolus sedit, & quod à Christo accepit Euangelium docuit, doctrinam q; suam profuso sanguine obsignauit, vrbe Roma: cuius fidem Apostolica voce laudatam esse legimus, in qua perpetuò conseruatã eam fuisse, quæ est ab Apostolis, traditionem refert Irenæus, cui totam doctrinam Apostolos vna cum sanguine suo profudisse Tertullianus asserit, ad quã accessum habere perfidiam nunquam potuisse testatur Cyprianus, quam ita semper incorruptæ Patrum doctrinæ fuisse tenacem, vt quoties Romana fides diceretur, Catholica intelligeretur, ex ijs quæ scripserunt Hieronymus & Ambrosius didicimus, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguisse principatum narrat Augustinus: quam hæretici fœtoris semper expertem permansisse, nec vnquam in ea qui contrarium sentiret sedisse, quin potius Apostolicam gratiam inuiolatam custodiuisse, testatur Theodoretus, cui hoc testimonium, quod nulla per orbem Ecclesia æquè vt Romana ab omni fece hæreseon cunctis retrò temporibus permansit, perhibet Lanfrancus: ad quam propterea de fidei causis iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus nunquam non relatum fuisse, asserit Bernardus, quod ibi potissimùm sarcita iri fidei damna spes foret, vbi fides non posset sentire defectum, in qua nos quoque fidem illam, quæ per charitatem operatur, plus, quàm in cæteris alijs vigere. enumeratis quibusdam quæ in ea fiunt charitatis operibus, iam ostendimus. Cui si vos iungere velletis, & cum ea quæ patrum sunt, potius tenere, quàm nouos istos recentes q; Deos, qui similes esse volunt altissimo, & quicquid dixerint & scripserint, id tanquam purum verbum Dei adorari cupiunt, sequi mallet is, Hæretici non essetis. Sanet te Dominus noster Iesus Christus, Amen.

FINIS.

STANISLAI HOSII CARDINALIS, EPISCOPI Varmiensis.

De actis cum Torunensibus, Anno Domini M. D. LI. Regnante in Polonia SIGISMVNDO II. AVGVSTO.

AD MARTINVM CROMERVM.

PRidem hoc habebam deliberatum venire Toruniam, pro Dominica Passionis, vt quid ibi rerũ ageretur, pro officio meo Pastorali cognoscerem. Ac primum ante Dominicam Iudica, veni ad Ecclesiam meam, ibi nonnullis ordines sacros contuli. Quæsiui ex Officiali meo, Num quæ Torunij facta esset rituum Ecclesiæ mutatio. Negauit vel minimam factam esse. Tanto maiori animi alacritate postridiè Dominicæ Iudica cum eo profectus. Perueni autem eo maturè vna propè hora, antequam esset summum sacrum habendum. Quamuis autem apud vos non fiant supplicationes siue Processiones post Dominicam Iudica, fiunt hic tamen ad magnam vsq; Quartam feriam. Habitæ sunt supplicationes in ipso ingressu meo in templum: audiui Patrem eos, Filium, Spiritum sanctum, & sanctam Trinitatem, pro misericordia deprecan: mox omissa sanctorum intercessione illud occinentes. Propitius esto, parce nobis Domine, & reliqua deinceps. Audiui postea sacrum cantari, quo absoluto quæsiui ex Parocho. Cuius authoritate facta esset hæc mutatio. Ille in Ludimagistrum culpam omnem contulit. Venit ad me postea Ludimagister non vocatus: insimulatum se esse dixit, quasi per se nonnihil esset in Ecclesiæ ritibus mutatum, cum tamen ipse nullius mutationis author fuerit: sed quod sibi per manus fuit traditum, id retinuerit. Quoniam vero Dominica Lætare iusseram affigi quædam pro foribus templorũ, quibus admonebam, vt omnes id ipsum saperent, néue vellent omnes Apostoli esse aut Pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtores, ſimul me facturum pollicitus eram, vt pro officio meo quicunq; aliquem ſcrupulũ haberent, eos docerem, ac eorum cõſcientijs mederer, neq; afferrem quicquam, quod nõ eſſet verbo Dei conſentaneum. Dominica verò ludica, clarius etiam aliquantò, ſi de Sacramento Euchariſtiæ dubitaret aliquis, vt ad me Paſtorem ſuum confugeret, ſum hortatus: ſalubrem à me doctrinam accepturus, ſimul promiſi me nihil facturum niſi in ſpiritu lenitatis. Fecit eorum omnium Ludimagiſter mentionem, neque ſe dubitare dixit, quin quæ ſcripto promiſeram, ea re præſtaturus eſſem. Se paratum eſſe doceri, certa ſpe, quod nihil cum imperio & auſteritate eſſem acturus, ſed ita vt ſcripto meo me facturum recepiſſem in Spiritu lenitatis, cum præſertim à multis lenitatem & manſuetudinem meam prædicari audiuiſſet, ſimul & illud iudicauit, ſibi ſi perſuaſiſſem, forè, vt multi eandem doctrinam amplecterentur: quæ verba illius indicio fuerunt, ipſum eſſe qui populum in Ciuitate Torunen. ſeduceret: addidit autem & hoc ſe verbo Dei adhærere, ab illo diſcedere nolle, atq; illius præſcriptum ſequi, deliberatum habere. Reſpondi illi, me excuſationem illius accipere quod q; doceri ſe vellet id probare daturum etiam operam, quam de me opinionem ex ſcriptis meis, & ex hominum prædicatione concepiſſet, vt ea ne fruſtraretur. Quod vero ſe non diſceſſurum à verbo Dei diceret, laudare me id quoque, nam & me quiduis & facere & pati potius eſſe paratum quam vt à verbo Dei diſcederem, ſed ſolere Hæreticos Dei verbum vocare, quod verbum Dei non ſit. Nam cum ſuum ad ſcripturas ſenſum adferant, tam id cuiuſuis potius quam Dei verbum eſſe. Sic feciſſe Arrium, produxiſſe ſcripturam, Patrem maiorem me eſt, tanquam Dei verbum, cum tamen Deus nunquam id intellectum per hanc ſcripturam voluerit, quod intelligebat Arrius, Eſſe vlla in re filium quatenus Deus eſt, inferiorem Patre. Sic & Anabaptiſtas adferre ſcripturas hoc etiam noſtro deplorato æuo, Qui crediderit & baptizatus fuerit, & cæt. Et ne de fide infuſa id aliquis interpretari poſſit adferunt & illud, Docete, baptizantes, &c. atque ex eo colligere, non eſſe baptiſandos infantes, qui neque credere neque doceri poſſunt: quam ſcripturam ita Deus nunquam intelligi voluit. Sic Neſtorium, ſic Donatum, ſic alios Hæreticos ex magna parte falſa ſua dogmata ſub verbi Dei titulo populo venditaſſe, ſed & Pauli ſeculo tranſlati erant Galatæ in aliud Euangelium, quod non erat aliud niſi quod erant qui vellent eos conturbare. Tertullianum quoque in libro de præſcriptione hæreticorum multa de eo ſcribere, quemadmodum hæretici ſemper ad ſcripturas prouocãt, neque crepare aliud quam verbum Dei. Auguſtinum quoque cum eſſet cum quodam hæretico Maximino congreſſurus, nihil ab eo frequentius audiuiſſe, quam vt ne quid præter ſcripturas adferret: Occinuiſſe & illud quod nunc occinitur à nonnullis: Sine cauſa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum. In Eccleſiaſtica quoque Hiſtoria multis verbis perſcriptum eſſe, quod non alia de re fuerit inter Arianos & Chriſtianos controuerſia maior quam de eo, quod illi nihil recipiendum putarent quod in ſcripturis expreſſum non eſſet: atque ideò vocem Homouſion reijciebant, quod ea in ſcripturis non reperiretur. Hæc atque alia in eandem ſententiam dixi, atque hortatus ſum, etiam atque etiam viderem ne ſub verbi Dei titulo verbum diaboli reciperet: quod & is transfigurat ſe nonnunquam in Angelum lucis qui ſcripturarum etiam authorem, ſcripturarum armis aggreſſus aliquando legitur, non ſuo priuato ſed Eccleſiæ ſenſui & conſenſui fideret, cui promiſſus & miſſus eſt Spiritus S. qui ſuggereret, & qui doceret eam, qui maneret cum ea in æternum: quo authore illa freta errare non poteſt, vt rectè ab Apoſtolo firmamentum & columna veritatis appelletur. Tum ille, ſe nunquam audiuiſſe dixit verba talia, qualia nunc audiret ex me, atq; rogauit vt opportuno tempore vellem audire, quibus ipſe de rebus dubitaret, & eximere ſalutari doctrina ſcrupulos quos haberet. Recepi me libenter facturum. Quoniam vero iam inſtabat hora Completorij dixi vt alio tempore veniret, poſteaquam literas abſoluiſſem, quas tunc per Gaſparem Hannouium ſcribebam. Ingreſſus ſum templum: loco, Salue Regina cantari audiui, Salue Rex miſericordiæ, &c. & Verſiculum, Ora pro nobis ſancte Dei genite. Fuit mihi permoleſtum, ſed tamen ne quis aliquid me ſecus feciſſe quæri poſſit quam ſcripto promiſeram, iuſſi eum ad me poſtea vocari die Iouis poſteaquam bene illuxerat. Tum ille ſatis diſerta oratione ſe magnam ex eo conſolationem capere dixit, quod me facturum promiſiſſem vt in Spiritu lenitatis eum inſtruerem, adferre ſe cor carneum, & paratum cedere recta monenti, & iuxta Dei verbum ſe docenti. Se negare non poſſe neque velle quod fuerit VVittembergæ, Magdeburgi & Argentinæ, & quam eæ veritatis doctrinam amplecterentur, eam ſe quoque ſequi: Audiuiſſe ſe D. Martinum ad latus illius in tabula ſæpè ſediſſe, neque tamen prius adhærere doctrinæ illius voluiſſe, quam legiſſet etiam illa quæ ſcripta contra illum fuerant. Quæ cum diligenter contuliſſet cum ſcriptis Lutheri, ſe iudicaſſe doctrinam ipſius eſſe verbo Dei conſentaneam: illam aliam non item. Hæc & alia precatus tamen veniam, ac petita prius liberè quæ ſentiret dicendi facultate locutus eſt. Interea renunciatur mihi futuram Proceſſionem vt vocant cum Sancta Euchariſtia. Erat enim dies Iouis. Feſtinaui in templum, ac peracta Proceſſione me reſponſurum dixi. Cum ingreſſus eſſem templum, vidi pro more Catholicorum Euchariſtiam in tabernaculo ſuo in altari collocatam: pueri vero omnes terga verterũt verſus illam, neque vllum CHRISTI corpori honorem habebant. Quæ res valde me male habuit. Peracta Proceſſione ad conclaue meum ſum reuerſus. Dixi illi Ludimagiſtro, mihi minime probari quod ſibi tantum ſumeret, vt ſibi iudicium arrogaret inter Eccleſiam Catholicam & Martinum, qui ab ea diſceſſiſſet, atque illius doctrinam Eccleſiæ doctrinæ anteponeret, eamq́ue vniuerſam erroris condemnaret. Non eſſe vnius hominis hæc de re iudicium priuati præſertim: neque eſſe vnius hominis conuellere velle, quæ ſunt à Chriſti corpore, à Sancta Catholica Apoſtolica Eccleſia, de vnanimi conſenſu omnium conſtitu-

ta. Præclarè ſcriptum eſſe à Platone quamuis Ethnico. Quod iuuenis ne quærere quidem debeat de legibus, num rectè ſe habeant, ſed parere enim illis teneatur: ſi quid verò ſeni alicui ſecus conſtitutum videtur illi licere, ſed nemine iuuene audiente, ad Principes Ciuitatis aut Reipublicæ ea de re referre. Quid enim futurum eſſet ſalui in rebus humanis, ſi quiſque ſibi iudicium ſumeret de doctrina Eccleſiæ iudicandi, ſi poteſtatem ſibi arrogaret, quæ rectè conſtituta ſunt arbitratu ſuo mutandi. Etiam in terræ vnius alicuius Comitijs quæ eſſent decreta, fas non eſſe labefactari: multo minus fas eſſe labefactare, quæ ab vniuerſo orbe de prudentiſſimorum & doctiſſimorum quorumque ſententia conſtituta forent. Expetere multos Concilium, quis autem dixi futurus eſt vſus Concilij, ſi ſimul vt Monachum aliquem Monachæ libido cœperit, omnia illi reſcindere licebit quæ ſunt in Concilio decreta. Ergo credat quiſque, quod ſibi viſum fuerit, neque erit fides vna qualis eſt fides Chriſtiana, ſed ludetur fidibus ſicut fit in ijs ciuitatibus, quarum ſe fidei Confeſſionem amplecti gloriaretur: nam certum eſſe diuerſam fidem eſſe Argentinenſium à fide VVittembergenſium, Magdeburgum verò iam ab vtraque diſſidere. Ille verò tres has Ciuitates in omnibus conuenire affirmauit. Tum ego qua fronte inquam iſtud dicere audes? Nónne imagines Argentinæ ſunt eiectæ quas ejici Martinus tuus VVittembergæ paſſus non eſt. Negare non potuit. Tum de Sacramento dixi Euchariſtiæ, nónne ſecus multò ſentiunt Argentinenſes quam VVittembergenſes. Cum tui Martiniani dicant eſſe cum pane corpus CHRISTI, illi negant quicquam eſſe præter figuram corporis CHRISTI. Tum ille: conuenerunt, inquit, hac de re. Scio dixi, quod verbo conuenerunt, idq́ue temporis cauſa: Cæterùm Bucerum in eadem certum eſt Sacramentariorum ſententia perdurare, in qua fuit antea etiamſi id præſe ferre noluit. Porrò Magdeburgenſes ab vtriſque in Religione diſſident: Nam Argentinenſes paulatim redeunt ad cor, magis autem VVittembergenſes: præcipuè verò Philippus Melanchton quem pœnitere conſtat erroris ſui. Non audere autem ſimul & ſubitò, ſed paulatim ad CHRISTVM & corpus eius Eccleſiam redire, & cum illius doctrina conſentire velle, quem Magdeburgenſes nominatim verò Matthias Flacius Illyricus, & neſcio qui alij grauiſſimis conuitijs eo nomine inſectantur. Ita confudit Deus linguas eorum, qui turrim hanc Babel ædificare ſunt conati, & ipſas contra ſe mutuo armauit. Sed quoniam tu Martinum ſuſcipis, præ alijs vellem ſcire quam illius doctrinam amplecteris, eam ne quam primis illis annis, an quam progreſſu temporis, an quam extrema ſua ætate docuit. Dicebat olim Princeps Catholicus Georgius, ſe ſcire quam hoc anno fidem haberent vicini ſui VVittembergenſes, quam autem eſſent in ſequenti anno habituri ſe neſcire: quod ſubinde nouarent, adderent, detraherent aliquid: Quoties locos ſuos communes, quoties Commentarios in Epiſtolam ad Romanos mutauit Philippus? pugnant poſtrema cum primis, neque in eorum doctrina ſtabile quicquam eſt & diuturnum. Quoniam verò cupiebat ille certior ex me fieri, quid me offenderet in ea Litania quam cantari nuper audiuiſſem. Reſpondi illi, hoc me offendere, quod neſcio cuius authoritate ſublata eſſet ſanctorum interceſſio: Eſſe illos qui in cœlo ſunt vnum corpus nobiſcum, neque diuidi à nobis oportere. Eſſe illos iam in cœlo triumphantes, nos in terris adhuc militiam agere, & vinci crebrius quam vincere, eſſe illos abſque macula & ruga, atque ideò preces illorum tanto Deo gratiores accidere: Nos in multis omnes offendere, vt neceſſe habeamus quotidie dicere, Dimitte nobis debita noſtra. Eſſe illos plena & perfecta charitate præditos, atque ideò de ſe nullam, de nobis omnem curam & ſollicitudinem gerere. Nos contra de ſeipſo quenquam magis eſſe ſollicitum, atque ideo tantam erga proximum charitatem non habere: Non ipſos reijci cum eijciuntur ex Litania, ſed reijci CHRISTVM. Qui dixit: Qui vos reijcit me reijcit: qui Saulo etiam non ſe ſed diſcipulos perſequenti, dixit: Saule, Saule, quid me perſequeris. In CHRISTVM redundare quicquid eis honoris fit? in CHRISTVM redundare quicquid eis iniuriæ fit. Tum ille: liceat mihi, inquit, bona tua cum venia dicere: licet inquam. Egóne, inquit, alium Mediatorem agnoſcam præter CHRISTVM, qui vnus eſt Mediator Dei & hominum? Eſt ita inquam, ſed lege quæ ſequuntur in eodem capite, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Talis Mediator eſt vnicus CHRISTVS: neque enim Petrus aut Paulus, ſed ſolus ille nos redemit: ſed quo minus Mediatore homine vti liceat, qui intercedat non modo, non vetat Scriptura, ſed præcipit magis. In eiuſdem capitis initio obſecrat Paulus fieri obſecrationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & cæt. Quid ergo aliud obſecrat, quàm vt ſint Mediatores inter homines pro quibus orant, & Deum quem orant. Quoties autem ipſe Paulus orat per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & per charitatem Sancti Spiritus, vt adiuuent ſe in Orationibus pro ſe ad Deum. Adeóne parum miſericors eſt Chriſtus, adeóne parum tutus eſt ad eum acceſſus, vt non auditurus ipſe Paulum fuerit, niſi haberet interceſſores? Iam ipſe CHRISTVS quoties monet vt oremus pro inuicem, vt oremus pro perſequentibus nos, quod quid eſt aliud quam Mediatores eſſe intercedendo. Non ergo hoc voluit, inquam Paulus, vt ne quemquam haberemus Mediatorem, qui intercederet pro nobis, ſed ne crederemus, alium eſſe mediatorem, qui redemiſſet nos néve in alio fiduciam noſtram collocaremus quàm in CHRISTO. Nunquam Eccleſiam Catholicam alium Redemptionis Mediatorem agnouiſſe præter Chriſtum, atque idem in illius nomine patrem ſemper petiuiſſe: quod indicant orationes quas Collectas vocamus, quæ cum ad Deum Patrem dirigantur, terminantur ſemper per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM. Tum ille minimè ſuos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aiebat, negare viuorum intercessionem, sed mortuorum. Ego verò, Vetus hæc est dixi Vigilantij Hæresis, qui & ipse dicebat, ante mille ducentos plus minus annos. Viuos intercedere pro se inuicem posse, mortuos verò nequaquam : quæ pridem ab Hieronymo confutata & ab Ecclesia Catholica fuit condemnata. Vocat, inquit, Philippus tuus inuocationem mortuorum. CHRISTVS contra, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob non est Deus mortuorum sed viuentium. Vtriuis horum fidem vt habeam. Mihi quidem videtur vita nostra cum illorum vita comparata mors esse, nos vt mortui verè dici possimus, cum illi verè viuant cum CHRISTO. Tum ille mortuos, inquit, propterea voco quòd vitam hanc reliquerint, quodque ex corporibus eorum animæ discesserint: Scio inquam qua illi ratione vocent mortuos, sed si corporibus nobiscum non versantur, meliore verò sui parte cum Deo sunt, quid impedit, quo minus eos rogem vt pro me Deum deprecentur. At scriptum esse, inquit, Gloriam meam alteri non tribuam. Lege aut satem audi precationes omnes Ecclesiæ. Ad Deum dicimus: Præsta quæsumus, concede quæsumus, largire quæsumus. Ad Sanctum. Ora pro nobis. Ipsa Litania per te mutilata, nónne aperte indicat nos Dei gloriam hominibus non tribuere. Quid enim à Patre, quid à Filio, quid à Spiritu sancto petitur? nónne misericordia? Ad Sanctos cum ventum est dicitur: Ora pro nobis. Si hoc est gloriam Dei hominibus tribuere, tribuit illam hominibus, quoque Paulus cum vt pro se orarent petebat. Sed videtur, inquit, occasio quædam dari idololatriæ. Et hæc dixi minimè noua cantilena est : Occinebatur hoc temporibus Augustini, & ab alijs nonnullis & à Fausto Manichæo, quibus præclarè ab eodem responsum est. Nos vni Deo sacrificium offerre, illis autem intercessoribus modo vti. Decantata est illa in scholis distinctio de cultu latriæ & duliæ : illum soli Deo hunc etiam hominibus rectè tribui scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Si verbum volumus vrgere, non tam adoratio prohibita est, quam seruitus. Scriptum est enim illi soli seruies: cur ergo tu seruis Magistratui Torunensi ? cur ab eo serpendium sumis? nemini iam seruum habere, aut seruo esse licebit ? Sed dixi alia est seruitus quæ Deo debetur, alia quæ rectè præstatur homini. Pridem itaque sunt hæc vestra confutata ante mille ducentos annos. Eustathius in Gangrensi Concilio ob hanc ipsam Hæresim fuit condemnatus. Sed & Vigilantius eadem de causa hæreticus habetur : Temporibus Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosij, multò maior fuit veneratio sanctorum, quàm nostra hac ætate. Lege quæ Chrysostomus de Beata Babila. Lege quæ Augustinus in postremo libro de Ciuitate Dei. Lege quæ scribit Hieronymus contra Vigilantium, sed & post Rufinum omnes Ecclesiasticæ Historiæ scriptores meminerunt de Theodosio Imperatore, quomodo is circumuenire templa, & ad martyrum sepulchra prostratus in terra iacere solebat supplicando, vt eorum intercessione si quid immineret sibi periculi, propulsaretur ? Non fuit illa tum Idolatria à Sancto Ambrosio iudicata, sed neque superstitio, quin summæ hoc illius in Deum pietati adscriptum est : quem in Sanctis suis honorabat. Tolle à Petro quod Apostolus, quod Martyr fuit CHRISTI, tolle hoc ipsum à Paulo, & ab alijs, non alio mihi loco futuri sunt, quàm quod Cato ille, vel Aristides, vel Photion CHRISTVM ergo in illis veneror: CHRISTVM in illis amplector: CHRISTVM in illis, & per illos & cum illis inuoco, ac tantum abest vt derogem aliquid huic ratione CHRISTI gloriæ, magis etiam vt augeam. Quanto plures enim mecum, vna, pro me precati illum fuerint, tanto maior est illius gloria cui vos detrahitis, qui sanctorum intercessionem sublatam vultis. Cumque ille nihil iam haberet quod contradiceret. Vides, inquam, in quo errore versatus fueris, qui tibi ita apertè ante oculos subijcitur: vt eum etiam quasi manibus contrectare possis. Quamobrem redi ad mentem meliorem, & errorem istum abijce, quem tibi cum Eustathio, cumque Vigilantio & alijs eiusdem farinæ ante tot secula Hæreseos condemnatis communem esse vides, nihil vt noui à tuo Martino sit allatum. Tum ille dari sibi deliberandi spacium petiuit, quòd ego non grauatim concessi : sed intereà tamen vt deinceps Litania cantaretur, more Catholico mandaui : quandoquidem errorem suum iam manibus comprehensum teneret. Me esse huius Ecclesiæ Episcopum, & non alium : facturumque me fuisse pro iure meo statim in ipso ingressu meo, vt ritu Catholico Litaniam cantari iuberem, etiam inuito illo, sed quoniam docere me prius velle de rebus omnibus receperam, nihil me agere cum Imperio voluisse. Nunc itaque omnino velle, quandoquidem satis edoctus est à me, vt omnia cantarentur secundum ritum Ecclesiæ Catholicæ, & in Litania & in salutanda Beata virgine. Atque vide, inquam, quo te perduxit Spiritus tuus : Trepidabas timore, vbi non erat timor : metuebas ne quid gloriæ CHRISTI detraheres, & interea in Arrianismum collapsus es. Fecisti ex Creatore creaturam in hoc versiculo per te perperam mutato. Ora pro nobis, sancte Dei genite, vt digni efficiamur promissionibus tuis. Quid est si hoc non est detrahere gloriæ CHRISTI, cuius diuinitati derogatur ? Quis vnquam fando audiuit aliquem dicentem : Ora pro me CHRISTE, aut ora pro me Sancte Spiritus ? Creaturę est orare pro nobis, quod nos rectè sanctis tribuimus. CHRISTI autem quem Creatorem & redemptorem nostrum agnoscimus, est quæ ab illo rogantur præstare. Scio dixi quod neque VVittembergæ : neque Argentinæ, neque Magdeburgi cantatur hic versiculus ad hunc modum : nam hæc noua est impietas per te nunc in Ecclesiam meam inducta. Appello hic dixi conscientiam tuam: dic ipse si cubi audiuisti versiculum hunc ita cantari. Fassus est se nusquam audiuisse, neque legisse, sed tamen illud se legisse quod CHRISTVS interpellat pro nobis. Sanguis illius dixi interpellat pro nobis: sed dicere, ora pro me CHRISTE, est creaturam il-

lum facere. Ille verò. Non cantabitur deinceps hic versiculus ad hunc modum, cætera verò mutare mihi non licet nisi Senatus iusserit. Meum esse respondi, iubere & docere in Ecclesia, non Senatus. Ego sum hic Episcopus non alius quicquam, verum & Senatum ego adibo : Ita discessit à me, reprehensus tamen prius à me de eo quod pueros non doceret reuerentiam habere Sacramento, qui versus illud terga verterunt. Factum hoc esse respondit illorum imperitia, si præsens, inquit, adfuissem aliter se gessissent. Tum ego dixi, daret operam, vt pueri essent parati ad sumendam Eucharistiam, meipsum daturum illis vno die antequam essem discessurus. Tum ille: Non possunt, inquit, ita cito esse instructi. Faciam ego ipse, inquam, illos instrui. Postero die accessi Prætorium vbi Senatus conuenerat vna cum Scabinis : nam & hos adesse volebam. Dixi. Quandoquidem ita Deo visum esset, vt non modo non ambiente verumetiam reclusante me delâtum mihi sit in hac Ciuitate & Diocesi vniuersa munus Episcopi, me voluisse eo fungi, & pro officio meo, quid ageretur in hac Ciuitate speculari, præmissis prius scriptis quibusdam quibus admonueram populum, vt id ipsum saperent omnes & retinerent vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Si quid haberet quisquam scrupuli in conscientia sua, ad me Pastorem à DEO sibi constitutum confugeret, mihi curæ futurum vt sanam doctrinam adhibendo eximerem : neque verò putasse me fore, vt aliquid in hac Ciuitate mutatum de ritibus Ecclesiæ reperirem, quod omnia in Ecclesia ritu Catholico fieri persuasum habebam, sed me multum opinione mea frustratum esse. nam in primo statim ingressu meo in Ecclesiam Parochialem audiuisse me Litaniam, atque ex ea sanctos exturbatos : Quæsiuisse quis author fuerit huius mutationis. In Ludimagistrum culpam fuisse collatam. Illum cum venisset ad me negasse se authore factam fuisse mutationem hanc, sibi per manus ita traditum fuisse. Venisse sub id ipsum tempus quosdam è Senatu ad me, illos quoque negasse, vel sciente vel assentiente Senatu factam esse mutationem hanc, vel de Sanctorum inuocationis omissionem Litania, vel de Cantici Salue Regina, in Salue Rex commutatione. Recensui postea quæ cum Ludimagistro egissem : hortatus illos sum, ne parentes, néue auos, proauos & atauos suos idololatriæ condemnarent, néue crederent, triginta ijs annis Euangelium primum cœpisse, quod prædicatum fuerit multo purius ante nouos istos Euangelicos. Neque enim Ecclesiæ suæ Christum vnquam defuisse, qui se cum illa promiserit, vsq; ad consumationem sæculi futurum: Nam si quis putaret lapsum esse in idololatriam vniuersum Christianum Orbẽ, iam inde à tot seculis quid aliud quam vt mendacem CHRISTVM faceret, & passionis & mortis illius merito detraheret. Nam si qui nos pretioso sanguine ipsius redemptos gloriamur, in Idololatria per tot secula versati simus: quid aliud fuerit hoc dicere, quem dicere. Ergo Christus gratis est mortuus? quem enim fructũ tulimus passionis ac mortis illius ? si nihilominus in gentium errore versati sumus? Multa deinde dixi de verbo Dei in eam sententiam, sicuti cum Ludimagistro egeram. Vnius horæ spacio sermonem meum non absolui, & egi magna contentione, ingenti animi mei dolore. Rogaui illos & obsecraui. Quandoquidem constitutus illis a Deo pastor sum, vt audirent sui pastoris vocem, quæ non esset à voce Principis pastorum discrepatura. Non illos erraturos si me ducem sequerentur, erraturus citius, si sequerentur illos, quos ipsos inter se dissidere, neque mutuo se intelligere viderent. Mihi quoque animæ meæ salutem charam esse æquè atque cuiquam illorum. Sed ita saluam illam DEVS vellet, sicut ego nihil docere eos vellem, quod verbo Dei non esset consentaneum. Meæ animæ periculo facerent ac doctrinæ meæ assentirentur, si qua de re dubitarent quam illis salubrem impartiri vellem. Magnum ex eo me & incredibilem dolorem capere, quod viderem nesciò quos officium meum sibi vendicare, me Episcopum esse à DEO constitutum, sed me nescire quis hic munere Episcopi fungatur. Mihi animum non fuisse defuturum, vt ipso statim initio restitui curarem veteres Ecclesiæ ritus in Litania, & in Cantico Salue Regina. Scire me quod hoc erat mei officij, sed noluisse tamen quicquam facere cum imperio: prius docere me voluisse. Quod cum ita esset à me factum, vt non haberet Ludimagister quod contra diceret, mandasse me illi, vt nouationem hanc tolleret, & veteri Catholico more cantari omnia faceret. Responsum hoc ab illo accepisse. Si Senatus iusserit. Itaque me nescire, num me pro suo agnoscat Episcopo, cum non Senatus, non Ludimagistri sit officium regere Ecclesiam, sed Episcopi. Hortatus illos sum, vt me officio meo fungi permitterent, vt Ludimagistro mandarent qu d mihi pareret. Si secus facere animum inducerent, me quod meum est præstitisse pro virili mea. Deum cætera prouisurum. Illi audita oratione mea, quæ modeste quidem nullis additis minis, sed magna tamen cum vehementia dicta fuit à me, habita inter se deliberatione, se mihi missis aliquibus è corpore suo responsuros promiserunt. Intereà verò Parochus animatus oratione mea fregit tabulas nouæ Litaniæ, priusquàm à Senatu responsum accepissem, ac more Catholico cantatum est, Sancta Maria, ora pro nobis, & reliqua. Illi verò miserunt Magistrum Ciuium ac duos è Senatoribus ad me, significaueruntque mihi, mandasse iam se Ludimagistro, vt ne sibi quicquam iuris in Ecclesia vendicaret, sed mihi pareret, iuxta præscriptum meum omnia faceret. Scholæ tantum curam gereret. Factum autem id fuit in Vigilia Annunciationis Mariæ Virginis. Tum ego ad Ecclesiam sum ingressus. Cantatum est, Salue Regina more Catholico, sed, neque Ludimagister, neque Cantor interesse voluerunt, ita vt ex noua Ciuitate Cantor accerseretur. Dixisse etiam Cantor

Universidad de Deusto
Biblioteca

fertur se non cantaturum cantilenam hanc hæreticam. Postridiè cantaui ipse Missam ipso die Beatæ Virginis, sed neque Ludimagister, neque Cantor adesse voluit: quin etiam prohibuit Ludimagister, ne pueri venirent ad Scholam, quod facturum me dixissem, vt mitterem aliquem qui eos de Sacramento Eucharistiæ institueret. Fuit mihi hoc permolestum, sed venit ad me Ludimagister eodem die absoluto Completorio & Salue Regina. Insimulatum se apud me dixit, quod prohibuerit ne Cantor iuxta præscriptum meum ageret, néue caneret Missam celebrante me: néue pueri venirent ad ludum, vt ne instruerentur per me de Sacramento Eucharistiæ. Negauit omnia. Plotovvski obiecit illi in faciem, se audiuisse ex viris fide dignis, quod prohibuerit ne pueri venirent in scholam, negauit. Significasse tantum se dixit parentibus eorum. Dixisse me, quod missurus essem aliquem in ludum qui doceret pueros de Sacramento Eucharistiæ. Ex ijs etiam verbis dixi, colligere licet te earum rerum affinem esse de quibus insimulatus es, verum suo timore videro. Ita discessit à me. Die Martis vocaui eum ad me, vocaui simul & cantorem. Venit ipse, Cantor bis vocatus non venit, quod se prohibitum diceret per Ludimagistrum ne veniret. Quin discessit etiam è ludo, ac nescio quo se proripuit. Quæsiui cur prohibuisset ne veniret ad me Cantor. Negauit se prohibuisse. Dixi: Poterat venire neque enim nunc veni iudicare, sed quærere tantum & saluum facere quod perierat. Volebam vt interesset sermonibus nostris quos si audire voluisset, forassè me pro hæretico aut Idolatra habiturus non esset, pro quali habere visus est. Tum ille, vocabo eum ipse. Voces inquam. Redijt postea, dixit se reperire non potuisse, verum se admodum dolenter ferre, quod ita modis omnibus conarentur plerique me sibi infestum reddere, quodque multis apud me suspicionibus grauaretur. Tum ego, multa mihi molesta, inquam acciderunt, sed ea tamen in præsentia missa facio, scire tantum ex te volo, quid habeas deliberatum de ijs, de quibus te mihi responsurum proximè promisisti. Respondit se religione prohiberi quo minus id sentire posset quod ego vellem, sed se tamen promittere, quod in ijs quæ ad religionem pertinent, nullas sibi partes vendicare vellet, quod pueros non esset docturus nisi Grammaticam, quod in Ecclesia facturus esset omnia meo aut Parochi mei præscripto, quod cum nemine mortalium sermonem vllum habiturus de fide, neque quenquam esset in suam sententiam pertracturus. Petebat autem modo? non supplex, vt se permitterem in ea fide permanere quam semel esset amplexus, nam se religione prohiberi, quominus idem quod ego sapere possit. Tum ego: qua tandem religione, inquam, aut quibus causis adductus, sanæ doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ assentiri non vis? Legi, inquit, apud veteres Orthodoxos scriptores, Sanctos nondum esse cum CHRISTO, atque ideò non video quomodo pro nobis intercedere possint. Scio, dixi: Quosdam Græcos ita sensisse, sed contra scripturam, quæ dicit: Hodie mecum eris in Paradiso. Dives sepultus est in inferno. Aliter, inquit, eæ Scripturæ sunt intelligendæ: nam certum est eos in Cœlum non venturos, nisi cum Iudicij dies aduenerit. Quis enim erit vsus extremi Iudicij, si aut saluandi prius in Cœlum ascenderint, aut damnandi prius in infernum descenderint, quam ille Iudicij dies venerit? Tum ego: nouam dixi adfers nunc hæresim. Non hæc ideò, inquit, dico, vt hæc affirmem, sed quod est ista veterum quorundam doctorum sententia. Atqui & hæc dixi, veterum est Doctorum sententia: duplex esse Iudicium Particulare & vniuersale. Illud simul vt mortuus fuerit homo peragi. Hoc verò cum dies illa horrenda venerit. Simul vt mortuus fuerit homo pertimiudicatur, illud verò futurum illo de quo nemo scit, in quo & gloria Beatorum & pœna damnatorum augetur, posteàquam vtrique corpora sua assumpserint. Si, dixi non habuisset spem eiusmodi Paulus, nunquam dixisset cupio dissolui & esse cum CHRISTO. Sed & latroni dictum est mecum eris, & cæt. Deinde sententiam hanc tueri, quid est aliud quam euacuare Crucem CHRISTI, quam dicere. Ergo CHRISTVS gratis est mortuus? Sic enim credit Ecclesia Catholica, passione sua & morte CHRISTVM non solum reconciliasse nos Deo Patri, & pro peccatis nostris satisfecisse, eorumque remissionem nobis impetrasse, verumetiam quæ clausa fuit antea Patribus nostris Cœlorum Ianua, eam per Incarnationem & mortem CHRISTI nobis apertam esse. Quem fructum ea nobis attulisset, si nihilo meliore loco essemus quam fuerunt Sancti illi Patriarchæ & Prophetæ, qui propterea CHRISTVM venturum expectabant, vt per eum è Limbo educi, & ad Regna cœlestia perduci possent. Vides ergo dixi, quorsum prolaberis, iam enim & CHRISTI Crucem euacuas, & mortis illius beneficium obscuras, quod à vobis falsò solet Catholicæ Ecclesiæ impingi? Tum ille. Ego verò nunquam hæc asseueraui, sed legisse me, tantummodo dixi, apud Orthodoxos, scio dixi vbi legeris, non apud ipsos authores sed in libello quodam, vbi collectæ sunt sententiæ patrum nonnullorum hac de re, sed fi maximè ita esset, quod tamen non est, certè vtimur intercessione illorum, qui sunt in hoc seculo, qui non sunt cum CHRISTO. Tum ille. Quæso vt liceat mihi per te in sententia mea permanere soli, nam neminem alium in eandem pertrahere volo. Ego verò? Vt errorem tuum approbem. Vis, inquam? qui tamen non est verus hic, nam & de Sacramento Eucharistiæ aiunt te malè sentire, neque credere veritati, de veritate sui corporis in illo dicente: Hoc est corpus meum. Scio, inquit, de eo me insimulatum esse apud te, sed falsò. Credo enim esse ibi verum corpus & verum sanguinem CHRISTI, sed cum sumitur. Cæterùm abstinendum ab eo potius existimo, quam vt contra CHRISTI præceptum sub vna specie sumam. Tum ego. Tua ergo sumptione confici putas corpus CHRISTI: panis & vini species tantum remanere. Sed quod tandem est illud præceptum, quo ad sumendam vtramque speciem adigimur? Clara, inquit, sunt verba. Bibite ex hoc omnes. Tum ego. Miror quod ita vrges verbum, Omnes. Quid si ego vicissim vrgebo verbum. Duodecim. Quod apud omnes tres Euangelistas reperitur, & cum Marco dicam, factum esse quod CHRISTVS voluerit: Nam biberunt ex eo omnes. Solis ergo, inquit, discipulis dari, & non alijs quoque. Dari, dixi, voluit omnibus, sed vbi loquitur ad Turbas apud Iohannem, nullam calicis, neque vini facit mentionem, sed panis tantum. Qui comederit panem hunc viuet in æternum. De spirituali, inquit, manducatione ibi loquitur. Sic tui dicunt, inquam, sed secus Catholici Doctores sentiunt. Atqui Paulus, inquit, dedit Corinthijs sub vtraque. Non quæro ego quomodo Paulus dederit: sed vbi CHRISTVS dandum sub vtraque præceperit. Scio Corinthijs datum sub vtraque fuisse, sed & Hierosolymis datum sub vna testantur Acta Apostolorum: quin & CHRISTVS discipulis euntibus in Emaus dedit sub vna. Non fuit, inquit, illud Sacramentum. Tu, dixi, negas? At fuisse affirmat Augustinus, affirmat Chrysostomus, affirmat Theophylactus, affirmat Beda. Sed si ita vrges verbum, Omnes, dandum ergo erit Turcis & Tartaris, & quibusuis Ethnicis: nam & ij sunt inter omnes. Omnium, inquit, nomine fidelis tantum intelligendi sunt: Tecum, & ego sentio, inquam, sed vide quomodo tu restringis hoc verbum, omnes: cum tamen si verbum vrgere vis excludi nemo debeat: Nam qui dicit Omnes, neminem excludit. Sed quid si ne fidelibus quidem datur omnibus. Infantes certè baptizati fideles sunt, & tamen ijs rectè non dari tu quoque sentis proculdubio. Sentio inquit: Nam scriptum est: Probet autem se ipsum homo: Rectè, inquam, scriptum est: Sed quid si ego dicam de adultis scriptum esse, non de infantibus qui necesse non habent vt probent semetipsos, cum tam sint probati DEO quàm qui maximè: Sunt enim posteaquam baptisati sunt ab omni peccato immunes, nihil vt probationis egeant. Et certè grauius est eos qui probati Deo sunt arceri ab hoc Sacramento, quam altera specie plebi interdici: cum nihilo plus in vtraque quàm in altera contineatur: & æquè CHRISTVS sub vna sumatur atque sub vtraque. Quod si tu adfers vsum Ecclesiæ Primitiuæ pro vtraque, adferam & ego vsum eiusdem Ecclesiæ pro danda infantibus Eucharistia, quem ex Dionysio Areopagita, ex Cypriano, ex Augustino, ex Innocentio colligere licet, quorum ij tres postremi in ea sententia fuerunt, vt necessariò dandam Eucharistiam infantibus existimarent, ijs CHRISTI verbis innixi. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis: quæ æquè ad infantes atque ad adultos pertinere censent. Vides ergo quàm sit absurda ista tua interpretatio. Nam si necessariò bibendum erit, omnibus bibendum erit & infantibus vt mox euomant. Scio, dixi, in Ecclesia primitiua, alios sub vtraque alios sub vna sumpsisse, sed cum natus esset Nestorius, qui dicebat sub specie panis corpus tantum, sub specie vini sanguinem tantum contineri. Ibi in Concilio Ephesino fuit constitutum ad abolendam hanc hæresim Nestorij, vt sub vna tantum specie sumeretur, vt integer sub illa CHRISTVS contineri crederetur. Hoc etiam tui non negant. Scio, inquit, & legi; si scis inquam, & ita esse fateris, tanto facilius in sententiam Ecclesiæ Catholicæ concedere debes. Dicebas enim te Scripturas & quatuor Concilia reperire tanquam quatuor Euangelia: Cur ergò non recipis quod fuit constitutum in vno ex quatuor illis Concilijs, & ita firmiter obseruatum aliquandiu, vt cum alia quædam hæresis Manichæi exorta fuisset, necesse habuerit Leo ille Magnus Pontifex edicere, vt sub vtraque deinde sumerent propter illam etiam hæresim abolendam, sicut ex quarto illius si rectè memini sermone de Quadragesima constat. Adeò liberum fuit Ecclesiæ, nunc hoc, nunc illud de hoc Sacramento instituere, de quo sub vna aut sub vtraque specie sumenda nullum esset CHRISTI præceptum. Semper enim obuiam est itum hæreticis ab Ecclesia Catholica, & omnia facta sunt, vt eorum hæreses extinguerentur. Scio ego non peccari vtramque speciem sumendo, sed & hoc scio, qui non audierit Ecclesiam habendum esse tanquam Ethnicum & Publicanum. Non ergo in sumptione vtriusque peccatur, sed non in audiendo Ecclesiam. Nunquid peccat si quis dixerit MARIAM Christotocon? sed præter hæresim Nestorij, qui tantum hominem purum non autem DEVM peperisse MARIAM, contendebat: constituit Ephesinum Concilium, quod tu recipis anathema eum esse debere, qui Christotocon eam & non Theotocon appellasset: post cuius Concilij interdictum, si quis eam Christotocon appellasset, non quod ita appellasset, sed quod Ecclesiam non audisset, tam grauiter peccabat, vt meritò è cœtu piorum ejiceretur. Quod si dixi de vtraque specie, non interessisset Concilij Decretum, per me tibi liceret sub vtraque sumere. Sed quando id interessit, quis ego sum qui stultitiæ, aut ignorantiæ condemnem totum Orbem Christianum, ex quo doctissimi in ijs Concilijs

Universidad de Deusto
Biblioteca

interfuerunt, vbi alterius speciei vsus est approbatus. Vide autem Martinus tuus quam necessariam putauerit sumptionem vtriusque speciei: qui cum antea sæpè scripserat, nullum de ea sumenda CHRISTI præceptum reperiri, neque priuata alicuius etiam Episcopi authoritate decerni, eam tanquam necessariam debere: tamen in libro de formula Missæ disertis verbis scribit: Si decerneretur in Concilio sumendam esse Eucharistiam sub vtraque, se in despectum Concilij (ijs enim verbis vtitur) decreturum vt sumeretur sub vna tantum. Inspice, inquam, librum si habes, hæc verba reperies Doctoris tui: nam & ego inspexi. Vt autem scire possis, quomodo ventum sit ad vsum hunc vnius speciei, paucis accipe: Nam scio te rem quomodo se habet nondum cognouisse. Fuit olim liberum & sub vtraque & sub vna specie sumere, neque semper idem obseruabatur, vsque ad tempora Gregorij tertij, tum visi sunt omnes tacito quodam consensu ab vtraq; specie abstinere, cum ob eam causam ne quæ fieret irreuerentia Sacramento propter effusionis periculum, quæ vobis non grauis videtur, grauissima autem visa est sanctis illis Pontificibus & Martyribus, qui ante mille quadringentos annos graues pœnas sanxerunt contra eum Sacerdotem, cuius culpa factum esset vt aliquid sanguinis è calice effunderetur. Fuit itaque causa hæc vna. Nam cum antea frequenter communicassent sub tempore persequutionis quotidie, cessante verò persequutione, singulis diebus festis, postea refrigescente pietate rarius ad hanc mensam accedebant, ita vt necesse haberent edictis etiam suis cauere Pontifices, vt ter in anno, deinde vero vt semel tantum in anno communicarent: quo tempore ingens multitudo confluebat, vt hoc periculum effusionis effugere non liceret. Sed non hæc fuit vt dixi vna causa: Accedebant enim paulatim multæ nationes ad fidem CHRISTI, apud quas vini vsus non esset. Accesserat Germania, vbi non pridem coli cœptæ sunt vineæ: accesserat Anglia, quæ ne nunc quidem vini ferax est: accesserat Polonia, Bohemia, Vngaria, Scotia, & aliæ terræ, apud quas vini aut nullus aut certè rarus fuit vsus. Quid itaque fiebat? Dari sub vtraque omnibus non potuit. Dabatur sub vtraque Dominis: ijs vero qui facultates non habebant, seruis & colonis, ac tenuioris fortunæ hominibus sub specie panis tantum: & erat quædam inæqualitas in Sacramento sumendo: cum in Sacramentorum vsu æquales sumus omnes, neque sit inter Imperatorem & Colonum vlla differentia. Suspicabatur itaque vulgus hominum, plus aliquid sumere Dominos, sibi minus dari, atque ita quod est Sacramentum vnitatis, factum est male suspicandi neque bene credendi occasio: quæ vt tolleretur, tacito quodam consensu vini species est abrogata extra Missæ sacrificium. Omnesque sub vna specie tantum sumere cœperunt: Durauitque is mos à temporibus Gregorij tertij plusquam sexcentis annis, nemine contradicente vsque ad Constantiense Concilium. Ibi non Ioannes Hus, nam inter eius articulos qui condemnati sunt, non ponitur, hic de vtraque specie necessario sumenda (ostendi autem illi articulos vt legeret) sed fuerunt alij nonnulli qui dicerent, quoniam CHRISTVS dederat Apostolis Sacramentum hoc sub vtraque specie, & quidem non ieiunis, dandũ esse omnibus sub vtraq; etiam sumpto cibo, atque morem hunc sub vna communicandi esse abolendum. Ibi decreuit Concilium Constantiense, veterem & laudabilem consuetudinem sub vna communicandi non esse abrogandam, & à ieiunis sumendam esse Eucharistiam: qui verò secus sentiret, & vtriusque speciei sumptionem, tanquam necessariam assereret, eum pro hæretico habendum. Ad illud Concilium vocati venerunt ex vniuerso Orbe Christiano quotquot erant viri doctrina & pietate insignes, qui procul dubio nihil diligentiæ prætermiserunt, in ratione sumptionis huius diligenter excutienda. Sed viginti quinque aut triginta annis post (neque enim teneo memoria) aliud est Basileæ Concilium congregatum, ibi denuò fuit hæc materia diligenter examinata, decretumque est, non aduersari CHRISTI verbo sumptionem vnius speciei, neque laudabilem hunc sumendi modum mutari debere, absque Ecclesiæ authoritate. Tum ille. Non fuit, inquit, liberum Constantiense Concilium, in quo Ioannes Hus crematus est. Nolo nunc, dixi, quicquam de Ioanne Hus, sed quod Concilium fuit liberum. Si non fuit illud liberum, in quo tres Pontifices abdicare se Pontificatu iussi sunt, & paruerunt? Dicunt tui. Pontificia tyrannide sublatam esse alteram speciem. At in illo Concilio non modo, non fuit vllus Pontifex, sed tres etiam sunt de sua sede deturbati, vt in hac parte nihil habeatis, quod Pontificem accusetis: Quanquam ante illud Concilium sexcentis & amplius annis non iussu Pontificis alicuius: nam iusserat antea Leo Pontifex, vt communicaretur sub vtraque, sed tacito quodam consensu alterius speciei vsus fuit abrogatus. Verum & Basiliense Concilium nónne fuit liberum? in quo vsque eo nihil actum est authoritate Pontificis, vt ipse etiã Pontifex Eugenius deijceretur, & alius in eius locum subrogaretur. Habes ergo duo Concilia, & quidem in tua Germania congregata, & quidem ita vt vos vultis libera, quibus non modo non præfuit vllus Pontifex, sed quatuor de sede sua pulsi sunt. Quid ergo vis vt ego faciam? Egóne abrogem quod in duobus Concilijs constitutum est? Ego tuum illum qui cœstro libidinis ergà Monialem percitus cum ipse Monachus esset, quo facilius posset libidini suæ satisfacere, turbauit Orbem vniuersum, & Ecclesiæ doctrinam conuellere conatus est: hunc ego sequar? hunc anteponam Concilijs duobus: omnia mihi prius vt eripiat DEVS, precor, quam vt ea mente me esse permittat. Quod si maximè præceptum esset CHRISTI, de sumenda vtraque specie, quod nullum esse luce clarius constat, dubitarem adhuc tantũ, num contra duorum Conciliorum authoritatem vtra-

queque species admittenda foret? nam etiam ab Apostolis contra CHRISTI præceptum facta esse pleráque video. Iussit CHRISTVS docere prius, postea baptisaret. Baptizantur infantes neque tamen docentur, atque ita obseruasse Apostolos graues authores tradiderunt. Si verba specie certè Anabaptistarum dogma comprobabis. Negabis baptizandos qui prius docti non fuerint. Formulam præscripsit CHRISTVS. In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Hanc formulam non obseruarunt Apostoli, quos baptizasse in solius IESV nomine, liber Actorum testatur. Nónne tibi contra CHRISTI præceptum feciſſe videntur? si verba spectes. Iussit deinde CHRISTVS baptizare, hoc est mergere, & fuit hoc obseruatum vsque ad Cypriani tempora. Vbi cum aspergerentur enim, siue perfunderentur, ægri præsertim, qui lecto fuerunt affixi: dubitatum fuit, num hæc perfusio baptismi vim habere deberet. Cyprianus verò pro baptizatis censeri voluit omnes, qui ad hunc modum perfusi essent, quod negaret virtutem Sacramentorum visibilibus ijs rebus alligatam esse: vt nihil de illis mutari vnquam oporteret. Et certè etiam, tui, nunc perfundunt infantes, non baptizant: hoc est, non immergunt, æquè vt Christiani. Vides itaque quam multa fiunt in hoc Baptismi Sacramento quod æquè Sacramentum est atque Eucharistia, quæ planè cum verbo DEI pugnare censent Anabaptistæ, & tamen neque tui propterea mutandos esse veteres ritus existimant. Quod si ego meum iudicium sequi deberem & illud Ecclesiæ iudicio anteponere, quam à me Deus amentiam pro sua clementia procul auertat, certè dicerem verbum Dei magis ab Anabaptistis stare quàm à nobis. Vides itaque nullam esse religionem quæ prohibere te debeat, quominus vna specie vtaris: cum non in speciebus salus nostra sita sit, sed in eo qui continetur sub speciebus, qui æquè integer est sub vna atque sub vtraque: si viuum eius corpus sumis à quo separatus sanguis esse non potest, quid inaniter de speciebus contendis: cum sub specie panis rem totam habeas. Quamobrem errorem hunc tuum abijcias, & more Catholico ad vnius speciei communionem te præpares. Tum ille. Obsecro, inquit, liceat mihi per te meum institutum tenere: neminem in meam sententiam perducere conabor, ipse modo vt in ea perseuerem. Quæ est ista, inquam, pertinacia cum possis manibus etiam errorem tuum contrectare, tamen ab eo discedere non vis? Per me tibi non licebit: sed si per Concilium quod nunc indictum est licuerit, quid ni liceat per me quoque. Verùm interea Concilijs prioribus parendum esse censeo. Ille verò eandem Cantilenam iterum atque iterum. Tum ego. Video me & oleum & operam perdere, neque tuæ pertinaciæ mederi posse. Quamobrem abire tibi iam licet. Ita discessit à me sub vesperam eadem die iui ad Magistrum Ciuium Nicolaum de Limbo, narraui illi omnia quæ cum vno omnium homine pertinacissimo egissem: quæstus etiam sum de eo quod pueros ad ludum venire prohibuisset, ne qui de Sacramento Eucharistiæ audirent: quod Cantorem in Ecclesia canere prohibuisset, cum ego Sacris essem operatus: quod etiam interdixisset ne veniret ad me cum esset vocatus. Dixi mihi propositum esse iterum die crastino venire in Prætorium: Quæsiui, si postularem vt ablegaretur à Ciuitate num esset aliqua spes obtinendi. Ille consilium dedit, ne postularem id, nam circa tumultum aliquem eum à Ciuitate alienari vix posse, sed quandoquidem promisisset se neminem doctũrum neque in sententiam suam pertracturum, vt in eo acquiescerem: atque à Senatu postularem vt eum adigeret authoritate sua quo promisso huic satisfaceret. Cogitabam ego mecum. Si postulaturus fuisse à Magistratu Ciuitatis, vt eam ejiceret ex Ciuitate, nihil aliud quàm repulsam cum ignominia me laturum fuisse, quandoquidem qui primarius ciuis est, & cuius ferè sententiam sequuntur omnes, is non ostendebat spem forè, vt obtinerem si petiuissem: considerabam & illud, quòd promiseram etiam in Senatu cum antea verba feciſſem, vt intrepidè ad me accederet quicunque scrupulum aliquem haberet nulli id fraudi esse futurum. Nunc si eum exterminari postulassem præterquam quod nihil profecissem, in has etiam voculas hominum incidissem, quod secus factum esset à me quam promiseram: quodque dolo egissem vt eum qui dubitasset aliqua de re, si assentiri sententiæ meæ noluisset in discrimen adducerem: aliquid etiam successori relinquendum esse putabam, quandoquidem ad aliam Varmiensem Ecclesiam gubernandam vocare me iam DEVS dignatus est. Atque vt sumus homines euenit mihi quoque humanum aliquid, quoniam instant Comitia nolim offensos animos hominum, neque eos à me abalienatos qui inter Ciuitates primo loco sententiam dicunt. Fuisset autem ingens offensionis materiæ, si quod postulassem non feciſſent. Itaque postridiè accessi ad prætorium, vbi erant scabini quoque congregati. Quæri de Ludimagistro nolui, tantummodo quæ cum eo egissem recensui. Dixi vt viderent num talem hominem illis alere, ac teneram ætatem eius fidei concredere expediret. Me non postulare vt eum exterminarent, illorum arbitrio iudicioque permittere. Sed cum promiserit se nihil docturum pueros, quod ad fidem & religionem pertineret, neque in sententiam quoque suam pertracturum, neque cum quoquam mortalium de his rebus locuturum, vt eum ad se vocarent, ac seriò mandarent quo staret promissis. Nam simul vt intelligerem feciſſe eum contra aliquid, me vias & rationes persequuturum, quæ minus illi gratæ futuræ essent: Neque enim ferre me posse, vt oues à CHRISTO fidei meæ concreditas dispergat, vt eas mactet aliquis. Me quidem alio vocatum esse per

Dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei voluntatem. Sed quoad Ecclesiæ huius Episcopus fuero me non permissurum vt alius oues meas doceret præter me, aut cui munus hoc mandatum fuerit à me. Adhortatus eos postea sum, vt ipsi prærirent alijs, Eucharistiam sub vna specie sumerent, non in angulis sed inspectante populo. Quales enim sunt Principes Ciuitatis, tales esse ferè solere reliquos ciues. Quamobrem si ipsi se Catholicos ostenderent futuros Catholicos ciues omnes: & eorum exemplum sequuturos. Egi non paucioribus verbis cum illis quàm priore Oratione egeram: Sed ita sum iam lassus dictando, vt non possim amplius. Illi quæ vellem se facturos esse, responderunt: atque ita valedixi singulis. Vocatus est per eos Ludimagister. Quid illi dixerint nescio, sed audiui multum lachrymantem à Prætorio discessisse. Verum & coram me sæpè dicebat, Nunc, inquit, nemo vult harum rerum esse conscius, nunc omnis in me cuditur faba, solus ego cogor expendere pro omnibus. Habes quæ per me Toronij sunt acta.

Datum in Castro nostro Lubauien. die XV. Aprilis, Anno M. D. LI.

FINIS.

STANISLAI HOSII CARDINALIS VARMIENsis, maioris Pœnitentiarij,

De actis cum Elbingensibus, Anno Domini M. D. LIII.

CVM venissem Elbingam absolutis terrarum harum negotijs de quibus aliquot consiliarij consulturi veneramus, congregandum curaui Senatum & populum Elbingensem: qui cum in prætorium conuenissent, in hanc sententiam ad eos verba feci. Cum in his terris præsens adfuissem Maiestas Regia, me præsente & audiente petitum ab illa fuisse: purum vt Euangelium prædicari permitteret. Ex ea re magnum animo meo me dolorem accepisse: qui cum Pastor & Episcopus essem ciuitatis huius, non modò nihil à me postulatum fuerit eius generis ab ouibus meis, verumetiam pro Turca aliquo & infideli habitus essem, vt qui cursum Euangelij impedire conarer: hac me suspicione perstringi non potui, non grauiter & moleste ferre: Nam & si per Dei gratiam hæreticus aut schismaticus non essem, nõ tamen propterea me Turcam aut Ethnicum aliquem, sed Christianum & Catholicum Episcopum esse, ac non modò non impedire, verùm etiam prouehere modis omnibus velle puri Euangelij prædicationem. De eo autem quod purum quodúe sit impurum Euangelium, nõ cuiusuis de fœce vulgi zonarij, baiuli, figuli, sed Episcoporum fuisse semper & esse iudicium: quod illi ipsi testantur etiam, qui segregauerunt semetipsos ab Ecclesia Dei, cum in Confessione sua Augustana hanc Episcoporum esse iurisdictionem confessi sunt, de doctrina cognoscere & doctrinam ab Euangelio dissidentem reijcere, simul etiam impios, quorum nota est impietas ab Ecclesiæ communione excludere. Itaque vel ab istis doctos eos ad me confugere oportuisse, vt ego de doctrina cognoscerem, & doctrinam ab Euangelio dissidentem reijcerem. Falsos eos esse opinione sua, qui secus de Maiestate Regia iudicauerint: esse Maiestatem illius Christianum & Catholicum Regem, ex summa religione præditis parentibus & maioribus prognatum, inter Christianos & Catholicos educatum, nec alijs quàm Christianæ Catholicæq; religionis præceptis imbutum. Non eam ignorare quæ sui sunt muneris, iudicium de sana doctrina deqúe puro Euangelio sibi non arrogare, sed quorum id proprium est Episcopis permittere. Postulatum hoc idem ab illius Maiestate fuisse, per quosdam etiam alios maiores, verùm non aliud eos, quam quod Catholico Rege & Principe dignum fuit responsum tulisse. Negauit enim illius Maiestas sui muneris esse de puritate verbi cognoscere, Episcoporum id esse officium, se etiam ipsam eorum hac de re iudicio submittere, ac iurisdictionem illorum in omnibus saluam velle: Itaque frustratos eos esse opinione sua de Rege Christianissimo: qui nihil ab officio Catholici Principis alienum aut fecerit, aut sit facturus vnquam. Nunc adesse me Pastorem ipsorum & Episcopum: cupere me cognoscere (quando quidem proprium, hoc est, munus meum) quod sit purum istud Euangelium, cuius prædicandi potestatem à Maiestate Regia sibi concedi postulauerint: petere me ab illis quamuis hæreticus & schismaticus non sim, ne me tamen pro ethnico ha-

haberent & infideli. Omnia me prius & facere & pati paratum esse, quàm vt puri Euangelij cursum impediam: modò purum sit. De puritate verò illius cognoscere non curiosis de plebe, verùm Pastoris & Episcopi munus esse. Nam & hæretici puritatem sibi arrogant Euangelij, verbumqúe suum Dei verbum videri volunt, Etiam ante Christum natum conquestum fuisse Hieremiam Prophetam de falsis Prophetis: quod currerent cum eos non misisset Dominus, quodque subinde vociferarentur, verbum Domini, verbum Domini, Os Domini locutum est, hæc dicit Dominus, cum tamen hæc Dominus locutus non esset, quæ ipsi dicerent. Quin & Galatis, qui renunciabant aliud, quàm quod acceperant à Paulo, sub speciosо Euangelij titulo doctrinam suam populo venditasse legimus. Neque fuit quisquam hæreticorum, qui suam imposturam non purum Euangelium appellauerit, qui suos errores non scripturarum testimonijs in prauum sensum detortis, confirmare conatus fuerit. Ipsum etiam sathanam non alijs quàm scripturarum telis, post quadraginta dierum ieiunium esurientem Dominum appetiuisse: qui si se transfiguratin angelum lucis, non esse magnum, si ministri eius transfigurantur, veluti ministri iustitiæ, non esse magnum si fuerint semper & sunt etiam nunc pseudoapostoli, & operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos CHRISTI. Nolle me veteres hæreticos enumerando recensere, nostra tempora diligentiùs expenderent, nunquid aliqua sit hæresis, quæ non suam doctrinam purum Dei verbum haberi velit? Primum fuisse Martinum Lutherum, qui suam opinionem vulgo pro puro Euangelio venditauerit: Fuisse iuratum illius Carolstadium, sed non toto biennio in eadem cum illo sententia permansisse. Inde sacramentarios natos esse, qui vel iureiurando præstito affirmauerint, suam doctrinam esse purum Euangelium. Neque secus existimant ij, quos in suam opinionem pertraxerunt. Post hos Anabaptistas extitisse, qui non modo Catholicam Ecclesiam, verùm & Lutheranos & Sacramentarios cœcitatis & erroris condemnant: ac se nunc primùm purum Euangelium, & legitimum sacramentorum vsum in lucem protulisse gloriantur. Est autem hæc vetus hæresis ac scripturarum armis ita munita, vt qui vnus omnium diligentissimè in scripturis versatus est Augustinus, non nisi Ecclesiæ authoritate eam conuinci posse putauerit. Nihil opus esse cæteros, qui à Catholica Ecclesia defecerunt, & longiùs à nobis absunt, enumerare: cùm eorum ingens sit numerus. Considerarent secum quæ nunc apud vicinos aguntur. Vulgo dici de quodam Osiandro, (quod me tamen in scriptis illius, quæ non ita multa legi animaduertere non memini, sed vulgò tamen iactari) quòd is CHRISTI passionem & mortem negat ad iustificationem nostram quicquam pertinere: qui tamen suam de iustificatione sententiam multis scripturarum testimonijs confirmat: & quæ scripta sunt in Confessione Augustana erroris arguit, ac non Dei, sed Philippi verba esse cum Dei verbo pugnantia contendit. Cuius opinionem qui non ita pridem sunt amplexi Deo gratias agunt, mirificéque de eo gloriantur, quòd nunc sibi primùm Euangelij lux affulserit, ac tanta est inter partes contentio, dum vtraque sibi puritatem Euangelij arrogat, vt res ad seditionem spectare videatur. Itaque vel ex eo discerent, non statim esse purum Euangelium, si quis è scripturis perperam intellectis testimonia proferat: quod faciunt omnes hæretici. Propterea verò constitutos esse Episcopos, vt ipsi de puritate cognoscerent, ac ne schismata sint in Ecclesia Dei prouiderent. Nam vbi Episcopus non est, ibi necessariò schismata consequi, dum temere sibi quisque scripturas interpretandi potestatem sumit. Me inter alia quæ credere me confiteor, sanctam etiam Ecclesiam Catholicam profiteri, cui soli sanæ intelligentiæ lux promissa est. Eius me interpretationi stare, in eius decretis acquiescere, nihil ingenio meo fidere, sed quod ab illa definitum est, quæ columna & firmamentum est veritatis, id solum rectum & verbo Dei consentaneum iudicare: neque magis quicquam deliberatum habere, quàm in ea perpetuò manere: à qua si maximè discedere vellem (prius autem omnia mihi DEVS eripiat, quàm vt in hanc mentem impelli me permittat) sed si discedere tamen ab ea vellem, quod esset tandem Euangelium, quod mihi tanquam purum amplectendum foret? quandoquidem & Lutherus & Zuinglius, & Muncerus, & quotquot alij sunt hæretici, de puritate Euangelij gloriantur omnes. Iam si Lutheranum dogma pro puro Euangelio amplectendum existimarem (quod procul DEVS auertere velit) quandoquidem & illud varium est & inconstans, ita vt non absque ratione dictum sit ab illustri Principe Catholicæqúe fidei tenacissimo Georgio Saxoniæ Duce: quòd sciret quidem, quid hoc anno crederent vicini sui VVittembergenses: quid autem proximè insequenti anno creditu-ri essent, nesciret. Cum itaque tam sibi non constet dogma Lutheranum, tanque ipsum à se dissideat, vt quotannis prope mutatum variatumqúe sit, quod indicant etiam loci communes & Commentarij, quos nouos annis fere singulis æditos videmus cumprimis illis magna ex parte pugnantes, quodnam tandem istorum dogma puri Euangelij loco haberem, illúdne quod ante triginta, an quod ante viginti, aut quod ante quindecim aut octo annos traditum legimus. Exortam nunc esse in vicinia apud Ducem Prussiæ Albertum de iustificatione controuersiam: quæ quantos motus excitauerit, eos non ignorare. Missum esse ad VVittembergenses Theologos, vt suum de noua doctrina iudicium perscribe-rent, illos prorsus iudicio suo eam condemnasse. Idem & ab eis qui sunt in Marchiæ Pomeraniæq; terris factum est. Quoniam verò magno applausu à quibusdam recepta est, missum est ad VVirtembergenses quoq; Theologos: eos sententia sua minimè eam improbandam esse declarasse, cumq; postulatũ ab illis denuo fuisset, vt de eo qd' vtraq; pars de iustificatiõe sentiret, synodicè decernerent, aliquid respondit Brentius & eiusdem factionis alij VVirtembergenses Theologi: Non videri sibi, vt de eo synodicè decernerent aliquid, quod nouũ sit

id

Universidad de Deusto
Biblioteca

id atq; inuisitatum & exemplo nociturum. Quòd si quid synodicè decernendum sit, conuocare necesse sit ad eam rem frequentes viros doctos, non ex vno territorio aliquo, sed ex multis & varijs: qui coram inter se conferant, deq; rebus ijs differant, quæ aut approbandæ sint aut damnandæ. Nunc se pauciores conueniisse, quàm vt synodicè quicquam constituere possint. Hoc Brentij responsum laudari & quidem meritò debet. Neq; enim fas est, vt vnus aliquis, atq; adeò vt ne plures quidem alicuius prouinciæ Theologi decernant hoc, aut illud, pro sana doctrina tuendum & amplectendum esse: verùm si quid eiusmodi statuendum sit, conuocatis ab eo, quem suum in terris Vicarium Christus constituit, ex vniuerso orbe Christiano doctissimis & grauissimis quibusq; viris, in Concilio Oecumenico, ibi demum id rectè fit, quòd q; talis Concilij authoritate decretum sit, id tanquam Dei vocem per illud loquentis amplecti oportet: cùm non aliud sit remedium præsentius abolendi schismata errores q; ex Ecclesia Dei propulsandi, quàm vt Oecumenico Concilio congregato in commune consulatur ab omnibus, communibus q; sententijs quid pro sana doctrina proq; fide Catholica sit habendum, decernatur, cui contradicere insolentissimæ cuiusdam est insaniæ. Quamobrem ne sibi hoc arrogare vellent, vt ipsi, quod sit purum Euangelium, cognoscerent, néue tanquam paruuli fluctuantes circumferrentur omni vento doctrinæ, vt quicquid ex scripturis malè intellectis productum esset ab aliquo, id pro verbo Dei proq; puro Euangelio amplecterentur: verùm adirent me Pastorem & Episcopum animarum suarum: meum si quid dubitarent, iudicium exquirerent, qui non alio animo ad oues meas accesserim, quàm vt quod infirmum fuerit, consolidarem, quod ægrotum sanarem, quod contractum alligarem, quod abiectum reducerem, quod perierat quærerẽ, non cũ auctoritate imperans & potentia, sed in spiritu lenitatis docens, quod me summa cum animi alacritate facturum offero. Si quis habuerit in conscientia sua scrupulum aliquem, se qua de re dubitauerit, veniat ad me, obuijs vlnis venientem excipiam, ac pro eo vt officium meum postulat, verbo Dei conscientiam cuiusq; consolabor: neq; mihi sumam, vt illud meo sensu interpreter: sed quemadmodum prisci Patres viri doctissimi sanctissimiq;, tùm etiam vniuersa Catholica Ecclesia interpretandum id esse putauerit, indicabo. Posteaquam finem dicendi feci: qui vocatur Aduocatus, nihil aliud quàm paucis verbis populi totius nomine mihi gratias egit. Cæterùm priusquam ingressus esset populus, seorsum alloquutus fueram Senatum, breuiore quidem oratione, sed in eandem fere sententiam: illud adiunxi modò, permultum referre, quales ipsi se hac in re exhibituri essent. Nam quales principes ciuitatis, tales & reliquos ciues esse solere. Quòd si tractabiles ipsi se præbituri essent & faciles, reliquum populum nequaquam fore difficilem in sana doctrina recipienda. Promisit Senatus, se mihi tanquam Pastori & Episcopo suo dicto audientem esse futurum. Ego verò singulis diebus Dominicis, populum de superiore loco in Ecclesia iuxta præscriptum meum, de rebus hoc tempore cognitu necessarijs doceri feci. Dominica vero Lætare (qua Petrus Isram impurus ille homo, anno proximo superiore Christum de Cathedra sub vtraq; specie publicè venalem proclamauerat, modò quis quatuor decim obolos numeraſſet) sermo habitus est de legitimo vsu sacramenti Eucharistiæ: qui quamuis offendere nonnullos visus est, audiuere tamen multi summa animorum attentione, & erat populus in templo frequentior, quàm ferè vnquam antea. Ego verò inuitatis ad me primoribus ciuitatis, quæcũque dicta fuerant à sacerdote meo, pro recepto Ecclesiæ vsu, sub altera tantùm specie communicandi, productis libris quorum ille testimonijs vsus est, ita esse ostendi quemadmodũ ab illo dictum fuerat: idq; feci non solùm in prandio, coram primoribus ciuitatis Dominicæ Lætare per me inuitatis: verùm etiam in cœna eodem die coram quatuor alijs, qui doctrinæ nomine celebriores alijs Elbingæ habentur. Ac non modò non contradixit quisquam, verùm etiam ita à me discesserunt: vt assentiri verbis meis visi fuerint. Ac fuit non nemo, qui quod ego ex Philippi Melancht. locis communibus indicabam, adiaphoron illi videri: si quis sub alterutra aut sub vtraq; specie communicasset, id se ante octo plus minus annos, ex eo ipso audiuisse confiteretur. Accessi deinde ad quendam ex primarijs ex podagra laborantem, quæsiui ex eo, quodnam esset illud purum Euangelium, cuius potestatem à Maiestate Regia concedi petiuerit: me penes quem ea de re iudicandi maior potestas est, acquieturum, libenter modò purum esse constaret. Respondit ille, nulla alia de causa dictum hoc à se fuisse, quàm quòd Augustinus, qui tum prædicatoris munere fungebatur, parum esset disertus & eloquens in prædicando Euangelio. Cui ego, agnoscere me dixi, id ita esse: verùm quid hoc ad puritatem Euangelij? Nominaret facundiorem aliquem & doctiorem: quandoquidem ius patronatus à Maiestate Regia pro vna vice mihi donatum est, Augustinus verò tantùm Commendatarius est, me libenter alteri modò sit Catholicus, de parochiali prouisurum. Nullum se scire dixit: Tum ego: quid ergo exigitur, inquam, à me, quod in potestate mea non est, quandoquidem hoc, quod nunc vocatur Euangelium sacerdotibus & ministris Ecclesias prope omnes vacuas reddit. Tanta arte curauit sathanas vt sub speciosо Euangelij titulo, Euangelij prædicationem ferè omnem aboleret. Tum autem eam esse ciuitatis huius infœlicitatem, vt quamtis eius Parochus habere videatur, vnde non incommodè se sustentare queat, nemini tamen sacerdotum persuaderi possit, vt munus Parochi in ea suscipiat, vt in quauis etiam villa Parochum quisq; malit agere, quarta etiam reddituum parte contentus. Adeò dicuntur in hac ciuitate sacerdotes contemni maleq; tractari. Respondet se aliud nescire, quàm quòd habeatur sacerdotibus honor debitus: se meminisse Parochos aliquot, quibus & suppeditata largè omnia & in magna veneratione fuerint habiti. Postea commemorauí illi quæ fuerant à sacerdote meo dicta de superiore loco de Ecclesia, de legitimo sacramenti Eucharistiæ vsu, quodq; altera tantum specie vti rectum sit, neq; causæ quicquam sit, quamobrem calix exigatur. Visus est non improbare atq;

fe atq; ita ab eo discessi, vt esse Catholicum existimarem. Vocaui ad me posteà duos ex ijs, qui videntur esse doctiores in ea ciuitate, seorsum vnumquemq; eorum ad communionem alterius speciei iuxta receptum Catholicæ Ecclesiæ ritum sum adhortatus. Visi sunt non abnuere, nisi quod alter eorum dicebat, se nunquam aliter, quàm sub vtraq; specie communicasse. Itaq; perdifficile sibi fore ita subitò ab eo ritu discedere, in quo natus esset: quandoquidem Regiomuntanus esset, non Elbingensis. Alter verò se decem & septem annos natum fuisse, cùm Vvittembergam primùm venisset, ex eo tempore nunquam nisi sub vtraq; specie Eucharistiam sumpsisse. Itaq; deliberandi spacium vterq; sibi dari petiuit. Dixi me daturum dies plus minus decem: modò ante Pascha de voluntate eorum certior fieri possim. Breue tempus id videri responderunt: cùm præsertim toto prope vitæ suæ tempore, nullum alium, quàm sub vtraq; specie communicandi ritum sciuerint. Dixi vt redirent ad me post vnum aut alterum diem. Diebus aliquot interiectis vocaui ad me Regiomontanum, qui visus est tum paulò durior esse, quàm fuerat antea. Cùm enim intellexissent me velle seorsum ex vnoquoq; Senatorum cognoscere, quid mihi de singulis polliceri deberem, vt scire possim qui schismatico, quiue Catholico ritu communicare vellent, quantum cognoscere potui susceptа iam fuit inter eos deliberatio, ac in eam sententiam iuerunt omnes, idem vt responsum darent, néue vnus ab altero discreparet: verùm dicerent successũ quidem temporis fieri posse, vt ad intermissum vnius speciei vsum redirent: sed ita subitò nequaquam. Dixit mihi Regiomontanus cùm vrgerem atq; instarem: cumq; in ipso & collega ipsius permultum esse positum dicerem: quòd si duo ipsi cum Ecclesia Catholica communicarent, facilè alij eorum exemplo ad idem faciendum adduci possent: falli me opinione mea. Nam simul vt periculum feciſſem, multò me difficiliores alios experturum: se scire quid de me dixerit in Senatu: quantoperè conatum hunc meum probauerit: quòd veri Pastoris & Episcopi fungar officio, multaq; alia se dixisse, quę nunc me corã dicere non auderet, ne auribus meis dare aliquid velle videatur. Hæc verba suspicionem mihi fecerunt, conspirationem iam inter eos factam esse. Itaq; mox accessi ad ęgrum, vt ex eo cognoscerem cuius communionis esset: confessus est & non negauit accepisse se sub vtraq; specie: claram esse scripturam, se non posse facere secus contra conscientiam suam, successu tamen temporis fieri posse, si quid certius cognouisset, vt ad priorem communicandi vsum rediret. Verùm cùm non nisi post longi temporis deliberationem, veterem communicandi ritum reliquerit, non posse ita repente se de eo deduci. Duas propè horas cum eo consumpsi, iterum deliberandi spacium petiuit. Vocaui alium, vocaui & tertium, similiter omnes dixerunt: illud tantum addiderunt, se iam semel confessos esse Christum sumpta vtraq; specie, non licere nunc sibi eum negare, si ad alteram tantum redijssent. Dixit vnus ex illis, me quoq; verba esse clara, Bibite ex hoc omnes, intelligere. Cui ego non sine stomacho: Intelligo, inquam, clara esse, verùm in eum sensum, quòd nemo laicorum ex illis tanquam præcepto aliquo astringatur ad vtramq; speciem sumendam, non autem in eum quem ipse vellet: Neminem esse qui verè dicere possit, quòd secus doceam, quàm intelligam. Pleraq; non intelligere humanæ esse imbecillitatis, secus autem interpretari, quàm intelligas, hominis esse prorsus impij, & à Christo qui veritas est alieni. Facilius me laturum: vt ab istis qui sibi scire & intelligere omnia videntur, ignorantiæ quàm impietatis arguar. Cognoui consilium esse factam. Itaq; congregari Senatũ postulaui, certior vt fierem, nunquid me Pastorem & Episcopum suum agnoscere, vocemq; meam audire vellent. Renunciauit mihi Magister ciuium cõgregatum iri Senatum: cæterùm populi quoq; nomine postulasse quosdam, vt in prætorium venire, meq; alloqui possent. Respondi si vellet vniuersum populum præsentem adesse, me facilè laturum, & coram omnibus intrepidè, quod rectè sentirem esse dicturum. Itaq; veniant qui velint. Veni in Prętorium postridie Palmarum, in hanc sententiam verba feci: Non eos ignorare quæ causa fuit aduentus in hanc ciuitatem mei: Venisse enim me vt officio pastorali fungerer, eosq; purum Euangelium docerem, errantes in viam reducerem, ac viam illis æternæ salutis consequendæ communstrarem. Hanc viam extra vnitatem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ nullam esse. Itaq; & ipsum me fecisse, vt eos ad vnitatem hanc & concordiam diligenter oratione mea cohortarer, quòd id ipsum diceret, id ipsum sentirent, id ipsum saperent omnes, neq; essent inter eos schismata: & ministrorum opera eandem ad rem vsum esse. Audiuisse eos quæ fuerit Incarnationis, passionis & mortis Christi causa. Neq; enim fuit alia quàm vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum, neq; aliud nobis Christus testamentum reliquit, cùm ad patrem suum cœlestem esset migraturus, quàm pacem: nihil aliud precatus est patrem diligentius, non pro suis tantum Apostolis, sed pro ijs omnibus, qui crediturí essent per verbum eorum, in se, vt omnes vnum essent, sicut pater in ipso, & ipse in patre. Quin & Sacramentum corporis & sanguinis sui propterea sub speciebus panis & vini instituere voluit, vt quemadmodum ex multis granis vnus efficitur panis, ita & nos ex multis membris vnus panis & vnum corpus efficeremur, qui de vno pane participamus. Quamobrem hortari me illos monere, rogare, obsecrari pro officio meo pastorali: quantum saluas esse vellent animas suas, tantum darent operam, ne euacuarent crucem Christi, ne mortis illius beneficium irritum & inane redderent, ne Sacramentum corporis & sanguinis Christi ad mortem potius, quàm ad vitam æternam sumerent: quod cùm sit Sacramentum pietatis, signum vnitatis, vinculum charitatis, ne facerent illud causam dissidij, materiam diuisionis, fomitem odij, saltem signum attenderent, nec aliud esse vellent, quàm quòd per illud notatur. Curarent vnus panis, vnum esse corpus Christi mysticum, si cuperent ad vitam, non ad mortem sumere corpus Christi viuum. Nihil æquè Deum odisse atque schisma, de nullo peccato grauiores vltiones sum pœnas sum pisse: quòd non modò Regum indicaret historia, vbi decem tribus, quã

Universidad de Deusto
Biblioteca

se sciderunt à duabus alijs, in direptionem esse datæ, & grauibus incõmodis affectæ leguntur: verùm & quod in libro Numerorum scriptum est de Core, Datan, & Abiron: qui cùm se ab Aaron & Mose segregassent, inusitato quodã supplicij genere sunt puniti. Siquidem terra compagibus ruptis, in profundum sinum patuit, stantes atq; viuentes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantum eos, qui authores fuerũt Dei indignantis ira percussit, sed & cæteros ducẽtos quinquaginta participes eiusdem furoris & criminis (qui coagulati cum ijsdem simul ad audaciam fuerunt) exiens à Dño, ignis properata vltione consumpsit. Adeò nullum fuit crimen vnquam, quod grauiore animaduersione dignũ Deus iudicaret, quàm segregationis hoc & schismatis. Quapropter vel hoc exemplo discerent, quàm sit periculosum segregare se ab Episcopo & à reliqua Diœcesi illius omni, segregare se à Rege suo & populis omnibus sibi subiectis, segregare se à Christo & à corpore illius sancta Catholica Ecclesia. Esse eos ex superiore loco in Ecclesia per sacerdotem meum edoctos: qd' nullum extet Christi præceptũ de eo, quòd sit necessariò ab omnibus Eucharistia sub vtraq; specie sumenda: id non ex decretis modò Constantiensis & Basiliensis Cõciliorum, verùm & ipsorũ etiã scriptis, qui segregauerunt semetipsos, per me etiam ipsum coram nonnullis confirmatum esse: quòd & Lutherus disertis verbis scripserit. Quandoquidem de communione vtriusq; speciei, nihil tanquam necessariũ Christus præceperit, præstaret pacem & vnitatem sectari, quàm de speciebus sacramenti contendere. Et Philippus in suis locis cõmunibus inter media numerarit, alterutra sacramenti parte vti. Quamobrẽ siue Catholicam sequi vellent Ecclesiam, quàm in Symbolo se credere & eius decretis acquiescere, Christiani profitentur omnes, siue potius audiendos eos putarent, qui se ab illa segregauerunt, quiq; primi nostro seculo schismatis huius & aliarum hæreseon authores fuerunt, vtrorumq; testimonio constare, neminem tanquam ex præcepto Dei ad vtranq; speciem necessariò sumendã astringi. Esse quidẽ ita, quòd vt alijs de rebus omnibus, ita de hoc quoq; Martinus Lutherus & eius sectator Philippus variè sunt & inconstanter sæpè loquuti: cæterùm quòd vrgebant posteà, vt vtraq; species sumeretur ab omnibus, id non eo factum esse, quòd ita fieri oportere existimarent, quodq; si secus fecisset aliquis, eum saluum fieri non posse crederent: Sed cùm nihil magis propositũ illis fuisset, quàm vt scinderent Ecclesiam Dei, & quàm plurimos à Christi corpore auellerent, eosq; suæ partis facerent, nõ alia ratio visa est cõmodior ad id quod solũ cogitabant perficiendum, quàm si rudi populo persuasissent, contra etiam quam ipsi sentirent, in adimendo plebi calice, Christi præceptũ esse violatum. Certum est nõ aliò spectasse Lutheri conatus oẽs, quàm vt papatũ euerteret: quo gubernatore sublato, atrocius atq; violẽtius circa Ecclesiæ naufragia grassari, & eius vnitatem scindere possit. Etiam epistola hoc illius ad Argentinenses scripta testatur, vbi ijs verbis vtitur: Hoc diffiteri non possum nec volo, quòd si Carolstadius, aut alius quispiam ante quinquenniũ mihi persuadere potuisset, in Sacramento præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi deuinxisset. Grauibus.n. curis anxius, in hac excutienda materia multum desudabam: omnibus neruis extensis me extricare & expedire conatus sum: cùm probè perspicerẽ hac re Papatui valdè me incõmodare posse. Vel ex hoc facile quiuis collegerit, quis animus Lutheri fuerit in doctrina sua, quã Euangeliũ vocari voluit, propaganda. Nihil ex Charitate Christiana, verùm ex odio quodã plus quàm sathaniano & scripta & facta sunt ab eo omnia, qui fatetur etiã in libro de Missa angulari (quem ipse locum nõnullis indicaueram) quòd paratus fuerit silere de indulgentijs, ac iurisdictionem Ecclesiasticam non modò non impugnare, verùm etiam tueri & defendere, si modò lacessere eum desiuissent. Quoniam verò postulabatur à se, vt rem uocaret sententiam hanc suam prostratis indulgentijs, facturum se iam deinceps, vt & sacerdotio & sacrificium omne prosternat conculcetq;. Quam ad rem suppeditata sibi essent argumenta à diabolo gloriatur: quæ cumprimis asserit esse fortia, se cum eo ingentem disputationem fuscepisse: habereq; eum grauem vocem & validam scribit, tamq; horribiliter insonare, vt post nocturnam cum eo collocutionem postridie mane mortui nonnunquam homines reperiantur. Nam & corpus, inquit, occidere potest, deinde verò animam ita anxiam reddere, vt in vno momento necesse habeat à corpore migrare, quod sibi quoq; ipsi propemodum accidisse scribit: quemadmodum accidit etiam ad extremũ. Namq; vespere bene potus fuerat & hilaris, postridie mane repertus est in lecto mortuus. Cùm igitur ex ijs & alijs Lutheri scriptis, liquidò dilucideq; cognosci possit, nihil ab eo vel dictũ vel scriptũ esse, nisi ex odio & maleuolentia quadam singulari: quin & argumenta illi à diabolo suppeditata esse, qui cum eo nõ vnum salis modium se comedisse gloriatur: etiam atq; etiam viderẽt, quem authorem sequerẽtur, néue pro Dei verbo diaboli verbum amplecterentur. Quodsi scriptis illius fidem esse habendam putarent, ijs potius crederent, quæ ædidit cùm nõdum prorsus in reprobum sensum datus, neq; à diabolo disputando fuisset superatus. Porrò Philippũ, q̃uis in magistri sui gratiã vtranq; sæpè speciẽ vrserit, quoties tũ libera daretur ei, qd sẽtiret dicẽdi facultas, fassum esse, nõ rarò alterutrã specie vti licitũ esse. Quod qd fuit aliud q̃ fateri, nullũde vtraq; specie sumẽda Christi p̃ceptũ esse? Tãta est veritatis vis, vt p eorũ etiam iugula nõnũquã erumpat, qui vel maximè eam oppressam esse cupiũt. Egisse me cum quibusdam ex eorum collegio, certiorem q; fieri voluisse, Catholicę ne an alterius cõmunionis esse vellent, responsum hoc tulisse: Clara esse Christi verba, Bibite ex eo oẽs. Ab eis discedere sibi non licere: successu tamen temporis fieri posse, vt cùm certius aliquid cognouissent, ad intermissum alterius speciei vsum redirent: verùm id ita subitò fieri non posse. His verbis me non mediocriter offensum fuisse. Quid.n. aliud, quàm cœcitatis argui sum visus, qui in tam clara, vt illis visum est scripturarum luce, nihil viderem. Atq; vt ferendum fuerit hoc ab ouibus meis, mihi Pastori & Episcopo impingi, qui plus quàm quisq; eorum in scripturis intelligẽdis laborauerim, neq; per Dei gratiam omni sum prorsus ingenio destitutus: certè

certè hoc ipsum impingi Regiæ Maiestati, impingi Senatui illius vniuerso, impingi populis omnibus illi subiectis, impingi denicq; toti Catholicæ Ecclesiæ: cui nunquã hoc sensu verba ista clara fuerunt, id verò eiusmodi est, vt omninò ferè dum esse nulla ratione videatur. Totis octingentis annis intermissus est vtriusq; speciei vsus, & tot seculis nemo fuit, qui tam clara verba hæc intelligeret, donec ventum est ad monachum, qui perpetuam professus cõtinentiam, contra fidẽ iureiurando interpositam, perfractis pudoris repagulis, ruptisq; pudicitię claustris, posteàquam sub nuptiarum prætextu, incœsta nefariaq; cum Nonna turpitudine se cõtaminauit, statim sunt aperti oculi eius, vt hanc claritatẽ videret. Ipsos etiã Bohemos, qui ante centum annos primi schismatis huius authores fuerunt, non tam clara existimasse verba hæc: vt ex eis liquidò demonstrari posset, ad vtranq; speciẽ sumendã Christi præcepto mortales oẽs astringi: verùm ex illis potius verbis id rectè confirmari posse putauerunt: Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis & biberitis eius sanguinẽ, nõ habebitis vitam in vobis. Quę qui triginta ijs annis nati sunt de spirituali, non de sacramentali manducatione accipi volunt. Quis aũt hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ita sibi soli scripturarum intelligentiam aliquẽ arrogare, vt orbẽ Christianum vniuersum cœcitatis arguat? Admonitos eos esse hesterno die è superiore tẽpli loco, nihil esse periculosius inflante scientia, quæ tum inflat maximè cùm est charitate destituta: cuius si vel micam aliquam haberent, non ita sibi claram scripturarum intelligentiæ lucẽ vendicarent, vt eam cæteris omnibus Christianis adimerent, seq; solos videtes, cæteros oẽs cęcos esse existimarent. Illud etiam eos aliquoties & ex me & ex sacerdote meo audiuisse, quòd non alij maiore cum arrogantia sibi claram scripturarum intelligentiam vsurpauerint, quàm est ab hæreticis iam inde à multis seculis factitatum. Sic Arianis clarissima verba visa sunt: Pater maior est me, ex quibus non esse Patri filiũ æqualẽ colligere conabantur. Sic nostro hoc quo Suermeri, nihil dici potuisse magis disertè persuasum habent, ad externum verbi ministerium, abrogandum, quàm quòd à Christo dictum & ab eius Apostolo Iacobo repetitum est: Nolite plures magistri fieri: vnus.n. est magister noster. Quodq; scriptũ est à Ioanne. Non necesse habetis vt aliquis doceat vos: vnctio illius docebit vos. Quod etiã aliquantò ante prædictum est à Propheta: Non docebit vnusquisq; proximum suum. Sic Anabaptistæ non solũ Catholicam Ecclesiam, verùm & Lutheranos, & Sacramẽtarios, & alios oẽs, qui se ab illa segregauerunt, secumq; non faciunt cœcitatis condemnant, qui non videant clara verba: Eũtes docete oẽs gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui contra tam clarum Christi præceptum & apertam illius institutionem prius baptizent, quàm baptizandos docuerint. Et certè clariora videri verba, quibus Anabaptistę ad suum errorẽ probandum nituntur, quàm quę pro vtraq; specie tanquam necessariò sumenda proferuntur. In quibus me vehementer mirari, quòd oculos habeãt, quibus videant vocẽ hanc oẽs, nõ aũt videant, quæ paulò antè præcesserit, duodecim. Siquidem duodecim dictum est: Bibite ex eo oẽs, institutumq; est à Christo, vt ne vel ipsis Apostolis, vel eorũ successoribus Episcopis & Sacerdotibus, aliter aut conficere Sacramẽtum hoc, aut post consecrationem offerre, aut oblatione facta sumere liceret, quàm sub vtraq; specie. Quod ad reliquum populum attinet, de eo qd' temporis ratiõ postularet penes Ecclesiam statuendi potestatẽ Christus esse voluit, vt ipsius iudicio vel vtraq; vel altera tantum sumeretur. Quamobrem clara quidem esse hæc verba, sed eo sensu quo à Catholica Ecclesia accipiuntur, vt nulli Sacerdoti consecrare, post consecrationem offerre, post oblationem sumere liceat aliter, quàm sub vtraq; specie. Quo verò sensu adferuntur à nouatoribus, qui sursum & deorsum miscere vellent omnia, eo verò minimè clara esse. Fuit etiam non nemo, qui diceret, me, quoq; claram esse scripturam hanc intelligere. Quę verba magis etiam animum meum offenderunt. Nam & extremę cuiusdam impietatis argui visus sum. Quid.n. vel cogitari potest magis nefarium & impium, quàm si secus, quàm intelligat scripturas aliquis interpretari conetur? quę tamen impietatis nota non mihi magis inureretur, quàm Regiæ Maiestati, quàm Senatui vniuerso, quàm populis omnibus illi subiectis, quàm toti sanctæ Catholicæ Ecclesię. Esse aũt intolerabilis cuiusdam arrogantiæ totum Christianum orbem, vel cœcitatis, vel impietatis condemnare, quasi non fuerit quisquam tot seculis, quibus calicis vsus intermissus est, qui non viderit, aut postquã viderit, agnoscere & profiteri voluerit tantam, vt istis videtur claritatem? Hortari me illos, ne Pastorẽ & Episcopum suum aut pro cœco, aut pro impio haberent, ac Deum in præsentia me testẽ inuocare: cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, quòd hæc verba Christi: Bibite ex hoc oẽs, hoc sensu accipi posse non videam, vt eis oẽs mortales ad vtranq; speciẽ necessariò sumendam, tanquam Christi præcepto quodam astringi credamus. Quin & illud mihi firmiter esse persuasum, quòd neq; Lutherus neq; Philippus ea sic intellexerit, nisi quòd, quam vnam ad rem omnis eorum cura cogitatioq; referebatur, ad scindendam vnitatem Ecclesiæ cumprimis hoc illis pertinere visum est, vt hunc aliquando verborum horum sensum esse iactarent. Intellexit Sathanas inuictam rem esse concordiam simul iunctam: Quamobrem per mẽbra sua nihil intentatum reliquit, vt illam rumperet, vt coniunctos diuideret ac separaret, vt quos sanguinis sui precio Christus congregauerat, eos sub Christi verborum prætextu dispergeret, quod non alia cõmodiore via se perficere posse sperabat, quàm si de speciebus altercationẽ hanc iniecisset, vt quod Sacramentum signum est vnitatis, id fieret occasio diuisionis. Nam & illud facilè prspiciebat, si semel aliqua in re à cõmuni totius Ecclesiæ sensu & cõsensu discessio facta esset, non difficulter adductos iri homines, vt in reliquis quoq; rebus suum ipsorum aut priuati hominis alicuius iudicium Ecclesiæ totius iudicio anteponerẽt: atq; ita ex vno in alium errorem labẽtur, neq; discessionum aut schismatum finis vllus fieret, quod etiam ita accidisse videmus. Qui.n, sunt, qui tantoperè instant atq; vrgent, vt vtraq; specie

Universidad de Deusto
Biblioteca

potiantur? qui alij quàm qui cum Nestorio sub specie panis corpus tantũ sine sanguine, hoc est cadauer, sub specie vini sanguinem tantum sine corpore, hoc est, cruorem: qui cum Vviclefo & Ioanne Hus panem in Eucharistiæ Sacramento simul esse cum corpore Christi contendunt, & quem in carnatum esse scimus, eum nobis Deum faciunt inpanatum, qui negãt esse corpus Christi nisi cùm sumitur, qui debitum adorationis cultum illi præstare nolunt: cum Petrobrusianis aut Hericianis sublato sacerdotio, sublato sacrificio, CHristi hñficiorũ omnium memoria, quantum in ipsis prorsus est obliteratę, veniunt ad extremũ eo quo statim initio tendebat Sathanas, cùm ad vtranq; speciem inuitaret, vt dicãt cum impio Berengario, non est Deus in hoc Sacramento, nõ est tibi verum & viuum corpus Christi, merus est panis pistorius. Et certè qua authoritate discedit ur in vno à sensu, & cõsensu Catholicæ Ecclesię, eadem in alijs quoq; omnibus discedere licebit, si suum ipsius aut cuiusq; alterius priuati hominis iudicium Ecclesiæ Catholicæ iudicio anteferre fas fuerit. Viderent qd Bohemis acciderit. Vnicum fuit initiò tantum apud illos hoc schisma de vtraq; specie: mox alia multa esse subsequuta, vix vt vllum sit oppidum in Bohemia, aut Morauia, in quo sub vtraq; specie cõmunicatur, vbi non sex aut septem sectas mirabiliter inter se dissectas reperire liceat. Hoc ipsum in Germania quoq; vsu venisse testatius est omnium oculis, quàm vt pluribus id verbis declarare sit necesse. Quamobrem ne segregarent se ab vna sancta Catholica Ecclesia, illius se iudicio submitterent: in illius decretis acquiescerẽt, Iius interpretationi starent, vt non ore magis quàm reipsa symbolum recitantes, se sanctam Catholicam Ecclesiam credere profiteantur. Hanc si ducem essent sequuti, futurum vt nunquam in errorem aliquem pernicioſum laberentur. Si verò semel ab eius institutis deflexissent, alia ex alijs diuerticula ingressos, nullum eos errãdi finem esse facturos. Audiuisse me quosdam etiam dicentes: neminem posse curare salutem animæ suæ, præter seipsum: neq; salua conscientia sua se facere posse, vt à ritu cõmunicandi sub vtraq; specie desisterent, semel se Christum esse confessos vtraq; Sacramenti specie suscipienda, non licere sibi quem semel cõfessi sunt, eum negare: qd' fieret, si altera tantum specie contenti esse vellent. Quas eorũ voces magnę mihi admirationi vel stupori potius fuisse. Scilicet tum Christum confessi sunt, cùm à Christi corpore sancta Ecclesia Catholica semetipsos segregauerunt. Hoc verò negare fuit, non confiteri Christum: quem nemo rectè cõfitetur, nisi in corpore suo, in sancta Catholica Ecclesia. Quamobrem si vellent cõfiteri Christum, redirent ad corpus Christi, redirent eo vnde discesserunt, ad vnam sanctam Catholicam Apostolicam Ecclesiam: illius iudicio de scripturarum testimonio starent potius, quã vt sui capitis aut priuati alicuius hominis somnia sequi, in animum inducerent. Dicere aũt quòd nemo potest curare salutem animæ suæ præter seipsum, qd aliud est quàm dicere, non opus habeo Episcopo, Pastore, Doctore, ipse mihi sum Episcopus, ipse Pastor, ipse Doctor? Estné hoc verbo Dei consentaneum? Nunqd hoc ita Paulus docuit? cuius hæc verba alicubi legimus. Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios aũt Pastores & Doctores, nunqd oẽs Prophetæ, oẽs Episcopi, Pastores, & Doctores esse vultis? Nobis Episcopis & Sacerdotibus dictũ est à CHristo, quorum remiseritis peccata, remittẽtur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: quęcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Nunc vos arbitrio vestro remittitis & retinetis, ligatis conscientias vestras & soluitis. Quid igitur mihi reliquum feciſtis Pastori & Episcopo vestro? Meum est Euãgelium prædicare, meũ est attẽdere vniuerso gregi meo, in quo me Spiritus sanctus posuit Episcopum, qui me non ingessi, sed legitimè sum vocatus, ac cõpulsus etiam, vt regerem Ecclesiam, cui me præesse Deus voluit. Meum est peruigilare, quasi qui rationem pro animabus vestris sim redditurus. Nunc vos ipsi vobis hæc omnia sumitis: ipsi scripturas interpretamini arbitrio vestro, ipsi cõscientias vestras ligatis & soluitis iudicio vestro: ipsi vobis solis curę esse debere, dicetis animarum vestrarum salutem. Ego verò Pastor & Episcopus vester, qui nihil aliud, quàm salutem earum sitio, nulli sumptui, nulli labori parco, neq; valetudinis meæ illam rationem habeo, dum vos Christo lucrifacere queam, dico vobis vestrũ non esse scripturas interpretari: vestrum esse captiuare intellectus vestros in obsequium Christi & corporis eius Ecclesiæ. Quod verò ad cõscientias vestras attinet, eas quoq; vel ligandi vel soluendi potestatẽ vos nullam habere. Videmini colare culicem, & camelum glutire, neq; dissimili nunc religione tangi, quàm qua tangebantur Iudæi: qui cum gentibus Christum essent tradituri ad illudendum, flagellãdum, crucifigendum, fuit illis religio ingredi prætorium: quòd se eo ingressu cõtaminari putarent, & nõ fuit religio tradere Christum Pilato crucifigendum. Sic & vobis religio est abstinere à calice, & nõ est religio laniare corpus Christi, Ecclesiã illius lacerare, quam acquisiuit sanguine suo. Nunc igitur ne erretis, dico ego, cui quãuis indigno ligãdi & soluendi potestas à Deo data est, modò pœniteat vos ex animo, qd' vos in Eucharistiæ cõmunione à Christi corpore, à sãcta Ecclesia Catholica segregaueritis, & eò vnde vos segregastis, redeatis, dico vobis solutas fore cõscientias vestras, remissum vobis iri peccatum hoc vestrum. Sin aũt in hoc schismate perseuerandum esse vobis putaueritis, ligo conscientias vestras, & vtcunq; vos, quorum hoc officium non est, solutas eas esse putaueritis, in cœlo quoq; ligatas esse pronuntio, atq; omni asseueratione vobis confirmo, quamdiu in hoc schismate perstiteritis, neminem vestrum saluum esse posse: esse vos filios æternæ damnationis. Sic. n. ex Cypriani Martyris & Augustini scriptis me discere memini: quòd cũ Deo manere nõ possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes voluerit, ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti bestijs animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest, etiamsi occisus in confessione nominis CHristi fuerit. Macula ista nec sanguine abluitur, inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est, ad regnum peruenire non potest, qui eam quæ regnatura est, dereliquit. Quamobrem si me Pastorem & Episcopum vestrum agnoscitis, vocem hanc meam audite: recta & salutaria monẽti obtemperate, relicto schismate ad Christi corpus sanctam Ecclesiam redite. Quod si secus à vobis factum fuerit, quid aliud ex eo colligere mihi licebit, quàm quòd me Pastorem & Episcopum animarum vestrarum non agnoscitis. Itaq; nec ipse vos pro ouibus meis agnoscam. Nihil aliud me vos docuisse mihi sum cõscius, quàm purum Euangelium, purum Dei verbum. Nam illud edocti estis opera mea, cùm admoniti essetis è superiore tẽpli loco, vt ne velletis omni spiritui credere, sed probaretis spiritus, si ex Deo sunt: quod omnis spiritus qui soluit IESVM ex Deo non est, & hic est Antichristus. Soluere aũt IESVM aliud non esse, quàm corpus eius diuidere, vnitatẽ Ecclesiæ scindere, altare contra altare erigere, cathedram cõtra cathedram constituere. Quicquid igitur proficiscitur ex eo, qui soluit IESVM, qui corpus illius lacerat, qui diuidit Ecclesiam eius, non proficiscitur à spiritu Dei, atq; ideò nõ est verbum Dei. Verbum. n. Dei, breue verbum est & expeditum. Vnicum est verbum charitatis. Contrà verò verbũ diaboli variũ est & multiplex. Quicqd. n. ad inimicitias, cõtentiones, æmulationes, iras, rixas, dissensiones, sectas, inuidias, homicidia pertinet, diaboli verbum est. Porrò per me nihil aliud hactenus inculcatum est diligentius, quàm Dei verbum, quod est charitas & vnitas. Quamobrem si Dei verbum amplecti, si Christi qui colligit oues esse vultis: ecce ego vobiscum sum facturus omnia, quæ Pastoris & Episcopi vestri munus requirit, vt vos in materis Ecclesiæ sinum colligam. Sin aũt (quod pro sua misericordia procul Deus auertat) eius esse malueritis, qui dispergit, quandoquidem non ab eo missus sum, nihil mihi deinceps vobiscũ erit cõmertij, pro ijs vos habebo, qui esse volueritis, pro schismaticis, pro ijs qui se ipsos à cœtu piorum eiecerunt, neq; Pascha vobiscum manducabo, quòd cum ijs, qui se ab Ecclesiæ cõmunione vltrò eiecerunt, mihi cõmunicare fas non fuerit. Quamobrem nunc ex vobis certior fieri cupio, num Christi qui colligit oues esse velitis, quarum ab illo mihi cura concredita est, an illius qui dispergit esse malitis, vt sciam, quid mihi de mea vobiscum per hæc festa Paschalia cõmoratione sit statuendum. Illud aũt quęso & obtestor per eum ipsum, cuius corpus & sanguinem in Eucharistiæ Sacramento sumpturi estis, ne vel cœcitatis vel impietatis, non modò me Pastorem & Episcopum vestrum, qui & laboraui, vt videam aliquid in scripturis, & ita sum per Dei gratiam in Ecclesia Dei versatus, vt nulla in me impietatis nota hærere possit, verumetiam cõmunem Regem & Dñm nostrum, regnumq; illius vniuersum, quin & totam Ecclesiam Catholicam condemnare velitis. Esse vos homines memineritis æquè errori obnoxios, atq; sumus nos. Quamobrem nõ cordis vestri visiones, non quod vni alicui priuato homini rectum videtur, verùm id potius tenendum & amplectendum vobis existimetis, quod summa volũtate sanctæ Catholicæ Ecclesiæ receptum est & approbatum. Quod si vos mihi recta monenti, pro eo vt debetis, dicto audientes præsteritis, Deo gratias agam, cuius id inspiratione factum erit: illi gloriam omnem trãscribam, à quo tanquam à fonte quodam perenni manat, quicquid est rerum bonarum omnium. Si verò quod absit, in eo quod semel prauum in animos vestros induxistis pertenderitis, neq; vos de sententia vestra dimoueri passi fueritis, testem inuoco Deum Opt. Max. testes etiam inuoco quotquot hìc præsentes mecum adsunt, me Pastoris & Episcopi vestri officio fideliter functum esse: saluti animarum vestrarum ex animo prospectũ voluisse, neq; quicquam in vobis ad officium mentemq; saniorem reducendis, laboris & diligentiæ prætermisisse. Quodq; nunc coram Deo, & coram omnibus, qui præsentes hìc adsunt testatum esse volo: id coram alijs etiam omnibus, quorum interesse putauero, suo tempore testatum faciam: vt & apud Deum & apud homines excusatus esse queam: cùm omnibus planum factum erit, quanta fide, quantoq; salutis vestræ desiderio prospectum animabus vestris omnino voluerim. His à me dictis petierunt, vt secedere paululum, ac eis inter se colloqui liceret: quò possent ad ea quæ ex me audiuissent, deliberati respondere. Receperunt itaq; se in aliud cõclaue. Post habitam autem inter se consultationem, in hanc sententiam responderunt. Se agnoscere paternum meum erga se animum, quodq; ea quæ dicta sunt à me non aliundè, perfecta sunt, quàm ex beneuolentia quadam singulari erga se, ciuitatemq; istam Regiam singulari. Quamobrem hoc nomine se ingentes mihi gratias agere simul & obnixè petere, ne durius id accipiam, quòd in re tanti momenti tam subitò gratificari mihi non possent. Priusquam adduci potuissent, vt sub vtraq; specie communicarent, diu multumq; se deliberasse: non ita facilè sibi, vt id facerent, persuaderi potuisse. Nunc si de semel suscepto ritu tam subitò se deduci passi essent, fore vt leuitatis quadam infamia notarẽtur, & ab alijs ludibrio haberentur. Neq; enim se solos esse, qui sub vtraq; specie communicarent, esse & alias ciuitates in ijs terris maiores, esse nonnullas ex minoribus quoq; esse quosdam etiam ex Consilarijs, qui ritum eundem obseruant. Quin & Cracouiæ Posnanięq; sub vtraq; specie communicari. Quamobrem cùm soli non sint huius communionis, ne contra solos eos tantoperè vrgerem atq; instarem: verùm aut cõcilium expectarem, aut dum Regia Maiestas in Regno constitueret aliquid, aut saltem sex mensium spatium ad deliberandum illis darem, intra tempus hoc fieri posse, fructum vt aliquem ferat hæc mea tam diligens admonitio. Interea verò ne discederem ab illis ante festa hęc Paschalia. Nam si id feciſsem, varios ea de re rumores hominum esse facturos: se in omnibus alijs voci meæ tanquam Pastoris & Episcopi sui libenter obtẽperaturos, dummodo in hoc ne quid festinantius agerem, ac deliberandi spatium illis indulgerem. Ad hęc ego. Est ita, inquam, vt dicitis. Nam non aliundè quàm ex paterna mea erga vos voluntate, & ex tuendæ conseruandęq; salutis vestræ studio singulari proficiscì certum est, quæ per omne tempus hoc quadragesimæ, quo vobiscum commorabimur, facta sunt, & nunc etiam aguntur à me omnia. Neq; enim aliò curæ cogitationesq; meæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

meæ referuntur omnes, quàm vt animas vestras ab interitu vindicârem, & ad viam salutis reducere queam: pro eo vt officium meum Pastorale postulare videtur. Quod si id reuera agnoscitis, si id persuasum habetis ex incredibili studio erga vos meo à me fieri omnia, quid aliud à vobis vicissim factum oportebat, quàm quòd Paulus admonet, dicens: Obedite præpositis vestris & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi pro animabus vestris rationem reddituri? Sed vos deliberandi spacium vobis dari petitis. Qua de re? De eo, vtrum ad Christi corpus, ad totam Ecclesiam Catholicam redeundum, & schisma, in quo non ita lõgo tẽpore versati estis, vobis deserendum sit? Scilicet hîc longa deliberatione vobis opus est. I ũ deliberandũ erat, cùm segregastis vos à Christi corpore: neq; prius de mutando communionis ritu fuit aliquid statuendum, quàm ea de re Cõcilij decretum intercessisset. Nunc quam ad rem deliberandi vobis spacium dari petitis, non intelligo. Profertis exempla ciuitatum quarundam, & nescio quorum aliorum, de quibus mihi non constat. Si qui segregauerunt se, vicem illorum doleo: Deum precor, vt eos ad mentem reducat meliorem. Cæterùm quoniam illiad ouile meum nõ pertinent, pastoribus eorum curam hanc relinquo, vt ipsi peruigilent, quasi rationẽ pro animabus sibi creditis reddituri. Ad vos ego missus sum, vos adhuc ,p meis ouibus agnosco, quatenus Pastoris vestri vocem audire volueritis; ,p vobis me Deo rationem reddere teneri intelligo. Quare vos hortor, vos moneo, quæso etiam atq; obtestor, ne velitis perditum iri animas vestras, ne velitis contemnere vocem Pastoris vestri, qui nihil aliud sitit, quàm salutem vestram. Non me, verùm illum contemperitis, qui dixit: qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit: qui ad Samuẽlem etiam loquutus est: non te spreuerunt, sed me, vt non regnem super eos. Non meum, sed Dei verbum ad vos adfero: verbum charitatis, verbum vnitatis adfero: qd̃ esse Dei verbum indubitatum est. A verbo dissidij, verbo schismatis, quod est verbum diaboli, vtcunq; scripturis in prauũ sensum detortis, niti videatur, modis omnibus deterreo. Quamobrem si ex Deo estis, Dei verbum audite. Neq; mihi Cracouiam aut Posnamam obijcite, in quibus ciuitatibus ex quo tempore Christi fidem receperunt, nũquam aliter quàm sub vna specie cõmunicatum est. Neq; leuitatis esse putate respiscere. & errorem, in quo versati estis aliquandiu, relinquere. Hoc fuit leuitatis, quod quouis doctrinæ vẽto circumlati, ac doctrinis quibusdam varijs ac peregrinis abducti, ab Ecclesia Dei vos segregastis. Ad quam si redieritis, dicant quicqd volunt homines leuissimi, quicunq; tñ fuerint aliqua prudentia grauitateq; prẽditi, non nisi in magna grauitatis vestræ laude id ponent. Nam quod erratum est à vobis, humanum aliqd accidit. Si verò quod absit in errore perseuerandum esse putaueritis, id diabolicum quiddã fore videtur. Quod ad conciliũ remreijci vultis, quid aliud est, quàm quòd ego quoq; à vobis postulo. Nam & ego non vnius alicuius priuati hominis, quamlibet is sibi catus & prudens esse videatur: Verùm Oecumenici Concilij esse dixi semper hac de re aliquid statuere. Quamobrem si Concilium expectare vultis, per me licet, verùm ea lege, ne prius decernatis, quàm sententiam illius ea de re cognoueritis. Sed ita hoc Sacramento vtimini, quemadmodum & ipsi vos ante annos aliquot, & maiores vestri vsi sunt: neq; prius possessionem caelicis vobis vsurpetis, quàm ea vobis per concilij sententiã fuerit adiudicata. Cæterùm prius reminuadere, quàm decretum iudicis obtinueris, id verò cuiusmodi sit, iudicãdum vobis ipsis relinquo. Quorsum autem vobis Concilium, si quisq; vestrum Concilij sibi vendicat authoritatem: si claram esse scripturam contendit. Duplici Concilio, Constantiensi & Basilienſi confirmatus est, multis ante seculis receptus sub altera tantum specie communicandi vsus, atq; ab eo discedere licitum non esse decretum est. Cæterùm fracta iuris iurandi religione, nefaria se libidine per coniugij speciem monachus cum monacha contaminauit: ,propter hanc scilicet insignem illius sanctimoniam, plus illi statim credendum est, quàm quibusuis, doctissimis, sanctissimisq; viris ex vniuerso orbe Christiano in duobus Concilijs congregatis: atq; ab imperita multitudine iudicandum est errasse Concilia, impium autem monachum apostatam rectè sensisse. Quis erit vsus Conciliorum, si vt cuiq; monacho monacha adlibuerit, eorum decreta rescindere illi fas fuerit, & in eius sententiã imperita multitudo pedibus iuerit. Quis autem schismatum erit finis, & hæresiõ, si quod vnum saluberrimum semper habitum est remedium, ad ea abolenda, tam leuis erit Conciliorum authoritas? Quamobrem placere mihi quidem, vt expectetur Concilium: sed rebus integris, vt ne quid intereà nouetur, aut si quid nouatum est, in integrum restituatur. Quod autem Regiæ Maiestatis quoq; mentionem fecistis, fallit vos vestra de illa opinio. Scit illa se Regem esse, non Pontificem, itaq; ea arrogantia non est, qua pleriq; sunt, vt sibi quę sua non sunt vsurpet. Scit prætereà se Regem esse Catholicum, hoc est ad vniuersam Ecclesiam, quæ propterea Catholica dicitur, pertinentem. Nunquam igitur permittet, vt in parte Catholica statuat, aliquid contra Catholicam, contra totum. Neq; enim ignorat quod ab Augustino scriptum est: quod turpis est omnis pars quæ non congruit cum suo toto. Quemadmodum ferendum non putaret, quæ in maioribus regni comitijs summa omnium ordinũ voluntate decreta sunt? vt in parte aliqua regni sui contra ea statueretur aliqd: sic nunq̃ per eam licebit, neq; ferendum hoc vnq̃ existimabit, vt contrarium aliqd Conciliorum decretis in suo regno statuatur. Quamobrem errant, si qui secus de Maiestate illius existimant: nunq̃ illa faciet, vt qd̃ in Oza atq; Ozea Rege grauiter aliquando vindicatum esse legit, quæ Sacerdotũ & Pontificum propria sunt ea sibi arroget, vt se ab vna sancta Catholica Apostolica Ecclesia segreget. Quamobrem si qui vos hac spe lactant, inani spe vos fouent. Nihil est qd̃ sibi quisquã aliud de Regia Maiestate, quàm quòd de Christiano Catholicoq; Rege promittat: qui sectas oẽs exosas habeat, & ita sanctã Catholicã Ecclesiam se credere profiteatur, vt in eo qd̃ ipsi visum est, libenter acquiescat. Quod verò sex mensium spacium vobis ad deliberandum dari petitis, ego nõ alio gladio accinctus ad vos venio, quàm gladio spiritus, qd̃ est verbum Dei,

Dei, vt cras & perendie, vt inter festa hęc Paschalia charitatis & vnitatis memores Catholicos vos esse declaretis etiã atq; etiã suadeo, hortor, moneo. Sin aũt præproperum id vobis videtur, quando quidem, vt anteà vobis dixi, veni huc, nõ vt cum austeritate imperarem & potentia: verùm vt in spiritu lenitatis docerem, & ad ea quę saluti vestræ conducunt, oratione mea vos cohortarer, cogere vos nõ possum. Etsi qd in hac parte mei fuerit muneris, nõ ignoro. Quoniã tñ vos ipsi statuistis contra vos, qd̃ à me contra contumaces decretũ oportuit, vos ipsi vos è cœtu piorum eiecistis, & à sancta Catholica Ecclesia segregastis. Si peristiteritis in hoc errore, qd aliud mihi faciendum restat, quàm vt cum proprio iudicio condẽnati sitis, vestrum hoc de vobis iudicium confirmem, & vos pro ijs habeam, qui ipsi vos esse iudicastis, pro segregatis, pro schismaticis, ,p ijs qui proprio iudicio condẽnati, & è piorum cœtu sunt eiecti. Neq; mihi deinceps vobiscũ cõmunicare fas erit, qui meæ, hoc est, Catholicæ cõmunionis esse nolueritis. Quòd si verò Deus aliquando, qd̃ spero, & opto, mentẽ vobis meliorem inspirauerit, vt ad vnitatẽ sanctæ Catholicæ Ecclesiæ redeatis, iubens vobiscum cõmunicabo, ,p meis vos ouibus agnoscam: ad sanctæ matris Ecclesię gremium redeuntes, obuijs (qd̃ aiunt) vlnis excipiam, neq; fidelis vos q; amãtis Pastoris officium vllum in me requiri patiar. Quare nihil est, qd̃ à me postuletis, vt vobiscum hæc festa peragam. Nam qd̃ ad populi rumores attinet, non sum is qui ponam rumores ante salutẽ. Quod si voculas hominũ metuissem, & illas fugiendas mihi putauissem, nunq̃ in hanc ciuitatem ad querendam animarum vestrarũ salutem, me contulissem. Blateret quisq; qd̃ velit, spargat quos visum illi fuerit rumusculos, me officio hoc meo functũ esse, viamq; salutis ęternę cõsequẽdæ, vobis indicasse non pęnitet: etsi quantum profecerim vehementer me pęnitet. Sed euentus in manibus meis non fuit: conatus hîc meus, quin gratus Deo sit futurus, non dubito. Si vestras non potero, meam tñ animam me seruasse spero: vt sanguinem vestrum de manu mea, qui speculator in hac ciuitate constitutus sum, minimè requisitum iri confidam. Itaq; cõtestor vos hodierno die cum Paulo Apostolo, quoniã mũdus sum à sanguine omnium. Nõ. n. subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei. Vos videbitis aliquando, quo fructu id vestro reieceritis: qui si vestris errantibus conscientijs vos impediri dicitis, ne ad Catholicum cõmunicandi ritum redeatis, multò magis prohibet cõscientia mea, quàm hac in parte nõ errare certus sum, si cum iis cõmunicem, quos tam in errore pertinaces esse video: à quibus etiam vel cęcitatis vel impietatis damnatus esse videor: quòd aut non videã claram scripturam, aut si videam, secus interpreter. Quãobrem si me ,p Pastore & Episcopo vestro agnoueritis, hoc est, si vocem meam audieritis faciam libenter, vt hæc vobiscum Paschalia festa celebrem. Si verò secus vobis facere propositum est, nulla mihi causa hic diutius est vobiscum cõmorandi: relictis contumacibus, ad eas, quæ verę sunt oues meæ, me conferam, quas Pastoris sui vocem audituras non dubito. Illi verò iterum petiuerunt, ne tam vehementer vrgerem, fieri posse qd̃ vellem, sed non tam subitò, modò hæc Paschalia festa cum illis traducerem. Ego verò: Quis mei, inquam, apud vos vsus fuerit, quando quidem ipsi vos estis concilia, ipsi Papæ, ipsi Episcopi, Pastores, Doctores, ipsi scripturas interpretamini arbitratu vestro, deniq; negatis pleriq; curę cuiquam esse debere salutem animarum vestrarum, præterquàm vobis ipsis. Quin & vxores vestrę Episcopę sunt & summi Põtifitis sibi munus vsurpant, in scripturis interpretandis: authoritatem sibi Episcoporum vendicant. Mihi deliberatum est ad Ecclesiam meam Cathedralem, quæ in proximo est proficisci: Habetis adhuc dies quinq̃. Quod si in ipsa adhuc Paschatis vigilia me certiorem reddideritis, vos Catholicæ cõmunionis esse decreuisse, non grauatim ad vos vel eo ipso die veniam. Hæc cùm dixissem, surrexi ac domum abire properabam. Illi verò posteàquam nihil se proficere viderent, petentes, vt ne discederem ante festa Paschalia, quosdam esse renunciarunt, qui populi nomine mecum nonnihil agere cuperent, dixi me libenter eos auditurũ. Facta est eis ingrediendi potestas, decem tantum erant ex populo, nõ adfuit Aduocatus, ac ne Schesscentabell quidem. Schuealdus qdam artium Magister, qui se aliqd esse existimauit, eorum nomine verba fecit, ac posteàquam propter affectam Aduocati valetudinem (quem ego tñ incolumem esse sciebam) sibi dicendi prouinciam hanc à populo mandatam esse dixit: Audiuisse populum narrabat à Sacerdote meo, quòd eõtra institutionem Christi eum ab vtriusq; speciei cõmunione deterruerit: & vna tantum contentum esse iusserit, cùm tñ clara sint verba Christi: Bibite ex eo oẽs. Neq; minus planum illud sit & manifestum, qd̃ sub vtraq; Paulus Corinthijs dederit. Quamobrem petere à me, vt institutionem Christi ne velim violatam: néue impediam, quo minus iuxta illam Eucharistiæ Sacramentum vnicuiq; volenti porrigatur, cùm præsertim qui ante me ad huius Ecclesiæ gubernacula sedissent, nunq̃ id impedire conati sunt, quin vsum vtriusq; speciei volenti cuiq; permiserunt. Ad hæc ego: Quid ab antecessoribus meis actum sit, mihi, ,p certò exploratum non esse: sed verisimile tñ non esse: quandoquidem eos Catholicos fuisse persuasum habeam, aliqd eos permisisse cõtra vnanimem Catholicæ Ecclesiæ sensum & cõsensum. Adesse prędentem Cancellarium meum, qui duobus ante me Episcopis Varmiensibus seruierit, eodem loco, quo nunc est apud me, illũ dicere posse: nunqd eiusmodi aliqd permissum ab illis fuerit. Cancellarius verò meus non modò non permisisse quenquam Episcoporum, verùm ne alio quàm Catholico ritu cõmunicaretur, omni ratione prouidisse affirmauit. Tum id petiui ab illis, ne me eum esse existimarent, qui Christi institutionem violatam cuperem. Non Christi institutionem, sed prauũ quorundam sensum cupio violatum. Neq; n. ita hoc Sacramentum instituit, vt ab omnibus non cõficientibus sub vtraq; specie necessariò sumi vellet. Hac n. ratione excluſæ viderentur ab eius Sacramenti participatione gentes oẽs, apud quas vini vsus nõ est. Ostensum illis esse ex duplici Concil. Oecumenico Constantiensi & Basilienſi, qd̃ fideles laici cõmunicantes & non conficientes, non astringantur ex præcepto Dñi ad suscipiendam Eucharistiã sub

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtraq; specie: sed Ecclesia quæ regitur spiritu veritatis, & cum qua Christus est, vsq; ad consummationẽ seculi ordinare debet, quomodo ipsis non conficientibus ministretur. Ex Lutheri quoq; & Philippi scriptis demonstratum esse, qd nullũ extat de vtraq; specie præceptũ, tanq; necessariũ, quodq; mediũ quoddã & indifferens sit alterutra potiri. Quare si Catholici esse & Ecclesiæ decretis parere vellẽt, habere illos aptã Ecclesiæ sententiã q; nõ eiusmodi sit Christi institutio, vt obligẽtur oẽs ad vtrãq; speciẽ sumẽdã, siue mallẽt eorũ seq; sententiã, q segregarũt se ipsos à Catholica, idẽ & illos iudicasse. Quãobrẽ pacẽ & vnitatem, q; vbiq; Christus præcepit sectarẽtur potius, q; de Sacramenti speciebus contenderent. Meminissent eius qd in Symbolo profitẽtur, se credere sanctam Ecclesiam Catholicam: illius definitionibus acquiescant, neq; sibi hoc arrogent, plus vt se videre in scripturis existimarent, quàm viderũt tot grauissimi doctissimiq; viri ex vniuerso orbe Christiano in duplici Cõcilio congregati. Meminissent etiam sermonis, qui hesterno die in Ecclesia habitus est, in quo declaratum est illis, qd nihil adeò oderit Deus atq; schisma, de nullo crimine grauiores vnq; pœnas sumpserit. Quapropter fugerent illud modis omnibus, neq; se ab Ecclesia Catholica segregarent, neq; aliũ, quàm quem illa iudicasset, legitimum Sacramenti vsum existimarent. Hæc ego cùm dixissem & alia pleraq; repetiuissem, quæ seorsim à me Senatui dicta fuerant, respõdit Schuelualdus: Non esse sibi eos conscios schismatis aut segregationis alicuius. Tum ego: Vetus, inquã, semp hæc fuit hæreticorum & schismaticorum cantilena: qui cùm se à Christo & eius corpore Ecclesia separassent, conuenticulaq; sibi diuersa constituissent, non esse tũ sibi se conscios schismatis aut segregationis alicuius iactabant. Hoc Nouatiani quoq; Cypriani temporibus affirmabant, verùm qd sanctus ille martyr? Non nos, inquit, ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Video te iam prouectiori esse ætate, quæro igitur ex te, ante viginti aut triginta hos annos, nunquid vtraq; specie sis vsus? Non sum, inquit, vsus. Vides igitur, inquam, quòd vniuersus orbis Christianus, priusquàm ijs triginta annis turris Babel ędificari cępta est, terra tunc fuit vnius labij, sermonumq; eorundem: idipsum dicebamus, idipsum sentiebamus, idem sapiebamus, eandem fidei regulam, eundem sacrorũ vsum retinebamus oẽs. Vtri igitur discesserunt? Nósne qui per Dei gratiam Ecclesiæ Catholicę consentientes, in eo ritu permãsimus, quem per manus vobis traditum à maioribus nostris accepimus? an vos, qui contrà decretum Ecclesię Catholicæ, contra receptam tot seculis consuetudinem, ante annos hos aliquot, nullo iure, per vim aut furto potius calicem vobis vsurpastis? Ille quoniam quod responderet non habebat, aliò deflexit orationem. Negari, inquit, non potest, quòd multi fuerunt nostra & parentum nostrorum memoria in vulgus errores sparsi, de indulgentijs, de sanctorum inuocatione, de imaginum veneratione, de mercede operum: quæ omnia ita per monachos rudi plebeculæ fuerant inculcata, quædam, vt obliuio Christi mediatoris irrepsisse videretur, donec singulari Dei beneficio de cœlo tandem lapsus prodijt sanctus ille vir Lutherus, impostura monachorum detexit, verumq; nos ac purum Euangelium docuit. Ego verbis his illius offensus: Tu sanctum, inquam, appellas, quo nullus maledicentior, nullus vnquam fuit impurior? qui non aliud nobis suæ sanctitatis specimen dedit, quàm quòd contra fidem iure iurãdo interpositam, sub specie matrimonij, Monachus cum Monacha, in cœna incœstæ nefariæq; libidinis est volutatus: qui Ecclesiæ præterea iudicio hæreticus est condemnatus? Loquela tua te manifestum facit. Commoratus hîc sum per sex propemodum hebdomadas, & ipse vos admonui, & è superiore templi loco per Sacerdotem meum admonendos curaui, si quis aliqua de re dubitaret, ad me Pastorem & Episcopum suum adiret, facturum me esse libenter, vt instruerem vnumquemq; in spiritu lenitatis, vt consolarer cuiusq; conscientiam verbo Dei: vt si quem haberet scrupulũ ex animo eius eximerem. Nunquid venit ad me quisquam? nunquid à Pastore suo docerí postulauit? nónne tibi licebat ijs de rebus priuatim mecum conferre? Fortassis ex me cognouisses, qui tibi videntur errores, eos à mille trecentis quadringentisq; annis pro veritate semper habitos. Quod verò tu vocas Euangelium, id pro hæresi fuisse iudicatum. Nunc ad hęc tibi respondere non vacat, & fatigatus sum vnam iam & alteram horam, multa loquendo: & tempus breuius, quàm vt sufficienter de omnibus ijs à me dici possit. Sed quando vos me Pastorem & Episcopum vestrum non agnoscitis, & verbum Dei repellitis, quod per me vobis annunciatum est, quid aliud mihi faciendum restat, quàm vt iuxta magistri mei consilium etiam excusso puluere de pedibus meis, in aliam me ciuitatem recipiam, quę magis fuerit digna, super quam pax Dei veniat, Intereà verò vos pro ijs habebo, qui esse vultis, hoc est pro schismaticis, pro ijs qui semetipsos à sancta Ecclesia segregauerunt. His dictis surrexi, Magistratus autem iterum petiuit, vt ne discederem ante festa Paschalia. Respondi, quandoquidem meæ, hoc est, Catholicæ communionis esse nollent, mihi licitum non esse cum ijs cõmunicare, qui se à Catholica segregauerunt: atq; ita insalutatis omnibus discessi: neq; adijt quisquam ad me ex Magistratu ciuitatis, postridieq; mane cùm rei diuinæ interfuissem, ad Ecclesiam Varmiensem sum profectus. Venit ex aula ad me diu multumq; expectatus puer tandem meus, quem isthuc miseram ipso die Paraseues, eum sequutus est eodem die tabellarius cum literis Elbingensium, quas cùm legissem, posteàquam non alia de re scriptas agnoui, quàm de cudendis obolis, si quid à Regia Maiestate impetrassem, vt eos certiores redderem. Hoc responsum per Cancellarium meum illi dari iussi: Quãdoquidem à quibus missus est, præciderunt se, & segregauerunt se à cõmuni Rege & Dño nostro, & populis omnibus illi subiectis: præciderũt & separauerunt se à Christo & à corpore eius sancta Catholica Ecclesia, mihi quoad ita scissi & segregati fuerint, neq; literarum, neq; cuiusquam alterius rei cum eis vllum fore commertium. Feria tertia Paschatis venit ad me Magister Matthias Braunspergam, à Senatu ciuitatis Elbingensis missus: grauem ex eo dolorem accepisse Magistratum ciuitatis Elbingensis renunciauit: quòd tam durum responsum per tabellarium

bellarium ad me missum ad eos deferri curauerim: cùm tamen obtulerint se illi paratos facere quæ vellem omnia, & adhuc offerant: spacij tamen nonnihil ad deliberandum sibi dari petiuerunt: facturos eos aliquando, vt voci meæ obtemperarent, sed ita repentè facere non posse. Quamobrem ne velim infestum erga eos animum gerere, sed omnia mihi potius de illis pollicerer, quæ de obsequentissimis ouibus, dummodo ne quid præcipitantius à me fieret. Cùm in eam sententiam plura verba fecissent, ad extremum petiuit, vt quid respõsi tulerim, à Maiestate Regia de cudendis obolis significarem. Ego verò pleraq; recensui, quibus in Elbingensium ciuitate cùm essem, nõ leuiter offensus fueram, sed inter omnia nihil mihi grauius accidisse, quàm quòd cùm ipsi viderint & intellexerint, palam etiam confessi sint, quæ sunt per me Elbingæ acta, ea ex optimo erga ciuitatem illam animo profecta fuisse: cuius saluti summo studio prospectum cupiebam, nullam tamen paternarum admonitionum & obsecrationum mearum rationem habuerint, quin me Pastorem & Episcopũ suum, quid autem dicam me? eum potius pro quo legatione fungebar, Christum reiecerint: neq; quam debebant fidem, dictis meis & obedientiam præstiterint. Venisse ad eos quendam ante annos plus minus quatuor, cum tribus vxoribus superstitibus (si modò fas est vxores appellare, quæ sunt Sacerdotibus copulatæ) verbum illius, quod erat verbum schismatis, verbum dissensionis, verbum seditionis & tumultus ab authore diabolo profectum: quemadmodum re ipsa paulò pòst experti sunt, eos pro verbo Dei amplexos, atq; impuro homini dicto audientes fuisse. Venisse posteà Petrum Irsam, qui cistam effregit, in qua pecunia fuit sacerdotum, qui Christum etiam venalem è superiore loco pro quatuordecim denarijs promulgauit, hominẽ turpi & flagitiosa vita, eius quoq; verbum, quod & ipsum verbum fuit schismatis, ab eo authore, qui dispergit profectum, eos pro verbo Dei suscepisse. Venisse tandem & me legitimum Pastorem ipsorum & Episcopum, non quidem hominem absq; peccato: sed in Domino confido, quòd per illius gratiam absq; crimine, qui non quæ mea sunt quęsierim, sed quæ IESV CHristi, quæ ad Dei gloriam, quæ ad salutem ouium fidei meę concreditarum pertinebant, neq; præter Dei verbum quicquam eis annunciauerim, verbum pacis, verbum charitatis, verbum vnitatis & concordię, reiectum me esse nihilominus & spretum, non à fęce vulgi (quod minus grauè fuisset.) sed à primoribus ciuitatis. Cùm de more lectæ fuissent in prætorio constitutiones sancti illius Regis Sigismundi eius nominis primi, curasse me, vt num integrę legerẽtur, vnus ex meis auscultaret, ac integras lectas, neq; quicquam in eis esse prætermissum cognouisse, quod etiam testimonium libenter dedero, ficubi res postulauerit. Cæterùm num satisfaciat cõstitutionibus istis, Magistratus ciuitatis ipse viderit. Prior illarum & potior pars, in ijs quæ ad religionem attinent, versatur. Fit ibi iurisdictionis Episcoporum mentio, tum vt Ecclesiasticę traditiones, sicut à maioribus nostris orthodoxis proditæ sunt, ita seruentur: ne cuiuis eas expendere, mutare, abrogare, scripturamq; pro suo sensu seu libidine interpretari liceret: vt vsus antiquæ religionis & cœremoniarum obseruetur. Nunc Magistratus sibi fas esse putat, vt neq; Deo, neq; Regi, neq; Episcopo suo pareat, ac in quas iurauit constitutiones, ipse prior eas violat. Si fortè plebs aliqua in re minus obtemperet, id verò capitale facinus & grauiter animaduertendum esse videtur. Scilicet vbi ples Magistratui obedire, à seditionibus & tumultibus abstinere & omnia vita re iubetur, quæ publicã tranquillitatem perturbare queant, ibi saluas esse vult Magistratus constitutiones: vbi verò quod ipse Deo, quod Regi, quod Episcopo suo debet id præstare iubetur, ibi facilè paritur nullam esse earum authoritatem. Ego verò nõ video cur plebs magis teneatur obedire Magistratui, quàm Magistratus Deo, Regi & Episcopo suo. Omnes nũc volunt esse Episcopi, omnes Apostoli, Doctores, Pastores: futurum est non ita multò pòst, vt eodem iure velint omnes esse Magistri ciuiũ, & qualem se Magistratus præstat erga suos superiores, tales vicissim se præstent erga eum, qui sunt gradu inferiores. Probatur illis schisma, habebunt fortassis breui tantum schismatum in ciuitate, vt eorum exitum non reperiant: cuius interitus mihi quidem vehementer dolet, sed inuitos seruare per difficile est. Nihil est quod de me querantur, ipsi se ab Episcopo suo, à Rege suo, à tota sancta Catholica Ecclesia segregauerunt, ipsi se à cœtu piorum eiecerunt, ipsi suo sunt iudicio cõdemnati. Itaq; si pro talibus habentur à me, quales ipsi se fecerunt, quid habent qd iustè queri de me possint? Quod si præstiterint aliquando quod pollicentur, atq; non meam, sed Christi vocem, ad charitatem, ad vnitatem adhortantis audiuerint, eos pro meis ouibus libenter agnoscã. Nullum mihi cum illis priuatum odium, nullæ intercedunt priuatæ inimicitiæ, quin potius quæ fiunt à me, ex abundantia quadam amoris in illos mei fiunt: quod salutem illorum sitio, quòd animas eorum ab interitu seruatas cupio: quas si ipsi perditas volunt, dolet mihi quidem, quòd vltrò viui volentes q; pereãt, sed insanabili morbo mederi non possum: Deũ precor, vt illis mentem det saniorem. Quod ad reliquam legationis partem attinet, sub vesperam deliberatus respõdebo: respondi autem per Cãcellarium meum in eandem sententiam, in quam tabellario fuerat responsum. Visus est animo vehementer discrutiari, & omnia meliora fore polliceri: Cupiebat iterum mecum colloqui, sed ei renunciari feci, si nihil aliud haberet, præter hoc, quòd nullum aliud responsum laturus esset. Qui me non agnoscerent in spiritualibus, ij ne præsidij quicquam à me postularent in temporalibus: ne commune mecum aliquid haberent. Hæc in hunc vsq; diem acta sunt. Est autem nunc Elbingæ Caspar Hannonius, vt materteræ suæ rationibus prospiciat, cuius maritus Glambacz non ita pridem ex hac vita migrauit, is in reditu deflectet ad me: per eum fortasse tractabitur aliquid. Deus det huic fabulæ lætam catastrophen. Mihi quidẽ propositum est non quiescere: sed nihil faciam, nisi communicato consilio.

FINIS.

STA-

STANISLAI HOSII CARDINALIS VARMIENsis maioris Pœnitentiarij,

De actis in Comitijs Prussiæ Graudentinensibus, Anno Domini M. D. LIII.

POsteàquam Heilspergam Cracouia redij, mandatum Regiæ Maiestatis per puerum meum vna cum his meis, quarum exemplũ è Germanica lingua in Latinam conuersum, D. vestræ mitto, ad Elbingenses misi: quod illis puer præsente Notario publico & testibus reddidit. Rescripserunt illi, rem esse grauiorem, quàm vt ita subitò respondere queant, cæterùm in comitijs Graudentinis per nuntios suos mihi Senatum ciuitatis responsurum. Quorsum autem irent facilè intelligebam, neq; enim nisi cõmunicato cum alijs ciuitatibus eiusdem farinæ consilio sibi quicquam faciendum esse putauerunt. Veni posteà Graudentum pridie Diui Michaëlis, Venerunt Elbingenses & aliarum ciuitatum nuntij, & Palatinus vna Marieburgensis ipso die. Quamuis autem reliqui terrarum harum consiliarij nondum venerant, communicato tamen cum Palatino Marieburgensi consilio adijmus ad prætorium: vt si qui essent, qui causas à nobis cognosci vellẽt, nos paratos exhiberemus. Venerunt posteà trium quoq; ciuitatum nuntij, de more nos exceperunt, incolumemq; valetudinem gratulati sunt: ac quod in excipiendo fieri solet, manus quoq; dederunt, dedi manum Fornensibus, secũdo loco erant Elbingenses, quibus manum subtraxi, ac prius me velle scire dixi: Schismatici essent, an Catholici: Illi ad interrogationem meam non respõderunt, sed rubore suffusi abierunt. Quamuis aũt Gedanenses pridie eius diei me inuiserãt, tamen cùm ipsi quoq; quasi denuò exceptum venirent, manum & illis porrexi. Grauiter id Elbingenses tulerunt, quod solis illis manum subtraxerim, ac apud oẽs terrarum consiliarios magno cum animi sui dolore, ea de re questi sunt: fueratq; illis deliberatum, me quoq; præsente in Senatu, de hac sibi facta contumelia queri: qd' tandem nescio qua de causa fuit ab illis posteà ptermissũ. Verũ à Palatino Culmẽsi Ioan. Dialinghi petiuerũt, vt is mecũ ageret, de hac ctõumelia ipsis illata, mecumq; ea de re quasi expostularet. Palatinus Culmensis, q̃ citra dubitationẽ vllam Catholicus est, & mihi singulari quadam beneuolentia cõiunctus, egit mecum Elbingensium nomine, quam q̃ grauiter ferrẽt, factum hoc meum significauit: simul vt illis ad me adeundi, & mecum ea de re verba faciẽdi potestatem permitterẽ postulauit, cui cùm eo facti mei causas explicuissem, facile est illi satisfactum. Cæterùm vt ipsi me conuenirent, mecumq; de quibus rebus vellent colloquerẽtur, per me licitũ illis fore dixi. Venerunt tandẽ Elbingenses quoq; pridie eius diei, quo Graudento discessimus, primũ de contumelia grauiter expostulauerũt, qd' post hominũ memoriam nunq̃ pari ciuitas Elbingensis affecta fuisset: se sibi nullius facinoris esse cõscios, fidẽ erga Regiam Maiest. cõmunem Dñm nostrum, se semp inuiolatam seruasse, nec quic q̃ eiusmodi designasse, quamobrẽ sibi manus à me subtrahi debuerit, futurũ vt id secus homines acciperent, & ali q̃ huius rei non leuem causam subesse interpretarentur. Adiunxerunt posteà sibi fuisse datum in mandatis à Senatu populoq; Elbingensi, vt ad literas meas mihi coram respõderent, sed se propter ignominiam hanc sibi factam, in hunc vsq; diem responsum distulisse, qd' quidem esset eiusmodi: Quandoquidem non sola esset ciuitas Elbingensis, in qua sub vtraq; cõmunicari cœptum esset, non esse ab illa sola exigendum, vt ita subitò ad receptum Ecclesiæ morem rediret: sed si persuasum esset alijs, vt ad vsum alterius tantũ speciei redirent, se quoq; citra cunctationem ali q̃ illum amplexuros. Intereà tñ, vt ne putarem nullum hortationi meæ locum esse datum, se curaturos, vt intra ciuitatis mœnia, cùm aliæ oẽs cœremoniæ Catholicę diligenter obseruarentur, tũ vsus vtriusq; speciei prorsus intermitteretur, vt ne cuiij intra mœnia ciuitatis Sacramentũ sub vtraq; specie sumere liceret, amplius ne aliqd à se exigerẽ petierunt, néue cõmunionem illorum defugerem: quando q̃dem cum alijs eiusdem farinę cõmunicarem, & cum ijs etiam qui essent ex Domini Ducis vicinimei ditione, ne se deteriore loco, quàm alios esse vellem. Quodsi maximè Senatus ad intermissum vnius speciei vsum redire vellet, citra tumultum id ab eo fieri non posse: quòd populus ei rei vehementer obstreteret, ac quædam etiam scripta obtulisset, quę mihi tũ exhibenda nõ putaret. Quamobrem petere se, vt ne qd festinantius agerem, aliquid spacij darem adhuc, fortassis interea tempo ris, aut in Regno constitutum aliquid, aut aliam aliquam rationem inuentum iri; qua tandem aliquando optata tranquillitas & vnitas Ecclesiæ Dei restitueretur. Hæc & alia pleraq; cùm dixissent, in hanc sententiam illis respondi: Quòd se tam graui per me contumelia affectos esse dicerent: sibi vt ascriberent, nõ mihi. Nam si quem ex care dolorem acciperent; non minorem accepisse me quoq; neq; n. existimare eos debere, qd' ali q̃ ea res animo meo voluptatem adferat, qd' me talem exhibere cogor, sed officiũ hoc à me meũ postulat, cogit me expressum Dei verbũ, cui me magis oportet obedire, magis placere, q̃ hominib. vt q nõ audiũt Ecclesiã, eos habeã tanq̃ Ethnicos & Public. vt ne Aue illis dicã, sed fugiã velut vipe-

ras aliquas & basiliscos: me nihil magis in votis habere, q̃ vt amicissimè cũ illis viuere liceat.

Sed si segregauerunt ipsi se à me Episcopo suo, & ab vniuersa diocœsi mea, si segregauerunt à communi Rege & Domino nostro, & regno illius, ac ditionibus omnibus, si segregauerunt se à Christo, & à corpore eius, vna, sancta, Catholica Apostolica Ecclesia: quid aliud à me Catholico Episcopo factum oportuit, quàm vt pro talibus ipsos haberem, quales ipsi se fecerunt, hoc est, pro schismaticis, pro ijs qui vltrò se à Christo, ab Ecclesia Catholica præciderunt, quales etiam à me habitos iri, palam cùm essem adhuc Elbingæ sum professus: posteàquam vidi surdas aures eorum esse, ad Dei verbum recipiendum, & ei obtemperandũ: Non ignorare me, quod sit Episcopi munus, de cuius manu sanguinem eorum se requisiturum, quorum speculator à Deo constitutus est, Dominus comminatur: ad reliqua peccata mea hoc non adiecturum, vt in reducendis ad vnitatem Ecclesiæ ouibus aliquando meis, officio meo non fungens, animam meam orco traderem. Optandum alij fortasse foret, vt non alia de re, quàm de fructibus percipiendis, deq; eo, quemadmodum se ipsum pasceret sit sollicitus, quid verò de ouibus fieret, non magnoperè laboraret: verùm aliud me verbo Dei edoctum esse: nimirùm vt attenderem gregi meo, vt regerem Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, vt arcerem ab ea lupos, vt ne oues meas distrahi, néue discerpi paterer. In remedium schismatis factũ esse, vt vnus ex Presbyteris Episcopus eligeretur. Quod si schisma mihi permittendum est, quorsum ergo sum Episcopus, quis vsus mei fuerit, si cuius aut ligare aut soluere conscientias arbitratu suo licebit? Quamobrem quicquid eis feci, non ex aliqua animi mei arrogantia, non ex aliquo ipsorum contemptu feci, feci inuitus, feci non minore dolore, quàm quem ipsi ex hoc facto meo acceperunt: sed feci tamen Christiana charitate impulsus, vt non tam quod gratum, quàm quòd illis esset vtile, spectarem: vt etiam asperiora remedia quærerem, quibus ad officium reduci possint. Neq; tamen omnia adhuc à me facta esse. Nam non ipse modò communionem ipsorum defugere debebam, sed pijs etiam omnibus eandem interdicere, & planum omnibus facere, quòd Senatores Elbingenses à Christi se corpore præciderunt, atq; ideò pro præcisis, pro schismaticis ab omnibus haberentur: eorum congressum vitarent omnes, neq; cum eis commune quicquam haberent, hoc omnibus declaratum, hoc pro templorum foribus à me scripto mandatum & affixum oportuit. à qua tamen adhuc ratione supersedi: quòd nonnihil temporibus concedendum putarem, sedere me nihilominus cum illis in consilio, nec è templis eos extra diocœsim meam exigere: quamuis ipse in templum illud non ingrederer, in quo ipsos ab omnibus haberentur: eorum congressum vitarent omnes, neq; cum eis commune quicquam haberent, hoc omnibus declaratum, hoc pro templorum foribus à me scripto mandatum & affixum oportuit. à qua tamen adhuc ratione supersedi: quòd nonnihil temporibus concedendum putarem, sedere me nihilominus cum illis in consilio, nec è templis eos extra diocœsim meam exigere: quamuis ipse in templum illud non ingrederer, in quo ipsos fore comperissem. Nihil itaq; durius in illos adhuc à me constitutum esse. Quæ verò facta sunt hactenus, non alia de causa facta esse, quàm vt se ipsos cognoscerent, vt scirent se schismaticos, se suo ipsorum iudicio condemnatos, & à CHRISTI corpore præcisos esse. Quò magis autem intelligere possent, me non quæ mea sunt, sed quæ CHRISTI sunt quærere, vt ipsos CHRISTO lucrifacerem, vt ad ipsius corpus reducerem, vt animas eorum ab interitu vindicarem: facturum me non grauatim siue publicè vellent præsentibus omnibus, siue solis præsentibus cõsiliarijs, si modò stipulata manu promitterent, quandoquidem ab alijs mandatum non habent, pro suis tantum personis se deinceps Catholico ritu communicaturos esse, vt ab illis peterem, ne secùs acciperent factum hoc meum, quòd manus illis non porrexissem. Neq; enim ex animi fastu aliquo, aut ex eorum despectu factũ esse, sed pro Catholici Episcopi officio non fuisse mihi licitum: vt cum illis communicare me ostenderem, qui se vltrò à sanctorum communione præcidissent. Posteàquam verò diuinitus inspirati, ad agnitionem Dei verbi atq; Ecclesię communionem redierunt, me manum illis porrigere, ac iterum atq; iterum precari, si subtractione illius offensi à me sunt, vt vel Dei causa ignoscerent, cuius solius causa manus à me subtracta fuerat. Ita, dixi, palam fiet omnibus, quo animo factum est à me, quòd manum vobis subtraxerim. Cæterùm quod ad responsum ab illis allatum attinet, mirari me satis non posse, quòd nihil aliud quàm frustratorias dilationes peterent. Postulasse cùm Elbingæ fuissem sex menses, eos iam præterijsse, neq; tamen adhuc quid constitutum cum animis suis habeant ostendere. Nam si hac spe sunt, facturam Regiam Maiestatem, vt ipsa de consensu omniũ ordinum aliquid in causa religionis statuat, vehementer eos ab ijs falli si qui sunt, qui hac illos inani spe iactant. Egisse me ipsum ea de re cum Regia Maiestate, ac semel & iterum illud indicasse, quòd non alia res animos adderet Elbingensi Senatui ad schisma hoc suum tam pertinaciter tuendum, & retinendum, quàm quòd in spem erecti videantur, vt Maiestas illius cùm de cæteris rebus ad religionem pertinentibus, tum de vsu Eucharistiæ aliquid in regno suo statuat. Quod verò anteà quoq; ex ore Maiestatis eius audiueram, id tum etiam semel & iterum respondit, nunquam se commissurum esse, vt aliquid ipsa aut nouaret in regno suo, aut nouari permitteret, nisi si quid Oecumenici Concilij authoritate constitutum esset. Quamobrem falli eos, ac decipi ab ijs, qui secus aliquid de Catholico Rege illis persuadere conantur. Iussisse Maiestatẽ illius, vt officio meo Pastorali fungerer, neq; se mihi defuturum esse promisisse, si qua in re præsidium illius implorarem. Quod alias nescio quas ciuitates deduci de hoc errore vellent prius, quo sunt imbutæ: communionem vtriusq; speciei de necessitate salutis esse: quæ sint illæ ciuitates, præsertim sub ditione Regiæ Maiest. me nescire, neq; necesse habere, diuinare, aut, p certo habere, q̃ mihi certo nõ esset exploratũ. Solum esse Senatũ Elbingensem, q̃ cõstitutionẽ Diui Sigismũdi primi, in quas iurauit oblitus, corã me Epo suo profiteri ausus est, se schisma hoc amplexum esse. Quamobrem solos illos, qui ex Senatu sunt, iuxta propriam confessionem illorum me pro schismaticis habere: de reliquis ciuitatibus, si quid in illis erroris aut schismatis est, viderint eorum Episcopi, mihi cum hac vna, quam ad ouile meum pertinere putauerim, satis esse negotij. Quod si maximè scirem, esse & alios, qui non sunt ex ouili meo, eiusdem criminis affines, eam tamen esse temporum iam horum rationem, vt quibusdam tamen in rebus hoc genus hominum societas & communio vitari

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non possit. Cæterùm aliam esse ouium mearum rationem, in quibus ad viam reducendis nihil curæ, laboris & diligentiæ à me prætermissum est, qui cùm nihilominus in obfirmato errore suo perstent, neq; redire in viam velint, contra quam natura mea fert facere cogor, vt ad asperiora quædam remedia cõfugiam, nec intentatum aliquid relinquam, quo possint ad agnitionem erroris sui peruenire. Quod verò causam suæ cunctationis in populum conferre conarentur, eas artes ignotas mihi non esse, me in præsentia nihil habere cum populo negotij. Quamuis enim fieri possit, vt ex populo quoq; nonnullos reperire liceat eiusdem schismatis, nihil me tamen dubitare, multò plures esse, qui sanctam Ecclesiam Catholicam se credere, in symbolo professi, nõ quod suo aut nescio cuius priuati hominis capiti, sed quæ vniuersæ Ecclesiæ visum est, id potius amplectendum esse putet. Adfuisse tum populi magnam frequentiam, cùm ego ad Senatum populumq; de causa religionis verba facerem, non modò non eos orationi meæ refragatos esse, verumetiam pro paterna admonitione gratias egisse. Posteàquam verò ipso die Palmarum sub vesperam à Magistro ciuium postulassem, vt Senatum postridie congregandum curaret, statim eum significasse, populum quoq; adesse velle, cùm ad Senatum verba facturus essem. Scilicet id scire populus poterat, eo temporis momento cõgregatum iri Senatum, vt de eius sententia Magister ciuiũ illum quoq; vocãdum esse, me admoneret, quod haberet populus de quibus & ipse mecum ageret. Ego verò Magistro ciuium respondere iussi, si vellet vniuersum populum, etiam fœminas & pueros conuocare, per me licitum id fore, me nihilominus intrepidè Dei voluntatem omnibus explicaturum. Veni postridie in prætorium, adesse putabam ingentem populi frequentiam, neminem vidi præter Schuilualdum, sex aut septem nescio quibus alijs comitatum: qui quoniam artiũ Magister dicitur, cumprimis sibi catus & prudẽs esse videtur. Nõ adfuit Aduocatus, quo solet interprete populus vti: nõ Schissenteifel, nõ alij primarij ciues. Excusabat Schuilualdus absentiam Aduocati, quòd eum ægrotare diceret: cùm tamen is sub id tempus à meis in foro negotia sua gerens conspectus fuisset incolumis, sibi per Aduocatum negotium esse datum dixit, vt populi verbis mecum ageret, sed mandatum ea de re produxit nullum. Itaq; gaudebam tacitus, quòd pauciores de populo Lutherana peste infectos videre licuit multorũ opinione, neq; iudicare de alijs aliud poteram, quàm quòd aut Catholici essent omnes, aut si qui Catholici nõdum essent, sui certè eos erroris puderet, cùm eum quod à Senatu factum est, publicè profiteri non auderent. Quamobrem nihil esse, quod in populum culpam reijcerent. Nam qui è populo sunt, præter Schuilualdum & paucos alios, qui cum eo fuerunt, reliquos omnes me pro Catholicis habere. Vetus est illud: quales sunt principes ciuitatis, tales & reliquos ciues esse solere. Ostenderent ipsi modò se Catholicos esse, facilè populum eorum vestigia persequuturum. Ex quo reperire nonnullos licet: qui dum ne Senatũ offendant, metuunt se Catholicos esse, publicè profiteri non audent. Quod peterent, ne quid præcipitanter agerem: me neq; egisse hactenus, neq; acturum quicquam, nisi benè deliberatum communicato, cum quibus oportet consilio: moram illis & spatium ad peccandum concedere non possum: quoad tamen ipsi in hoc schismate perseueraturi essent, me pro schismaticis illos habiturum. Conscripsisse me omnia fideliter, quæcunq; per me Elbingæ quadragesimę tempore acta sunt, dedisse conscripta Nuntijs Apostolicis, à sede Apostolica & à Regia Maiestate me consilium & auxilium expectare. Hæc cùm dixissem, negauerunt illi, sibi quicquam constare de eo, quod sex mensium spatium ad deliberandũ sibi dari per me postulassent: cumq; ego ita esse confirmarem: respondit Magister ciuium: Etiàsi postulauerunt, per me tamen sibi spatium hoc concessum non esse. Egóne, inquam concederem, vt essetis in potestate sathanæ per sex menses, in qua ne puncto quidem temporis vos esse cuperem. Nam qui segregatus est ab Ecclesia, hoc ipso quod à corpore Christi, hoc est, Ecclesia, se præcidit, sathanæ se tradit. Tum illi: quod à se postularem, vt ipsi tantum duo trésue (aderat enim & Secretarius ciuitatis) pro suis personis stipulata mihi manu promitterent, se Catholico deinceps ritu cõmunicaturos, me facturum, vt ab illis peterem, ne secus quod à me subtracta manu fuerit, interpretarentur, minimè id sibi facere licere dixerunt. Fore enim vt à populo cõspuerentur, cùm domum redijssent. Ergo vos, inquam, plus populum quàm Deum timetis? à populo, non ab Episcopo vestro doceri: populo subesse, nõ præesse vultis? Itanè iam est omnis ratio commutata? illi verò cauendum sibi esse respondebant, ne qua esset in ciuitate seditio: ne quod in periculum inciderent, si in vsu Eucharistię à populo discrepare vellent. Quid igitur, inquam, à populo vestro dissidere in causa religionis non vultis? à Rege autem & Domino vestro, ab Episcopo vestro, qui Pastor animarũ vestrarum à Deo constitutus est, ab vniuersa Catholica Ecclesia dissidere pro nihilo habetis? quod est istud tam peruersum iudicium? Quamuis nec illud adhuc concedo ita, multos quemadmodum vultis è populo eadem qua vos labe infectos esse. Illi deinde iterum petierunt, ne quid præcipitanter agerem, néue ciuitatem alioqui collapsam prorsus perditum ire vellem. Postulabant etiam, vt postridie cùm in Senatum venissemus ipsis petentibus, causam hanc, quam dixissem non porrectæ illis manus coram omnibus narrarem, ne quid secus homines existimarent, quasi cõtra Maiestatem Regiam aliquid deliquissent. Quibus ego respondi, me quod antea quoq; dixerim, nihil acturum præcipitanter, spacium ad deliberandum sumpturum, neq; nisi cõmunicato cum prudentibus consilio, quicquam in hac causa facturum. Quod verò postularent, ne ciuitatem Elbingensem perditum ire vellem, procul me ab ea voluntate abesse, quin illi me potius consultum omnibus modis cuperé, vt & animas ciuium lucrifaciam: & si quid etiam possim ad fortunas eorum augendas adiumenti adferre, studium in eare meum non prætermittam: ipsi modò viderint, ne pertinacia sua maiorem aliquam patriæ suæ calamitatem adferrent. Quod postremò causam à me non porrectæ manus in Senatu dici cuperent, facturum me id si id postulaturi essent,

Sed mirari me, quod leue putant esse schismatis crimen, quo tamen nullum excogitari potest grauius: non esse hæc resipiscentiæ signa. Cæterùm quàm verè dicant, se nihil contrà Regiam Maiestatem deliquisse, quandoquidem contra constitutiones paternas, in quas iurauerunt, quæ sunt per Serenissimum filium feliciter nunc regnantem proximè superiore anno Gedani confirmatæ, eos veniisse constat, dies indicabit. Futurum enim est fortassis, vt suo loco & tempore causam de eo dicant: Illi verò negauerunt, se contra constitutiones D. parentis venisse. Non vestrum erit, dixi, ea de re iudicium, mihi quidem secus videtur. Cumq; iterum petiuissent, ne vellem acerbiore in ciuitatem esse animo, discesserunt. Postridiè veni in Senatum, expectabam vt per eos aliqua de non porrecta manu mentio fieret. Cæterùm nulla est facta: comitijs fine imposito domum quisque suam se recepit.

STANISLAI HOSII CARDINALIS VARMIENSIS, maioris Pœnitentiarij,

De actis in Comitijs Prussiæ Graudentinensibus, Anno Domini M. D. LVI.

VENI Graudentum pro more meo pridiè Diui Michaelis, postridiè eius diei auditus est nuntius Regiæ Maiestatis: pauci eramus Consiliarij. Aberat Culmensis Episcopus oculorum morbo, aberat & Palatinus Marieburgensis luctu impeditus, quòd sub id tempus vxori mortuæ funus curabat. Ex Castellanis vnus tantum Gedanensis, è Succamerarijs nullus præsens adfuit. Ad quintum nonas Octobris, nuncij terrarum & oppidorum responsum scriptum attulerunt ad legationem Regiæ Maiestatis, quam audiuerant. Quod cùm lectum fuisset, nos quoque Consiliarij suo quisque loco sententiam diximus. Nuntij maiorum ciuitatum habere se nescio quid in mandatis ostenderunt, de vtraq; specie postulanda. Alter ex his qui nomine Magistratus Gedanensis missus erat, quandoquidem interdixit Maiestas Regia per legatum suum, ne quis ad nouationes animum se adiecisse præseferret, viam sibi præclusam esse dixit aliquid eiusmodi postulandi. Cæterùm facere sibi non licere, quo minus quibus de rebus mandauit Magistratus ciuitatis, vt ageret cum Episcopo Varmiensi, de his verba faceret. Petere autem à me Magistratum Gedanensem, vt agerem cum Reuerendissimo Domino nuncio Apostolico, & modis omnibus apud illum instarem, vt permitteretur ciuitati vsus vtriusq; speciei: qui si permissus esset, nihil esse dubitandum, quin sola hac in re acquiescerent voluntates hominum, vt omnes errores alij facile tollerentur. Hanc videri viam, & non aliam Gedanensi Magistratui, per quam vnitas in religione retineri possit. Sic è suggestis vociferari prædicatores: sic vrgere populum apud Magistratum vtranque speciem, vt ei diutius resistere non posse videatur. Hæc ego cum audiuissem respondi: Non debere dubitare Magistratum Gedanensem, quin facturus semper sim lubens, salua fide religionis q; mea, quæ ex re ciuitatis fore intelligerẽ. Cæterùm quod à me postulauerunt, id eiusmodi esse, vt salua fide religionisq; mea facere non possim. Egóne qui sum per Dei gratiam Catholicus Episcopus, aliquid suaderẽ eiusmodi, quod ad secessionem, separationemq; ab Ecclesia Catholica pertinere videretur? Priùs me fortunis meis omnibus, priùs vita etiam cedere paratum esse, quàm vt aliquorum separationis ab Ecclesia Dei consiliorum author esse velim, aut ad eam assensum vnquam præbere. Ego quæ in rem ciuitatis fore intelligerem, libenter in his meum illis studium pollicerer. Cæterùm quod ipsi postularunt, id ad perniciem eorum qui postulant pertinere. Nam vt nihil sit in vsu Sacramenti vitij, præcisionis tamen tantum esse crimen, nullum vt sit aliud flagitium, quod cum illo comparari possit. Quamobrem ne expectarent à me, vt in ijs rebus operam illis meam nauarem, quas ad interitũ non fortunarum magis quàm animarum eorum qui peterent pertinere scirem. Cæterùm satis me mirari nõ posse: quod existimarent errore permisso errores tolli, separatione concessa vnitatem retineri posse. Nam si putarent de necessitate salutis esse, communicare sub vtraque specie, magnum esse hunc errorem in Constantiensi & Basiliensi Concilio condemnatum. Non minus autem eos errare, si crederent separatione admissa vnitatem retineri posse. Qui consiliorum separationis author est diabolus, nihil magis contendit & elaborat, quàm vt vel vna aliqua in re separationis initium habere queat: quo concesso, iam erit aperta ianua ad omnes alios errores inculcandos, & tot sectarum genera inuehenda, quot nunc in his terris esse videmus: quæ principio non alia in re quàm in Sacramenti huius vsu separationis consilia sunt amplexæ. Quamobrem postulare me ab illis, vt orarent Magistratum ciuitatis Gedanensis, vt in ijs potius rebus, quæ ad vnitatem, quàm quæ ad præcisionem diuisionemq; pertinerent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nerent, opera mea vti vellent: simul verbis meis dicerent, non esse æquè in potestate Magistratus, cùm in alijs rebus, tùm in religione præsertim modum præscribere. Postulare nunc populum vtranq; speciem: paulò post postulaturum grauiora alia, si quod iniquè postulat impetrasset, in eo quod leuius videtur eos periculum facere, quid in grauioribus alijs obtinendis sperare possint. Habere eos recentia eius rei in Germania exempla: vbique sumptum esse initium ab vtraq; specie: quo verò progressa demum sit res, obscurum non esse. Etiam atq; etiam secum considerarent, quid Monasterienſi ciuitati acciderit: in qua cùm primus prædicare cœpisset hoc, quod nunc hæretici vocant Euangelium, Bernardus quidam Rotmanus, & non aliunde proculdubiò, quàm ab vtraq; specie sumpsisset exordium, & propositis capitibus aliquot ad disputandum Catholicos prouocasset, neque præter sacras literas, hoc est, scripturas Canonicas quicquam adferri vellet: factum est vix vno anno interiecto, vt Anabaptistæ in vrbem irrumperent, cumq; eadem in disputando conditio lata fuisset Rotmano, quam ipse Catholicis tulerat, eam vnà cum suis socijs, repudiauit, tantasq; vires accepit Anabaptistarum factio, vt sicut Lutherani Christianos ex Ecclesijs eiecerunt, sic vicissim ab Anabaptistis pulsi fuerunt. Meminissent quem in illa ciuitate nouatio exitum sit consecuta, eundem etiam exitum habituros Gedanenses, si quam nouationem admiserint. Et hoc sibi prædictum esse ab Episcopo Varmiensi memoria tenerent: ac si vellent ciuitatis tranquillitati consultum, seditiosos istos Concionatores loco moueret, vrbeq; ejcerent. Sic futurum, vt populus minus nouis rebus studeret. Postero die qui fuit quartus nonas Octobris, legi feci in Senatu responsum, quod scripseram ad legationem Regiam. Quoniam verò per Legatum suum significauerat Regia Maiestas, Ludimagistros in Episcoporum authoritate & iurisdictione se esse velle, ad reliqua responsionis capita hoc etiam adiecerant, quod ad Ludimagistros attinet: Agit Maiestati illius Dominus Episcopus Varmiensis ingentes gratias: quòd suam hac in parte iurisdictionem saluam esse cupit, quã etiam vt tueatur orat. Nam Elbingenſis Magistratus Maiestatem illius Regiam non maioris quàm Episcopum suum facit, & cum toties imperatum illi fuerit à Maiestate illius, vt hæreticum quendam Ludimagistrum præter Episcopi sui voluntatem in ciuitate Maiestatis eius ne retineret, fecit ille pro more suo, mandataq; Maiestatis illius prorsus contempsit, neq; contentus Ludimagistrum hæreticum habere, prædicantem etiam similem conduxit. Qua de re admoniti nuncij Magistratus, in isto consessu à Domino Episcopo, fassi sunt, se & Ludimagistrum illum nihilominus retinere, & eum concionatorem recipere noluisse, quem illis daturus erat Dominus Episcopus, quòd non alio vti vellent, quàm qui verbũ Dei prædicaret. Quasi verò Episcopus eorum verbum Dei prædicari prohibeat: qui quem admodum in hunc locum peruenerit, non ignorat Maiestas illius, quæ secundum Deum locupletissimus eius rei testis esse potest: quòd non modò non ambiuerit locum hunc, verumetiam multis precibus sæpè deprecatus sit, vt eum alij cuiuis potius Maiestas illius mandare vellet. Nunc videat Maiestas illius, nunquid obscurè arguat Magistratus Elbingenſis, quòd impiè de Deo Maiestas illius sentiat, deprauatamq; religionem sequatur, quæ talem Episcopum Elbingenſem designauerit, qui verbum Dei prædicari nolit: cum tamen planum sit omnibus, quod non aliam Dei colendi rationem, nec aliud doctrinæ genus Episcopus Varmiensis sequitur, quàm quod sequi se Maiestas illius vestigijs diui parentis maiorumq; suorum incedens profitetur. Supplex orat Maiestatem illius Varmiensis Episcopus, vt hanc tam audacem eorum licentiam reprimere velit, neq; sibi sumere patiatur homines imperitos, vt de verbo Dei quod non intelligunt iudicent, cum illud suo tempore planum sit facturus Episcopus Maiestati illius, eos pro Dei verbo diaboli verbum amplecti. Ille est enim qui diuidit inter fratres: cum Christum venisse constet, non vt diuideret, sed vt dispersos potius colligeret. Et hoc illi vocant Dei verbum, verbum diuisionis & dissensionis, cùm tamen Deus noster non sit Deus dissensionis, sed pacis & dilectionis, verbũque illius abbreuiatum sit, Dilige. Quod cum audiuissent legi Elbingenses, negauerunt inferendum esse caput hoc, quod nemo sic responderi mandasset. Tum ego. Atqui non respondetur hic, inquam, cuiusquam alterius nisi meo nomine, qui solus nunc hic sum Episcopus. Non video cur impedire quisquam debeat, quo minus gratias agam Regiæ Maiestati de sententia Rege pio Catholicoq; digna, deq; eorum contumacia querar, qui Maiestatis illius mandata contemnunt. Cum autem Palatini à me contenderent, vt seorsum hæc scribi facerem potiùs, quàm in eo responso quod cõmuni nomine daretur, passus mihi sum persuaderi. Tum Bartholomæus Greue, Palam est, inquit, quæ intercedunt inter re & nos animorum offensiones, earum causam aliam non esse, quàm quòd cum postulares à nobis, vt alterius tantum speciei communione contenti esse vellemus, hac in re vt tibi pareremus, conscientia nostra nos prohibente adduci non potuimus. Quamobrem petimus nos quoque, sicut hesterno die alios abs te audiuisse, petiuimus vt operam tuam nauare velis, quo possit nobis vsus vtriusq; speciei permitti. Sic futurum est, vt sublata causa offensionis, mutua inter nos amicitia coalescat. Ego verò miror, inquam, hoc vos à me petere, cùm quid heri Gedanensibus responderim audieritis. Ego cùm sim Pastor & Episcopus animarum vestrarum, in his rebus operam vobis meam nauem, quas ad earum interitum intelligo pertinere? Quòd si hostili in vos essem animo, facerem non inuitus quæ postulatis. Nunc autem cum pro officio meo Pastorali, nihil magis quàm salutem vestram sitiam, nunquam persuaderi mihi patiar, vt aliquorum eiusmodi consiliorum author sim, quæ vobis æternam damnationem sint allatura. Sed videte nũ verùm hoc sit quod dicitis, solam esse causam hanc offensionis inter nos. Fui ipse apud vos, ac per totam ferè Quadragesimam vobiscum commoratus, sæpe vos admonui, & per Sacerdotem simul meum admoneri feci, si quis haberet aliquid in conscientia sua scrupuli, ad me veniret Pastorem & Epi-

Episcopum suum, me facturum pro officio meo Pastorali, vt conscientiæ cuiusq; mederer, vt in spiritu lenitatis instruerem vnumquemque. Nunquid venit quisquam? Nunquid fuit aliquis in tota ciuitate, qui se ab Episcopo suo doceri, qui suæ conscientiæ ab eo mederi postularet? Nónne in ædes ipse tuas descendi? nónne abs te quoq; tum fi: ut paulò ante à Senatu & populo quæsiui, quodnã esset illud verbum Dei, quod cum esset Gedani Regia Maiestas nomine ciuitatis vt publicè prædicari permitteret, petiuistis? Me qui essem Pastor & Episcopus vester, non impediturum Euangelij cursum, verbum Dei pro viribus meis propagaturum potiùs, q̃ vt illud prædicari prohiberem. Tu verò quid aliud respondebas tum, q̃ prædicatorem veltrum Augustinum parum esse disertum, ita vt non satis intelligi posset, cum sermonem ad populum faceret. Ego verò vicissim abs te postulaui, vt alium quempiã indicares, qui rectè posset hoc munere fungi, me libẽter si Catholicum illum comperissem, hocei munus mãdaturum. Deinde verò quod maius est, dictum est mihi à quodam fide digno, prohibuisse tum Magistratum, ne quis q̃ ad me veniret, atq; à me doceri postularet. Negabat hoc ille ita factum esse. Tum ego: Narro, inquam, quæ audiui: sed hoc tamen certum est, quòd per totas ferè sex hebdomadas nemo fuit, qui medicinam animæ suæ, qui consolationem, qui doctrinam aliquam à me requireret. Deinde verò vide num solus hic sit error apud vos, quo putant quidam se saluari non posse, nisi de calice bibant. Miseram ad vos alia quadam Quadragesima, qui sermones quosdam ad populum faceret, quos ipse conscripseram: prædicauit de vtraq; specie, auditus est æquis animis. Die sacro Paschæ prædicauit de Missæ sacrificio, fuit murmur quoddam in populo, neq; defuerunt qui lapidibus os eius petendum esse dicerent, q; asseuerasset in Missa Christi, corpus offerri in mortis eius recordationem. Vides ergo nõ solum vtramq; speciem offensionis causam esse, sed multos alios apud vos errores inoleuisse, quibus qui infectus sit non prius ego scire possum q̃ suo se prodiderit indicio. Quoniam itaq; quod est mysterium vnitatis, id vos iam diuisionis quoddã symbolum fẽcistis, neq; alia de causa sub vna specie recusastis communicare, quàm vt appareat vos Lutheranos, vel nescio cuius alterius sectæ esse potiùs, quàm Christianos. Ideo ego potissimum vrgeo, vt visibili hoc signo vos cum Catholica Ecclesia sentire planum faciatis. Nam nemo vel in Germania vel in his terris communicat sub vtraq; specie, nisi qui sit Lutheranus, vel Zuinglianus, aut Picardus, aut Anabaptista, aut Seruetianus, vel nescio quaalia hæresi infectus. Iam verò nónne concionatorem vobis elegistis hominem seditiosissimum, non doctrinæ magis, q̃ vitæ tanta impuritate præditum, vt cum à vobis Regiæ Maiestatis mandato pulsus esset, ne vicini quidem turpissimam eius vitam ferre potuerint, etiamsi à doctrina non abhorrerent: de quo etiam publica fama est, quòd mulierem quam vocabat vxorem interfecerit. Tale portentum fuit nihilominus apud vos in precio, & quod ille dicebat, verbum Dei appellabatur. Nunquid autem tu heri quoq; fassus non es, vos aliũ prædicatorem conduxisse me non requisito: fortassis non minus q̃ prior ille fuit, seditiosum. Quid illud quale esse putas: quod cum ego proxima Quadragesima sacerdotẽ ad vos Catholicum mittere voluissem, qui vobis verbum Dei annunciaret, modò literis vestris cauteretis illũ ibi sine periculo munere suo fungi posse. Respondit mihi Magistratus, satius me facturum si non mitterem, quod ei de securitate cauere non posset: quasi inter Ethnicos illi non inter Christianos degendum foret, & intereà nullam dicitis offensionis causam præter vtramq; speciem? Nusquam est vtraq; species, præsertim quæ sumpsit à Luthero originem, vbi non sint multi alij errores impij adiuncti. Corda vestra inspicere non possum, Deus illorum scrutator est, sed documento esse possunt templa deserta, Sacerdotes neglecti, quos vix etiam iam vllos habetis, Sacrificium contemptum, ad hunc errorem de vtraq; specie multos alios accessisse. Mirari autem satis non possum, quòd quo minus salubribus meis monitis pareatis, conscientia vestra vos prohiberi dicitis. Scilicet vos hi estis, quibus ligandi soluendiq; potestas data est. Apostolorum, hoc est, & eorum qui in Apostolorum locũ successerunt, non autem Magistrorum ciuium ligare aut soluere conscientiam. Nunc vos vobis sumitis quod Episcoporum est proprium, & ipsi vobis arbitratu vestro conscientias vestras ligatis & soluitis. Ego quamuis indignus hanc à Deo potestatem mihi concessam habeo, ea tamen in me ipsum non vtor, sed quoties me premit conscientia, ab alio solutionem quæro. Sed vos nihil vobis non arrogatis, qui ipsi vobis estis Episcopi, Papæ, Concilia. Testis est mihi Deus, quòd nihil aliud quàm salutem vestram quæro, cuius etsi vos obliti estis, ego nihilominus in Deo spe mea collocata, non omittam facere quod officij esse mei intellexero. Hæc à me cùm dicta fuissent, quoniam in noctem res extracta fuit, domum quisque suam discessit. Intereà verò qui Magistratus Elbingenſis personam in consilio repræsentabant, egerunt cum Cancellario meo, se Ludimagistrum velle sistere prædicatorem suum coram me: de Hoppio verò verbum nullum. Die proximo in sequenti qui fuit tertius Nonas Octobris, nuntijs quoque terrarum & oppidorum responsum nuntio Regiæ Maiestatis dandum lectum est: quo lecto visum fuit mihi opere precium, vt ad primum eorum articulum nonnihil dicerem. Itaque in hanc sententiam ad eos verba feci: Quandoquidem præsens non adest collega meus Dominus Culmensis Episcopus, ad quem propiùs ea pertinent, quæ primo loco sunt à vobis de religione scripta, quàm ad me, cùm nullus ex vobis ad meam Diœcesim pertineat, decere me putaui qui solus nunc hic præsens adsum terrarum harum Episcopus, vt pro Christiana charitate, proq́ue paterno meo in vos animo, de nonnullis rebus vos commonefacerem: cum scriptum sit, quod vnicuique D E V S mandauit de proximo suo. Non possum quin vos laudem, quòd in his comitijs multò maiore fueritis vsi modestia, quàm in proximis illis superioribus, in quibus negare non potestis, quin à vobis pleraque maiore contentione quàm par erat acta fuerint, cum ea postularetis à nobis, quæ nos fide religione q̃ nostra salua

Universidad de Deusto
Biblioteca

concedere vobis non potuimus . Quod aũt iam iurisdictionem vestrã agnoscitis, neq; vos in eã ingerere velle dicitis, facitis vt bonos & pios viros decet. Nam vsq; eo controuersum hoc non est, cognoscere de verbo Dei, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, Ecclesiarumq; ministros & scholarum præfectos instituere, propriam esse iurisdictionem Episcoporum, vt etiam illi ipsi qui discesserunt à nobis, qui sunt Augustanæ Confessionis, in sua illa Confessione diserris verbis hoc scriptum reliquerint. Quod autem additis, ex singulari Dei timore ac verbi saluificantis amore profecta esse, quæ fuerunt acta in Comitijs Marieburgensibus, quæso perpendite vobiscum, num his verbis vos videamini non modò nos Episcopos, verùm ipsam etiam Regiam Maiestatem notare, quasi impiè de verbo Dei sentiamus, depraua tamq; religionem sequamur. Dicitis vos timore Dei feciſſe quæ fecistis, & verbi saluificantis amore. Quasi verò nos quoq; non timeamus Deum Episcopi: quasi non amemus verbum saluificans, vel quasi non timeat Deum Regia Maiestas, non amet verbum saluificans, quæ non aliam religionem sequitur præter eam, quam nos Episcopi profitemur. Vellem quod de vobis sentitis, idem & de nobis Episcopis, & de Maiestate Regia persuasum haberetis. Putatis vos timere Deum: putatis vos amare verbum saluificans: timemus & nos Deum, amamus & nos verbum saluificans. Videte autem ne de quibusdã recte dici possit illud: Trepidauerunt timore, vbi non erat timor: quodq; scriptum est in Euangelio: Colantes culicem, camelum autem glutientes. Timebant etiam Iudæi Deum, vel potiùs timere se simulabant, qui ne contaminarentur ingredi in prætorium non audebãt. Cum verò traderent Christum gentibus ad illudendum, ad flagellandũ, ad crucifigendũ, non timebant Deum, quin potiùs Dei se præceptum implere gloriabantur. Nos legem, aiebant, habemus, & secundum legem debet mori: quia filium Dei se fecit. Ex scripturis exq; puro verbo Dei probant, se iure Christum gentibus tradere morte condemnandum, neq; vlla in ea re conscientia premebantur: cum tamen multò minùs peccassent si prætorium ingressi fuissent, quàm quod Dei Filium crucifixerunt. Videte ne talis in quibusdam timor sit. Timent enim nonnulli Deum sicubi receptus ab Ecclesia ritus est seruandus, non vbi corpus Christi mysticum, quod ita Christus dilexit, vt viuum & verum suum corpus pro illo in mortem traderet, Ecclesia sancta Catholica in multas partes dissecanda est? neq; minus crudeliter lanianda, quàm fuit viuum & verum corpus Christi à Iudæis laceratum. Vellem vt sciretis quid sit verbum saluificans. Nã qd' plerisq; fortassis putant, non est verbũ saluificans. Videmini quiddam dicere voluisse, quod tamen non satis expressistis. Sed ego mihi tamen intelligere videor, quod illud sit: nimirum id quod in proximis comitijs superioribus postulastis, vt ex calice bibere liceret. Si putatis hoc esse verbum saluificans, Bibite ex hoc omnes, erratis, Bibit ex calice Iudas, & condemnatus est: biberunt hæretici multi, biberunt falsi fratres & mali Christiani, sed ad mortem æternam, non ad vitam æternam. Quamobrem non est hoc verbum saluificans, quod nonnulli putant. Vultis autem scire quod sit verbum saluificans: est breue verbum, Ama. Charitas est verbum saluificans, quam qui non habent, bibant ex calice quantum velint, non saluabuntur. Verum est enim illud, quod qui non diligit manet in morte, qui verò diligit proximum, legem impleuit. Videtur autem vobis proximum diligere, qui sic sentit de præpositis suis, quibus obedire iussus est, quòd nullo sint erga Deum timore, quòd non ament verbum saluificans, quin illud oppugnãt potiùs. Certè nõ dilectionis hæc sunt, sed odij. Videtur vobis diligere proximũ, qui se non ab vno aliquo, sed ab omnibus ferè qui verè Christum confitentur, ab vniuersa Ecclesia Catholica separat, omnesq; maiores suos impietatis condemnat, qui Spiritui sancto restiterint, necagnitam veritatem amplecti voluerint? Charitatis quidem & dilectionis propriũ est, vnire, non diuidere. Sunt q clara Christi esse verba dicãt: Bibite ex hoc oẽs, quibus oẽs adiguntur, si modò salui esse velint, ex calice bibere. Quod si clara sunt in eam quã illi volunt sententiam, iam non possunt Ecclesiam arguere, quòd quæ clara sunt non intellexerint, sed impietatis potius oẽs condemnãt, qui secus quàm sentiant scripturas interpretentur. Quid autem ex eo sequetur aliud: quandoquidem ex quo tempore Polonia primũ deinde Prussia Christi recepit Euangelium, non fuit in ijs terris alius quàm alterius tantũ speciei vsus in huius venerabilis Sacramenti perceptione, quàm quòd impij fuerunt omnes, qui scientes prudentesq; contra clarum Christi præceptum venire veriti non sint. Nũc ego vobis haud aliter, quàm si coram Deo ipso loquerer, ita quid ipse sentiam de vsu huius Sacramenti breuibus explicabo. Dico non peccare quenquam si sumat sub vna specie, non peccare si sumat sub vtraque. παράδοξον hoc vobis videtur. Quod Augustinus aliquando dixit Donatistis: Non in Sacramentis, sed in præcisione vicium est, hoc ego quoque nunc dico. Non in vsu Sacramenti Eucharistiæ, sed in præcisione vicium est: & quidem tale vicium est, vt si congerantur in vnum omnia crimina, cum hoc vno crimine collata festuca sint cum trabe comparata. Dico igitur repetens quod in Decreto Basilienſis Concilij scriptum continetur. Siue sub vna quis specie, siue sub duplici communicet, modò secundum ordinationem & obseruantiam Ecclesiæ faciat, proficit dignè communicanti ad salutem. Nolite existimare verbum esse saluificans, Bibite ex calice, sed Dilige, non te separa ab Ecclesiæ vnitate, illius sensui & consensui intellectum tuum subijce. Hoc est verbum saluificans. Præclarè dixit quidam sui seculi Augustinus vocatus: Dilige & fac quod vis, siue bibas ex calice siue non bibas, modò in dilectione, in vnitate facias, iuxta ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ, proficiet tibi dignè communicanti. Vidit hoc aliquando Lutherus quoque, priusquam odium & ira pessimi consultores eum transfudissent, cum diceret: Quoniam nihil de vtraqne specie tanquã necessarium præcepit Christus, præstaret pacem & vnitatem, quam vbiq; Christus præcepit sectari, q̃ de speciebus Sacramenti contendere. Quis autẽ est iste præposterus Dei timor? ibi timere vbi nihil tanq; ne-

cessarium Christus præcepit, cum abstinetur à calice: in eo non timere quod necessariò Christus præcepit in pace & vnitate rumpenda, sine qua nemo Deum videbit? Sine vtraq; specie multi Deum & viderunt & videbunt: nisi fortè condemnatos quis putat esse omnes qui sexcentis propè annis his vixerunt: quibus Christi fides in Polonia primùm, deinde in Prussia recepta est: quorum neminem præterquam his paucis superioribus annis vtraque specie vsum fuisse constat: sine pace & vnitate quam nobis migraturus ex hoc mundo Christus ad Patrem suum cœlestem, quasi testamento legauit accurateq; seruandum mandauit, neq; vidit, neq; videbit Deum quisquam. Certum est nullum esse de calice necessariò sumendo ab omnibus etiam laicis Christi præceptum: sicut contra certum est omnia Christi præcepta vnum esse dilectionis præceptum. Excutiantur diligenter quæ Matthæus, quæ Marcus, quæ Lucas scripserunt, facilè apparebit solis duodecim Apostolis esse dictum: Bibite ex hoc omnes: quibus etiam solis vt hoc facerent in Christi commemorationem præceptum est. Itaq; cum facerent, hoc est, cum consecrarent, cum offerrent, vt necessariò biberent tunc sunt: extra consecrationem & oblationem vt quisq; ex calice biberet, Christi præceptum nullum est. Certè si necessariò bibendum esset ex calice, omnibus bibendum esset infantibus quoq; quos tamen ab omni Sacramentali Eucharistiæ perceptione excluſos esse videmus, cum in primitiua Ecclesia in eius vsu fuerint. Deinde verò si pertinent ad omnes illa verba Christi quibus ad Apostolos vsus est in cœna nouissima, pertinebit ad omnes vt consecrent, & offerant, vt æquè fungantur Sacerdotum officio Laici etiam pueri & fœminæ, atq; hi qui legitimè ad hoc munus sunt vocati. Dictum est etiam Apostolis vt euntes docerent & baptizarent: data est illis potestas peccata remittendi. Nunquid quia dictum est hoc Apostolis, licebit omnibus etiam laicis docere, baptizare, peccata remittere? Quid hoc aliud fuerit, quàm ordine sublato confusione in perturbationem q; rerum omniũ inducere velle? Vel sensus ipse communis indicat nihil esse de calice sumendo quoad omnes, laicos necessariò præceptum. Quo magis miror tanta contentione illud exigi, quod à Christo nusquam esse præceptum etiam ipsi necesse habent confiteri, qui se à Christo & à corpore eius Ecclesia præciderũt. Protuli iam vobis quid Lutherus ea de re senserit. Quod si quis dixerit diuersũ eũ scripsisse posteà. Fateor ita esse. Nã sicut verũ semper est vnũ, ita falsũ varium & multiplex, atq; hæc est mendacij natura nusquam vt sibi constet. Collegit quidam ciuis Hallensis, Caspar Querkhamer triginta sex locos è libris Lutheri inter se pugnantes, super vno duntaxat hoc articulo de vtraq; specie. Nolite autem existimare propterea diuersum scripsisse posteà Lutherum, quod ita senserit se de necessitate salutis vtranq; speciem sumere, verùm Ecclesiæ iudicio reliquisse vtriusq; vsum statuendi. Quoniam verò prouocatus erat à fratre quodam, curaturum se scribit, vt dum gloriosissimi actores de vna aliqua eius hæresi triumphant, interim nouam moliatur. Mox hæresim profert, seq; pollicetur ostensurum omnes esse impios, qui laicis vtriusq; speciei communionem denegant, ac paucis interiectis manifestè indicat non ex animi sui sententia, sed prouocatum ac per vim raptum, in hanc arenam se descendere. Quis est qui non intelligat his lectis nunquam ex animo sensisse Lutherum vsum vtriusq; speciei de necessitate salutis esse, sed quod ita scripserit alioquin prouocatum ac per vim raptum fecisse: quodq; non videbat quomodo possent alia duriora populo de Sacerdotio deq; sacrificio abrogando, ac modò non de Deo ipso tollendo psuadere, nisi prius in hac re quasi minoris momẽti à sensu & cõsensu Ecclesiæ hominesdeciscere docuissent. Hoc gradu facto expeditiùs ad omnia sibi alia futurũ iter intelligebat. Itaq; nihil aliud q̃rebat, quoties calicis vsum diligẽter inculcauit, quã diuisionẽ quã separationem ab Ecclesia Dei. Sed & discipulus eius Philippus apertè scribit ἀδιάφορον esse alterutra signi parte vti: sicut edere suillã aut abstinere à suilla. Si est ἀδιάφορον, nõ est igitur præceptũ. Adest hic Sprengelius notarius Elbingensis, qui dixit Elbingi hoc palã, cum ad mensam meam assideret, atq; hæc Philippi verba legi fecissem se hoc ipsum ante paucos annos ex ore eius audiuisse. Neq; diuersa Buceri fuit sententia, qui in colloquio Ratisbonensi, quod habitum est ante annos plus minus quindecim, hoc ipsum non dubiè sentire se declarauit. Possem & Bohemi cuiusdam Ioannis Przibram testimonium hac de re proferre, sed longior esse nolo. In Concilio Florentino cum de Græcorum & Latinorum vnione tractaretur, qui acta Concilij illius legerent, quanta contentione laboratum à nonnullis fuerit, præcipuè à Marco quodam Ephesio ne procederet vnio, non ignorat. Atqui facilè erat impedire præsertim Marco Ephesio viro & docto, & facundo & singulari quodam erga Latinos flagranti odio, si quid ad rem pertinere putasset, de empto laicis calice Latinos accusare, & vel hac saltem in parte scismatis eos arguere, quod ignorare certè non poterat, cum sub id ipsum tempus habitum esset Basilienſe Concilium, & paucis ante annis Constantiẽse præcessisset. Verùm intelligebat vir prudens, perinde esse sub vna quis an sub vtraque specie sumeret, modò secundum ordinationem & obseruationem Ecclesiæ faceret. Itaq; ne tria quidem verba cum quoquam ea de re communicanda esse putauit. Est itaq; res apertior & hæreticorum nostri temporis & Bohemorum & Græcorum testimonio: quòd nihil ad salutem referat vna quis aut vtraq; specie vtatur. Quare nolite quæso trepidare timore vbi timor non est, cum ipsi etiam nostri aduersarij nullam esse hac in re trepidandi causam confiteantur. Neq; verò statim vobis audiendos & eis fidem habendam esse puta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

te, qui subinde vociferantur, verbum Dei, verbum Dei. Nam si quis veterum scripta reuoluat, præcipuè Tertulliani librum de præscriptione hæreticorum & Ecclesiasticam historiã reperiet non alios de verbo Dei magis esse gloriatos, q̃ hæreticos. Nolo nũc alios proferre, q̃ qui sunt in quatuor illis Concilijs condemnati, quę tanq̃ quatuor Euangelia recipiuntur à fidelibus. Arrius cuius nunc secta reuixit (proh dolor) etiam in Polonia, quibus magis alijs vocibus obtundebat aures Catholicorum, quàm quòd purum Dei verbum, quòd scripturas Canonicas proferre se diceret? Neq; recepturum se quidquam ostendebat, quod in scripturis expressum non esset. Qui eius error cum fuisset in Concilio Nicæno condemnatus, in quo declaratum est Filium esse Patri Omousion, hanc ipsam vocem propterea reijciebat Arrius, quòd in scripturis nusquam reperiretur, & quadraginta locos ex scripturis proferebat, quibus minorem esse Patre Filium ostendebat. Error Macedonij qui Spiritum sanctum esse negabat Deum, est in Concilio Constantinopolitano condemnatus. Quid aut emis aliud, quàm negabat in scripturis reperiri Spiritum sanctum esse Deum: neq; præter scripturas recipiendum esse quidquam asserebat: sicut ex quinta Gregorij Nazianzeni oratione, qui præcipua pars eius Concilij fuit colligere licet. In Ephesino Concilio condemnatus est Nestorius, qui & ipse multa scripturarum examina proferebat cõtra Catholicos, ac Deiparam esse Mariam virginem negabat. Ostendebat in Euangelio non semel reperiri, quòd esset mater IESV, quod autem esset mater Dei nusquam, & tamen authoritate Concilij effectum est, vt si quis eam Christi param, & non Deiparam vocasset, anathema haberetur, cum tamen secundum scripturas Iesu, non Dei matrem vocari eam debere, Nestorius contenderet. In Calcedonensi Concilo, quid aliud clamabat Eutiches, quàm vbi iacet in scripturis, quòd duæ fuerint in Christo naturę? Nunquam fuit hæreticorum quisquam qui non sibi Dei verbum, qui non sibi scripturas, & earum veram intelligentiam arrogasset. Non solus fuit Lutherus qui quod diceret purum Dei verbum haberi vellet. Hoc ipsum etiam de sua doctrina gloriati sunt & gloriantur etiam nunc Sacramentarij, Zuinglius, Oecolampadius, & alij, hoc & Anabaptistæ, hoc & Picardi, hoc qui sunt exorti in vicinia nouæ cuiusdam opinionis sectatores, hoc Seruetiani, qui sunt noui nostri temporis Arriani. Videte autem quorsum iam impietatis peruentum sit. Ex Euangelio Christi contra Christum scripturæ proferuntur, quibus Christus Deus esse negatur: quibus eadem quæ Deo laus & adoratio illi præstari prohibetur: & qui hæc faciunt, millies deierauerint, se purum Dei verbum, purum Euangelium profiteri. Neq; desunt illis examina scripturarum, quibus impietatem suam confirment. Adeò nihil dici potest tam nefarium, tamq; impium, quod scripturæ malè intellectæ testimonio comprobari non queat. Pollicebantur sibi nonnulli se veteri Christiana fide exterminata Lutheranam esse propagaturos: ecce autem quorsum illis res rediit? Plures nunc Zuinglianos, plures Picardianos, plures Seruetianos etiam in ipsa Polonia reperire licet, quàm Lutheranos. Ac ex Lutheranis quidem Picardos factos esse videmus, ex Picardis quòd Lutheranum dogma quisquam sit amplexus, non facilè demõstratum iri puto. Omnes autem hæ sectæ sumpserunt initium ab vtraq; specie, factoq; discessionis principio in vno, finem illius posteà non facilè licuit reperire. Quare vel eorum, quæ aguntur in vicinia exemplo, ne velitis moueri statim, si quis vobis protulerit aliquem ex scriptura locum, vt propterea sensum & consensum Ecclesiæ vobis posthabendum esse putetis. Scripturam reuerenter accipite: verùm eius intellectum ab vniuersa potius Ecclesia, quàm ab vno aliquo priuato homine nihil sibi non arrogante vobis petendum esse putate. Quod si maximè videretur aliqua in re vobis clara esse scriptura, sicut videtur nonnullis de vsu calicis, nónne satis erit conscientiæ vestræ factum, si in hanc sententiam Christum fueritis alloquuti: O Christe qui veritas es, video verbum tuum. Bibite ex hoc omnes: quin sit hoc verbum tuum non dubito, verùm vtrum sit hic sensus illius, vt omnes etiam Laici astringantur his verbis tanquam necessario præcepto, si modò salui esse velint, vt ex calice bibant, nondum clarè video, etiamsi non desint qui mihi persuadere conentur scripturam hanc in hunc sensum claram esse. Tu me credere iussisti sanctam Ecclesiam Catholicam: tu dixisti, qui non audierit Ecclesiam sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus: tu per electum vas tuum columnam & firmamentum veritatis eam vocasti. Hanc Ecclesiam cum Oecumenicum Concilium repræsentet, in duplici Concilio & Constantiensi, & Basiliensi declaratum est: solos eos qui conficiunt hoc Sacramentum, quando sacris operantur teneri de necessitate salutis vt conscientes ex calice bibant, cæteros non item. quin ea iustis & rationabilibus ex causis abstinere me iussit à calice. Parebo tibi potiùs per Ecclesiam tuam mihi sensum verborum tuorum explicanti: cum præsertim ex quo tempore Poloniæ Regnum terræq; Prussiæ Christi receperunt Euangelium, calicis vsum in eis nunquam fuisse constet, quàm vt nouam istorum interpretationem sequar. Interea tamen testarum illud coram te facio, quòd à verbo tuo propterea discedere non cogito. In hunc modum si quis Deum esset alloquutus, nónne satis conscientiæ suæ factum esse putare deberet. Scio quòd in me potissimum odia multorum exardescunt: quasi is ego sim qui præ cæteris huic quorundam tantæ voluntati obstem. Dixi sæpè tum in hoc loco tum alibi: me Deum subinde precari, vt mihi mentem omnem prius eripiat, quàm vt hac mente præditum me esse velit: vt me solum sapere, cæteros omnes desipere putem, vt meum sensum sensui & consensui totius Ecclesiæ anteponendum existimem. Sed hoc tamen sanctè affirmare possum etiamsi nulla facta fuisset Ecclesiæ super hac re declaratio, me tamen non aliter intelligere, quàm quòd non sit de necessitate salutis de calice bibere, sit autem de necessitate salutis pacem & vnitatem retinere. Credite mihi si ad salutem animarum vestrarum pertinere intelligerem, vt ex calice bibendi potestas vobis daretur, non modò non obstarem voluntati

tati vestræ: sed adiuuarem potiùs pro virili mea & efficere conarer, vt voti vestri compotes effici possitis. Sed aliud certè non intelligo quàm quod qui petunt hæc non ad salutem, sed ad damnationem suam petunt: qua in re vt ego cuiquam adiutor sim, procul à me Deus auertat. Nouerunt me plerique vestrum iam inde à iuuentute mea: peccatorem esse me corã Deo profiteor, sed in eam tamen partem à nemine vestrum esse me cognitum confido, vt aliquam impietatis notam in me hærere persuasum habeatis: cuius argui meritò possim, si agnitæ veritati resisterem, & quod Christum præcepisse scirem, contra id sciens prudensq; venirem. Ego verbum saluificans aliud nescio quàm verbum pacis, dilectionis & vnitatis: quod vt amplectamini, vos hortor, moneo, oro & obtestor. Neq; referre quidqu adã salutem putetis, bibatis ex calice nécne: modo quod est mandatum mãdatorum, dilectionem, concordiam & vnitatem seruetis. Contra quod mandatum vt ego prudens veniam neque me gratia cuiusquam, neq; metus adducere poterit. Cæteris in rebus libenter vobis & vniuersis & singulis gratificabor. Vbi salus agitur animæ nullius præterquam Dei habere rationem certum est. Quamobrem iterum atq; iterum à vobis peto ne velitis hac de me esse opinione, quasi Deum ipse quoq; non timeam, quasi verbum saluificans non amem. Certè nisi Deum timerem, hæc mihi quorundam odia non conflarem. nisi Deum timerem & verbum saluificans amarem, iampridem dixissem Elbingensibus meis, qui salutaria mea monita respuunt: Ite si vultis ad diabolum, quid mea refert? Sed quia timeo illum, qui sanguinem illorum de manu mea requisiturus est, quorum me speculatorem constituit, si nõ annunciauero quæ euentura sunt illis, ideò nec labores vllos defugio, nec odia multorum subire, & quæcunq; Deus voluerit pro nomine eius pati recuso. Hæc ego vobis prout tempus fuit pauciis nunc differenda putaui: qua de voluntate erga vos mea certiores fieri possetis, quæ vt fratribus quoq; vestris renuncietis à vobis peto, simul de me vobis ea omnia persuadeatis, quæ de homine vobis amicissimo: cui quæcunq; pertinere visa fuerint, ad vtilitatem vestram semper curæ sunt futura. Cum hæc dixissem pleraq; Polona quoq; lingua repetiui, ac rogaui ne vellent hac esse de nobis Episcopis opinione, quod verbi Dei cursum impeditum cupiamus. Non agi de verbo Dei cum scripturas nõ aliunde habeant q̃ à nobis Catholicis hi qui discesserunt à nobis, sed agi de vero scripturarum intellectu. Tum quidã. Nunc, inquit, rem acu tetigisti, de eo agitur vtri meliùs intelligant, de hoc, inquam agitur, vnúsne aliquis meliùs intelligat, quod in scriptura continetur, qui sibi præ cæteris catus & prudens videatur, an verò vniuersa Ecclesia, quam vt in Symbolo credere nos profitemur, ab Apostolis docti sumus, quam qui non audierit, eum tanquam ethnicum & publicanum haberi vult Christus, quam columnam & firmamentum veritatis appellat Paulus. Quæ cũ dixissem contulerunt inter se capita, deinde per Adamum Trebnicensem de paterna admonitione mihi gratias egerunt, seq; ita vt postulassem fratribus quoq; suis quæ audiuissent exponerent adhuc saltem in id vsq; tempus dum Concilium esset indictum, cuius nunc spes aliqua ostenditur. Fuisse Ioannem Varmiensem Episcopum in Concilio Constantiensi, fuisse Franciscum in Basiliensi, mihi quoq; deliberatum esse si me Deus incolumem seruauerit, nullis neque laboribus, neq; sumptibus parcere & pro eo vt officium meum postulat, ad Concilium proficisci. Ibi libenter me operam hanc quam à me petunt nauaturum, modò constare possit, per hanc viam errores alios omnes tolli, & optatam Ecclesiæ tranquillitatem restitui posse. Vt autem alibi ea de re agam quam in Oecumenico Concilio non video quemadmodum salua conscientia facere possem, cum ea res alibi quàm in Oecumenico Concilio tractata, ad diuisionem quandam separationemq; pertinere videatur, quam proculà nobis pro sua misericordia Deus auertere dignetur. Addideram & illud in sermone quem ad nuncios habebam: non deesse qui rumorem hunc spargant de Maiestate Regia, quòd ad nouationem religionis animo sit propensiori: verum & ex nuncio Regiæ Maiestatis illius, & ex scripta ac regni sigillo munita instructione quam obtulit eos cognouisse, quòd res longè secus habeat, quodq; religionem auitam nunquam deserere cogitet. Quamobrem ne credant si quis aliud de Maiestate Regia falsò renunciauerit, sed communis Regis & Domini nostri constantiam in fide Catholica retinenda & fortiter tuenda sibi potiùs imitandam proponant.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

STANISLAI HOSII CARDINALIS VARMIENSIS maioris Pœnitentiarij,

De Actis cum Braunsbergensibus, Anno Domini M. D. LXIIII.

VM in oppido meo Braunspergk, quod est primarium omnium quę possideo non deesse quosdam intellexissem, qui rebus nouandis studerent, & eius rei principium à calice sumere vellent, mei muneris esse putaui, primo quoque tempore malo huic obuiam ire. Itaque tertio Idus Martij ex eo castro, in quo residere sum solitus, ad oppidum illud meum sum profectus & perueni eo 17. Calendas Aprilis, recta tamen sum ad Ecclesiam meam Cathedralem eodem die sumpto prandio profectus, quæ non distat inde nisi sesqui horæ itinere, vbi cum ordines contulissem Sabbato Sitientes, eodem die sum ad oppidum illud meum reuersus. Quamuis autem affecta fuissem valetudine per totam illam hebdomadam, tamen pridie Annunciationis Mariæ Virginis vocaui ad me Magistratum & veteris & noui oppidi, post omnia diuina officia completa sub vesperam. Qui posteàquam aduenerunt causas exposui, quamobrem tam difficili anni tempore, qua maxima potui festinatione susceperim iter hoc Tridento, vbi Concilij Legatum agebam, nullam nec valetudinis nec sumptuum rationem ducens. Inter alias hanc potissimam, quòd in hoc oppido meo multos accepissem rebus nouis studere. Itaque non fuisse me absque metu, si cogitationes eorum, eum quem cuperent exitum habuissent, nec tempori fuisset occursum, ne posteà morbis inualescentibus medicina serò pararetur. Nunc igitur adesse me Pastorem & Episcopum, sicut reliquæ Diœcesis ita oppidi quoque huius mei, qui nihil aliud sitiam ardentius, quàm salutem ouium quas fidei meæ Christus concredidit. Quamobrem hortari me illos, vt non ab alio consilia peterent, quibus conscientiæ suæ tranquillitati & animarum saluti prospici posset, quàm à me Pastore & Episcopo suo, nec ab vlla re magis sibi cauerent, quàm à separationis consilijs, quibus nihil potest esse pestilentius. Scire me, quod à nonnullis fuerit postulatum, nec eorum nomina etiam me latere. Scire etiam qui à communione Sanctissimæ Eucharistiæ per annos aliquot abstinuerint nec vllis rationibus adduci potuerint, vt illius vsu cum cæteris pijs & Catholicis hominibus qui sunt in hac Diœcesi & in hoc oppido meo, conuenirent. Mihi graue admodum & molestum id accidisse, quòd non viderim vllã hæresim tã impurã quæ non inde sumpserit separationis initium, quòd laudabilem Ecclesiæ consuetudinem sub vna tantum specie communicandi reijceret. Non solere sathanam ea statim initiò proponere, quæ simul vt audita essent, mentibus piorum horrorem incuterent. Itaque primum ab illis ordiri, quæ nullam habent speciem impietatis, sicut reuera communicare sub vna vel sub vtraque specie pium est vtrumque nec improbandum, si fiat iuxta ordinationem Ecclesiæ. Cæterùm sathanam non hoc quærere vt vel sub vna vel sub vtraque communicetur, verùm hoc potius vt fiat separatio. Si statuit Ecclesia communicandum esse sub vna, communica ait, sub vtraque, si statuit sub vtraque, communica sub vna. Itaque non in ipso Eucharistiæ vsu, sed in præcisione vitium esse, solam hanc quærere sathanam, nec aliud hominibus persuadere cupere, quàm vt suum iudicium Ecclesiæ totius iudicio anteponant. Quod facere si semel animum induxerint in vna aliqua re, in qua per se considerata non ita multum est positum, idem facient paulò post in alijs omnibus. Hoc enim esse proprium Sathanæ scripturas producere, & earum prauum aliquem sensum contra communem totius Ecclesiæ sensum adferre. Quod cum illi successerit in vno scripturæ loco & viderit homines eum sensum amplecti, mox idem tentat etiam in alijs scripturæ locis. Ita paulatim eo perducit homines, vt ad extremum dicat insipiens in corde suo. Non est Deus. Primam omnium esse scripturam producam, Bibite ex hoc omnes, quæ non viris magis, quàm ipsis etiam est iam in ore mulierculis. Ex ea contendisse nonnullos probare, quòd ex Dei præcepto, vel ex necessitate salutis omnes & singuli Christi fideles vtramque speciem venerabilis Eucharistiæ Sacramenti sumere debeant. Qui error cùm in alijs quibusdam superioribus, tùm in hoc proximo Concilio Tridentino fuit anathemate damnatus. Posteà cum vidit Sathanas hanc suam interpretationem amplexos esse plerosque reiecto communi Ecclesiæ sensu, produxit & alias scripturas, quibus & sacrificium & Sacerdotium euertit, & veritatem Christi corporis & sanguinis in Eucharistia negauit. Baptismum etiam sustulit, tum & scripturis ipsis authoritate scripturam, authoritatem omnem abrogauit. Ad extremum ipsi Christo verò Deo Deiq; Filio diuinum honorem abstulit. Proferri enim nunc scripturum, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies, tanquam de solo Deo Patre dictum, cui soli, & nulli creaturæ honos hic debeatur. Christum itaque habendum esse procuratorem tantum & mediatorem. Deinde & aliam. Pater maior me est: quàm non minus claram esse volunt, quàm illam, Bibite ex eo omnes: & ex ea colligunt, non esse æqualem Patri Filium, nec pari honore prosequendum. Me non videre, si in vna aliqua scriptura interpretanda permissum fuerit, vt aliquis cœcutiuisse totum orbem, se verò solum eam intelligere sibi persuasum impunè habeat, quomodo possit idem in alijs etiam similiter interpretandis prohiberi. Itaque videre eos vbicunque permittitur hic error, quòd ex præcepto Dei teneantur omnes communicare sub vtraque specie, quod ibidem etiam alij permittuntur omnes, nec in vllum aliqua fit animaduersio. Quamobrem initijs me velle obstare priusquam hoc malum inualuerit, & hortari illos vt errorem hunc abijciant, & quando neq; præceptum Dei, neq; necessarium est ad salutem communicare sub vtraq; specie: quod vnum necessarium est ad salutem supportantes inuicem in charitate, solliciti sint seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: nec velint illud dispergere, quod fuso pretioso sanguine suo Christus congregauit, Deum nostrum non esse Deum dissensionis, sed Deum pacis & dilectionis, diabolum esse qui diuidit inter fratres. Hunc ducem ne sequantur, sed meam sui legitimi Pastoris & Episcopi vocem audiant: neq; me vel tam cœcum esse putent, vt quod esse tam expressum, vel dilucidum verbum Dei volunt, id ego nõ videam, qui maximam vitæ meę partem non alia in re ferè traduxi, quàm in legendis cùm alijs tùm præsertim sacris scripturis: nec aliud magis quàm vt eas intelligere possem laboraui: vel tam impium, vt videns prudens & stiens contra manifestam veritatem pugnare, & contra apertum Dei verbum aliquid statuere velim. Me non sequi priuatum spiritum meum, quem qui sequuntur eos insipientes Prophetas vocat Ezechiel, sed sequi spiritum Ecclesię, qui spiritus est veritatis, & fallere nescit: quam vel cœcitatis vel impietatis condemnant omnes hi, qui tot seculis iam inde à Christo nato eam contra tam apertum Dei præceptum venisse contendunt. Constat enim, etiam Apostolorum temporibus sub altera tantum specie Sacramentum hoc ministratum fuisse. Quare me Episcopum & Pastorem suum sequerentur, meam vocem, quæ eadem Christi est & Ecclesiæ vox, audirẽt, nec vel à Pastore suo se, vel à reliquo grege, quem precioso sanguine suo Christus collegit, separarent. Hæc & alia multa in eandem sententiam dixi, ac ne se præciderent ab alijs in vsu Sacramenti Eucharistię, pluribus verbis fui cohortatus. Tum qui fuerũt ex veteri oppido, secedendi & inter se colloquendi facultatem dari sibi petiuerunt. Qui verò ex nouo, cum singuli manum suã mihi porrexissent: Nos, dicebant, incedimus maiorum nostrorum vestigijs, nec ab eorum vel fide, vel cõsuetudine recedemus, iussisq; tuis libẽter parebimus. Redierunt illi ex veteri oppido, & per magistrum ciuium (qui primus fuit in ordine, quiq; præ cæteris nouandis rebus studere dicebatur) petiuerunt, vt si qui ex magistratu mecum seorsum loqui vellent, potestatem hanc illis concederem. Ego verò quamuis molestè tulissem, quòd non statim audientes mihi dicto fuissent omnes, tamen per me licitum cuiq; fore dixi, mecum quæ vellet seorsum agendi. Paratum enim esse, me vnum quemq; instruere in spiritu lenitatis, modò ne præfractè quid agat, sed sanis consilijs locum det aliquem. Postridiè Palmarum venit magister ille ciuium cum quatuor illis senatoribus, ac vsum vtriusque speciei sibi concedi petiuerunt. Quem vt peterent ea quoq; ratione se adduci dicebant, quòd audiuissent in hac ipsa Ecclesia Parochiali de superiore loco per Parochum dici, quòd non sit impium nec iniquum communicare sub vtraq;. Quare si nihil est iniquitatis in ea re, non esse petitionẽ hanc suam reijciendam. In omnibus alijs, se credere velle & sentire, id quod sentit sancta & Catholica Ecclesia, omnes illius cæremonias, omnem doctrinam libenter amplexuros, nec ab ea discessuros vnquam, & quam fidem debent mihi Episcopo & Domino suo, semper integram & inuiolatam conseruaturos. Adigi autem se conscientia sua, vt hoc à me petant, quòd non videant quomodo salua illa sub altera tantum specie communicare possint. Omnes verò sectas detestari, & ab illis vehementer abhorrere. Hæc ferè dicta sunt à magistro ciuium, & alij quatuor qui cum eo aduenerant singuli hoc ipsum se petere clara voce testati sunt. Nam cum nonnihil sibi metueret magister ciuium, exigebat ab illis vt singuli dicerent, num ab illo hoc peti voluerint. Ego verò mirari me dixi, quòd non singuli seorsum ad me veniissent, sed omnes quinque simul, quasi conspiratione quadam facta. quod an eos decuerit, nolle me nunc quicquam de eo dicere, tantum de re ipsa pauca verba facturum, suo tempore futurum vt etiam huius quasi conspirationis non obliuiscar. Quod si putarent me deterritum in numero hoc, quo minus ea faciam quæ munus meum Pastorale flagitare videntur, futurum vt hac opinione sua fallantur. Nam etiamsi plures essent (excedebant autem tertiam partem Senatus, in quo sunt quatuordecim viri tantum) me nihilominus ea non prætermissurum quæ sunt officij mei. Pridem sciuisse me cum adhuc essem Tridenti, qui & quot essent in magistratu huius oppidi mei, qui rebus nouis studerent. Itaque nihil opus fuisse nunc, vt se palam ostentarent simul omnes. Quod dicerent esse prædicatum in Ecclesia Parochiali oppidi huius mei, non esse impium vel iniquum communicare sub vtraque, si sanè intelligatur non esse malè prædicatum. Nam nec ego assero, nec vnquam hoc asseruit Ecclesia Catholica, impiam esse communionem vtriusque speciei. Quin disertis verbis in Cõcilio Basiliẽsi cautã est, siue quis cõmunicet sub vna siue sub vtraque, proficere dignè sumentibus ad salutem: hac tamen adiecta clausula: Modò iuxta ordinationem & obseruantiam Ecclesiæ faciat. Itaque nullum esse crimen in vsu vtriusque speciei, sed esse magnum crimen in eo quòd non audiatur Ecclesia Dei, quòd illius iudicio suum aliquis priuatum iudicium audet anteponere, quòd à reliquo CHRISTI corpore in eius vsu Sacramenti se separat, per quod vnum omnes Christi corpus efficimur. Nullum est crimen in offerendo sacrificio: cum tamen id tentasset Core, Dathan,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tan, & Abiron, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersam substantiam eorum, descenderuntque viui in infernum operti humo. Quin & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros qui offerebant incensum. Constat autem Core, Datan, & Abiron eundem cum Sacerdote Aaron & Mose Deum coluisse, pari lege & religione vixisse, vnum & verum Deum qui colendus atque inuocandus fuerat, inuocasse: nec vllius eos alterius criminis scriptura insimulat, ob hoc solum quòd seorsum sacrificabant, quodque loci sui ministerium transgressi, contra Sacerdotem Aaron & Mosem insurgentes, se ab illis segregauerant: diuinitus percussi pœnas statim pro illicitis conatibus pependerunt. Itaq; sicut ibi non in oblatione, sic & hic non in calicis vsu, sed in præcisione crimen est & quidem tale crimen, quod insolito quodam supplicio Deus afficiendum esse putauit. Et reuera quiddam horrendum, & nulla ratione ferendum est, hanc vt opinionem quisquam de se concipiat solus vt ipse videre se putet manifestam scripturam cæteros omnes cœcos esse iudicet, solus vt ipse conscientiam habere se credat, alios omnes impios esse, nec vlla religione tangi persuasum habeat. Nam quòd ipsi dicerent se detestari sectas omnes, & ab illis vehementer abhorrere, hoc vnum tantum vt calice potiri queant petere, videri mihi, quid significet sectæ nomen non satis eos intelligere. Sectam enim à secundo siue à diuidendo dici, & esse propemodum idem quod hæresim. Nam & hæreticus dicitur, qui suam aliquam opinionem profert singularem & à communi totius Ecclesiæ doctrina disiunctam, & eam sic amplectitur, vt quod sentit ipse verius esse putet, q̃ quod vniuersa sentit Ecclesia. Quamobrem hi sectam dicuntur amplexi, qui se resecant, qui se iudicio suo separant, ac diuidunt à reliquo CHRISTI grege. Quod certè faciunt, qui ritum Ecclesiæ reprobantes, eo ritu quem ipsa non obseruat, Sacramenti Eucharistiæ participes esse volunt. Nam resecant se, diuidunt ac separant se à reliquo grege. Tales post vnam & alteram admonitionem deuitari Paulus iubet, quòd subuersi sunt, qui sunt eiusmodi, & proprio iudicio condemnati. Me, quod peterent eius concedendi facultatem habere nullam, sed eos hortari, vt quod verbis profitentur ipsa re præstent, & ab omni sectarum genere abstineant, neque se resecent aut præcidant ab eius mystico corpore Ecclesia: qui propterea viuum & verum suum corpus in mortem tradidit, vt filios DEI qui fuerant dispersi congregaret in vnum, ne vellent esse ab aliis diuisi in eius Sacramenti vsu, per quod omnes coniungimur, & verum CHRISTI corpus efficimur, nec ciues suos reliquos parum idoneos vel indignos iudicarent, quibuscum Dominicæ mensæ fierent participes. Nam si nollent in hac spirituali mensa cum illis communicare, sed in eo perstarent, vt segregarentur potiùs ab eis me dolenter quidem sed facturum tamen, vt sic separarenturà reliquo grege meo, nemo vt vel ex meis vel ex venerabilis Capituli mei subditis eos vicissim idoneos duceret, quibuscum vllain re communicaret: quos tecto exciperet: quibus vel Aue diceret: nec me eos vlla iniuria affecturum. Nam quod ipsi tulerunt de se iudicium, quo se condemnarunt, id me comprobaturum. Volunt esse separati fateor quod non sine magno animi mei cruciatu, sed faciam tamen vt se verè separatos agnoscant, vt sint anathema maranata, affigantur eorum nomina pro valuis Ecclesiarum omnium, quotquot sunt in his terris quæ mihi & venerabili Capitulo meo subsunt, & interdicatur omnibus eorum cõsuetudine. Verùm intereà meliora me omnia de illis adhuc sperare, & cupere vt me singuli seorsum conueniant me paratum esse instruere vnumquemque in spiritu lenitatis, nec vllum officium fidelis & salutis eorum amantis Pastoris & Episcopi prætermissurum modò se dociles præbeant. Sic eos dimissi illo die cum se seorsum vnusquisque eorum ad me venturum promisisset. Vna & altera hora interiecta vocaui ad me magistrum ciuium cum eo satis longum sermonem habui, omnia feci, vt eum CHRISTO lucrifacerem: nunc blandicijs, nunc terroribus egi. Sic à me discedere visus est, vt eum audientem fore dicto persuasum haberem. Postero die vocaui ad me aliumq; endam, qui cæteris ingenio præstat, & ita pertinax esse ferebatur: vt nunquam de sententia sua discessurus crederetur. Et reuera talem esse cognoui in eo colloquio. Dixit enim se communicasse primum sub vna specie, deinde sub vtraque ante annos plus quàm viginti. Ibi se vouisse DEO quòd nunquam esset aliter Eucharistiam percepturus, sed persuasionibus tandem Parochi cuiusdam huius ciuitatis deductum se esse de sententia, & communicasse aliquoties iterum sub vna: sextum tamen iam annum ab omni communione sacramentali abstinuisse. Persuasum, inquit, hoc prorsus habeo, quòd mihi terra dehisceret si communicarem nunc, sub vna tantum. Ego cum hæc audirem respondi illi, si quid malè vouisti, sicut hoc reuera malè vouisti, facillud quod dicitur: In turpi promisso rescinde votum, & muta decretum. Vouit etiam Herodes se daturum siue facturum quicquid peteret saltans Herodias, at multò meliùs erat non præstare, quod vouerat, quàm Ioannem occidere. Quod verò dices fore vt tibi terra dehiscat, si communices nunc sub vna, cur non factum est, quo tempore sub vna communicabas ante sex vel etiam plures annos: imò tum tibi hoc magis pertimescendum foret, si te segregares à reliquo CHRISTI grege, qui est in hoc oppido meo: quin & ab vniuersa Ecclesia in vsu Sacramenti huius. Nam segregantium se hanc fuisse pœnam in scripturis legimus vt eis terra dehiscat. In summa sic eum dimisi vt parum profecisse cohortationibus meis viderer. Denunciabat enim se potiùs hinc esse migraturum. Videre mihi sum visus quòd in vnum conspirassent omnes. Venit ad me postea magister ciuium, quæsiuit ex me si migrandum sibi foret ex hoc oppido: num liceret in eo nihilominus manere suam coniugem & liberos & familiam quæ communicaret sub vna specie. Respondi me mihi meliora de eo polliceri, nec velle quòd eò necessitatis adigerer, vt aliquid me seuerius in eum statuere oporteret. Nam quo locum habet eminentiorem in hoc oppido meo, hoc me durius in ipsum animaduertere necesse habiturum, vt esset alijs exemplo. Vocaui paulò post ad me coniugem ipsius, & filiam, quæ matrimonio iuncta est etiam vni Senatori, nouas res cogitanti: quæ cùm venissent, collaudaui eas, quòd in fide Catholica tam constantes permanerent, nec vllis diaboli suggestionibus ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina & ritibus abduci se paterentur. Verùm non satis esse, quòd se tales istæ præstarent, sed si vellent maiorem apud Deum gratiam inire, suos quoque maritos lucrifacere CHRISTO conarentur, à cuius corpore præcisionem illi meditari dicuntur. Me nihil magis cupere, quàm vt omni beneficentiæ meæ genere deuinctos mihi subditos meos reddam, nec eorum cuiquam aliquid negocij facessam, aut molestiæ: sed interea munus meum Pastorale flagitare, vt oues morbidas ne feram in ouili meo, sed eas procul arceam ab illo, ne contagione sua reliquas oues quæ sanæ sunt adhuc per Dei gratiam, inficiant: nec vllum esse in hoc oppido meo, cuius ego separationis consilia minus ferre possem, quàm eius, qui locum hic meum tenet, Magistri ciuium. Nam in eum suos omnes oculos coniectos habent: cui si impunè cesserit hæc ipsius audacia, futurum, vt alatur etiam & crescat aliorum licentia. Scire me, quòd multum vxores apud maritos suos possunt. Quamobrem Deum primùm precarentur, vt eis det cor carneum, quo flecti possint, & in viam reuocari. Deinde omne studium suum adhibeant apud magistrum ciuium præsertim, & vxor & filia, moneant, orent, obsecrent, instent, atque vrgeant omnibus modis, vt mutet sententiam, salubribus Pastoris & Episcopi sui, cuius vocem audire tenetur, monitis aquiescat. Si quid profecerint, rectè est: si minus, me cogi, si nolo perditam animam meam, cuius prospicere saluti debeo, quod est officij mei facere: & in hunc præsertim, qui locum hic meum tenet, grauius aliquid consulere. Quæ cùm audissent hæc verba mea, perterrefactæ fuerunt, vt clementiùs agerem petiuerunt. Ego verò me nihil nisi summa clementia facturum esse respondi: cum non possit esse maior alia crudelitas, quàm non adhibere medicinas omnes, quamlibet etiam acerbæ videantur, quibus hi morbi, quibus tanto cum animarum suarum periculo laborant eorum mariti, curari possint. Proinde fungerentur officio suo diligenter apud maritos suos, & rogarent ne me cogerent ad ea remedia, quæ non possent nisi & mihi & illis magnum dolorem adferre. Receperunt se facturas omnia, nec in ea re diligentiæ quicquam prætermissuras. Profectus sum postea ad Ecclesiam meam, vbi pernoctaui tantum, ac omnibus officijs Episcopalibus in die Cœnæ Domini absolutis, eodem die sub vesperam redij ad oppidum hoc meum. Quoniam verò de Passione Dominica postero die concionem ad populum erat habiturus Parochus Ecclesiæ huius meæ, admonui illum, quòd locum hunc scripturæ. Os comminuetis ex eo, diligenter explicaret, atque auribus & animis auditorum inculcaret. Itidem & illum, apud eundem Euangelistam, quòd Iesus moriturus erat, vt filios qui erant dispersi congregaret in vnum? simul quomodo tractandus esset vterque locus, docui. Nec defuit ille muneri suo, & vtrunque locum bene tractauit. Ipso verò die Parascues post meridiem vocaui quinq; illos, qui calicem à me sibi concedi petiuerunt: dixi illis, me nihil eorum prætermisisse, quæcunque ad meam functionem pastoralem pertinere viderentur. Egisse me cum singulis, docuisse, monuisse diligenter, vt consilia separationis abijcerent, sed quantum profecerim, adhuc me vehementer pœnitere. Nam vidisse me quosdam obstinatiores, quàm vt sanæ doctrinæ loci quicquam darent: animaduertisse simul, quòd esset inter illos facta quædam conspiratio, quòd non ferè aliter vnus quàm alius responderet, quòd mihi multò molestissimum accidisse. Me si cupio seruatam meam animam, non posse nisi granius aliquid statuere in eos, apud quos nihil profecissem, eos in spiritu lenitatis instruendo. Abhorrere me quidẽ ab omni eiusmodi ratione, & multò male vt benignitatem in me suam potius, q̃ seueritatem experirentur. Cæterùm quando huc me adigit eorum pertinacia, nec aliter officio satisfacere possum, quod ipsi volunt, hoc me facturum, vt sui desiderij compotes fiant. Volunt esse separati, sint in Dei nomine, quamuis non Deus, sed diabolus eiusmodi separationis author est, sed ita sint separati, nihil vt eis deinceps cum quoquam piorum in meis & venerabilis Capituli mei terris commertij sit: sint apud omnes anathema Maranata. Audiuisse illos cum Parochus concionem haberet, quæ dixerit de militibus illis, qui Christum in crucem egerunt, quod quamlibet immanes illi fuerint, inter manus tamen eorum integrum Christi corpus in cruce permansit, nec os comminuerunt ex eo: & vos qui vos Christianos profitemini, non vultis vt mysticum illud Christi corpus, pro quo verum & viuum suum corpus in mortem Christus tradidit, in hoc oppido meo permaneat integrum, verùm illud dissectum cupitis, id̃q; in eius Sacramenti vsu, quod est Sacramẽtum pietatis, signum vnitatis, vinculum charitatis. Christus mori voluit, vt audiuistis, vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum. Vos contrà propterea à vultis vtriusque speciei fieri participes, vt quos ille in hoc oppido meo sanguine suo morte q̃ preciosa congregauit, eos dispergatis. Christus ex duobus fecit vnum, vos ex vno vultis facere duo: vultis corpus eius mysticum diuidere. Egóne feram tantam impietatem hanc? Terra mihi dehisceret, si ferrem: sicut factum est Core, Dathan, & Abiron, aut saltem ignis me consumeret, sicut ducentos illos quinquaginta viros. Viderer enim assensum præbuisse, si non omnia fecissem, quæcunque ad deterrendos vos à tanto facinore pertinere viderentur. Cupiebam equidem vos auertere à via vestra impia, vt viueretis, & iuxta voluntatem Domini, annunciaui vobis. Si verò vos

Universidad de Deusto
Biblioteca

vos pergitis in eo quod cœpistis, & in impietate vestra mori vultis, saltem hoc efficiam, vt ne sanguinem vestrum de manu mea requirat Deus: si vestras non possum, meam saltem animam liberabo. Fateor quòd maiorem animo meo dolorem concipio, quàm vt verbis exprimere possem, quòd compulsus à vobis, esse vos ab Ecclesia Dei vniuersa, & ab omni grege fidei meæ concredito separatos, pronunciare cogor. Sed quando sic vultis, ego vestræ voluntati resistere diutius non possum: quod cupitis hoc vobis confectum dabo. Quoniam autem adhuc deliberandi spacium habetis (restant enim duo dies ferè, quibus fieri potest, vt mentem vobis Deus meliorem inspiret, quod ego sedulò Maiestatem illius diuinam pro officio meo precari non intermittam: & fuit etiam hodie communis totius Ecclesiæ precatio ad Deum, vt respiceret ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæreticâ prauitate depositâ errantium corda resipiscant, & ad suæ veritatis redeant vnitatem) bona spe sum, quòd exaudiet gemitus & preces piorum Deus pro vobis fusas, dabitq; vobis cor carneum, & auferet cor lapideum, vt flecti, paternis q; meis monitis, quibus non aliud quàm salus vestra quæritur, locum dare possitis. Quamobrem iterum atq; iterum hortor vos & moneo, oro etiam & obtestor, pro paterno meo erga vos amore, ne velitis ire perditum animas vestras, quas certè seruare non potestis extra Ecclesiæ vnitatem: sed cum alijs perendie ad mensam Domini accedatis, eo ritu contenti, quem tot seculis obseruauit Ecclesia Catholica, extra quem nullum alium cognouerunt vnquam terræ Prussiæ ante Lutheri dogma sparsum, ex quo tempore Christi receperunt Euangelium. Illi sermone hoc meo audito, non obscurè tulerunt, se vehementer percussos fuisse: petiuerunt, vt ne quid durius in eos consulerem, sed spacium deliberandi darem, fieri posse monitis vt meis obtemperarent. Vt autem perendie communicarent, varijs ex causis facere se nõ posse. Tum ego, quorsum, dixi, deliberandi spacium petitis? Nónne satis iam deliberastis? nónne cùm absens à vobis fuissem, Vicario meo promisistis, simul vt esset Concilium absolutum, & ego saluus ad vos redijssem, vos Concilij decretis monitisq; meis libenter esse parituros: modò priùs vobis videndi me Pastorem vestrum & audiendi potestas daretur? Aderat tum præsens Vicarius meus, verùm illi se tale quid promisisse negabant, ac vt aliquandiu sibi liceret adhuc à communione abstinere, & amplius deliberare, petebant. Ego verò: Terra mihi dehisceret, inquam, si diutius in isto vos errore versari, & in Sathanæ potestate permanere permitterem, à quo vos ereptos modis omnibus cupio. Quo longiore tempore abstinueritis ab hoc salutari cibo corporis & sanguinis Domini, quo pelluntur dæmones, & eorum insidiæ fugantur, hoc arctioribus laqueis sathanas vos irretitos habebit, vt non facilè vos postea ex illis extricare possitis. Quamobrem facite perendie quod facere debetis, longius spacium à me vobis non concedetur. Tam certò scio, inquam, quàm certum est me sedere in hoc loco, quòd iam ipsi vos agnoscitis, ac modò non manibus ipsi vestris contrectatis, vos in graui errore versatos fuisse, nisi quòd pudor vos quidam minimè laudandus impedit, quo minus errorem hunc vestrum aperté profiteamini, & ad mentem saniorem redeatis. Sed nihil est quod vos pudeat. Possem ego vobis virorum aliquot etiam nobilitate præstantium exempla proferre: qui cùm & ipsi in eodem errore pluribus annis versati fuissent, tandem ab eo resipuerunt, & nunc non minus acres sunt Christianæ Cathò licæq; doctrinæ defensores, quàm olim fuerunt impietatis illius, in quâ versabantur. Ac nonnullorum etiam nomina protuli, quos ipsi benè nouerant: quorum vnus etiam in comitijs terrarum harum publicè confessus est, in hoc errore versatum, ac propemodum ad insaniam redactum fuisse. Postea verò summam animi tranquillitatem consequutum, simul vt Ecclesiæ iudicio suum iudicium subiecit, & in eius placitis aquiescere cœpit. Hortatus sum, vt eorum exemplà imitarentur, nec eos puderet in viam reuerti. Nam idem & illis euenturum. Fortassis nunc aliquid molestiæ caperent ex hac admnitione mea, sed posteaquàm ad vnitatem Ecclesiæ redierint, agent mihi gratias, quòd saluti illorum, quæ nulla est extra Ecclesiam, tantam curam habuerim: sicut ab alijs etiam quibusdam aliquando factum est. Tum illi petiuerunt, vt misericordius cum illis agerem, ac deliberationi locum darem. Ego verò, crudelitas est, inquam, ista, non misericordia, quam petitis. Egóne sim tam crudelis, vt vestras animas, pro quibus rationem Deo reddere cogor, sathanæ laqueis diutius constrictas esse velim? Egóne committam, vt non vestras modò, verùm & meam ipsius animam sathanæ tradam? Nunquam faciam. Quamobrem aut facite quod fecerunt, & facient perendie alij Christiani omnes, qui sunt in hoc oppido meo, aut ego, quâ ipsi de vobis tuleritis sententiam separationis dolenter quidem, sed confirmabo tamen, & exequutioni debitæ mandari curabo. Habetis duos ferè dies ad deliberandum: illis contenti sitis: nunc ad Ecclesiam meam proficiscor, vt ibi crastino die sacros ordines conferam: quo munere absoluto, cras ad vos redibo, & vobiscum Pascha celebrabo. Erat quidē æquũ, vt illud in Ecclesia mea Cathedrali potius celebrarem, sed tam est mihi chara salus vestra, vt relicta illa hoc tempore, quæ minus indigere præsentia mea videtur, vobiscum Pascha manducare decreuerim, quo mei pecoris vultum agnoscere, & quos pro ouibus, quos verò pro hædis, habere debeam, scire possim. Itaq; Sacramentum Christi corporis & sanguinis ipse Deo bene iuuante cunctis qui sumere voluerint, ministrabo. Sic eos à me dimissi, & ad Ecclesiã meam profectus collatis ordinibus Sabbato sancto, redij. Vicarium & Officialem meum præmisi, qui pertentaret animos singulorum, num esset aliquis ex illis, qui vellet resipiscere. Ecce autem de quo minimum erat spei, qui dixerat futurum, vt sibi terra dehisceret, si sub altera tantum specie communicaret, is primus ad meum Vicarium accessit, seq; monitis meis pariturum ostendit. Octo tantum dies concedi sibi postulauit, quibus negocia quædam componeret, & cum quibusdam in gratiam redire posset, ac stipulatus manu se in octauã Paschæ communicaturum esse sub vna promisit. Quod cùm Vicarius mihi fi-

hi significasset, non putaui faciendum, vt essem durior, sed cùm eum ad me vocassem, dixi illi, Ecclesiæ Catholicæ morem hunc esse, vt totam octauam pro vno die computaret. Quãobrem si vellet intra octauam communicare, perinde fore, ac si ipso die Paschatis id fecisset. Mihi satis factum iri, dummodò sicut Vicario meo, sic mihi quoq; se facturum iam intra dies hos octo promitteret. Ille verò promisit stipulata manu, sub fidei & honoris sui amissione. Idem fecerunt & alij duo posteà. Quartus verò communicauit ipso die Paschatis. Magister ciuium in lecto decubuit: misit autem ad me suam coniugem, & filiam, dilationemq; petiuit ad festum vsq; Pentecostes, quam cùm ego concedere nollem, procubuerunt in genua, misericordiam implorarunt, multis cum lachrymis. Ego verò eleuatis illis: Quæ est, inquã, hæc misericordia permittere, vt laqueis diaboli tam diu constrictus teneatur? Non potest vlla maior esse crudelitas. Quamobrem vos illum potius precemini, etiam prouolutæ ad genua ipsius, vt misereatur animæ suæ, nec eam in sathanæ potestate diutius esse permittat. Dabo illi spacium adhuc trium horum dierum festorum, intra hos faciat quod homo Christianus facere debet: si minus fecerit, ego faciam quod Catholicus Episcopus facere debet. Sic illæ discesserunt à me. Ego verò iussi eodem die inuitari ad me pro die crastino Senatores omnes oppidi huius mei, quo cùm essent mentes illorum spirituali cibo refectæ, corpora quoq; simul reficeremus. Peracto prandio die Paschatis alloquutus eos sum omnes, neq; mirari debere, dixi, quòd nonnullos viderent inuitatos, qui hoc ipso die spirituali alimonia refecti non essent. Nam cùm illi fidem mihi suam obstrinxerint, sub honoris etiam sui amissione, quòd essent intra dies octo Sacramentum Christi corporis & sanguinis percepturi, totam autem hanc octauam tanquam vnum diem reputat Ecclesia, me fidem eorum secutum, eos pro Catholicis habere, nec dubitare, quin quod verbo promiserint, re ipsa præstituri. Posteà dixi eis nonnulla de agno Paschali, de quo scriptum est: Os non comminuetis ex eo, ac diligenter sum hortatus, vt prouiderent, ne qua fieret istius agni comminutio, sed in vnitate Ecclesiæ perseuerarent, nec ab illius placitis vnquam discederent, quãdoquidem etiam in Symbolo profiterentur, se credere sanctam Catholicã Ecclesiam, quod ore profiterentur, id factis etiam ostenderent, nec eo quisquam audaciæ atq; amentiæ prorumperet, vt se plus sapere, quàm illam persuasum haberet, cùm ex hac vna persuasione omnes hæreses & schismata nasci consueuerint. Neq; enim propterea aliqui sunt hæretici, quòd scripturæ non credant, cùm nulla sit hæresis tam impia, quæ non illi se credere profiteatur, sed quòd Ecclesiæ sensum in illis interpretandis reijciunt: suum autem peculiarem quendam sensum adferunt, & illi plus quàm vniuersæ Ecclesiæ iudicio tribuunt. Quamobrem si hanc pestem fugerent, ac quoties aliquis eos de recta via, productis etiam scripturarum locis dimouere conaretur, nihil aliud responderent, quàm, credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Hæc est mater omnium nostrũm, quam qui non audiret, eum tanquam Ethnicum & Publicanum Christus haberi voluit. Hæc est columna & firmamentum veritatis, vt errare non possit. Huic se missurum spiritum veritatis Christus promisit, qui suggerat illi, qui doceat illam, qui maneat cum illa in æternum. Hæc nos inter scripturas quæ sit, quæ non sit Canonica, discernere docuit. Ab hac igitur & à nullo qui sit ab illa segregatus, quę sit vera scripturæ alicuius interpretatio, discere volumus, nec vllo tempore nos diuelli ab ea patiemur, cùm videamus quotquot in vna re aliqua ab illa sunt separati eos in multos horrendos errores posteà incidisse. Illi verò mihi gratias egerunt, seq; non secus facturos esse receperunt. Vnus autem ex illis petiuit à me, vt magistro quoq; ciuium in lecto decumbenti, eandem quam illis veniam concedere, vt intra dies hos octo communicare posset, quod ego feci non grauatim, & communicauit is antequàm dies octauus Paschatis venisset septima Idus Aprilis. Die verò Lunæ duos ex magistratu & quatuor fœminas ad prandium inuitare iussi, quæ fuerunt eorum vxores, qui rebus nouis studebant, & egregiam in illis ad officium reuocandis operam nauauerunt. Peracto prandio Parochum Ecclesiæ meæ sum alloquutus, & esse dixi, quod ageremus Deo gratias, quòd inter omnes fœminas quæ nuptę sunt, Senatoribus huius oppidi nulla reperiatur Eua, sed sint omnes Catholicæ religiosæ, Deumq; timentes: nec audiant voces serpentis, vt comedant de fructu ligni vetiti, persuadentis, simulq; promittentis, quod aperirentur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum: quales alicubi reperire licet, quæ vocem hanc serpentis libenter audiunt, & maritis etiam suis persuadent, vt gustent de vetito ligni fructu, vtq; sibi nescio quam scientiam vendicent, & hoc arrogent, quòd plus videant & intelligant in scripturis, quàm quę Christi corpus, & per quam Christus ipse loquitur Ecclesia vniuersa. Nihil tale faciunt hę matronę, sed imitantur potius humilitatem Virginis Mariæ, quæ non sibi disputandum esse putauit, sed statim acquieuit in eo, quod Angelus dixerat, & fieri sibi secundum verbum illius postulauit. Sic & istæ non disputant de decretis Ecclesiæ, num sint consentanea verbo Dei nec ne, sed simpliciter profitentur, credere se sanctã Catholicam Ecclesiam, & quod illa statuit, absq; vlla hæsitatione libenter amplectuntur, quum & maritis suis nonnihil vacillantibus idem vt facerent, persuaserunt. Quo nomine magnam illis gratiã debemus, vni præsertim, cuius maritus cùm præ cæteris præfractus fore videretur, sic est illius persuasionibus emollitus, primus vt fuerit, qui se Pastori & Episcopo suo paritũ esse sanctè promiserit, me nõ dubitare, quin quod promiserit, sit ad constitutum diem reipsa præstiturus. Petiui deinde ab ipsis matronis, vt non conquiescerent, nisi re perfecta, quamq; semel nauare cępissent operam, eam deinceps nauare pergerent, ne fortè veniret malus aliquis homo, & cõtrarium illis persuadere conaretur. Parochus collaudauit matronas oppidi huius, eas præsertim, quæ sunt ordinis Senatorij, & nullam inter eas Euam reperiri dixit: Ipsę verò matronę valdè fuerunt recreatæ collaudatione hac mea, præsertim ea quæ cum primis honesta & religiosa esse dicebatur, & multis lachrymis & precibus apud Deum effeciſſe, vt maritus ipsius in

Universidad de Deusto
Biblioteca

viam rediret, seq; nauaturas deinceps etiam operam suam promiserunt, atq; bono animo me esse iusserunt, quòd à maritis earum promissum est, id omnino præstitum iri. Erat autē agnus in mensa de more satis affabrè factus ad pascendos oculos tātum, cum vexillo & cum hortulo quodam: eum posteà missi illi feminæ cum hac cohortatiuncula, daret operā apud maritum suum, & apud quoscunq; tandem alios, vt sicut agni illius, qui pendens in cruce, peccata nostra abstulit, Sacrosanctum corpus integrum inter manus militum impiorū persmāsit, sic & mysticum corpus eiusdē agnii in hoc oppido meo per maritum eius, & per quoscunq; tādem alios, quos haberet sibi familiaritate vel propinquitate coniunctos, integrum conseruaretur: nec vllum os ex eo comminueretur. Quod cùm ad illam perlatum fuisset, summa cum hilaritate, magnaq; gratiarum actione accepit, seq; pro virili sua laboraturam promisit, ne secus fieret, quàm à me fuerat mandatum: idem & maritus fecit, qui præsens tunc aderat, magnamq; hilaritatem ostendit: quem ego iterum inuitaueram die Martis, ac vt bono animo, & ea quæ par est religione, ad constitutum diem particeps fieret corporis & sanguinis Domini sum hortatus, néue cùm discessisset hinc, aliud à quoquam sibi persuaderi pateretur: quod ille se facturum sanctè promisit, ac præstitit etiam sexto Idus Mensis huius cum alio quodam collega suo: nec vllus eorum Dominicum diem expectauit, præter magistri ciuium generum, qui me inspectante die Dominico communicauit. Cogitabam autē discedere Nonis mensis huius peractis festis Paschalibus, verùm posteà mutaui sententiam, quòd metuebam, ne in absentia mea veniret inimicus homo, & superseminaret Zizania, néue sic labor meus omnis irritus fieret, quem certè grauem suscepi, dum oues meas nonnihil aberrantes, in viam reducere sum conatus. Mandaueram autem Parocho, vt aliorum etiam nomina cōscripta mihi exhiberet, qui non communicassent in his festis Paschalibus. Quod cùm ab illo factum fuisset, dedi negotiū Vicario meo, & duobus Theologis, vt ipsos ad se vocarent, ac ad resipiscentiam hortarentur: quod illi fecerunt sedulò. Reperti sunt omnes triginta, qui à communione abstinuerunt, inter quos erant septem, qui prorsus habebantur deplorati: reliqui se parituros Episcopo suo promiserunt. Itaq; seorsum ad me veni-re iussi viginti tres illos, qui bonā spem fecerant se cōmunicaturos: & eos collaudaui, quòd non fuissent pertinaces, quòd se intra dies octo Paschæ accessuros ad Sacramentum Eucharistiæ promisissent. Verùm & inter illos quosdam refractarios reperi, quos vt postero die seorsum ad me singuli venirent sum hortatus. Septem verò illos de quibus cōclamatum iam esse dicebatur, iterum admonui, vt ne se in communione Eucharistiæ à reliquo grege meo separare vellent: quod si id fecissent, me dolenter quidem, sed facturum tamen, vt se verè separatos esse cognoscerent: & omnibus meis hominibus illorum quacunq; tandem consuetudine & commertio interdicturum, nemo vt illos ad se exciperet, vel cibum cum eis sumeret, vel Aue diceret. Intereà tamen dixi illis, vt seorsum ad me venirent, cùm illis cōmodum foret: me facturum, vt instituerem vnumquemq;, quacunq; de re dubitationis aliquid cōcepissent, & omnia prius alia tentaturum, quàm ad hæc extrema remedia veniretur. Multum habui cum quibusdam negocij, quorum nonnulli fuerunt inter Lutheranos nati & educati, nec vllum alium communicandi ritum sciebant, & eis perquàm difficile videbatur, ab illa sua cōsuetudine recedere. Sed impertiuit nihilominus gratiam suam Deus, quòd ex illis quoq; multi recuperati sunt. Accidit autem, quòd sexta idus Aprilis quidam ad Magistratum oppidi huius mei scripserat, & sibi ius dici petebat. Dicitur is honestus aliquando ciuis fuisse. Cæterùm ante biennium cùm literæ meæ lectæ fuissent, quas ad Magistratū huius oppidi mei Tridento dederam, & monueram, vt oppidanos omnes in officio continerent, nec in hoc oppido meo quenquam ferrent, qui nouandæ religioni studeret, Vocatus est inter illos hic quoq;, qui primùm nolebat audire literas meas. Deinde cùm eum coge-ret Senatus, ac minas etiam interponeret ni paruisset, quòd vinctus in castrū meum Heilsperck, duci deberet. Quod ego tamen neq; scripseram, nec vt fieri iuberem vel cogitarem, mihi in mentem venit. Ille statim se recepit in ædes suas, atq; in conclaui quodam ita se obseruauit, nemini vt ad illum aditus pateret, nec sororem nec quenquam alium admittebat, nec loqui cum quoquam volebat hoc toto biennio, nullum cibum coctum, vt dicitur sumpsit: sed magna se vltrò inedia conficiebat, nec ex illa cauea sua quoquam prodibat per totū biennium, nisi quod illo die scriptum quoddam offerri iussit Magistratui, ac vt sibi ius: ab illo diceretur, petiuit. Quærebat ex me Magistratus, num id facere deberet. Dicebant autē, quod res est, eum errore mētis affici. Tum ego dixi magistro ciuium, vt vnum vel alterum ad se vocaret, & sic illum quoq; miserum iuberet venire, ac persuaderet qd̄ me Pastorem & Episcopum suum viseret. Fecit Magister ciuium iuxta præscriptum meum. Venit ille nudis pedibus, laceratis vestibus, corpore quoq; fere nudo, capite tamen tecto, quod nunquā aperiebat, quicunq; tandem eum salutasset, sed ei persuaderi nulla ratione potuit, vt ad me adiret. Retulit mihi magister ciuium, si iuberem, se facturum, vt eum vinctum ad me perduceret, ne faceret prohibui. Sed misi Vicarium meum vna cum Theologo, ac vt quàm benignissimè cum eo agerent, sum hortatus. Qui cùm venissent ad eum, blandè salutauerunt hominem, sed nullum ab eo verbū elicere potuerunt. Interrogatus cur non loqueretur quicquam, scripsit in tabella quadam: Est mihi prohibitum. Quis tibi prohibuit, aiebant illi, forsitan dæmon aliquis. Ille nihil aliud quàm scribebat in tabella, est mihi prohibitum. Redierunt ad me quos miseram, miserandum illum hominem esse retulerunt, mente quadam alienata. Cæterùm post eorum discessum, multa loqui cœpisse dicebatur, nec aliud vrgere magis, quàm vt sibi ius diceretur, vtq; causa proferretur, quamobrem vinctus in castrum Episcopi duci deberet, sibi nihil esse rei cum Episcopo, sed cum ciuili magistratu tantum, ab illo se velle iudicari: & sicut per biennium ex cauea sua, sic per totum biduum ex domo magistri ciuium, vt exiret persuaderi ei non potuit, tandem in ea sibi cubiculū elegit, in quo se recluserit, nec admisit quenquam. Intereà tamen, si quis veniret vrgere non desiuit, vt sibi ius dicatur. Sic hominem dimisi: nam quarto Idus discessi ex oppido illo meo, rebus per Dei gratiam satis benè confectis, cùm ex ciuibus meis nemo perierit præter duos, non postremos illos quidem, sed quorum alter præfractior fuit, quàm vt sibi persuaderi pateretur, cùm rationem adferret nullam, quàm quòd puer ex hoc oppido meo discesserat, & per sedecim annos absens, nunquam aliter quàm sub vtraq; specie communicauerat. Alter verò fuit quidem apud Vicarium meum, sed cùm illi spem ostendisset, paritur̄ se monitis meis, insalutato me, nec vnquam sui Pastoris voce audita discessit: ex oppido meo in viciniam se contulit, quod se facturum quidem coram Vicario meo non dissimulauit, sed rediturum tamen ante diem Dominicum, ac certum responsum daturum receperat. Cæterùm cùm ad lupos illos peruenisset, nihil aliud curæ eis fuit maiori, quàm vt separarent eum à reliquo grege, nec ad me redire permitterent, cùm præsertim audiuissent, quòd alij salubribus meis monitis, non difficulter paruissent. Idem aiebant eueniet tibi quoq;, non poteris resistere, cedes tandem. Satius igitur, vt hìc nobiscum sis. Ego verò Sabbato miseram ad vxorem eius, quæ primarij Senatoris Elbingensis est filia, & iacebat tum in puerperio, qui visere eam, meis verbis & felicia precaretur omnia: deinde hortaretur, vt marito suo persuaderet, ne se disiungeret à reliquo grege meo, sed mihi tanquam Episcopo suo dicto se audientem præstaret, quod illa se facturam sedulò promisit. Quin etiam hoc mihi nunciauit, nec patris mei, nec matris iussis, verùm Pastoris & Episcopi animæ meæ mandatis parebo, & faciam omnia iuxta præceptum illius: maritum etiam meum in eandem sententiam adducere conabor. Cæterùm quo die discessi Braunsperga, venerunt ad me frater vxoris & maritus sororis illius, qui confugerat in viciniam. Petiuerunt à me, vt ei spacium darem altquot mensium ad deliberandum, num sit illi monitis meis parendum nec ne. Me nihil amplius daturum spacij respōdi. Promisisse illum, quòd ante diem Dominicum, qui iam præterijt, quid sibi decretum sit, renunciaturus foret. Tum ille: è vicinia me misit, inquit, loco suo, ac significari tibi iussit: quòd nulla ratione ad ea potest consentire, quæ tu vis: nam prohibet eum conscientia. Quamobrem vult solum potius vertere, & aliò domicilium suum transferre, tantum hoc petit, vt ei spacij des aliquid, ad eas possessiones quas hìc habet distrahendas, vt intereà liceat ei in hoc oppido tuo versari. Respondi illi, me non posse, nisi molestissimè ferre, quòd ille discesserit ex hoc oppido meo insalutato me, & à lupis potius, qui mactatum ipsum cupiunt, quàm à Pastore suo consilium dari sibi petierit: saltem audiuisset me, saltem semel eum alloqui mihi licuisset. Sed nec audire Pastoris vocem sui dignatus, verùm ad lupos recta profectus est. Magnum ex re ea me caperē dolorem. Nam quòd religione siue conscientia sua prohiberi se diceret, ne communione fidelium, qui sunt in hoc oppido meo vteretur, potuisse eum audire hesternum Euangelium, vbi dicitur, quòd Apostolis Christus insuflauit Spiritum sanctum, & eis dedit potestatem remittendi peccata & retinendi, soluendi conscientias, & ligandi. Non autem vt sibi quisq; solueret & ligaret arbitratu suo. Quamobrem si quā religione tangebatur, si grauabatur in conscientia sua, ad me venire debuit Pastorem & Episcopum suum: à me scrupulum, si quo premebatur, eximi sibi postulare debuit. Nunc omnis erit ex Ecclesia ordo sublatus, si quisq; sibi sumserit hoc, vt arbitratu suo liget, aut soluat sibi conscientiam, nec vllus vsus erit Pastoris aut Episcopi. Quę autem est ista conscientia, nolle communicare cum fidelibus: quo loco habet reliquos ciues aut oppidanos suos? nū eos habet ,p Ethnicis aut impijs aliquibus hominibus? Talium enim cōmunionem fugere pij debent, & ab illorum se cœtu seiungere. Quod si tales iudicat illos, qui sunt in hoc oppido meo, nec solum eos qui nunc superstites, sed etiam quicunq; fuerunt in tota Prussia, ex quo tempore Christi recepit Euangelium. Quin & omnes alios, qui fuerunt in orbe toto Christiano. Quæ est hæc tanta audacia, sic de omnibus iudicare, sic ab eorum communione separare se velle? Sed quando vult esse præcisus à corpore Christi, ab vniuersa Ecclesia Catholica, fateor quod magnum ex eo animi cruciatum capio, sed fiat voluntas eius, sit præcisus, & quidē ita præcisus, & separatus ab omnibus, quotcunq; degunt in meis, & venerabilis Capituli mei terris, vt nullus eum tecto recipiat, nullus cibum cum eo sumat, nullus Aue dicat. Habet ille pro impijs pios homines, nec cum illis communicare vult de mensa spirituali, habebunt illi vicissim eum pro tali, qualis est reuerà, impio & Ethnico peiore, & omni consuetudine illius abstinebunt, idq; mandato meo facient, nec erit vlla penes me culpa, cùm ego nihil magis cupiā, quā vt conuertatur, & feliciter agat. Sed sunt alij, qui prauis consilijs suis eum perditum cupiunt, sequatur illos quando ita vult, & ibi sit, vbi nullam habebit conscientiam. Ego seruare inuitum non possum. Petiuerunt à me, vt saltem diem certum statuerem, & quidem laxum, ante quem ex hoc oppido meo migrare nō teneretur. Respondi, quod intra sex hos dies disponat de rebus suis, si deliberatum habet hinc migrare. Nam proximo die Dominico leget Parochus de loco superiore sententiam, à me contra illum & alios nonnullos latam. Quod cùm erit factum, statim exequutioni mandabitur, qua de re etiam cum oppidi mei magistratu egi, atq; vt id faceret, seriò mandaui: seq; parituros promiserunt. Ita res hactenus acta fuit in oppido illo meo. Moneri tamen vxorem eius feci, vt significaret marito suo, quo veniret adhuc ad me ante proximum diem Solis, saltem vt audiat semel vocem sui Pastoris, prius quàm se ab eo separaret. Illa misit ad eum statim, qui hoc illi significaret, quid sit facturus dies nobis faciet manifestum. Omnes ferè quibus cum egi, religione siue conscientia prohiberi se dixerunt. Quibus ego inter alia ad hoc respondi: Nunc exortos esse quosdam, qui religione siue conscientia sua prohiberi se dicant, quo minus cōmuni precandi formula vtantur: Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis, & eundem Deo vero, Deiq́ue filio Domino nostro IESV Christo honorem, eandem inuocationem, quam Deo Patri tribuant: Ita fit, quando quisq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

conscientiâ suâ arbitratu suo ligat & soluit. Etiam Iudæi religione prohibebãtur, ne prætorium ingrederentur, ne fortè contaminarentur. Cùm autem essent traditurí CHristum ad crucifigendum, nulla prorsus religione tangebantur, quin iuxta Dei legem se facere gloriabantur. Talis est, inquam, & hæc vestra conscientia. Religio vobis est, abstinere à calice, lacerare verò CHristi corpus mysticum, & illud comminuere, nulla est religio. Sic homines dimisi, & ipse quoq; posteà discessi.

STANISLAI HOSII CARDINALIS VARMIENSIS maioris Pœnitentiarij,

De actis cum Elbingensibus, in Arce Heilsbergensi, Anno Domini M. D. L X V.

IErtio Calendas Martij venerunt ad Cardinalem magister ciuium Elbingensium Brotsnaider & Ioannes Sprengel, nuper in Senatum allectus, ac post factam salutationem in hanc sententiam verba fecerunt. Memoria tenet spectabilis Senatus, & primores communitasq; Regiæ ciuitatis Elbingensis, qua ratione Maiestas Regia dominus noster clementissimus allegauit ad eos magnificum dominum Ioannem Kostka Castellanum Gedanensem, & Reuerendum dominum Martinum Gromerum Canon Graco. qui de voluntate & mandato eiusdem Maiestatis Regiæ (vigore commissionis exhibitæ) prolixè commemorarunt, quemadmodum Illustrissima Celsitudo vestra grauibus magnisq; sumptibus Academiam in ciuitate Braunspergk instaurasset. Ea verò cùm non tantum hisce terris Prussiæ commodo esset futura & ornamento, sed & cum regno Poloniæ eam vtilitatem coniunctam, communemq; habituram, tanti autem ad eam requirerentur sumptus sustentandam, vt Illustrissima Celsitudo vestra neq; per se solam, neq; etiam cum venerabili Capitulo Varmiensi ipsos ferre & sustinere possent, cupere quidem Maiestatem Regiam aliquid ad eam opis & subsidij adferre, nisi pluribus magnisq; Reipub. oneribus premeretur. At verò cùm Regia Maiestas cognouerit esse in ciuitate Elbing: plurima, eaq; non exigua beneficia & prouentus Ecclesiasticos, atq; illos omnes ex legitimo veroq; vsu, cui initio destinati fuissent in peregrinum longeq; alium, quàm debitum vsum translatos esse, velle omninò & mandare Maiestatem Regiam, vti ea ipsa bona Ecclesiastica cum prouentibus suis Illustrissimæ Celsitudini vestræ ad vtilitatem scholæ Braunspergensis traderentur. Quod quidem vt fieret Illustrissimæ Celsitudini vestræ nuncius à dictis dominis Commissarijs Regijs, & à primoribus pariter Senatus omni studio & diligentia, tum statim postulauit. Senatus autem cõmunicato ex more & vetusta consuetudine cum delectis quibusdam ciuibus, qui pro tota plebe, & deliberandi de rebus dubijs, & decernendi potestatem habent, consilio, de illorum sententia hoc modo cum Regiæ Maiestatis Cõmissarijs ad mandata eiusdem Maiestatis, tum & Illustrissimæ Celsitudinis vestræ nuncio ad ipsius postulata respondit, vt spem sibi haud dubiam faceret Regiæ Maiestatis voluntati satisfactum fuisse, atq; Illustrissimam Celsitudinem vestram in eo acquieturam esse. Accidit autem, vt præter omnem expectationem nostram medio tempore mandatum Regię Maiestatis seuerum per eiusdem cubicularium Senatui exhiberetur: quo serió mandat & iniungit Maiestas Regia, vt Senatus ciuitatis Elbing. de bonis ipsis Ecclesiasticis, aut intra mensem vnum mulcta denum millium florenorum Vngaricalium, amicè cum Illustrissima Celsitudine vestra decidat, aut decimo quinto mensis Martij apud Maiestatem Regiam causam diceret, quo certè Senatus & primores ciuitatis non leuiter sunt conturbati. Quandoquidem verò suæ esse fidei & obseruantiæ cunctis agnoscerent, Regię Maiestatis voluntati in omnibus obsecundare, eiusdemq; mandata promptissimè exequi, visum est Senatui primoribusq; nostris ad Illustrissimã Celsitudinem vestram nos ambos ablegare, nobisq; in mandatis dedit, vt primum ipsorum omnium debita officia, volũtatemq; obsequentem, deferremus: ac dein quàm officiosissimè peteremus, dignaretur Illustriss. Celsitudo vestra gratiosè apud animũ suum exigere, atq; cogitare, quòd quantum quidem ad vacantia Ecclesiastica bona pertinet, earũ ius & dispensationem omni semper tempore post hominum memoriam, etiam cum adhuc penes cruce-
cigeros potestas rerum esset, semper ad Senatum primoresq; nostros spectasse: idq; ius maiorum ætate semper hoc pacto vsurpatum, ad extremum priuilegio piæ & augustæ memoriæ Diui Casimiri Regis Poloniæ confirmatum, & renouatum esse. Tum & illa est condicio illorum prouentuum Ecclesiasticorum, vt bona pars ex ipsis ad fraternitates sit instituta. Quæ cùm pecunia à ciuibus tantum sit collata, ea iam obseruatur ratio, vt si ciuium aliquis ad egestatẽ recidat, ex illa pecunia iterum subleuetur, neq; n. aliorsum, quàm in illum tandemodò vsum prouentus isti reseruantur, neq; etiam in hoc vsq; tempus à Senatu & primoribus

moribus nostris quicquam ex redditibus illis in priuatum emolumentum est auersum: sed omnis ea pecunia in mercedem ministrorum Ecclesiæ, & stipem pauperum collocatur: cuius tñ rei quotannis ratio refertur, sic vt iure accusari non possumus, q; vsus primæuus illorum bonorum sit mutatus. Ædes aũt monialium impetrauit à Maiestate Regia Parochus noster Nicolaus Cossi, cui in Senatus eo modo satisfecit, earumq; potestatem recuperauit. vt Maiestatis Regiæ literis & sigillis satis firmiter contra impetrata & impetrãda satis cautum sit ipsis & prouisum. Quapropter cum bonorum Ecclesiasticorum apud nos ea sit ratio, atq; hactenus ad hoc vsq; tempus constanter in hisce terris obseruatum hoc sit, vt si cuipiam de priuilegijs suis & libertate molestia & negocium exhiberetur, q; is nõ ad alium prius, quàm ad præsidentẽ consilij Regij confugerit, atq; ab eo sit defensus. Proinde & nos nomine Senatus & primorũ nostrorũ, quanto possumus studio & diligẽtia petimus, diligenter Illustriss. Celsitudo vestra hac informatione esse contenta, ipsorũq; priuilegia, libertates, & iura sarta tecta q; cõseruare & tueri. Nos vicissim officia, studiũ & obseruantiã nostrã offerimus, paratosq; nos profitemur, p virili nostra eam volũtatẽ Illustriss. Cels. vestræ obsequio reponere, atq; ad Deũ, p vegeta valetudine, & felici regimine assiduis precibus interpellare. Addiderunt & alia nõnulla, quæ cõtinẽtur in eo respõso, qd Cõmissarijs Regię Maiestatis dederũt.

Respõdit Cardinalis, nihil se magis cupere, quàm vt salua cuiq; sint sua iura & priuilegia, ac tantum ab eo se remotum esse, vt ea velit Elbingensibus labefactata, vt quicqd à se præstari possit ad ea tuenda & conseruanda, nihil sit vnq̃ curæ, diligentiæ, laboris prætermissurus. Cæterũ qd sibi fieri nolunt Elbingenses, id alteri quoq; non facerent, quin sicut sua sibi, sic Epo quoq; sua iura salua vt sint, velle debent: qui non de ciuitatũ iuribus violandis, à qua cogitatione quàm longissimè abest, sed de suis tuendis & conseruandis sollicitus est. Quæ q; sibi magistratus Elbingensis erepta vult, ea demùm causa est, quamobrẽ ad Maiest. Regiam ,,iurium suorum defensione sibi confugiendum esse putauit. Certum est, bonorum Ecclesiasticorum dispensationem, non ad prophanum, sed ad Ecclesiasticum pertinere magistratum, nec fuisse vel Imperatores, vel Reges, vel Principes vllos seculares, qui qdem Catholici esse videri vellent, qui sibi in ea iuris quicquam vendicarent, sed oẽm eorum dispositionẽ liberam semper Epis permiserunt. Quo magis miror, inquit, ausos vos fuisse dicere, q; ius & dispositio bonorum Ecclesiasticorum semper ad Senatum pertinuerit, cùm hoc docere nunquam possitis. Nec minus temerè dictum est: q; à D. Rege Casimiro ius hoc vobis confirmatum & renouatum sit. Scilicet quam Rex ille longè pientissimus sibi potestatem nunquam arrogauit, eam vobis cõcederet? In omnibus Ecclesijs, cùm Regni, tùm terrarum omnium, quæ sunt illi adiunctæ, nunq̃ sibi Rex vllus Poloniæ potestatis hac in parte quicquã vsurpauit, sed liberam bonorum Ecclesiasticorum dispositionem Epis, ad quos semper ea spectabat permisit, ac nunc quoq; permittit. Quomodo igitur qd ipse sibi Rex licere non vult, id vobis permitteret, cùm eius rei potestatẽ sibi nullam vendicet? Allegatur à vobis D. Casimiri priuilegium: Sed sicut fuit à diabolo scriptura contra Christum allegata. Partẽ. n. protulistis, partẽ verò, quæ sententiam Regiam explicabat, omisistis. Quin aliter etiam à vobis verba versa sunt, quàm in Germanico, qd coram illis productum & lectũ est, priuilegio reperiũtur. Nam vbi scriptum fuit ius patronatus, ibi vos allodia scripsistis: quorũ nulla prorsus fit in priuilegio vestro mentio. Sibi Rex ius patronatus Ecclesiarum Parochialium in veteri & noua ciuitate reseruauit: cæterorum Sacerdotium ius patronatus vobis concessit. Sicut aũt ipse cùm sit patronus vtriusq; Parochialis, non sibi permittit, vt de Parochialium illorum bonis & prouentibus disponat, sic & vobis, qui bñficio Regię Maiestatis estis patroni aliorum Sacerdotiorũ, minimè permisit, vt in eorum prouentus quicq̃ vobis iuris vendicetis. Sed hoc tantũ vestrum est officium, sicut & Regiæ Maiestatis, vt Sacerdotes aliquos Epos præsentetis ad vacantia Sacerdotia: qui quæ pertinent ad cultum diuinum, in quẽ vsum isti prouentus collati sunt, ea peragant. Quos si Eps idoneos esse cognouerit, illius munus est eis de Sacerdotijs eiusmodi prouidere. Hoc itaq; vobis cõcessum est religiosissimi Regis Casimiri priuilegio, nec amplius quicq̃. Vtinã aũt essent multi, quos præsentare possetis, nihil facerẽ libentius, quàm vt eis prouiderẽ. Nunc aũt & Sacerdotium & Sacrificium p impios quosdã Sathanæ ministros apud vos euersum, & ipse Christus in ordinẽ coactus est: nullus vt externus ei cultus excellẽtior præ cæteris mortalibus tribuatur: quod q; fuit à pijs hominibus ad Sacerdotes, qui precibus & sacrificijs Deum placarẽt, collatum, & in perpetuũ fundamentum, id in Sathanæ ministros fouendos, & in Sathanismum propagandũ, proh dolor translatum est. Itaque stupeo cùm audio, q; nihilominus affirmatis, q; in primæuum vsum à fundatoribus institutũ, hæ pecuniæ per vos translatæ nuper fuerunt, cùm tñ qui fuerit primæuus vsus non ignoretis, nec illud vos lateat, quãdo primæuus vsus ille defierit. Nã vestra memoria conuerti cœpit in vsus impios, qd in pios à pijs maioribus vestris liberaliter fuit olim erogatum. Nam qd dicitis, in pios vsus legata, sicubi pius iste vsus desijt, in alium pium vsum conuerti posse, verè dicitis. Sed qui sit pius, qui non sit pius vsus, non vestrum, sed Epi vestri iudicium est: ei non vobis & cognitio & dispositio de rebus his permissa est. Et certè si pius fuit vsus, in quẽ à maioribus vestris hæc pecunia collata est, sicut ipsi in scripto vestro Regiæ Maiestatis Cõmissarijs dato confiteri videmini, citra dubitationem vllam impius est vsus, in quẽ ea proximis superioribus annis transferri cœpit. Quanquã nec ego mihi sumerem potestatem hanc, vt ipse meo iudicio & arbitratu de bonis & prouẽtibus istis quicquã statuerem, etiamsi maiorẽ eius rei potestatẽ habeam, quàm secularis magistratus: tñ nisi me Ecclesię cõpelleret authoritas, quã Concilium Oecumenicum repręsentat, cuius me filium profiteor, cui libenter in omnibus obedire volo, minus auderem id facere de prouentibus istis, qd nunc facere cogito. Sed quoniam disertis verbis huius rei potestas Epis ad Seminarium instituendum in Concilio Tridentino, cui ego quamuis indignus Pontificis nomine

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsidebam, est concessa, illius, non priuata facio authoritate mea, quicqd eius rei facio, & eius Cõcilij, in quo Regum omnium Catholicorum nemine prorsus excepto, & inter alios Serenissimi quoq; Regis nostri Legati præsentes adfuerunt, cuius decreta Regia Maiestas quoq; in conuentu Parcouiensi frequenti Senatu, cùm ei fuisset p Nuntium Apostolicũ oblata, recepit reuerenter. Quod aũt asseritis, vos quoq; fouere Gymnasium, & æquius esse, vt in vestræ quàm in alienæ Diœcesis Gymnasium hi prouentus expendantur: mirari satis nõ possum, qd Braunspergensem ciuitatẽ semel & iterum in respõso, qd M. Regiæ Cõmissarijs scriptum dedistis, alienam diœcesim appellatis, cùm & Braunspergensis & Elbing. ac totius tractus Varmiensis, ac Barlensis vnus & idem semper Eps fuerit. An alium vobis quẽpiam Episcopum elegistis? Atqui non maiorẽ eius rei potestatẽ habetis, q̃ Regis alterius eligendi: & ferè qui spiritualẽ potestatẽ, p nihilo ducunt, ijdẽ & secularẽ potestatẽ non pluris faciũt. Recens eius rei documentũ nobis dedit superioribus his annis Germania, recentius verò Gallia. Quid aũt? An quo vos iure vestrũ Episcopum reijcitis, & q̃ est propriũ illius munus vobis vsurpatis? eodẽ iure populo quoq; Elbingẽsi, nõ licebit magistratũ suũ reijcere, & quę propria sunt illius munera sibi vẽdicare? An sanctior magistratus secularis, quàm Episcoporum authoritas esse debet? cùm tũ Epi nomen in scripturis reperiatur, Burgimagistri nusquam. Et certè iam se dare quædam initia videntur, nescio cuius vt audio seditionis, quam populus mouet cõtra magistratũ, quẽ vos ipsi docere videmini, qualẽ se debeat præstare erga vos, cùm quales vos ipsi præstetis erga potestatẽ ab ipso Christo institutam vident, Quãobrem interest etiam vestra, si vultis in ciuitate q̃ gubernatis, quieta esse & trãquilla omnia, vt quẽadmodũ vobis vestra, sic Epo quoq; vestro sua iura salua cõseruare velitis. Quæ verò dixistis de pecunia fraternitatũ, de ea facilè patior, vt iuxta morẽ antiquũ hi disponãt, quorum interest, modò constet eam fraternitatũ esse, non aũt ad Sacerdotes pertinere. Nã sicut in ea quæ sunt laicorum, nihil nobis iuris vẽdicamus, ita nec vos aliq̃d eorũ vsurpare vellemus, quæ pertinent ad Sacerdotes. Quod aũt attinet ad Præpositum Ecclesiæ meæ Varmiẽsis, est ita, qd impetrauit ille quædam bona monialium, tanq̃ iure caduco vacantia, sed fecit per ignorantiam, vt non indignus venia esse videatur, ac errorẽ hunc suũ posteà correxit ipse: qd satis docetur ex literis R. Maiestatis, quibus mihi dispositio de bonis illis permittitur. Ne verò putetis me esse ab amicabili transactione alienum, & non vestræ magis, q̃ aliarũ ciuitatum cõmodum spectare, ex his reditibus Ecclesiarum vestræ ciuitatis, quos in schola Braunspergensem alendam conuertere cogito, libenter alam pueros aliquot aut adolescentulos Elbingenses, qui Christũ à teneris annis confiteri discant, nec aliud q̃ Christi Euangelium doceant, nec aliud q̃ purum Dei verbum audiant, Nunc. n. proh dolor, videre licet multos Antichristos, quorum quisq; suam doctrinam vocat Euangelium, vocat verbũ Dei, ac vt tanq̃ Dei verbum adoretur, ab imperita multitudine contendit & elaborat. q̃ido Idolatriam ex ea parte Diœcesis meæ, quę subest Regię Maiestati, vehementer cupio propulsatam: plus etiam aliqd in vestram gratiam lubens fecero, ne fortè minus fauere me vestræ ciuitatis commodis existimetis. Non recuso, quo minus in illam schola Braunspergẽsis tota transferatur, dum modo cautum velitis professorum securitati, vt eis liberè CHristum in ea confiteri, sanctum verbum eius propagare, Catholicoq; ritu teneriorem ætatem instituere liceat. Nunc ipsi dicite, quid est qd amplius vobis à me præstari velitis? Certè sicut nulli sunt, qui saluti vestræ, & qdem æternæ saluti, magis inuident q̃ sint illi ipsi & magistri & ministri, quorum opera & in erudienda iuuẽtute, & in prędicando verbo nescio quo vtimini: sic nemirẽ habetis, qui magis ex animo vestræ saluti prospectum, & cõmoda vestra tam spiritualia q̃ temporalia non modò cõseruata, verùm etiam aucta velit & amplificata, q̃ me Pastorẽ & Episcopũ vestrũ. Quamobrẽ quicqd nunc à me fit, non meæ alicuius privatis vtilitatis q̃ ego publicè semp postponendam esse putaui, verùm vestræ salutis tuendæ causa fit. Memoria teneo cùm fuissem apud vos aũis superioribus, deq; vobis ad Christum & corpus eius Ecclesiam reducendis plurimum laborassem, fuisse nõ neminẽ, qui diceret hæc verba: Si versatus in errore vel peccatis fuero, Eps meus non ibit, p me ad infernum. Vellẽ aũt verum dixisse. Sed secus me docet scriptura, quæ dicit: Se sanguinẽ impij de speculatoris, hoc est Episcopi, manu requisiturũ, si non annunciauerit illi, vt se custodiat ab impia via sua, nec officio suo functus fuerit. Monet etiam obediendum esse præpositis, quoniam ipsi peruigilant, p animabus eorum, quos sibi subiectos habent, tanq̃ rationẽ, p illis reddituri. Quamobrẽ dabitis mihi veniam, si cùm nihil aliud sitiam, q̃ salutẽ vestram, quibus vijs & rationibus eam vos consequi posse persuasum habeo, eas mihi iucundas oẽs esse existimo. Quod si Deus, quẽ supplex ab eo precor, conatus huius nostri euentũ concesserit, erit qd agamus illi gratias. Si verò vos illũ p me suũ ministrũ in viam vos reuocare conantẽ reieceritis, fiet qd à Propheta dictum est, vt impius in iniquitate sua moriatur, Speculator aũt animam suã liberauerit. Video quę sit horũ temporum iniquitas, quamq; difficilè sit eos, qui sunt in aliud cuiusmodi potius, q̃ Christi Euangelium translati, ita subitò reducere ad illum p quem vocati sunt in gratiam Christi. Quamobrẽ nullis vti remedijs durioribus, sed paulatim teneriorẽ ætatẽ ad Christum confitendum adduci cupio, & ad errores quibus nunc plenus est mundus agnoscendos, ac velis, qd aiunt, remisq; fugiendos. Cuius rei causa nullis sumptibus peperci, ac vt venirent huc ex Societate IESV tales viri, curaui, qui non doctrina magis quàm vitæ sanctimonia præstarent, ac non solùm scientia, verùm etiam exemplis discipulos augerent, & ad Deum piè colendum animos eorum teneriores informarent. Sunt hic iam ferè per sesqui annum, ita se per tempus id omne gesserunt, vt etiam inimici testimonium illis vitæ honestissimæ actæ dare cogantur, cùm tamen quales vestri magistri sint & ministri non ignoretis. Deinde verò tantam diligentiam ac fidẽ impendunt in docenda iuuentute, nihil vt addi posse videatur. Nam neq; salutis & incolumitatis sug rationẽ habẽt vl-

lam, dum officio docendi rectè fungi possent. Quapropter hoc meum institutũ tantũ abest, vt vobis displicere debeat, vt omnia facere potius obstricti sitis ad illud omni ratione promouendũ. Quã vt mẽtẽ Deus vobis inspiret, atq; vt auferat cor lapideũ, & det vobis cor carneũ, quo flecti tãdẽ aliquãdo possitis, illius misericordiã supplex implorare nõ intermitto.

Qui verò missi fuerant à ciuitate pluribus verbis excusarunt, quod ab illis fuerat scriptum de aliena Diœcesi, nec vnquam sibi in mentem venisse dixerunt, vt me pro suo Episcopo agnoscere nollent. Si quid peccatum est ab illis, quadam simplicitate peccatum esse, cui veniam dari petiuerunt. Nam hoc verbum Diœcesis nũquam ita se intellexisse, quasi meam iurisdictionem agnoscere nollent, sed per alienam Diœcesim, alienam ciuitatem, & alienũ dominium significare voluisse, ac parum æquum existimasse, quòd è sua ciuitate in aliam Ecclesiastici prouentus transferrentur. Quam eorum excusationem accepi, simul ostendi, non alia de re me magis laborare, quàm vt eorum saluti pro virili mea prospicere possim. Nam hoc à me munus etiam meum Pastorale flagitare. Quod vt ijs à quibus missi fuerant significarent, & simul quęcunq; à me audiuerunt, fideliter eis referrent, petiui. Quod se bona fide libenter esse facturos, receperunt.

STANISLAI HOSII CARDINALIS VARMIENSIS maioris Pœnitentiarij,

De actis cum Elbingensibus, Anno Domini M. D. LXVIII.

OSTensa fuit Cardinali spes, Elbingenses non ita magno negotio lucri fieri posse Christo, cuius Euangelium iam inde à quindecim annis pãm reiecerunt: posteàquam seadduci passi sunt, vt in Isiebiensi Antichristi verba iurarẽt, & quicquid ille vel dixisset, vel scripsisset, id haud illo loco, quàm quo purum Dei verbum haberent. Quamobrem occasionem hanc sibi minimè negligendam esse putauit, & ad eos profectus, venit Elbingam 7. Idus Aprilis, vbi cùm fuisset à Consule, & alio quodam Senatore exceptus, postulauit ab eis, vt postero die Senatum & populum Elbingensem in prætorium accersiri inberent. quòd ad ea certis de rebus verba facere cogitaret. Id illi minimè grauatim se facturos obtulerunt, quin si vellet Cardinalis in ipsius ædes venturos. Quoniam verò minus hæ capaces fore videbantur, satius visum est, vt in prætorio conuenirent. Quo cùm ad constitutã horam Cardinalis venisset, in hanc sententiam Germanica lingua sermonem ad eos habuit.

Complures iam anni intercesserunt, quod Pastor & Episcopus animarum vestrarum à Deo sum constitutus: ac testis est mihi Deus, testis est & Regia Maiestas, testes deniq; sunt & alij mortales multi, quòd honorẽm hunc ipse mihi non sumpsi, quin recusaui potius, ac vt alij magis idoneo mandaretur petiui: Nec enim ignorabam, quantum oneris in eo, quantum difficultatis & molestiæ, quantum etiam esset periculorum his præsertim difficillimis temporibus, quibus Episcopum agere cumprimis ardua res est. Sed cùm Regia Maiestas de sua sententia deduci se non pateretur, cùm eius de me iudicium sanctæ quoq; sedis Apostolicæ iudicio fuisset comprobatum, diuinam hanc vocationem esse, ratus diutius illi resistendum esse, non existimaui. Cæterùm ex quo tempore tantum hoc onus in me recepi, nonalia me res habuit magis anxium & sollicitum, quàm vt omni ratione prouiderem, quorum salutem fidei meę Deus concredidit, vt hi possent vnum corpus, vnus esse spiritus, vt vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptisma, Deum etiam & Patrem omnium vnum agnoscerent: nec essent inter eos schismata, sed essent perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Quam etiam ob causam ante 15. annos, cùm non deesse quosdam olfecissem, qui doctrinis varijs & peregrinis abducere vos, & in aliud Euãgelium traducere conarentur, alijs nonaginta nouem ouibus relictis, ad vos aduolaui, toram ferè quadragesimam vobiscũ transegi, nec intentatum quicquam reliqui, quo vos possem in vnius Christi corporis compage retinere. Quos tum labores tulerim, quas molestias deuorauerim, quanto studio, ne qua essent in ista ciuitate schismata prouidere contenderim, quem deinde tantorum laborum fructum ceperim: quando qdẽ qui tunc prẽsentes adfuerunt, in hoc vestro consesu nonnullos video, cũ ipsi memoria proculdubio teneatis, nihil est necesse, longiorẽ ea de re me nunc habere sermonẽ. Accidit aũt vt posteà labentibus annis aliquot, in vrbẽ à Paulo IIII. Pont. Max. vocarer, quo non adeò inuitus sum profectus, q̃libet ingraueſcẽs fuerit ætas hæc mea. Spem, n. concipiebã cùm eò pueniſſem, vt salubre consilium & auxiliũ reperire liceret, quo non solùm in hac mea diocœsi, verùm & in orbe reliquo Christiano tolli possent hæreses & schismata, quibus in tot particulas Ecclesiã Dei mirandum & miserandum in modum disfectam esse videmus, & ingemiscimus. Cùm aũt alia ratio nõ occurreret, q̃ vt Concil. Oecumenicum cõgregaretur, qd vnicum in eiusmodi malis remedium semp est habitum de eo congregando, quoad Romæ degebam, vehementer fui sollicitus. Intereà Paulus IIII. ex hac

Universidad de Deusto
Biblioteca

vita migrauit,cui succeſſit Pius IIII. qui pro ſingulari zelo, quo ferebatur ad reintegrandam concordiam & vnitatem Eccleſię,ſtatim vt renunciatus eſt Pontifex,de congregando Cõcilio cogitationem ſuſcepit,& præter omnem expectationem meam me nuntium ſuum ad pientiſſimum felicis memoriæ Ferdinandum Imperatorem, hac ipſa de re deſignauit. Facilè perſpiciebam, quàm eſſem impar huic oneri tanto ferendo. Quamobrem vt ad alium potius deferretur deprecabar,ſed cùm vrgeret Pontifex,non aliud mihi fas erat,quàm iuſſa capeſſere. Quamobrem diuina fretus ope tanto minus dubitanter tam duram prouinciam hanc ſuſcepi,quòd memineram cùm apud vos fuiſſem ante quindecim annos,petiuiſſe vos, vt quibus de rebus tunc agebatur inter nos, ne de his quicquam contra vos ſtatuerem,priuſquàm Concilium eſſet congregatum, ad quod vos tum referebatis,& quicquid in eo ſancitum foret,in eo vos liberiter acquieturos promiſeratis. Quamobrem nullam neq; ſumptuum,neq; laborum,neq; ſalutis meę rationem habendam eſſe putaui,quodque mihi fuerat à Pontifice mandatum, qua ſumma potui fide diligentiaq; perficiendum curaui. Et eſt Deo gratia, cuius immortali beneficio factum eſt, vt quem optabam legationis meæ fructum conſequerer. Aſſenſus eſt enim Imperator, vt Concilium congregaretur, ſeq; ſuos ad illud oratores miſſurum eſſe promiſit. Aſſenſi ſunt & alij Reges & Principes omnes,quotquot in orbe Chriſtiano Catholici ſunt & orthodoxi, quin & Sereniſſimus Rex & dominus noſter Sigiſmundus Auguſtus,oratorem ſuum eò miſit. Ac ne quod Parentes pij,de;q; ſalute liberorum ſuorum ſolliciti munus in illo verè Pio Pontifice requiri poſſet,etiam ad eos Germaniæ Principes,qui ſegregauerunt ſemetipſos,& ad præcipuas Imperij ciuitates,quin & in Pruſſiam hanc noſtram ſuos nuntios ablegauit, qui diligenter inſtarent apud omnes, quandoquidem ipſorum cauſa potiſſimum Concilium hoc Oecumenicum congregabatur,vt vel ipſi venirent, vel ſuos oratores atq; Theologos eò mitterent: vt quibus de capitibus doctrinæ Chriſtianæ controuerti cœptum eſt, hoc infelici noſtro ſeculo ſanctæ Synodi iudicium de ijs eſſe vellent. Offerebatur fides publica,quem Saluum conductum vocant,ea forma,quam ſuperioribus annis ipſi præſcripſerant, nihil vt eis foret à cuiuſquam vi pertimeſcendum. Habeo fratrem hîc & ex eo nepotes,quorum ſalus mihi chara eſt,ij poterant in ijs terris obſidum eſſe loco, nec erat quod quiſquam vel minimum ſibi metueret: quin & veniſſent ex eis aliqui,qui ſunt Auguſtanę, vel cuiuſquam tandem alterius Confeſſionis,obuijs vlnis,quod aiunt,eos excepturus, & omnibus humanitatis officijs fuerim proſequuturus. Idem proculdubio feciſſent & alij ſacri Concilij legati. Sed nihil eſt eo verius,quod à veritate dictum eſt: Omnis qui malè agit,odit lucem,& non venit ad lucem,vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem,vt manifeſtentur opera eius,quia in Deo facta ſunt. Qui faciebant veritatem omnes Reges Chriſtiani, & multi Principes venerunt per ſuos oratores & Theologos ad Concilij lucem,opera ſua manifeſtari facilè tulerunt. Cæterùm qui ſibi ſeparationis conſiliorum,quę ſacrilega vocat Auguſtinus & impia,qui ſchiſmatis & hæreſeos fuerunt conſcij,non audebant ad lucem venire,ne arguerentur opera eorum. Libellos à Flacco,à Gallo,& ab alijs eiuſdem farinæ ſcriptos legimus,quibus ne proficiſcerentur ad Concilium,aut ne ſuos eò mitterent,Principes deterrebantur. Suadebatur etiam,vt in Germania potius conuenticulũ fieret,in quo cùm ſolis tractaretur Synergiſtis, Adiaphoriſtis,& Maioriſtis,excluderentur autem omnes Chriſtiani,quos illis Papiſtas vocare viſum eſt, excluderentur Suenckfeldiani,Seruetiani, Antinomi, Anabaptiſtæ,& Oſiandrini. Sic iſti maluerunt in angulo quopiam tenebricoſo, maluerunt in parte, quàm in Eccleſia Catholica coram orbe toto Chriſtiano cauſam ſuam diſceptari. Conſtat, Cõcilium hoc totos annos viginti duraſſe,quibus aduentus eorum fuit expectatus,quin etiam poſt illius tertiam indictionem à Pio IIII. factam,per menſes nouem nihil à Legatis & Epiſcopis, qui Tridentum venerant actum eſt, ſi qui fortè venirent interea. Cùm autem nemo veniſſet, in Dei nomine tandem viſum eſt,quod pridem fuerat inchoatum Concilium id proſequi, totoq́ue biennio diligenter expenſa ſunt,& examinata doctrinæ Chriſtianæ capita, de quibus nunc diſceptatur. Diſceptatum eſt acriter à Theologis in vtranq; partem,à Patribus poſteà ſententiæ dictæ ſunt: ad extremum ad mirabili quodam & vnanimi conſenſu,quid ſentiendum de quoq; dogmate,quidue ſit credendum, diligenti diſquiſitione facta conſtitutum eſt. Adfuerunt in eo Concilio trecenti propemodum Epiſcopi, magna vitæ ſanctimonia pleriq;, neq; vulgari ſacrarum literarum peritia præditi. Theologorum autem ingens erat vis. Adfuerunt Imperatoris & Regum omnium Chriſtianorum oratores, quibus conſentientibus cùm nulla ſpes oſtenderetur venturos eos,qui ſe præcideruntab Eccleſia Dei, tandem factum eſt, vt illi finis imponeretur. Quem autem fructum attulerit, huic præſertim ciuitati, quæ ſe referebat ante quindecim annos ad Concilium hoc,adhuc non video. Nam reuerſus ex eo templum Parochiale clauſum reperi,nec erat ih eo quiſquam,qui ſacris operaretur. In Monaſterio verò,quod nunc etiam ſit,impurum Lutheri verbum pro puro Dei verbo populo venditabatur, qua quidem ex re maiorem quàm credi queat,animo dolorem accepi. Sed cùm tanta Sacerdotum penuria laborarem, quos mitterem ad prædicandum Euangelium CHriſti non habebam, donec miſertus Eccleſiæ ſuæ Deus de ſtrenuis militibus ſuis illi prouidit. Quorum ſimul vt poteſtas mihi facta eſt, Iacobum Timermanum Eccleſiæ meæ Canonicum, qui præſens hic adeſt,ad vos legaui cum duobus CHRISTI militibus,qui ſanam ipſius & Apoſtolorum eius doctrinam vobis annunciarent. Sed cùm ad veſtra deſideria vobis magiſtros coaceruaſſetis, Dei verbum reieciſtis, & qui legitimè miſſi fuerunt à Paſtore & Epiſcopo animarum veſtrarum,eos recipere noluiſtis. Quæ res & ipſa maiorem animo meo, quàm prior illa moleſtiam attulit: quæ magis etiam aucta fuit, cùm dato reſponſo nuntio meo,quod etiam literis mandari curaſtis,nulla circuitione prorſus vſi,nõ Chriſtianę Confeſſionis,veru

Augu-

Auguſtanæ Confeſſionis miniſtros vt mitterem à me poſtulaſtis: quos verò miſeram eos à vobis,propterea non admitti,quòd eſſent alterius religionis ab ea,quę nũc fouetur. Hęc.n. ſunt verba veſtra: quibus non obſcurè ſignificaſtis,aliam nunc vos religionem fouere. (Sic enim loquimini,) quàm quæ fuit in hac ciuitate ante annos non ita multos, quæ fuit parentum auorum & atauorum veſtrorum tempore,iam inde à 300. & amplius annis,quibus Euãgelium Chriſti Pruſſia recepit. Equidem obſtupui, cùm hęc audirem. Itáne variabilis eſt fides,ac in ſingulos annos religio veſtra mutari debet? Scilicet in hac prouecta iam ætate mea,non amplius mihi Chriſtus confitendus, verùm illius loco Lutherus aut Philippus adorandus,& qđ ad illis fuerit ſcriptum,tanquam Dei verbum amplectendum. Chriſtiana Confeſſio deſerenda eſt, Auguſtana neſcio quæ heri, qđ aiunt, & nudius tertius nata nunc demum diſcenda,mihi ſimul & docenda eſt. Mihi verò prius Deus mentem omnem eripiat,quàm in hanc mentem impelli me patiatur,vt hoc tantum ſacrilegium deſignẽ,vt Chriſtum abnegem,& in Lutheri vel Philippi verba iurem. Ego nullã Confeſſionem extra Chriſtianam Cõfeſſionem,nullum Deum extra Deum patrum noſtrorum,nullum ſcio Dei verbum præter id,quòd à 600. iam annis in Polonia, à 300. autem & amplius in Pruſſia, ſiue per ſermonem, ſiue per chartam & atramentum à Chriſto & Apoſtolis eius patribus noſtris traditum, per lõgam Sacerdotum & Epiſcoporum ſucceſſionem ad nos vſq; peruenit. Ab hoc Dei verbo me dimouueri nunquam patiar, etiamſi fractus illabatur orbis. Cõfeſſionem aũt Auguſtanam pro Dei verbo,nec agnoſco,nec deinceps agnoſcam vnquam. Nam vt hoc loco ſilentio præteream,quę ſint Chriſtianorum,quos Papiſtas vocatis de ea re iudicia: nec de eo mentionem vllam faciam,quemadmodum ſub illud ipſum tempus,quo Cæſari fuit oblata,per eum in Comitijs imperij magno cum conſenſu omnium ordinum,paucis admodum exceptis reiecta fuerit & reprobata,vel ipſi Lutherani, qui confeſſionis huius cenſeri volunt,æditis libris eam condemnare videntur. Libet autem ab ijs, qui nobis magis vicini ſunt exordium ſumere. Andream Oſiadrum pleriq; veſtrum proculdubiò nouerunt, cùm annos aliquot Regiomonti commoratus,& ibi ſit mortuus, vir doctus fuit, vtinam æquè pius. Quod autem Lutheranus fuerit,non puto quenquam veſtrum iturum inficias,quando quidem non eum aliud,quàm Lutheri dogma profeſſum eſſe conſtat. Quin & nouam ſuam de iuſtificatione doctrinam, de qua tantæ proximis ſuperioribus annis in vicinia fuerunt altercationes excitatæ,non aliundè ferè,quàm ex Lutheri libris confirmare conatus eſt, quos eodem propè loco,quo Canonicæ ſcripturæ libros citare videtur. Hic igitur Oſiander cum nouũ de iuſtificatione dogma ſuũ à Philippo & ab eius collegis damnatum animaduertiſſet,qđ cum doctrina Confeſſ. Auguſt. minimè conſentire iudicaretur,non dubitauit,& quidem veriſſimè Confeſſionem illam verbum Philippi vocare,ſimul Theologorum & Magiſtrorum,qui Vvittembergæ promouentur, miſeram conditionem deplorauit, qui cõpellantur in Auguſtanæ Confeſſionis,hoc eſt in Philippi,non aũt ſcripturæ verba iurare. Monet etiã parentes,ne Vvittembergã filios ſuos mittant,vt ibi magiſtri & Doctores efficiantur. Coguntur.n. inquit,abiurare verba Dei,& in Philippi verba iurare. Ac nõ ita multis interiectis: Vox,inquit,audita eſt de cęlo patris de Chriſto dicentis: Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi benè cõplacui,hunc audite. Hunc,inquit,audite,non Philippũ: cuius quatuordecim etiã interſe pugnãtes opiniones de iuſtificatione protulit, vt quã eſſet varius & inconſtans in doctrina ſua,planum omnibus faceret. Videtis quale fuerit huius viri nõ minus docti,quàm erat Philippus de Auguſtana Confeſſ. iudicium: quàm abominandum ſceleris eſſe iudicauit homo Lutheranus,vt in Philippi verba iuraretur, & qđ ab illo ſcriptũ eſt eo dem loco,quo Dei verbum haberetur,& vultis vt hoc ego faciam homo Chriſtianus, qui nullum alium præter Chriſtum vnum cum Patre & Spiritu ſancto Deum agnoſco,nec aliud Dei verbum profiteor,quàm quòd ex quo tempore terrę Pruſſiæ Chriſti receperunt Euangelium,ſemper in eis fuit prædicatum. Sed excutiamus paulò diligentius præclaram confeſſionem hanc,quo facilius qualis ea ſit,& quàm iuſtam habeatis eius expectandæ cauſam, cognoſcere poſſitis. Principio ſatis conſtat,quòd quæ primum Auguſtę Germanica fuit Imperatori Carolo oblata,non per omnia concordat cum exemplari Latino,quod paulò pòſt fuit euulgatum: id quod & apud fide dignum authorem,qui præſens tunc fuit legere me recordor,& ex ipſius Ferdinandi Cęſaris ore,cum nuntium Apoſtolicum apud illum agerem audiui,qui prætereà dixit archetypon ab Archiepiſcopo Moguntino,tanquam Imperij per Germaniam Cancellario diligenter aſſeruari,quo doceri poſſit,cùm vſus aliquando venerit,quod aliter oblata Cæſari fuerit aliter poſteà typis mandata. Porrò de Apologia confeſſionis author hoc illius ipſe fatetur in ſua præfatione, quòd alia forma fuerit ædita, quàm quæ Cæſari fuerat oblata. Libet autem duo tantum ex confeſſione loca proferre, quæ diuerſa reperiuntur in tribus exemplaribus. De peccato originali,quod primum fuit Cæſari oblatum,ſic habet: In peccatis homines concipi & naſci. Secundum quod paulò pòſt æditum eſt,naſci cum peccato. Tertium,decimo poſt anno typis mandatum,Naſcentes habere peccatum originis. Verùm hæc alicui minoris momenti videri poſſunt,ad maiora veniamus. De cœna Domini primum habet; Corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini præſens eſt in cœna,quæ ſententia prorſus eſt Catholica. Secundum nec ſpecierum,neq; panis & vini mentionem facit vllam,ſed corpus,inquit,& ſanguis diſtribuatur in cœna veſcentibus. Hęc iam eſt ambigua: latet anguis in herba. Tertium,cùm pane & vino exhibetur corpus,&c. Hæc Lutherana prorſus eſt & hæretica. Quid autem? An hoc ludere non eſt in grauiſſimo fidei negocio? ſic ſubinde confeſſionis verba mutare,& indies in peius proficere? Iam de Miſſa,nónne hæc ſunt illius verba? Falsò accuſantur Eccleſiæ noſtræ,quòd Miſſam aboleãt. Retinetur.n. Miſſa apud nos,& ſumma reuerẽtia celebratur,ſeruãtur & vſitatæ cęremoniæ. Quæſo vos,nũ vera ſunt q̃ dicũtur hic? At nõ ita multò pòſt ſcripſit Lutherus epiſtolam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

stolam, in qua Missam funditus deleri vult, optans à Deo Christianis omnibus dari tale cor, vt si quando audiant hanc vocem, Missa exterreantur, & signo crucis se muniant, tanquam contra diaboli abominationem. An ista cum verbis Augustanę Confessionis cõueniunt? magis adeò cum factis. Quid autem est labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt, si hoc non est? Iam religiosè scilicet religionis causa tractari debet? Nihil aliud illi quàm fuc cum Cęsari facere volebant, aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum gerebant. Sed quæ posteà sequuta sunt, videamus. Quale fuerit Smalcaldium fœdus, quod nobis peperit Augustana Confessio, non ignoratis. Contra fortissimum Dei verbi progugnatorem à subditis principibus arma susceptа fuerunt. Sed iustus ille iudex Deus victoriam de suis rebellibus causam suam agenti & Euangelium suum defendenti, pientissimo Cęsari cõcessit. Post eam victoriam ex Comitiorum decreto fuit interim religio conscripta, quin & per totam ferè Germaniã recepta. Quid autem posteà consecutum est? Philippi Melanchtonis discipuli, qui Germani, non autem degeneres Lutherani, qualem Philippum & sectatores eius fuisse iudicant, videri volunt. Matthias Flaccus Illiricus, Nicolaus Amsdorfius, Erasmus Sarcerius, Nicolaus Gallus, Tilmanus Heshusius (cuius lepidam fabellam quandam de peruerso quodam Anglo per Merlinum in linguam Germanicam nuper versam, plerique vestrum viderunt) & alij nonnulli grauiter queruntur de præceptore suo, quod is doctrinam Confessionis Augustanę multis in locis mutauerit, verterit, peruerterit, deprauauerit, adulterauerit, & in præcipuis doctrinæ capitibus ab ea defecerit, & quæ recenset etiam, nimirùm de libero arbitrio, in quo Lutherus pendere dicit cognitionem sui ipsius, cognitionem & gloriam Dei, vocat etiam cardinem & iugulum suę doctrinæ, de hoc secus Melanchtonẽ docuisse, iugulũq; doctrinæ Lutheranę præcidisse, quãdo eã tanq; impiã & Manichęorũ hæresi cõsentientẽ condẽnauit. Dogma de iustificatione vocat Melanchton præcipuũ doctrinæ Christianæ caput, & in ea summã Euangelij cõtineri, scribit etiã in hac quæ summa totius est Euangelij ipsum defecisse, quandoquidẽ de hac excluſiua sola pugnãdum esse negat. Similiter in eo qd' opera bona docuerit ad salutẽ, siue iustitiã esse necessaria, & quòd impossibile sit absq; bonis operibus saluum atq; iustum fieri: tum in eo quòd Episcopis, qui Romano Pontifici iureiurando sunt obstricti, iurisdictionem concesserit, quòd Ecclesiasticas quoq; cæremonias receperit. Postremò, quòd in dogmate de Eucharistia Zuinglianismum siue Caluinismum sapiat. Sic in prioribus illum in Papismum, hoc est in Christianismum, in illo verò postremo doctrinæ capite in Caluinismum inclinasse. Tragicè vociferatur. Ex qua quidem re tam grauiter eos offensos esse constat, vt præceptorem summ grati discipuli diris etiam deuouere nõ dubitauerint. Contra quem quasi pro tribunali sedens, ita pronunciat Matthias Flaccus Illiricus: Cùm videam Philippum & qui cum eo sentiunt in suа impœnitentia manere, & præsentes adiaphoricas constitutiones contra conscientiam promouere pronuncio, impœnitentes adiaphoristas esse pro Ethnicis & Publicanis habendos, id est, neminem pium debere cum ipsis vllam familiaritatem, conuersationem, amicitiam habere, & ei qui præsertim nullo necessitatis iure astrictus aliter fecerit, denuntio lepræ eorum contagium, & ita haud dubiè iram diuinam. Videtis qualem sententiam contra suum præceptorem, qui fuit author Augustanæ Confessionis, etiam ipsius discipuli tulerunt? qui cùm redarguerentur à Vvittembergensibus, quasi parum memores essent beneficiorum ab eo acceptorum, audiunt illud. Amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas: qui etiam ridentur à Nicolao Gallo, quòd sicut olim Iudæi clamabant, Templum Domini templum Domini: & Papistæ clamauerunt, & clamant adhuc Ecclesia Ecclesia: sic, inquit, & isti clamant nunc, & nihil aliud prorsus norunt, quàm Præceptores præceptores. Præceptoris CHRISTI, de quo Dominus testificatur, Hic est filius meus, hunc audite: Præceptoris Lutheri, cui & scripta & opera testimonium dant, quòd illum DEVS ad reformationem doctrinæ & Ecclesiæ tanquam vltimum Heliam his nouissimis temporibus excitauit, sunt obliti. Sic Lutherum cum CHRISTO coniungit Gallus, vt eum proh nefas non alio, quàm qui CHRISTVM ipsum habere loco videatur. Eius igitur doctrinam, quem etiam ipsi Lutherani condemnarunt, quem ex Ecclesia sua tanquam veritatis Euangelicæ desertorem & abnegatorem CHRISTI (sic enim eum alicubi Flaccus vocat) eiecerunt, quem Zuinglianum siue Caluinianum ad extremum factum esse constat. Eius, inquam doctrinam, quam toties author ipse, si quid eius discipulis credimus, mutauit, vertit, peruertit, corrupit, adulterauit, vt ego iudicio meo comprobem, & eam pro Dei verbo vobis venditari faciam, à me postulare vos audetis? Ego verò si mihi mandaret id etiam ipsa Regia Maiestas, quod quæ pietas est illius, & religio nunquam facturam scio, iugulum meum illi prius offerrem, quàm imperata facerem. quanquam sicubi Philippus Christianisat, nimirùm in quatuor aut quinque capitibus à me recensitis, doctrinam eius recepero non inuitus. Vbi verò Lutherisat aut Caluinisat, abfit, vt vel cogitare mihi id veniat in mentem vnquam. Scio quid vicissim de suis discipulis Philippus queratur, à quibus tam grauiter fuit exagitatus, vt à quodam viro fide digno audiuerim, quòd paulò antequàm ex hac vita migrasset, nihil magis optauerit, quàm vt Concilium congregaretur, ad quod se venturum, & quod in eo decretum foret, obuijs vlnis id amplexurum se promiserit. Vidi volumen quoddam, in quod pleraq; scripta sua congessit, quod Christianæ doctrinæ corpus (vtinam verè) vocari voluit. In eius præfatione, quam admonitionem inscripsit, ad Lectorem facta Matthiæ Flacci Illirici, & Nicolai Galli mentione sic de illis loquitur. Cùm isto mirabilium hominum genere agi nihil potest, qui suo arbitrio damnant quidlibet, neq; personis auditis, neq; rebus dijudicatis. Cogunt Concilia, quando & vbi ipsis placet & vendicant sibi maiorem, magisq́ue intolerabilem, ac minus excusabilem authoritatem & potestatem, quàm Papa Romanus vnquam. Quæ quorsum tandem

tandem euasura videantur, cogitetur. In præfatione verò quæ præcisit admonitionem hanc, in Anarchiam quandam euasisse dicit. Ac verissimè quidem hæc Philippus. Et subidem ferè tempus Ioannes quoq; Sturmius quædam Buceri scripta Eucharistica diuulgauit, & in præfatione sua de illis ipsis Lutheranis non dissimilem profert sententiam. Queritur enim illos importunitate & iniustitia sua cursum Euangelij impedire, sine metu cruciatus, inquit, frigore in hypocaustis caliduli, æstu in vmbra frigiduli, quos volunt, & quæ volunt, probant: rursus quæ volunt, & quos volunt, improbant, vexant, condemnant, proscribunt, palo prope & cruci affigunt, in ipsas prope vstrinas & rogos impellunt. Quòd si magistratus, inquit, istis hominibus per triduum gladium suum concederet, crudelissima statim essent secutura condemnationem tonitrua, fulgura, fulmina. Est autem re vera sicut Philippus dicit, mirabile quoddam genus hominum, qui suo arbitrio damnant quidlibet, neq; personis auditis, neq; rebus dijudicatis. Verùm vnde, quæso, nobis hoc mirabile genus hominum? an non ab ipso Luthero? an deinde non ab eius discipulo Philippo? Ausus est omnem ferè Papatus, hoc est orbis Christiani doctrinam damnare Lutherus, neq; personis auditis, neq; rebus dijudicatis. Venditauit sibi maiorem, magisq; intolerabilem & minus excusabilem authoritatem & potestatem, quàm Papa Romanus vnquam: qui nisi prius ad iudicium aliquem vocauerit, & causam eius cognouerit, cõdemnat neminem. Ausus est idem facere Philippus, qui se Luthero turpiter in quadam ad Carlouitium epistola seruisse fatetur: & interea mirantur, si quod ipsi nullam iudiciariam potestatem habentes, de toto fecerunt orbe Christiano, idem eorum exemplo pari potestate de ipsis vicissim ipsorũ discipuli statuant? De Donato scripsit Aug. aliquando, quòd sicut is Christum diuidere conatus est, sic à suis ipse quotidiana concisione diuiditur. Idem Luthero nunc & Philippo videmus euenisse. Sicut ipsi nefario scelere diuidere Christi corpus Ecclesiam, & ab eius vnitate se disiungere veriti non sunt, sic vicissim ab eorũ se consortio non ita multò pòst ipsius condiscipuli separarunt. Fuit in vicinia non ita pridem habita deliberatio de Caluinistis, ex ea propulsandis, qui cùm & ingenio valerent, & nihilo viderentur Lutheristis indoctiores, bellè responderunt. Si propulsandi sunt ex his terris, qui separationis consilia sequuti sunt, primi propulsandi sunt Lutheristæ, qui primi se à Papatu, hoc est ab Ecclesia Dei separarũt. Si fuit illis fas ab orbis Christiani Papatu se præcidere, cur nobis quoq; nõ licuerit nos à Saxonico Papatu separare? Quemadmodum hoc eorum responsum refutari potuerit non video, nec fuisse refutatum audio. Quod aũt Caluinistę tunc, idem dixerunt anteà, dicũt etiã nunc Anabaptistæ & Trideistæ, & quæcunq; tandem aliæ quãlibet horrendę sectæ, quę non aliundè natæ videntur, quàm quòd author vniuscuiusq; sibi, sicut Philippus loquitur, vendicat maiorẽ, magisq; intolerabilem, ac minus excusabilem, authoritatem & potestatem, quàm Papa Romanus vnquam: ex cuius dignitate rectè docet Hieronymus Ecclesiæ salutem pendere. Nam nisi quædam exors, & ab omnibus eminẽs illi detur potestas, tot, inquit, in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes, quamuis hoc quidem tempore non quot sacerdotes, quorum etiam iam nomen, à quibusdam alicubi ferri non potest, sed quot homines, tot fere schismata videre licet. Iusta igitur est hæc Philippi de suis discipulis querimonia, quam ipsi tũ bellè retorquent in suum præceptorem, ac magis in ipsum quadrare dicũt. Sic. n. Gallus loquitur: Quemadmodum Pontifex Roman. sibi hoc arrogat, quòd non possit errare quòd sit vniuersalis Episcopus totius Ecclesiæ, quòd quæcunq; dicuntur & statuuntur ab illo, ea fixa & rata esse oporteat, ac si sint mera diuina oracula, de quibus nemo dubitare, quibus nemo contradicere audeat, idq; propterea, quòd Petri Cathedræ ipse sit hęres: haud aliter profectò faciunt nunc Vvittembergenses, volunt Lutheri & eius spiritus propter sedem hæredes esse. Non potuit Romanũ Papã cũ suo Luthero ferre Philippus, ecce nũc nec Vvittembergensem Papam ferre possunt discipuli Philippi: sibi quisq; potestatem hanc arrogat, alterius cuiusuis, quin & orbis totius Christiani iudicio suũ iudiciũ anteponit: suũ ipsius verbũ, Dei verbũ existimari, suam doctrinam purũ Euangeliũ Christi vocari vult. Inde nobis adeò tot sectæ mirandũ & miserandũ in modũ inter se dissectæ. Quid aũt posteà ex eo subsecutum est? Nouas iam audire licet quærimonias eorũ, qui Germani sunt, Lutherani præsertim, qui nouam quandam & eam fabulosam & Ecclesiasticam historiam cõscripserũt, de nouo quodam genere Politicorũ Pontificũ (quos etiam vocant Politicos Antichristos) quòd audacissimè formas religionũ ex suo cerebro fundũt & formulas præscribũt, quas imperiosè verbi Dei ministris obtrudũt, & res ad Pastorũ officia pertinentes, nefariè & impiè ad se rapiunt. Olim aiũt, Romanus Præsul potestatem sibi sumebat, leges etiam Politicas, nõ modo reformandi, sed etiam delendi, qd verò nũc fit? Pro vno Pontifice innumeri ex Politicis à forensibus rebus ad Ecclesiasticas transcendũt, & nõ cõtenti suis metis religionũ formulas, cũ sceptro gladijs, & fulmine Iouis exhibent, falcem in alienã messem mittũt, & alienam functionem temerè inuadũt, sanctũq; sanctorũ intrant, quemadmodũ Osias, qui cùm sint Politici magistratus, tũ magno supercilio audent religionũ formas cõponere, easq; Ecclesiæ ministris offerre, tali cũ imperio, ni applaudũt sine cõtradictione suo sceptro illos expulsuros, aut punituros, id qd' etiã factitant absq; omni misericordia. Hactenus illi. Post excussum legitimi Põtificis iugũ, dũ quisq; sibi maiorem authoritatem & potestatem arrogat, quàm ille: dũ qd' ipse docet, id Dei verbũ vocari vult, ecce quorsum tandem res redacta est? Nouũ quoddam Pontificũ genus exortũ est, qui non stylo, sed sceptro, gladijs, & fulmine Iouis nouas religionũ formulas præscribunt: quas nisi ministri verbi cuiuscũq; tandem (nam non esse ministros verbi Dei certũ est) amplexi fuerint aut exiliũ, aut grauiores etiam pœnas ferre cogũtur. Grauiter queruntur de Politicis Pontificibus, ijs Germani Lutherani ministri. Nec iniuria. Constat. n. eos ex multis locis pulsos fuisse, Flaccũ præsertim, Vigandũ, Matthęũ, Iudicem & alios nõnullos. Nam quę sunt in vicinis ciuitatibus acta, per istos Polyticos

Pontifi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pontifices, malo nunc silentio præterire. Cuius autem vos lepidam fabellam cum voluptate nuper legistis Heshusius (quem Seruetianum Caluinus, Arianum dicit esse Boquinus, cui nescio qd graue crimẽ obijcit Clebicius) cùm à Theodoro Beza sibi fuisset obiectũ, qd Goslaria, quòd Rostochio, quòd Heidelberga, quòd Brema pulsus fuerit, Magdeburgo nãq; posteà post æditum librum à Beza, ac deinceps vesalia non ita pridem facessere iussus est, non it inficias, quin gloriatur, quòd propter Dei verbum passus hęc fuerit à Lutheranis. Quanquam hic illi honos habitus est, tanquam superintendenti, quòd non sicut alij carbonario curru, sed honoris gratia tecto carpẽto noctu deportatus est, multis armatis circumseptus, & scriptum est distichon hoc à Vvittembergensibus de Heshusio:

Queritur Heshusius cur sexta pulsus ab vrbe est,
In promptu causa est, seditiosus erat.

Ita Papas suos Euangelicos, non autem Christianos accipiunt Polytici Pontifices, nisi quam illi formulam religionis præscripserint, eam secuti fuerint. Qui cum ea de re tam flebiles emittunt querimonias, quid aliud audire merentur, quàm quòd à Comico dictum est: Tute hoc intristi, tibi est id omne exedendum: & quod vetus prouerbium habet: Compedes quas ipse fecit ipsus, vt gestet faber. Dirupisti vincula legitimi Papatus, ecce nunc in istos Polyticos Pontifices incidisti, qui durioribus etiam vinculis te constrictum tenent. Liceat autem quæso mihi per vos in Heshusij historia paululum immorari. Cùm his honoris causa tecto carpento multis armatis stipatus noctu Magdeburgo iussu Polyticorum Pontificum deportatus fuisset, quæri cœpit, quòd sibi propter Dei verbum id acciderit, quod ęq; ciuitas Magdeburgensis à Deo & ab eius verbo defecerit. Cùm verò ministri ciuitatis illius Ecclesiarum constanter id negarent, & à verbo Dei se minimè defecisse, vel hoc argumento probarent, quòd in ea fidei regula, quam illis Flaccus præscripsisset permansissent, audite, quæso, quid illis respondeat Heshusius. Libet autem ipsius verba, quemadmodum ab eo perscripta sunt proferre. Manifestum est, inquit, & vniuersæ Magdeburgensi ciuitati notũ, quod vos tyranni falsi fratres, & qui vobiscum faciunt, Christianos, qui sibi vestram hanc persecutionem displicere non obscurè ferunt, & se meam & aliorum fidelium doctorum doctrinam sequi profitentur, magna quadam animorum acerbitate Flaccianos vocatis, ac per hunc modum segregatos à vobis esse vultis. Non puto quòd hoc sitis inficias ituri, & si velletis, totam contra vos Magdeburgensium ciuitatem in testimonium producerem. Nam & ex prætorio & de scholis eò tandem res processit, quòd etiam pueri in plateis & virgines quoties ad nuptias cõueniũt, mutuo se Flaccianos increpãt, & inuicem toruis oculis aspiciunt. Et re vera tota fidei cõfessio in hoc vno verbo posita est. Nam qui alterum, qui in Christi nomine baptizatus est, quasi probri loco Flaccianum appellat, quid aliud is indicare vult, quàm in ijs quæ ad fidem pertinent, se cum eo minimè consentire, & eum non habere pro Christiano, verùm pro sectario, pro seditioso, pro desertore, qui Flaccum Illiricum & non IESVM Christum suum Saluatorem sectatur. Nam quid opus est nouo nomine, si ipsi nobiscũ & nos cum illis idem in fidei confessione sentimus? & ad idem caput IESVM Christum pertinemus? Dignum est animaduersione, quòd Heshusius tyrannos vocat, qui se nõ continentes intra septa mundanarum rerum sibi quæ sunt Pastorum vsurpant, & ad se quæ sunt eorum officia, nefariè rapiunt: deinde verò quòd innuit non esse Christianos, qui defecerunt à se, qui suam, quam eandem Christi doctrinam esse putat, reliquerunt: & aliundè sibi quàm à Christo nomen imposuerunt. Nec absq; ratione loqui certè videtur, quòd de Flaccianis dixit. Nam certum est, quòd qui nomen aliundè ducunt, quàm à Christo, quales Priscis illis seculis fuerunt, Valentiniani, Marcionitæ, Priscilliani, Montenses, Ariani, Donatiani, nunc autem hoc infelici seculo nostro, Lutherani, Caluiniani, Flacciani, Maioritæ, Seruetiani, tum quotquot alij vel Augustanam, vel Tygurinam, siue Blandratanam aut Gentilianam, vel quamcunq; tandem aliam non Christianam confessionem sequuntur, quòd ij Christiani dici non merentur: nec ad Ecclesiam Christi, sed ad Antichristi pertinent synagogam, sicut ante centum viginti annos apud Athanasium, Hieronymum, Optatum, & alios nonnullos scriptum legimus. Sed obsecro vos, qui nam illi fuerunt, qui primi nomen Christianorum tanquam tritum & obsoletum repudiarunt? Hoc omnes fatebimini procul dubio, quòd ante quinquaginta annos non alio quàm Christianorum nomine censebantur in ijs terris omnes, nec audiebantur hæ voces: Ego sum Cephæ, ego autem Apollo, &c. Cæterùm simul vt in lucem prodijt, quod seculis aliquot sub scamno latuisse scribit Lutherus, præclarum hoc (si Dijs placet) Euangelium, patribus nostris incognitum, à quouis alio potius, quàm ab authore Christo profectum, qui primi sunt illud amplexi, ne qd nobiscũ, hoc est cum Christo & cum Christianis habere commune viderentur, & vt esset aliqua separationis nota, tam claro & illustri nomine reiecto nomen Euangelicorum, quàm Christianorum vsurpare sibi maluerunt, & cum aliud Lutherus, aliud Zuinglius, aliud alij filij defectores Euangelium prædicarent, vt quod cuiusq; Euangelium agnosci posset (nam vel ipsius Heshusij confessione Christi non esse constabat, cum eos maiorum nostrorum exemplo à Christo nomen puderet ducere) necesse fuit authoris nomen poni, quò sic alij Lutherani vocarentur, alij Zuingliani, alij Maioristæ, alij Caluinistæ, alij alijs nominibus appellarentur, vt Heshusio mirùm esse non debuerit, si Magdeburgi quoq; vocabantur aliqui Flaccianis, si qui fortè nimio plus rigidi fuerunt in asserenda Lutheri doctrina, quòd eam purum Euangelium esse persuasum haberent, vt vel digitum latum ab ea discedere fas non esse putarent. Sed quòd inter ipsos etiam Flaccianos videre sectas licet, quos ad paucos admodum iam redactos esse scimus: quandoquidem non eos ferre vel princeps aliquis, vel quiscunq; tandem alius in Germania Magistratus ferre potest, quòd inter se tantis ipsi certant odijs, quòd adeò toruis oculis inuicem intuentur, quòd è ciuitate sua Flaccianæ doctrinæ

ministræ ministros eijciunt illi ipsi, qui eundem authorem & consumatorẽ fidei suæ Flaccum profitentur, id verè multo maiori dignum est admiratione. Magis autem illud stupendum, quòd & pueri & puellæ de doctrina fidei iudicium sibi quodammodo sumunt dum digito notant, alios à se dissentientes quos hac ratione condemnare videntur. Sed quid est quod non audeat quintum hoc Euangelium? Audio, quod in vicina quoque ciuitate Consul aliam fidem profitetur, aliam vxor eius, quæ sibi potestatem & ipsa vendicat de verbo Dei iudicandi. Quamobrem cuius ministri verbum tanquam Dei verbum audit maritus, id esse verbum Dei negat, nec adduci potest, vt in idem quod ille templum ingrediatur, sed suum habet ipsa quoque ministrum cuius verbum Dei, verbum esse non dubitanter affirmat. Ecce quorsum res recidit, per Deum immortalem posteaquam non magis viri quàm fœminæ, quin & pueri puellæq; sibi Papæ potestatem arrogare, deq; Dei verbo iudicium sumere veriti non sunt. Prudenter admodum à quibusdam Romanis Imperatoribus factum est, vt publicè de fide disputare prohiberent, ac edicto sancirent, vt eam religiõem cuncti subditi retinerent, quam vertex Apostolorum Petrus initiò tradidisset, & tum Damasus Episcopus Romanus custodiret: Episcopi Romani fidem vt sequerentur omnes, volebant non vt suo arbitrio quisque quod vellet aut approbaret aut damnaret. Quoniam verò de verbo Dei sermo nobis, nunc est paucis vos admonendos esse duxi, quòd inter nos & inter eos, qui discesserunt à nobis nulla est de verbo Dei controuersia. Nam si verbi Dei nomine scripturas Canonicas intelligi volunt, has nos reuerenter & quidem omnes accipimus, & in eis verbum Dei contineri libenter profitemur: illi contra quasdam arbitratu suo reijciunt. Quanam igitur de causa disceptatur inter nos & inter illos? Dixit hoc quidam ex sanctis patribus: De intelligentia hæresis est non de scriptura: sensus non sermo fit crimen. Verbi gratia. Fingamus aliquem fuisse monachum apostatam, & ijvtinam natus nunquam fuisset, homo ille cui monacha quædam adlibuerit, qui cum esset veneri⁊ cœstro percitus Sacramenti quo Deo fidem suam obstrinxerat oblitus, præfractis pudoris repagulis, & ruptis pudicitiæ claustris, incestum sacrilegium cum ea perpetrauit, quod nihil ominus honorabile connubium & thorum immaculatum vocari voluerit, tale monstrum fuisse fingamus, quod locos aliquot scripturæ produxerit, quibus nouam quãdam doctrinam confirmare conaretur, num statim Dei verbum esse dicemus, quod ab illo producitur? Absit. Nos verò quas ille scripturas adfert, tanquam Dei verbum, libenter & reuerenter accipiemus: quem verò sensum illarum producit, si cum sensu & consensu totius Ecclesiæ pugnat, haud aliter quàm diaboli verbum reijciemus, & abominabimur. Nulli fuerunt vnquam hæretici, qui dogmata sua quamlibet impia scripturarum testimonijs confirmare non studuerint: quin etiamsi quis vel Ecclesiasticas historias, vel priscos illos authores, quibus cum hæreticis certamen fuit maximè verò Tertullianum, vel Oecuminica Cõcilia legerit, nõ alios magis de scripturis, deq; Dei verbo gloriatos fuisse reperiet, quàm hæreticos: præ cæteris autem Arrianos, qui nihil aliud, quàm scripturam & Euangelium subinde crepabant: nec vllas, quæ non inuenirentur in scripturis, voces recipiebant: quibus tamen intereà Catholici patrum traditionem opponebant: vt nihil extra scripturas reciperè, propriũm id semper hæreticorum fuisse videatur. Itaq; non soli sunt Lutherani, qui tantoperà de verbo Dei gloriantur, qui sibi scripturarum possessionem tanquam propriam arrogant. Fecerunt hoc omnes omnium ferè sæculorum hæretici, faciunt etiam nunc Caluiniani, faciunt Anabaptistæ, faciunt noui nostri temporis Arriani, qui veteres etiam illos impietate longè superant, quorum ego libellos anno proximo superiore lingua Polona conscriptos, ac typis mandatos, non sine quodam horrore legi, tot ac tantis referti sunt blasphemijs: at in scripturis citandis adeò densi sunt, vt non rarò per vnam aut alteram paginam non eos alia ferè quàm scripturarum verbum proferre videas, quibus blasphemam opinionem suam confirmare nituntur, idq; tam persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, tanta cum specie pietatis, vt ego non mirer, si multi reperiantur in Polonia, & ij non postrema nobilitate, qui doctrinam hanc quamlibet impiam sub specioso verbi Dei titulo sunt amplexi. Quæ probra, quæ maledicta, quas blasphemias illi non eiaculantur in adorandam Trinitatem? in Deum Trinum in personis, vnum in substantia, in Christum ante sæcula, Deum de Deo genitum: quem ipsi Papisticum Christum vocant. Suum verò quem verum Christum esse aiunt, natum esse dicunt ante 1567. annos, pauperem ex paupere virgine, ministros etiam habentem pauperes, purum quidem hominem, posteà verò Deum esse factum: ac non rarò multò grauiùs debacchantur in Lutheristas, quàm in Christianos, quos vocant Papistas. Nos enim in densissimis tenebris etiam nunc versari, cæterùm illis plus aliquid lucis affulsisse dicunt: quò molestius ferunt, quòd beneficio lucis huius vsi non sint, vt ad vlteriora progrederentur. Magnificè quidem illi de Luthero sentiunt, quòd is tectum Papatus demolitus fuerit: sed plus aliquid Zuinglio tribuunt, qui parietes etiam ipsos diiecerit, quorum vestigijs insistentes, ad subruendum Papatus fundamentum, hoc est, sanam & orthodoxam de sanctissima Trinitate doctrinam, quandoquidem ab illis didicerunt, nihil præter scripturas esse recipiendum, se nunc gloriosi milites aggredi iactant. Ecce quorsum tandem res recidit, posteaquam eò sunt homines audaciæ atque amentiæ progressi, vt quem sibi quisque scripturæ locum confinxisset, eum purum Dei vrbum haberi vellet. Iam ipsum etiam fundamentum dissectum, iam doctrinam de Sanctissima Trinitate, deq; sempiterna Christi diuinitate, multis in locis explosam esse cernimus. Iam etiam homines ætate prouectos rebaptizatos audimus, id quod in Guiauiensi tractu proximis superioribus mensibus, quo tempore magnum fuit gelu factum, fuisse dicitur, vt non pauci nudatis corporibus in stagnum insiluerint, de quorum numero quædam anicula frigore mortua fuisse renunciatur. Et quoniam in mentionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Anabaptistarum incidimus, tenere me non possum, quin ex quodam eorum libro nuper ædito quædam commemorem. Christianos quos Papistas vocant, habent illi pro deploratis, quòd eos ad sectam suam adduci facilè non posse videant. Quamobrem cum Lutheristis rem habere malunt, quibus plus aliquid lucis inesse persuasum habent. Quo magis mirantur & molestè ferunt, quòd illi vident in vno scripturæ loco, non eos idem in alio quoque simili videre. Rectè docetis, aiunt, non esse Christi corpus in Eucharistia, nisi quando manducatur. Nam expressa Christi verba sunt, Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Cur autem similiter non docetis, vbi de Baptismo Christus loquitur, cum & illa non minus expressa sint Christi verba: Docete omnes gentes, baptisantes, &c. Sicut ibi dicitur, accipite & manducate, hoc est corpus meum: sic & hic dicitur. Docete Baptisantes. Sicut ex illis Christi verbis rectè colligitis, non esse Christi corpus, nisi quando manducatur: sic ex his similiter colligere debetis, non esse Christi Baptismum, nisi quando baptisandus docetur. Nec enim sicut Papistę loquuntur, cùm accedit verbum, sed iuxta vestram sententiam, cùm accedunt dentes ad elementum, fit Eucharistiæ Sacramentum, itidem cum accedit doctrina ad elementum, fit Baptismi Sacramentum, non autem accedente solo verbo. Forò non magis doceri posse constat infantem, quàm vel truncum aliquem, vel parietem: quandoquidem nullam ad Baptismum fidem adferunt, vel rebaptisandi necessariò veniant. Videtis quemadmodum Anabaptismi sui Lutheristas authores isti proferunt, quod idem & Caluinistæ faciunt, & Trideistæ, & alij plerique omnes. Nam quod Lutherus licere sibi voluit, vt Ecclesiæ sensu & consensu reiecto, quem ipse vellet scripturæ sensum adferret, idem & alij licere sibi debere contendunt. Nolite putare, quòd absq; magna ratione factũ sit, vt in Apostolico symbolo, quod à nobis quotidiè recitatur, poneretur. Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, & non potiùs Credo sancta Biblia, vel sanctum Euangelium. An id propterea factum est, vt ne Biblia credamus, aut sanctum Euangelium? Absit. Si quis hæc non credit, Christianus non est. Sed iam paulò superiùs audiuistis, quòd vix fuit vllus vnquam hæreticus, qui se non diceret sancta Biblia credere, qui de verbo Dei non vt maximè gloriaretur, qui sic illud sibi soli non vendicaret, vt Ecclesiæ detraheret vniuersæ. Quam etiam ob causam Lutherus vester nihil est veritus vocare Biblia librum hæreticorũ, quod ex illis ad confirmandos errores suos argumenta sumant, quotquot ferè sunt hæretici. Hanc igitur ob causam Spiritui sancto visum est, vt in Symbolo potiùs poneretur, Credo Sanctam Ecclesiam, quò sic & ipsos Bibliorum libros non alios, q̃ quos ipsa nobis tradidit Ecclesia, pro Canonicis haberemus: nihil eis arbitrio nostro vel addẽtes detrahentes, & eorum sanam intelligentiam non aliundè quàm ab Ecclesia peteremus, ac illius memores, quod scriptum est: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident: in illis interpretandis non aut nostrum aut cuiuscunque tandem alterius priuatum, qui falli potest & fallere, sed Ecclesiæ, quæ cùm columna & firmamentum sit veritatis, errare nescit, Spiritum sequeremur: extra quam chartæ siue pelles haberi possunt, atramentum haberi potest, literæ siue characteres, quibus conscriptum est Euangelium, haberi possunt: cæterùm ipsum Euangelium, hoc est, sanus illius intellectus, extra eam haberi non potest. In illa sunt Biblia, in illa est Euangelium, in illa sanus est intellectus Euangelij, quin ipsa potius viuum est Euangelium, scriptum nõ atramento, sed spiritu, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Ex quibus omnibus facilè perspicere potestis, quòd non scriptura, non Dei verbum est, quod illos qui segregauerũt semetipsos, à nobis disiunxit. Nam velint nolint fateri coguntur, quòd non ab alijs, quàm à nobis Papistis hæc habeant, quod in epistola quadam quã ad duos plebanos de Anabaptismo scripsit, ingenuè confitetur etiã ipse nostri temporis hæreseon architectus In Papatu plurimum, inquit, est boni Christiani, imò omne bonum Christianũ, atq; illinc etiã ad nos peruenit. Fatemur in Papatu verã esse scripturã, verũ Baptisma, verum Sacramentũ Altaris, veras claues ad remissionẽ peccatorũ, verũ p̃dicandi officiũ, verũ Catechismũ, dico insuper sub Papatu verã Christianitatẽ. Obsecro vos, quod potuit nobis dari grauius testimoniũ, apud nos esse verã scripturã, esse verũ Dei verbum, q̃ quod ab homine datum auditis, qui fuit infestissimus hostis Papatus? hoc est, Ecclesiæ nostræ Christianæ, quam omnibus modis extinctam cupiebat. Verùm tanta vis est veritatis, vt etiam per hostium veritatis iugula vel inuitis illis nonnunquam erumpat. Quæ cùm ita se res habeat, sicut ipse quoque Lutherus fatetur, non scriptura, non verbum Dei fuit in causa, quòd separationis consilia Lutherus cum suis amplexus est, sed sensus elatus: alta sapiebat, humilibus non consentiebat, sensum & consensum Ecclesiæ pro nihilo ducebat, cui sic spiritum detrahebat, vt eum soli sibi vendicaret. Noluit iudicium, sed requisiuit obsequium. Ne tantillum quidem, inquit, moueat quenquam multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, miracula, sanctitas, Ecclesiæ sanctorum omnes perierunt si senserunt vt scripserunt. Qui meis probationibus diffidunt, aut carent sensu communi, aut blasphemiam committunt in Spiritum sanctum, quem habere me mihi sum conscius. Hæc arrogantia, quam voluit æqualis esse Deo, totam Ecclesiam sanctorum præ se contemnens, sicut Luciferum de cœlo, sicut primum hominem de paradiso, sic hunc eiecit ex Ecclesia, ex qua priusquam etiam lata contra eum sententia fuisset, exiuit ipse. Non ita, quem nunc Papistam vocant, homo Christianus, quin ille memor quod in symbolo se credere Catholicam Ecclesiam profitetur, omne suum iudicium illius iudicio submittit, illius sensum & consensum in scripturis interpretandis sequitur, nec vlla potest ei maior esse religio, quàm vel vnguem latum, quod aiunt, ab ea discedere. Quamobrem hic vnus est propemodum articulus, quo Papistæ à Lutheristis, hoc est, Catholici discernuntur ab hæreticis: qui si crederent Sanctam Ecclesiam Catholicam, si plus illius quàm suo indicio tribuendum esse iudicarent, sicut fuimus ante 50. annos vnum corpus, vnus Spiritus, eramus nunc essemus omnes, vnum Dominum, vnam fidem, vnum Baptisma confiteremur, vnum Deum & Patrem omnium vnanimes, vno ore glorificaremus omnes. Neque verò sum nescius, quod & ipsi Ecclesiæ nomen sibi vendicant, qui discesserunt à nobis. Sed obsecro vos, apud quos tandem ex illis Ecclesiam esse dicetis? Nolo nunc alijs de sectis mentionem vllam facere: de sola dicam Lutherana multas in sectas iam dissecta, quarum ego tamen tres authores præcipuos commemorabo, Flaccum, Philippum, Osiandrum. Est ne qui dubitet, quin omnes hi tres Lutherani sunt, intereà tamen eiecit ex Ecclesia sua Flaccus Philippum, vna cum suo Maiore, & alijs à se dissentientibus. An autem non idem fecit Philippus de Flacco, & vterque de Osiandro, & de vtroque Osiander? Vidi librum quendam Vinariensium Ducum, in quo nouem, vidi ministrorum Mansfeldensium alium, in quo sectæ sunt vndecim condemnatæ, quæ non aliundè ferè (vna Christiana excepta falsò inter sectas numerata) quàm à Luthero duxerunt originem. Quin & hoc in illis duobus libris animaduerti, quod & Gennenses & Mansfeldenses ministri non magis ànobis Christianis, quos Papistas vocant, abhorrent, quàm à VVittembergensibus & Lipsensibus: quibus visum est in certis doctrinæ capitibus, ab ipsis etiam Lutheri placitis non leuiter dissidere, nec in omnibus illius sententiæ, quæ non alio loco, quàm quo Dei verbum à multis habetur, subscribere. Atqui sicut fides non est nisi vna, ita & Ecclesia non potest esse nisi vna. Nulla igitur apud istos potest esse Ecclesia: qui sic ex illa se inuicem eijciunt, & hæreseos condemnant: nec vllam vnquam proferunt vocem veriorem, quàm quando se mutuò vocant hæreticos, suoque se iudicio condemnant ipsi. Si nobiscum vnam Ecclesiam Catholicam crederent, quod in symbolo magis lingua, quàm factis profitentur, hæretici non essent, nec vlla separationis à nobis consilia sequerentur. Cuius posteaquam semel initium factum est, finis reperiri potest nullus: & quod est stupendum, quanto maiore versantur in caligine, tanto sibi plus lucis affulsisse persuasum habent. Non possum, quin quid audierim de quodam vobis referam. Audiui autem à propinquis illius fide dignis. Vir fuit in regno cumprimis nobilis ordinis Senatorij, magnamihi quondam iunctus amicitia, cuius nomen etiam plerisque vestrum fortasse ignotum non est, cùm non ita pridem crudeliter à nonnullis interfectus fuerit. Is ante multos annos discesserat in quibusdam, quæ non maximi momenti videri poterant, ab vsu Catholicæ Ecclesiæ. Deinde sicut vos nunc Augustanam Confessionem, pro Dei verbo fuit amplexus, ac tum apertos sibi fuisse oculos & magnam Euangelij lucem affulsisse iactabat. Non ita multò post incidit in Caluinum, cuius libros posteaquam legerat: Hæc verò lux, inquit, multò clarior est. Quamobrem Augustanæ Confessioni nuntium remisit, & factus est ex Lutheristа, Caluinista. Quoniam verò propinquum Trideistam habebat, etiam nunc superstitem eius præceptis imbutus, cùm abominabilem hanc sectam fuisset amplexus, in has voces prorupisse dicitur. Quam fefellit me mea opinio, cùm Augustanam primùm, deinde Genuensem doctrinam professus, in magna me versari luce putabam, quin illæ meræ tenebræ sunt, si cum ea luce comparentur, quæ lectis Trideistarum libris, meis nunc oculis admirabilis quædam est oblata. Nunc primùm ad puri verbi Dei cognitionem peruenisse mihi videor. Videtis quem tandem finem separationis consilia consequantur, & quàm verè dictum sit à Sancto Paulo: Mali homines & seductores proficiunt in peius, errantes, & in errorem mittentes. Quamobrem rectè monet quidam sanctus Pater, quòd initijs tantùm opus est diabolo, & hoc solùm illi laboriosum est, vt initium inueniat: quod simul vt inuenerit, pedetentim homines in profundissimum impietatis baratrum præcipitat. Itaque præclara similitudine suos à diuisione deterret: Quamdiu, inquit, lapides benè compacti sunt, & nihil habent inter se vacuum, firmi perstant, & infracti: si verò vel foramen acus duntaxat, aut scissuram, quæ capilli locum habeat, fieri contigerit, omnia dissoluuntur & pereunt: ita & diabolus, dum compacti quidem & vinculo charitatis coniuncti fuerimus, nihil omnino suorum inferre potest. quamprimum autem foramen aut scissurum effecerit, quodam impetu, non aliter, quàm quasi quidam torrens infunditur. Quod ad oculum ita factum esse proculdubiò vidistis ipsi, qui fuistis in regni comitijs aliquando versati. Verùm ad Confessionem Augustanam redeo. Scio quòd ad Regiam Maiestatem ea de re nuncios vestros miseratis, ad quam ego quoque meum cum literis misi tabellarium: quæ causa esset contentionis inter nos indicaui: nec enim alia de re disceptari, quàm quòd ego salutem vestram quæro, quam extra vnitatem Ecclesiæ nullam esse certò scio. quamobrem ad hanc omnibus modis vos reducere conor. Vos contrà nullum atrociorem hostem habere potestis, quàm sitis ipsi vobis. cùm ipsi vos perditos iri velitis, quos ego pro virili mea seruatos capio. Me vobis ad CHRISTVM in Bethleem natum viam ostendere, vos ad Islebiensem Antichristum ire mallet. Supplex ab illius Maiestate petiui, quandoquidem nescitis quid petatis, vt quod in vestram perniciem petitis, id vobis ne largiatur. Sed quod in Regni Comitijs magna cum laude sui nominis fecit semel & iterum, vt non dissimilia petentes ad Episcopos suos relegaret, quod sui muneris non esse diceret, de causa religionis quicquam statuere, nunc etiam idem faceret: ad me qui Pastor sum & Episcopus animarum vestrarum à Deo constitutus vos remitteret: mecum vt ijs de rebus conferretis, mihi præclaram istam confessionem vestram exhiberetis, totiés quod ipsi quæruntur Lutherani mutatam, vèrsam, perùersam, ac multis in locis depraùatam, & adulteratam. Paratum me semper in spiritu lenitatis vnumquemque vestrum instruere, si sana doctrina exhortari, rationemque fidei meæ reddere. Si verò per nouum istud Euangelium conuersa iam & peruersa sunt omnia, si non oues Pastoris, sed pastor ouium vocem audire, si currus equos, non autem equi currum trahere debent: si iam hæc est hora & potestas tenebrarum mihi quidem per ini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quum videri, sed facit nihilominùs ingens desiderium, quo cuperem vos Christo lucri facere, vt nec hoc reculem, ad vtrunque me fore paratum, vt vel doceam vos pro pastoris officio, vel discam à vobis pro temporum horum ratione. In hanc ego sententiam Regiæ Maiestati scripsi, quin & hocaddidi : nihil enim coram vobis dissimulare volo, mihi nihil esse negocij cum Augustana ciuitate, quam tamen & ipsam Confessionem hanc minimè recepisse constat, me non ad imperij, sed ad Maiestatis illius terras pertinere. Quamobrem si mihi noua foret aliqua fides amplectenda, quam à me dementiam pro suâ misericordia procul DEVS auertat, eodem iure me vel Gregorianam in Polonia nuper, vel Osiandrinam in Prussia paulò antè, natam, recepturum, cùm eodem propè loco sunt apud me confessiones omnes, quæ nomen aliundè quàm à CHRISTO ducunt. Sic actum est à me cum Regia Maiestate. Quod autem responsum vobis datum sit, vos nosse melius potestis. Equidem præstolabar, vt Heilspergam ad me veniret aliquis ex hoc ordine vestro, qui vel disceret à me, vel doceret me de postulatis vestris. Cùm autem per tot hebdomadas nemo venisset, ecce nunc præsens hic adsum ipse, quod Regiæ Maiestati per literas promiseram, id coràm vobis nunc offero, nec video cur detrectare debeatis. Nisi fortè quia Papista vocor à nonnullis, hoc solùm ad condemnationem doctrinæ meæ sufficere vobis existimatis. Ego verò quæ vobis ante quindecim annos in hoc ipso loco me dicere memini, paucis eadem repeto. Christianum me esse profiteor, & præ me fero. Ob hoc ipsum verò quod sum Christianus, non solùm Papistam, verùm & Registam me esse clara voce pronuncio. Solum CHRISTVM vna cum Patre & Spiritu sancto DEVM Trinum & agnosco : hanc alteri gloriam non tribuo : quin & Pontificem, ac totius Ecclesiæ caput, Regem etiam ac dominum meum eundem esse profiteor. Sed interea tamen ne minimum quidem Regiæ, CHRISTI dignitati me detrahere persuasum habeo, si Sigismundum Augustum quoque Regem ac Dominum esse meum agnoscam : quin ipsi CHRISTO parere me, quando Sigismundo Regi pareo, firmiter credo : quandoquidem per ipsum Reges regnant, & potentes decernunt iustitiam. Illius præceptum est, vt omnis anima sublimiori potestati subdita sit, & vt subiecti simus Regi quasi præcellenti, & eum honorificemus. Ad eundem modum de eiusdem CHRISTI summi veriqúe Pontificis ac pastoris & Ecclesiæ totius capitis gloria, me nihil imminuere, quin illam per hunc modum augere magis & amplificare mihi persuadeo, quando Pium quoque Quintum sub illo Pontifice capiteqúe Pontificem & caput Ecclesiæ totius agnosco. Quandoquidem huic sub Petri persona pascendas oues suas omnes CHRISTVS commendauit, vt quicquid illi subiectionis honoris & obedientiæ defertur, non Pio Quinto, sed ipsi Christo deferri. Contra si quis eum reijciat, non Pium Quintum, sed ipsum CHRISTVM reiecisse videatur. Sicut ad Samuelem dixisse dominum legimus : Non te reiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Quamobrem per me licet, vt me quicunque volet, non solùm Papistam, verùm & Registam appellet, quod ego non modò non molestè tulero, verumetiam ingenti me honore affectum interpretabor. cùm ad existimationem cuiusque nihil magis amplum & illustre possit esse, quàm si debitam fidem & subiectionem à Deo constitutæ potestati præstare dicatur. Sed prò Deum immortalem, quale tandem est hoc nouum Euangelium, per quod virtus probro datur, & probrum laudi ducitur. Scilicet si quis fidelem se subditum à Deo constitutæ potestati præstet, probrum id est? Quid est bonum malum, & malum bonum dicere, lucem tenebras, & tenebras lucem ponere : dulce in amarum, & amarum in dulce, qualibus væ sempiternum per Prophetam Deus cominatur, si hoc non est? An autem non videtis, præclarum hoc Euangelium in Anarchiam quandam euasisse? Quid in Germania factum sit superioribus annis, quid in Gallijs nunc fiat, proculdubiò non ignoratis, vt nihil interea dicam de Scotia. Qui putabant ignominiosum sibi fore, si Papistæ vocarentur, ijdem illi non ita multò post & hoc ad infamiam suam pertinere sibi persuadebant, si vel Cæsaristæ, vel Registæ, vel Reginistæ dicerentur. Et sicut paulò antè Pontificis Romani, sic Principum quoque suorum iugum excutere postea sunt conati, contrá quos arma parricidalia sumere non dubitarunt, obliti iurisiurandi, quo fidem suam illis obstrinxerant. Sic extincta fide Catholica, simul & politica fides est extincta. Ego verò clara voce pronuncio, primùm esse me Christianum, præter CHRISTVM alium me non cognoscere, nec Dei verbum aliud, præter id quod ab illo, & Apostolis eius per longam Episcoporũ & Sacerdotum successionem per manus nobis traditum accepimus. Deinde non modò Papistam, verùm & Registam legitimæ potestati, siue secularis ea, siue sit Ecclesiastica, summa cum alacritate fidem & subiectionem debitam præstare me semper paratum offero. Cæterùm vt Lutherista, vel Caluinista, vel Sathanista dici vel esse velim, hanc procul Deus à me mentem auertat, quandoquidem non à Deo constitutam, verùm tenebrarum hanc esse potestatem certò scio. Quamobrem ea res vos minimè deterrere debet, quominus me Pastorem & Episcopum animarum vestrarum agnoscatis, quòd à Deo mihi potestatem constitutam agnosco, quòd ei debitam subiectionem præsto, quòd eam religionem retineo, quam vertex Apostolorum Petrus initiò tradidit, & quam nunc Pius Quintus Episcopus Romanus custodit, quin hoc ipsum ad idem faciendum vos magis incitare debet. Nam iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus non alia nota magis ab hæreticis Catholici dignoscebantur, quàm quòd ij Pontificis Romani doctrinam sequerentur, illi contrà diuersum ab ea sentirent, nullus vt esset Catholicus censeretur, qui non esset Papista : & qui cum Cornelio Papa (sicut scribit Cyprianus) ijdem cum Ecclesia Catholica communicare dicebantur. Quam etiam ob causam Hieronymus ad Pontificem Romanum

num Damasum scribens : Non noui, inquit, Vitalem, Meletium respuo, Paulinum ignoro : quicunque tecum non colligit, spargit : qui Christi non est, Antichristi est. Quidunque cum successore Piscatoris Papa non colligerent, eos non ad CHRISTVM, sed ad Antichristum pertinere dicit : sathanistas liberè pronunciat, quicunque non sunt Papistæ. Idem alio loco Demetriadem hortatur, vt Sancti Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ successor est, fidem teneat, nec peregrinam doctrinam recipiat. Et iterùm alio loco : si Romanam, inquit, fidem amplectimur, ergo Catholici sumus. Itidem & Ambrosius: Percontatus est, inquit, ab Episcopo, vtrum nam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Ecclesia Romana conueniret. Imperatorum ea de re sententiam audiuistis antea, cui vni cum Imperatoris Iustiniani locum adiunxisse contentus nunc ero : licet, inquit, nobis dicere ac pronunciare, omnes eos qui habere Papam pro capite noluerunt, non esse Dei Sacerdotes, nec fideles seruos. Sic Imperator ille. Quodqúe magis mirum videri possit, etiam hæretici, quo minus hæretici iudicarentur, sed vt Catholici censerentur, hærese Papæ simulabant, quòd persuasum haberent, non esse Catholicum, qui non esset Papista. In tres partes, inquit, Hieronymus ad eundem Damasum scribens, Ecclesia scissa ad se rapere me festinat, ego interim clamito : Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est, Meletius, Vitalis, atque Paulinus, tibi hærere se dicunt. Possim credere, si hoc vnus asseret : nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. Theodoretus verò non de Paulino modò, verùm & de Apollinari scribit, quod asserebat vterque se cum Damaso Papa sentire, quo faciliùs morbum suum tegere posset. Sic & Eutiches Leonis Papæ sententiam sequi se per omnia dicebat. Idem fecit Antonius, sententia synodi secundæ Constantinopolitanæ damnatus. De Pyrrho quoque narrat Zonaras, & ante eum Leo nonus Pontifex, quòd cum ad sedem suam Constantinopolitanam redire cuperet, se deseruisse Monothelitarum hæresim simulauit, librumqúe de fide sua Papæ obtulit, à quo approbatus est. Inde clam Rauennam digressus hæresim celare non potuit, quo comperto, Papa conuocatis suis Episcopis, eum penitus condemnauit. Ante quem etiam idem fecisse Cœlestinum narrat Augustinus, qui Beati Papæ Innocentij literis non est ausus resistere : imò se omnia quæ sedes illa damnauerat damnaturum esse promisit, quamuis in hac sua sententia non ita diu postea permanserit. Quin & vestri Martini Lutheri, priusquam in reprobum sensum datus fuisset, an hæc ad Leonem decimum Pontificem verba non fuerunt : Beatissime Papa, prostratum me pedibus tuæ beatitudini offero cum omnibus quæ sum & habeo, viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit : Vocem tuam vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Verùm & hæc illius hypocrisis non diutiùs quàm illa Pyrrhi vel Cœlestij durauit. Simul vt enim à Pontifice damnatus est, aliam longè diuersam cantilenam occinere cœpit. Videtis igitur quemadmodum priscis etiam illis temporibus non alij Christiani, Catholici, & Orthodoxi censebantur, quàm qui cum Papa Romano communicarent, qui doctrinam fidei quam ille probasset, sequerentur. Vnus pastor vt sit oportet, si debet esse vnum ouile : vnum autem vt sit ouile, requiritur vna fides, quæ nunquam vna potest esse, nisi Pastoris vnius vocem audiat. Quam etiam ob causam in pastorem hunc plenis velis inuehuntur omnes hæretici, quò sic sublato gubernatore, sicut ab illo sancto Martyre scriptum legimus, atrociùs circa Ecclesiæ naufragia grassari queant : quod hoc infelici nostro seculo fieri vos ipsi vestris oculis cernitis. Et quot nobis Papas Euangelicos, vel cacangelicos potiùs, quot politicos Pontifices, quot fides (luditur enim fidibus, non vna fides retinetur) ea res peperit videtis. Mirum est autem, quòd in scripto mihi misso quæ spectant ad conscientias animarum & salutem, ea vobis & non alij cuiquam esse curæ debere, non obscurè indicastis? quod etiam disertis verbis ante quindecim annos dicere quidam veriti non sunt : quòd ipsi Pastores animarum suarum esse, & earum curam gerere debeant. Nam si quid erratum à se fuerit, Episcopum pro illis gehennæ supplicium non luiturum. Quid autem hoc aliud fuerit, quàm omnem ordinem ex Ecclesia tollere? Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Pastores & Doctores dicit Apostolus? At vos nunc ea quæ sunt Apostolorum, Prophetarum, Pastorum, & Doctorum, omnia vobis vsurpare velle videmini. Atq; vtinam idem non facerent etiam coniuges vestræ. Non magistratui ciuili, nec ex populo cuiuis, sed Apostolis, in quorum locum Episcopi successerunt, dedit Deus ligandi soluendiq; potestatem. Nunc vos ipsi iudicio vel pro libidine potiùs vestra ligare vultis & soluere conscientias vestras. Hoc nec ipse fecit summus Pontifex, penes quem summa ligandi soluendiq; est potestas, sed vulnera conscientiæ suæ sacerdoti aperit, & ab eo dari sibi medicinam postulat: quin & in corporalibus morbis nullus medicus morbo suo medetur, sed alterius medici fidem implorat. Porrò quod ad fidei doctrinam attinet, ad hoc Episcopi sunt & Pastores animarum constituti, vt ab illis ea requiratur, non autem vt sibi quisq; Doctoris munus vendicet. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, ait Propheta, & legem ex ore eius requirent. Interroga Sacerdotes, dicit alius Propheta. Et in lege Moysi scriptũ est: Si quæ difficilia & ambigua circa legem definienda fuerint, vt referatur & Sacerdotes Leuitici generis, & iudicent qui fuerit illo tempore : qui iudicabunt, inquit, iudicij veritatem. Quàm autem cuperem, vt verum esset, quod à nonnullis dici audiui, non daturum pœnas Episcopum, si quid à grege peccatum fuerit. Quamuis enim vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo, minor tamen me cura & sollicitudo premeret, nec tãto studio de vobis Christo lucrifaciendis laborarem. Sed me terret longè diuersa Prophetæ sententia, qui dixit: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neq; loquutus fueris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris, vt auertatur à via sua impia & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Terret me quod ab Apostolo dictum est: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Cõminatur Dei spiritus per Prophetam, quod de speculatoris, hoc est, Episcopi manibus animam sit illius requisiturus, quem à via sua impia auertere non fuerit conatus. Loquitur idem per Paulum, quòd Præpositi siue Episcopi peruigilant, quasi rationem pro animabus reddituri. Et interea non desunt, qui dicant: Episcopus non dabit pœnas, neque rationem reddet pro me, si quid errauero. Quamobrem quicquid eius facio, quod ab erroribus vestris tanto studio vos reuocatos cupio, facio pro Pastorali meo munere, quod à me requiri nolim. Si vestras animas Christo lucrifacere potero, beatum me esse putabo. Si, quod absit, minus quàm vellem profecero, meam saltem ipsius animam ab interitu seruabo, cùm officio meo pro virili mea functus fuero. Est autem hoc propriè vestri muneris, vt Pastoris vestri potiùs, nihil aliud, quàm salutem animarum vestrarũ ardenter sitiẽtis, quàm alieni vocem audiatis. Cui verò tutius, quàm Pastori vestro conscientias vestras credere potestis? à quo maiore securitate legem Dei requirere debetis? Non heri, neque nudiustertius, Episcopum & Pastorem animarum vestrarum agere cœpi. Omnis vitæ meæ ratio satis perspecta iam & explorata vobis esse debet. Peccatorem esse me coram Deo profiteor libenter, sed non ita vixi tamen inter vos, vt meæ fidei conscientias vestras turò credere non possitis. Non ita sum ab omni timore Dei remotus, vt secus docere vos velim, quàm sentiam ipse, vt sciens & prudens agnitam veritam oppugnare coner. Extremæ hoc esset cuiusdam impietatis & improbitatis, quam in mores meos non cadere, à qua vitam meam omnem abhorrere, vos ipsi testes mihi esse potestis. Cur autem id facerem? quam vtilitatem inde caperem? Egóne volens & meam & vestras animas Orco traderem? Nullum tam suaue meritum est. Quid enim prodest homini, si mundum lucretur vniuersum, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit commutationem homo pro anima sua? Sed nec eorum dogmatum, de quibus hoc infelici nostro seculo tam graues contentiones excitatas videmus, adeò sum rudis, vt non tantùm in illis vel plus etiam aliquid videre possim & intelligere (quod citra iactantiam dictum esse velim) quantum aliqui vestrum videre se sibi persuadent. Ab ineunte ætate mea sempèr sacrarum literarum lectione fui delectatus. Ex quo verò tempore sum sacris initiatus, multò maximam ætatis meæ partem in illarum studijs consumpsi: quod à vobis pari diligentia factum esse non puto. Deinde verò non solùm eorum, qui sunt Catholici, verùm & eorum qui segregauerunt se ipsos, non paucos libros multorum opinione legi diligentiùs, legi rixas & contentiones eorum inter se, sicut scriptum est: Inter superbos semper sunt iurgia: legi plurimas & eas horrore plenas blasphemias, legi maiore cum fastidio quàm facilè quisquam credere possit, non Latina modò, verùm & Germana & Polona lingua. Possum autem hoc asseueranter dicere, quòd ad suos errores confirmandos nunquam tot scripturarum examina produxerunt in suis libris Lutherani, quot in suis noui nunc proferunt Arriani, qui non minus audacter, quàm illi suas impias & horrendas blasphemias purum Euangelium atque Dei verbum esse vociferantur. At quæ potest esse maior idololatria, quàm si statim vt quisque diuinæ legis oracula produxerit, quàm eorum interpretationem attulerit, cum sensu & consensu totius Ecclesiæ pugnantem, ea Dei verbum esse credatur, ac tanquam Dei verbum & Euangelium recipiatur? Ab hac ego vos vt abducere possim Idololatria nunc laboro? Quamobrem fidenter ad me Pastorem & Episcopum animarum vestrarum venite: si quis in conscientijs vestris residet scrupulus, aperite. Conscientias vestras Dei verbo consolabor: scrupulum omnem pro virili mea eximere conabor, & ad vos in spiritu lenitatis instruendos, quàm summam potero fidem atq; diligentiam adhibebo. Nam testis est mihi Deus, quòd nihil ardentiùs, quàm animarum vestrarum salutem sitio, quarum curam cùm gero, simul & meæ salutis curam gero, cui non aliter prospicere me posse scio, quàm si quoad facultas mea tulerit, ea quæ sunt fidelis Pastoris munera expleuero. Itaq; faciam non inuitus, vt vobiscum hæc festa Paschalia celebrem, dum modo fructum aliquem commorationis hic meæ sperare liceat. Quòd si non potestis ab ista Confessionis Augustanæ cogitatione deduci, quanquã non video quo iure peti possit à me, patres vt nostros, auos proauos, & atauos grauissimi criminis idololatriæ condemnem: quasi totos trecentos & amplius annos, ex quo tempore Christi receperunt Euangelium hæ terræ, vel ignorauerint Christum, vel quæ summa foret impietas maxima cum perfidia coniuncta, semel agnitum deseruerint: cùm ab ea pietate, quam benè meritis de se parentibus liberi debẽt, nihil esse queat magis alienum. Sed si tamen ab ista cogitatione deduci non potestis, & hac de re conferre vobiscum nõ recuso, modo ne velitis esse de illo mirabilium hominum genere, de quo conditor istius Augustanę Confessionis queritur, quòd quiduis damnãt, neq; personis auditis, neq; rebus dijudicatis. Fortasse cùm ad collationem ventum erit, placatus piorum precibus Deus illuminabit vultum suum super vos, & gratiam suam impartiet, vt vel ipsa luce clarius vobis demonstrari queat, quam vos tantoperè Confessionem expetitis Augustanam, eam esse meram quãdam Babylonicam confusionem, non modò cum Christiana confessione, verum & secum ipsam in præcipuis doctrinæ locis ex diametro, quod aiunt, pugnantem. Octauus nunc annus agitur, quòd Numbergi fuit habitus cõuentus principum, qui sunt Augustanæ Confessionis, qua de re quin ad vos quoq; rumor sit perlatus, mihi dubium non est. In eo tractabatur hac ipsa de re, de qua nunc inter vos agitur, nimirum de varietate diuersitateq; Confessionum siue fidium Augustanarum: & cùm summa contentione laboraretur à nonnullis, vt saltem Caluinissmus condemnari posset, quem à Luthero &

& à doctoribus Augustanæ Confessionis pridem damnatum fuisse constat, obtineri nulla ratione potuit: quin ita discessum inde fuit, vt quidam Germaniæ Principes omnino subscribere confessioni recusarent: quidam autem illi quæ secundum Philippum, quàm quæ secundum Flaccum est, subscribere maluerunt. Mirum est autem, cui vt subscriberent adduci non potuerunt homines Lutherani, quòd à me petere ausi fueritis, vt ego subscriberem Episcopus Christianus. Quod si maximè vellem, quod postulatis facere, quæso vos, docete me, quomodo me subscribere velitis, secundum Philippum, an secundum Flaccum: Si subscripsero secundum Philippum, vt eius doctrinam recipiam, ero quod absit, Flacci iudicio Caluinianus: si secundum Flaccum, ero, quod non minùs absit Philippi iudicio Manichæus. Nec enim vos ignorare puto, quòd præclaram hanc confessionem vestram non minus Caluinistæ sibi vendicant, quàm Lutheristæ, nec authoritatem illius defugiunt, dummodò qui fuit conditor confessionis huius, idem optimus illius interpres habeatur, quod pluribus verbis Heshusius demonstrare conatur in eo libello, quem contra Caluinum, Boquinum, Theodorum Bezam, & Clebicium ante sex annos conscripsit: quam etiam ob causam à Flacco, & ab eius socijs ista confessio, quin & author illius Cothurnus vocatur, vtrique pedi aptus: quòd eius verba Zuingliani non minus in suam sententiam trahere conantur, quàm Lutherani. Constat autem & hoc, quòd qualem voluntAugustanam Confessionem Flaccus, Gallus & Heshusius, quorum sectæ sunt isti prædicantes, quorum nunc à nobis mentio facta est, ea nusquam ferè iam apparet in Germania, præterquam in vna vel altera Saxoniæ ciuitate, Magdeburgi præsertim, vbi nihilominus Flaccianam sectam dissectam videre liceat. Nam reliqua Saxonia vel apertè Caluinisat, quod fieri Bremæ scimus, vel conniuendum esse censet in Caluini dogmate, quod Lipsiæ & VVittembergæ fieri, vnde primùm prodijt præclarum istud (si dijs placet) Euangelium, grauiter queruntur Germani Lutherani: & vbi fuit sedes Lutheri, non ferè quicquam ibi reliquum esse de spiritu Lutheri lamentantur. Nam ibi nullum habetur ferè discrimen in Lutheristas & Caluinistas, vtraque doctrina verbum Dei vocatur, cum tamen vtrique grauissimi criminis hæreseos se inuicem condemnarint. In reliqua verò Germania, quin & in Gallijs, & in Anglia, & in Scotia, nulla secta magis regnat apud eos, qui à Papismo, hoc est, Christianismo defecerunt, quàm Caluinismus: vt etiam liber non ita pridem in lucem prodierit, quem non dubitauerunt inscribere, Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici. Quibus verbis non exagitat Heshusius Paulum Eberum Pastorem VVittembergensem. Quàm vehementer eum vrget, vt suam de Eucharistia sententiam explicet: Ac facit ille quidem edita de Cœna Domini sua quadam assertione: verùm ita, ferendos vt potiùs, quàm tanquam hæreticos damnandos, & ex Ecclesiæ suæ societate prorsus eijciendos censeat eos, qui diuersum sentiunt, duabus vt sellis (quod est in prouerbio) sedere velle videatur. Quam etiam ob causam, quod superioribus annis fecerat Andreas Osiander, vt moneret suos, ne liberos VVittembergam ad capiendum ingenij cultum proficisci paterentur, quòd ibi negare CHRISTVM, & in Philippi Melanchtonis verba iurare cogerentur: Idem & suos monuit Heshusius, posteaquam à Magdeburgensibus pulsus est, ac VVittembergenses vnà cum alijs eadem cum ipsis sentientibus extra suam Ecclesiam esse pronunciauit, & eorum communione suis interdixit. Superintendentes autem Heidelbergenses, nihil dubitarunt eiusmodi decretum promulgare, Lutheri & Brentij Catechismi extra Ecclesiam reijciantur, & eorum scripta nullam habeant authoritatem. Verùm ijs de rebus in priuato & eo familiari colloquio vobiscum tractare mallem: quod certè vos minimè detrectare debetis, cùm præsertim quod me semel & iterum iam dicere memini, non solùm docere vos, verumetiam à vobis discere me paratum offero. Cæterùm pro officio meo Pastorali proximis superioribus mensibus de salutari doctrinæ pabulo prospicere vobis cupiens, miseram ad vos, qui purum Dei verbum vobis annunciarent, viros magna vitæ integritate, nec minori doctrina præditos: quemadmodum accepi, quantas pro Dei verbo perfequutiones passi, quantum etiam in vitæ discrimen adducti fuerint, in præsentia commemorare nolo. Sed hoc tamen mirari satis non possum, quòd sub crudeli Turcarum tyranno, qui se CHRISTI perduellem apertè profitetur, & præse fert, maiore securitate libertateq; confiteri Christum licet, quàm in ista ciuitate, quæ subest Regi Christiano, Catholico, & Orthodoxo: cuius illa fidem, quæ eadem est Catholica, & Orthodoxa fides, cum facta separatione, condemnare videatur, quo loco Regem, ac dominum suum habeat, in opinione cuiusque relinquere, quàm in oratione mea ponere malo. Sed non est mihi propositum hac de re pluribus nunc expostulare. Quæ facta sunt, quandoquidem infecta reddi non possunt, libenter memoriam eorum obruam obliuione sempiterna, dummodo prouideatur, ne deinceps eadem illa designentur. Sed hoc obsecro, quo animo ferre debeo, quòd qui missus est à me legitimo Pastore & Episcopo animarum vestrarum, penes quem est mittendi potestas, is à vobis non auditur, interea tamen auditur alius, qui ascendit aliundè, qui currit, cùm eum nemo miserit, qui mittendi facultatem habuerit: qui verò legitimè missus, purum Euangelium prædicat, is inauditus etiam condemnatur, ac è populo multi deterreri dicuntur, ne eum audiant. Iudicium de fidei doctrina vobis nulla ratione competit, cum etiam Augustana vestra Confessio potestatem hanc vobis minimè concedat, in qua scriptum disertis verbis legitis: quòd Episcoporum propria sit iurisdictio, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, & impios quorum nota est impietas excludere à cõmunione Ecclesiæ. Sed si Politicos Pontifices agere, deq; fidei doctrina vobis iudiciũ arrogare volebatis, obsecro vos, an priùs à vobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

cognosci doctrinam non oportuit, quæ damnanda foret, aut approbanda, ac ita demum iudicium officio fungi. Nunc vos vnum tantum auditis, & eũ approbatis, alterum nec audire dignati, indicta causa condemnatis. Nunquid hoc non est vendicare sibi maiorem, magistq; intollerabilem, & minus excusabilem authoritatem, sicut Philippus vester loquitur, quàm Papa Romanus vnquam? Quòd si Politicis in rebus ad eundem modum agitis, & eundem in ciuilibus quoque causis audiendis processum seruatis (quod ex ciuibus vestris quærentes nonnullos audio) quale sit hoc, & num diu tollerari queat, ipsi vobiscum etiam atque etiam diligenter expendite: quamuis grauius etiam id sit, in causa fidei de qua nullam prorsus iudicandi potestatem habetis. Verùm hæc missa nunc facio: quæso vos causam explicate, cur ab eo qui missus est à me, tantoperè vestra voluntas abhorreat, num aut in moribus aliquid est, aut in doctrina, quod meritò vos offendere queat? Renunciate mihi, promitto vobis quòd non sum officio meo defuturus. Mihi quidem non solùm huius qui præsens hic adest, verumetiam quotquot sunt eiusdem Iesu Societatis, alij spectata satis est integritas & probitas. Tres iam & amplius annos in ciuitate mea Branspergensi degunt, in qua per omne tempus hoc ita se gesserunt, vt honestissimæ vitæ actæ testimonium illis ab omnibus præbeatur, nec de quoquam eorum dici quidquam audiuerim. Quod autem ad eorum doctrinam attinet, si quid oues Pastoris officio tribuendum esse putatis, coram Deo testificor, quòd eam Catholicam & Orthodoxam esse scio: quandoquidem non est ab illa diuersa, quin prorsus eadem, quam in sacro Concilio Oecumenico Tridẽtino (ad quod vos aliquando prouocare visi estis) patrum totius orbis Christiani sententijs approbatum esse scimus. Nec verò Branspergæ tantum, sed alijs etiam locis vbicunq; sunt (sunt autem per totum Christianismũ etiam nouum orbem diffusi) hoc illis elogium tribui semper audiui, quòd sunt insignes doctrina pietateq; viri, quòd non modò nulli sunt offendiculo, verumetiam ad vitam honestè pieq; degendam, exemplo sint multis & incitamento. Cuius rei testis etiam esse potest Branspergа nostra: quo nomine certè præ cæteris chari vobis esse debent, quandoquidem non q̃ sua sunt quærunt, sed quæ sunt Iesu Christi, nec alij rei student magis, quàm vt literis instituant iuuentutem, & ad pietatem informent, ac si qui de via deflexerunt, eos in viam reducere, & ad CHRISTVM adducere queant. Sed si quid vos secus de illis iudicatis, si quid est quod vel in doctrina, vel in moribus eorum vos offendat, iterùm atque iterum à vobis peto, ne me celare velitis. Liberè mihi quicquid exploratum ea de re habetis, indicate. Quod erit mei muneris, in me requiri non patiar.

Cum finem dicendi Cardinalis fecisset, petiuit Burgrabius, vt sibi secedere cum suis liceret, quò possent de responso illi dando deliberationem suscipere. Porrò Cardinalis cùm animaduertisset sermonem longiùs extractum fuisse, quàm initiò cogitabat, in diem crastinum responsum reijci maluit, quòd ad illud audiendum sub eandem horam se rediturum in Prætorium esse diceret: Venit postridiè Cardinalis. Tum Burgrabius altiùs sermone repetito, quæ dicta fuerunt à Cardinale recensuit: quo facto testatum hoc omnibus esse voluit, quòd quæcunque dicturus esset, nollet eo animo dicere, vt quenque offenderet, aut cuiusque existimationi detraheret, verùm vt responderet ijs, quæ per Cardinalem proposita fuerunt. Qua præfatione præmissa, magnas egit Cardinali gratias, quòd ciuitatis tantam curam & sollicitudinem gerat, neq; se dubitare dixit, quin Deus omnipotens tantum hoc studium illius in prospiciendo ciuitatis rationibus ampla sit mercede remuneraturus. Quod autem Cardinalis non obscurè tulit, aliam se religionem in ciuitatem hanc introducere velle, quæ minimè conuenit cum pridem recepta doctrina Confessionis Augustanæ, pridem id se cognouisse. Quoniam verò Maiestas Regia non solùm huic, verùm & alijs duabus ciuitatibus Torunensi, & Gedanensi, clementer indulsit vt eis Augustanam Confessionem amplecti liceret, nec hactenus quisquam est repertus, qui potuerit eam diuinæ legis oraculis refutare: se bona spe esse, quod Cardinalis non difficulter sit laturus, vt in recepta semel doctrina & ritibus permaneant, cùm citra magnum leuitatis crimen in aliam aliquam doctrinam tam subitò se transferre non possint. Quòd autem Cardinalis Augustanam Confessionem diaboli verbum, Cothurnum, & confusionem potiùs quàm confessionem appellauerit, & eam hæreseos damnauerit, DEO se causam hanc & tempori commissuros: quandoquidem etiam ipse CHRISTVS Dei Filius audiuit aliquando, dæmonium habes, & Samaritanus es, vt mirum non sit, si nunc idem eueniat. Cùm itaque Regia Maiestas clementer illis indulserit, vt Augustanæ Confessionis doctrinam sequi possint, petere se, ne quid contra iura & priuilegia sibi concessa Cardinalis agere velit, quin eos data sibi libertate liberè frui permittat. Quod autem scire cupit Cardinalis, quid Senatus & populus requirat in ijs, quos ad prædicandum superioribus mensibus huc misit, aut quid sit quod eos in illis offendat, ita breuibus accipiat: quandoquidem in confesso est, quòd Augustana Confessio puræ, veræ, Christianæ, & Euangelicæ doctrinæ prorsus est consentanea, & in verbo DEI fundata: qui verò missi sunt à Cardinale, nec in vita, nec in doctrina cum ea conueniunt, deliberatum illis esse in Augustanæ Confessionis doctrina constanter acquiescere: nec eam deserere, simul spem bonam concipere, quòd in hoc suo proposito Cardinalis eos minimè sit impediturus, cùm præsertim æditus non ita pridem sit liber à Martino Kemnitio, qui doctrinam Iesuitarum ita confutauit, vt hactenus ei respondere potuerit nemo: quamobrem eos audire se non posse. Quæ cùm dixisset, postulauit, à Cardinali singulorum vt sententias exquireret, num vt ita loqueretur in mandatis ei dederint: ne fortè suspicari posset, eum hæc non ex omniũ sententia dixisse. Vix aũt decẽ aderant ex populo, cuius rei

rei quæ causa fuerit, satis mirari Cardinalis non potuit: & accidit illi responsum hoc Burgrabij permolestum, quòd agrestè nimis iudicaret esse, cùm tamen ipse perhumaniter egisset. Quamobrem in hanc sententiam illis respondit:

Aliud à vobis responsum expectabam, quandoquidem quo me demiserim scitis. Possum enim reuerà cum Propheta dicere: Quid est quod vltra facere debui vineæ meæ, & non feci? Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. Quæ verò sequuntur comminationes apud eundem Prophetam, etiam atque etiam videte, ne citius opinione vestra vobis eueniant, quod ego tamen, vt pro sua misericordia procul auertat, Deum precor. Pastor cùm sim & Episcopus animarum vestrarum, vt aliquа mihi CHRISTO lucrifaciendi vos occasio daretur, ouis etiam vestra esse non recusaui, dummodò non mutam ouem esse me velitis, rationibus mecum ageretis, & conferendi vobiscum potestatem faceretis. Ego non solùm docere vos, pro eo vt munus meum exigit pastorale, verùmetiam à vobis discere pro temporum horum ratione me paratum obtuli. Nunc vos neque doceri, neque docere vultis, ac non rationibus, verùm quasi pro imperio mecum agitis, modò non iusverbis vtentes: sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Quid igitur aliud mihi nunc faciendum restat, quàm vt cum Paulo dicam: Contestor vos omnes hodie, quotquot hic præsentes adestis, quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis: & quod nunc hic facio, sum alibi quoque facturus opportuno tempore & loco. Satis iam demonstrasse vobis videor, quòd cum Christianis parentibus, auis, proauis, & atauis, quos piè CHRISTVM coluisse, Christianosq́ue fuisse constat, prognati sitis, non aliam vos quàm Christianam Confessionem sequi deceat, nisi fortè quod Arrianis aliquando dixit Athanasius, id audire vos quoque vultis. Si patres, inquit, vestri malè senserunt, cesset omnino eorum memoria. Ite ergo vos ipsi, & eruite eorum reliquias ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & illos fuisse seductores, & vos esse parricidas. Simul & illud clarè vobis ostendisse me puto, quanta sit varietas in ea, quam tantoperè nunc expetitis Augustana Confessione, quàm ipse sibi non constet, quàm ea quæ recentior est ædita longè sit ab illa diuersa, quæ principiò fuit Cæsari oblata. Denique quòd in Caluinismum iam inclinauerit, vt Confessionem Augustanam sequi nihil aliud esse videatur, quàm Caluinismum sequi: quem regnare iam ferè videmus in his locis omnibus, in quibus Romani Pontificis iugum est excussum: Hortatus etiam sum, si quem scrupulum haberetis in ea Christiana confessione, quam à maioribus nostris per manus traditam accepimus, vt exponeretis mihi, me facturum omnia diligenter, vt eum ex animis vestris eximere possim. Quod si verò non potestis à Confessionis Augustanæ cogitatione deduci, si vobis omnino propositum est, parentes, auos, proauos, atauos, & abauos vestros ignorati Christi, grauissimiq́ue criminis Idololatriæ condemnare: qua quidem re nihil potest à pietate liberorum esse magis alienum: & vt idem à me quoque fiat postulatis, prius tamen ea de re in priuatis colloquijs mecum conferretis, priusquam expetitis confessionem exhiberetis. Fieri posse, quòd Pater ille misericordiarum Deus gratiam suam impartiret, vt post factas collationes aliquot, aliam vobis mentem saniorem inspiraret. Nunc vos nihil aliud mihi respondetis, q̃ hic volumus, quod volumus sanctum est, vt non obscurè ferre videamini, ipsi quid vobis pastores, ipsi vobis esse velitis illi Politici Pontifices, de quibus tam grauiter nunc quæruntur non solùm Christiani, verumetiam ipsi Lutherani. Quid faciam? Feram oportet hoc tempore. Bona spe sum, quandoquidem vt potui meo sum functus officio, diligenter etiam vos admonui, vt vos à via vestra praua custoditis, quòd sanguinem vestrum de manu mea Deus requisiturus non sit, quin illud eueniet potiùs, quod per Prophetam dicit Dominus: Si autem annunciante te ad impium vt à vijs suis reuertatur, non fuerit conuersus à via sua, ipse in iniquitate sua morietur, porrò tu animam tuam liberabis. Quòd si nullum alium aduentus ad vos & laboris huius mei fructum tulero, meam ipsius animam saltem liberauero, quandoquidem ne vestras liberare possim vos obstitistis. Quod autem gloriamini, vos Confessionem Augustanam concedente Regia Maiestate recepisse, cuius etiam testes literas illius vos habere iactatis, proferam & ego literas illius manu scriptas, quibus negat se meminisse, quòd volente, aut sciente se, tales literæ quales habere vos asseritis, emanauerint. Estne verisimile, quòd Rex Christianus, Catholicus, & Orthodoxus, qui toties in regni Comitijs publicè coram omnibus testatus est, quòd sibi nollet ea quæ sunt Episcoporum propria sumere, seq; rebus Ecclesiasticis immiscere, diuersam ab ea, quã ipse profitetur fidem vobis concederet. Scilicet ignorat Maiestas illius, quod à Paulo scriptum est: Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium: quæ nec illud nescit S. Patris cuiusdam dictum, quod ex me quoq; non semel audiuit: Fides non est nisi vna, quicquid est extra fidem hanc vnam, non fides, sed perfidia est. Perfidiámne vobis Maiestas illius concederet, aut se maioresq́ue suos, quorum nonnulli vitæ sanctitate, quam & miraculis post mortem æditis testati sunt, claruerunt, perfidiæ condemnaret. Non est hoc nouum, quòd in aulis magnorum principum per obreptionem pleraque nonnunquam impetrantur: non modò principibus ipsis, verùm etiam Cancellarijs eorum quandoque parum animaduertentibus. Quam etiam ob causam in proximis superioribus regni comitijs constitutum esse scitis: vt in grauioribus rebus, ne quod pondus haberent Maiestatis Regiæ literæ, quibus manu sua non subscripserit. At hæ quas vos coram Commissarijs Maiestatis illius produxistis, præterquam quòd papyraceæ sunt, manu Maiestatis eius non sunt subscriptæ: quo minus firmitatis habere debent. Quas autem ad me scripsit Maiestas illius, in ijs manum illius agnoscere vobis licebit, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

eis fectè credere quisquam possit. Quòd autem grauiter ferre videmini, me Confessionem Augustanam diaboli verbum & cothurnum vocasse, posteriùs hoc non tam ex mea, quàm ex Lutheranorum quorundam, Flacci nimirum & Galli, sententia dixi. Cùm illis igitur, non mecum expostuletis ea de re licebit. Nam illi nomen hoc tribuunt non modò Confessioni, verùm & confessionis conditori, suo quodam præceptori, quo se discipuli præstantiores iam esse persuasum habent : quorum vnus Ioannes VVigandus, non dubitauit Adiaphoristas, & qui Melanchtonis castra sequuntur, Cothurnifices appellare. Prius autem illud esse verissimum, expresso Dei verbo vobis demonstrabo. Docet nos Canonica Iohannis epistola, quomodo discernere spiritus debeamus : vt sic quod sit Dei, quod verò diaboli verbum, scire possimus. Non vult is, vt credamus omni spiritui, sed probemus spiritus, si ex Deo sunt. Rationem hanc adfert : Quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. Vtinam verò minus multos hoc infelici nostro sæculo Pseudoprophetas videremus. Ostendit posteà quomodo discernendi sunt spiritus. Omnis, ait, spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Quis autem sit ille spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse ? quis ille contrà, qui soluit Iesum ? Enarrans locum hunc Ioannis pluribus verbis, præclarè docet Augustinus : Multos ijs hæreticos recensèt, qui Christum in carne venisse confitentur, quos tamen Dei spiritum habere negat. Quamuis enim id confiteantur lingua, factis tamen eos negare dicit. Quærit, quare Christus in carne venerit, mox ex eodem Apostolo causam profert, vt moreretur pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios qui erant dispersi congregaret in vnum. Charitas, inquit, illum de cœlo detraxit, charitas carne vestiuit, charitas vt acerbam & ignominiosam crucis mortè oppeteret, impulit. At ista sunt hæretici destituti, qui non modò non congregant, verùm etiam q̃ sunt præcioso Christi sanguine congregata, dispergunt : ab orbis terrarum vnitate se tollunt, diuidunt Ecclesiam per schismata, dilaniant Christi corpus. Ille venit in carnem, inquit, ille mortuus est, vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum : tu propterea clamas, vt congregatos dispergas. Non est hic Dei spiritus : negat enim CHRISTVM in carne venisse, negat non lingua, sed vita : non verbis, sed factis. Soluit Iesum, itaque non est ex Deo, sed est Antichristus, soluere factis intelligitur. Ille venit colligere, tu venis spargere. Quomodo nõ negas Christum in carne venisse, qui disrumpis Ecclesiam, quam ille congregauit : contra Christum venis, Antichristus es. Quid autem contra sui temporis hæreticos ab Augustino dictum est hoc loco, quod non totidem propè verbis dici possit in Confessionem Augustanam ? Prima fuit illa, quæ soluit Iesum, quæ lacerauit corpus eius, quæ disrupit Ecclesiam eius, quæ nonnullos imperij principes, quamuis, paucos initiò, sicut à Pontificis paulò antè, sic & ab ipsius Imperatoris acerrimi diuini verbi propugnatoris obedientia postea disiunxit, ab Ecclesiæ gremio separauit, ac facto Smalcaldico fœdere, quo contra legitimum Imperatorem ac dominum suum subiecti principes arma sumere impulit : & hoc aliquis Dei verbum vocabit ? hoc Euangelij nomine dignabitur, quod ab imperio diuisioni, quod ab Ecclesia Dei separationi, quod contra potestatem à Deo constitutam excitandæ rebellioni causam dedisse scimus ? Hoc verò sathanæ cacangelium est, non Christi Euangelium, quod nou sitit sanguinem : quod qui primi prædicabant suum, non alienum sanguinem fundebant. Deus noster, charissimi, non dissensionis, non diuisionis, verùm pacis atque dilectionis Deus est. Qui non congregat mecum, inquit Christus, spargit. Proprium est officium Christi & ministrorum eius, colligere, & congregare, quod etiam Prophetæ prædixerunt olim. Leuauit, inquit Esaias, signum in nationibus, congregauit profugos Israël. Et in eodem capite : Dispersos Israël, congregabit à quatuor ventis, cœli, & iterùm sicut Pastor in brachio suo congregabit agnos. Et alius Propheta : Congregabo oues meas de cunctis locis, in quibus dispersæ erant. Et iterùm alius : Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit. Contrà diaboli & ministrorum eius proprium munus est, dispergere. Sic enim dicit ipse Christus : Lupus rapit, & dispergit oues. Lupum anteà hunc, diabolum esse testatur Oseas : cùm de diabolo loquens : Ipse est, inquit, qui diuidit inter fratres. Nihil autem est à Christo magis alienum, quàm diuidere. Dixerat illi quidam aliquando, Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. Respondit ei Christus : Quis me constituit diuisorem inter vos? Quasi diceret, si diuisorem quæris, diabolus is est. Ego non veni diuidere, sed quæ diuisa sunt colligere, filios Dei qui dispersi sunt in vnum congregare. Veni vt adducam alias oues dispersas, vt sint vtraque vnum, vt sit multitudinis credentium cor vnum & vna anima, vt sit vnus Pastor, & vnum ouile. Quum igitur Augustana Confessio, prima diuisionis ac separationis ab Ecclesia Dei dederit initium, cuius ea nisi diuisoris, hoc est, diaboli verbum esse credenda est ? Sed videte per Deum immortalem, quæ sint postea consecuta simul, vt Augustana Confessio coram Imperatore Carolo fuit in Comitijs imperij producta, mox ex alio quodam angulo Germaniæ, quatuor ciuitatum nomine proruperunt alij, qui suam & ipsi confessionem in ijsdē comitijs eidem obtulerunt, cùm in alijs doctrinæ Christianæ capitibus, tum in dogmate de Eucharistia, non solùm ab Ecclesiæ Catholicæ, verùm & ab eius confusionis, quam Lutherani protulerunt doctrina plurimùm discrepantem. Et sunt posteà ita variè confessiones consequutæ, vix vt vlla sit ciuitas in Germania paulò celebrior, quæ non suam propriam confessionem adferat, cum aliarum ciuitatum confessionibus, non in omnibus consentientem, vt impletum illud videamus, quod à Propheta dictum est : Secundũ numerum ciuitatum tuarum erunt dij tui Iuda, & secundum numerum viarum tuarum Hierusalem, posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim. Alij Baal VVittembergæ

litæ, alij Magdeburgum, alij Brema, alij aliæ ciuitates. Proh dolor, eò iam perducta res est, vt quod ab Hilario scriptum fuit olim, id euenisse nũc oculis nostris ipsi videamus : cum secundum vnum Deum, inquit, & vnum Dominum, & vnum Baptisma, fides etiam vna sit excedimus, ab ea fide, quæ sola est, ac dum plures fiunt, ad id cœperunt esse ne vlla sit. Iam & ad Machometismum & ad Atheismum in plerisq; locis inclinationẽ esse factam cernimus. An autem & hoc non videtis, quòd Smalcaldici fœderis exemplo, quidam etiam in Gallijs licere sibi voluerunt suam quoque confessionem (quam tamen toties Martinus Lutherus hæreseos condemnauit) armis propagare? simul Christianissimo Regi suo cui fidelitatis iureiurando fuerunt obstricti, bellum indixerunt ? Quibus autem infortunijs per hæc separationis consilia mactata non est ? quas clades non pertulit, quibus calamitatibus affecta non est? Primum Germania, deinde non ita multò post illius exemplo Gallia. Quarum rerum omnium quis fuit alius author, quàm ille qui dispergit, qui diuidit inter fratres. Quamobrem fugite per Deum immortalem diuisorem istum qui per Confessionem Augustanam initiò, deinde per alias illius non dissimiles dispergit & lacerat, quod precioso Christi sanguine congregatum fuit & vnitum, & eum sequi potius velitis, qui propterea mori dignatus est, vt filios Dei, qui dispersi fuerant congregaret in vnum quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. Sicut ipse Christus diuisus non est, sic hæreditatem suam, Ecclesiam suam diuidi non vult. Propterea venit vt faceret vtraque vnum non duo ac plura etiam de vno. Nolite maceriam iterum interponere vel le, quæ semel per crucem illius & mortem est sublata. Certum est & indubitatum, quòd iam inde à 300. annis Christiani vocabantur in his terris, omnes, Christianis prognati parentibus à Christianis, auis, proauis, & atauis estis profecti. Cum igitur ab ijs quos fuisse Christianos negare non potestis, vos per summum sacrilegium separatis, expendite vobiscum etiam atque etiam, ad quos tandem deficiatis : vt leuissimè dicam à Christianis ad minimè Christianos. Et, hoc est, in quo nunc omnis mea cura consumitur, vt sicut initiò fuimus, tot iam seculis ita deinceps etiam, & esse, & dici Christiani velimus omnes, nec vel Augustanam, vel Osiandrinam, vel Tigurinam, vel Genuensem, vel Gregorianam, vel Blandratanam, vel quamcunque tandem aliam, sed Christianam confessionem vnanimiter amplectamur omnes, quam (ad quod ante 15. annos prouocasse vos, & quòd eius decretis essetis acquieturi promisisti recordor) in sacro Concilio Tridentino totus orbis Christianus approbauit. Videtur vobis Augustana Confessio Christi & Apostolorum doctrinæ esse consentanea. Atqui secus mihi videtur Pastori vestro, qui si nihil aliud, saltem hoc in Domino gloriari possum, quòd in scripturarum lectione, multò sum diligentius versatus, quàm aliquis vestrum. Certè pastoris oues, non ouium Pastor iudicium sequi debet. Sed ego nunc à vobis non requiro quicquam, vt iudicio meo tribuatis, totius orbis Christiani iudicium, vt aliquid apud vos ponderis habeat, hoc est, quod à vobis maiorem in modum postulo, per quod Augustanæ Confessionis doctrina reprobata, quã verò profitetur qui missus est à me patrum omnium, qui præsentes aderant propè trecentorum calculis, tanquam diuinæ legis oraculis consentanea, fuit approbata. Nolite quæso totius orbis Christiani iudicio vestrũ iudicium anteponere, nolite sic esse prudentes apud vosmet ipsos, sic solis vobis Dei spiritum arrogare, cæteris vt omnibus detrahatis, & Ecclesiam vniuersam cœcitatis arguatis : ne & nos vobis dicere compellatis, quod Corinthijs aliquando scripsit Apostolus : An à vobis verbũ Dei processit? aut in vos solos peruenit? Hoc est, hæreticum esse non credere S. Ecclesiam Catholicam, plus sapere quàm oportet & illa se doctiorem & sapientiorem iudicare. quod verbum ex tali mente proficiscitur non Dei, verùm diaboli verbum esse certò persuasum habere debetis. Quod autem etiam CHRISTVM audire coactum fuisse dicitis, quòd esset Samaritanus & dæmonium haberet, id-circò ferre vos oportere patienter, si tale quid etiam de Luthero, vel Philippo dicatur, hoc est, quod ingentem animo meo eruciatum adfert, quòd eo iam rem video esse progressam, vt eodem à plerisque loco Lutherus, aut Philippus quo Christus habeatur. Quæ potest hac vna vel cogitari maior impietas. Non quia Christus falsò dæmonium habere dictus est, ideò falsò dicetur diaboli verbum esse, quod vel à Luthero, vel à Philippo, quos esse Christi constat aduersarios proficiscitur. Qui mecum non colligit, inquit, Christus cum diabolo spargit, ac fatetur hoc ipse Lutherus, quòd à diabolo sumpserit argumenta, quibus Missæ sacrificium oppugnauit. Quid igitur est in eo peccati, si diaboli verbum esse dicatur, quod à diabolo se fuisse mutuatum, author ipse confitetur. Deinde verò contra Zuinglium & Oecolampadium scribens, cum diuersas & pugnantes inter se verborum horum interpretationes protulisset. Hoc est corpus meum, an ijs verbis Lutherus non vtitur? Talis discordia non potest esse à Spiritu sancto, sed est certo certius à diabolo. Cur eadem ratio nõ æquè valeat contra Lutherum & sectatores eius, quos non minus inter se quàm Zuinglianos pugnantes, tot confessionibus tam varijs, & inter se pugnantibus excogitatis videre licet. Verum non est nisi vnum, varium semper & multiplex est mendacium. Mendacij verò patrem diabolum esse, quis est qui dubitat ? Quod autem leuitatis meminisitis, reuera magnæ fuit leuitatis ab orbis totius Christiani Papatu ab Ecclesia Catholica deficere. Cæterùm à Saxonico Papatu deficere, & agnito errore in viam veritatis redire, non leuitatis, verum eximiæ cuiusdam virtutis est. Sed nolo nunc esse longior, ad reliqua responsum in diem crastinum reijcio, vt ipse quoq; de responso vobis dando deliberare queam. Fecerat autem legi Cardinalis D. Augustini verba, quæ tum habebat in promptu, quibus locum illum ex epistola D. Iohannis de probandis spiritibus præclarè multis verbis explicat, quibus lectis, domum se recepit.

Ea-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eodem die cum quibusdam primoribus quos prandio exceperat ex magistratu, priuatim Cardinalis expostulauit de ministro, vel vt ipsi vocant superintendente, quem alunt, quod is quo tempore Cardinalis fuit, in prætorio concionem ad populum habuit, & eum pluribus verbis magna cũ vehementia cohortatus est, vt ne se deterreri paterentur à verbo Dei, se præsto semper illis affuturum etiamsi vitæ discrimen ad eundem sit, eos defensurum, ac multa debacchatus est in Papam, Cardinales, & Episcopos, vt seditionem quandam concitare velle videretur. Quid est hoc, ait, Cardinalis, quòd etiam præsente me tantum audet hic minister. Quasi verò quod ipse docet Dei verbum sit, & non illud potiùs quod ab illo docetur, qui legitimè missus est à me? cum nihil eo sit certius, quòd non Dei verbum verùm diaboli verbum sit, quod per ministrum annunciatur, quandoquidem à dissensionis non autem à pacis atque dilectionis Deo proficiscitur quodque precioso suo sanguine congregauit Christus, hoc ille dispergit. Tum autem quale nam est hoc Euangelium, quod non aliunde ferè constat, quàm exprobris, conuitijs, maledictis, potestatem à Deo constitutam? Responsum hoc à quodam tulit: Quandoquidem quæ dicuntur contra Confessionis Augustanæ dogmata nonnunquam ei refellenda sunt, necesse est vt eam partem nominet cuius dogma confutare conarur. Ad quæ respondit Cardinalis. Non est pars Pontifex sed est Ecclesiæ totius caput, & in causa fidei iudex legitimus: à quo si quis præciderit se, iam Ecclesiæ membrum esse desinit. Subinde minister vester in Papistas inuehitur, cum tamen ipsa Regia Maiestas se quoque Papistam, hoc est, Christianum esse, palàm profitetur, & libenter eam potestatem agnoscat: cui, quod idem ab Imperatore & à reliquis fit Regibus Christianis, per oratorem suum debitam obedientiam præstitit. Quamobrem in ipsam quoque Maiestatem Regiam inuehere videtur minister vester, cum in Papistas inuehitur. Quid est autem hoc quod virtus probro datur, & agnoscere legitimam potestatem in crimine ponitur? Habitus est postea sermo de eo: qua potestate sibi coaceruarent, ad sua defideria magistros siue ministros cum ea penes Episcopos sit, non autem penes Magistratum prophanum. Legimus Timothæum & Titum à Paulo constitutos Episcopos. Tito verò mandatum ab eodem Paulo fuisse per quem erat Episcopus constitutus, vt ipse non vt populus qui docendus non sequendus est, aut prophanus aliquis magistratus constitueret per ciuitates presbyteros. Legat qui volet & acta & epistolas Apostolorum, nusquam reperiet, quòd quisquam in hac parte sibi iuris, vel populus, vel prophanus Magistratus vsurpauerit. Quin illud potiùs inueniet, quòd Paulus & Barnabas, non Burgimagistri constituerunt, per singulas Ecclesias presbyteros cum oratione & ieiunijs. Quod & nũc in Ecclesia Catholica similiter obseruari videmus. Simul & illud inuenietur, quòd Spiritus sanctus posuit Episcopos non Burgimagistros regere Ecclesiam Dei, vt Episcopi prouideant Ecclesiæ de ministris & magistris, non autem ciuilis magistratus. Responsum est Cardinali: quod antea quoq; scripto comprehensum, & illi missum erat priuilegio Casimiri Regis ante 100. annos ciuitati dato, cautum illi fuisse, quòd Parochus in illa ciuitate non esset constituendus nisi qui Senatui populoq; probaretur. Ad hæc Cardinalis: Hoc verò nusquam in illo priuilegio reperitur, sed cum Casimirus Rex, quem cum primis pium & Catholicum Regem fuisse constat, iuspatronatus aliorum sacerdotiorum ciuitati permisisset, sibi duas parochias conferendi ius reseruauit, cum ea conditione, quòd nõ sit Parochũ præsentaturus nisi qui sit vobis accommodus. Quod autem iudicium ea de re penes Magistratum aut populum esse voluerit, hoc in illo priuilegio minimè reperitur, cum Episcopi proprium hoc sit munus non ciuilis Magistratus, aut populi de eo cognoscere, quàm sit idoneus cui ministerium aliquod Ecclesiæ mandabatur ad illud obeundum, qua vita, qua doctrina sit præditus: num sit etiam eius linguæ peritus cuius est ea ciuitas in qua Parochi munus exercere debet: & hoc sibi vult nomen accommodus quod Germanicè scriptum est Eben, hoc est, qui sit eiusdem linguæ, ne quis Polonus obtruderetur linguæ imperitus, qui sith oneſta vita, qui possit in sana doctrina exhortari. Qua de re iudicium, sicut iam dixi: penes Episcopum esse debet. Regia Maiestas cum sit patronus Ecclesiarum Regni Cathedralium, est quidem ita quod nominat Episcopos, sed eos ipsa non constituit nec Ecclesias gubernandas committit: verùm quem nominauerit ei præsentat, penes quem Ecclesijs de Pastoribus & Episcopis prouidendi potestas est, Romano Pontifici: qui postea cognoscit, num sit idoneus nécne, ad hoc munus tantum, qui per Regiam Maiestatem designatus est, eius iudicio stat Maiestas eius, neq; vel Parochum, neq; Canonicum quenquam ipsa constituit, aus vel minimum Sacerdotium alicui mandat, nisi priùs Episcopo loci præsentet, vt ille iudicium suum interponat, num ad eam functionem sit idoneus nécne. Idem & Imperator, & alij faciunt Reges, quotquot sunt Christiani: non sibi sumunt ea quæ Dei sunt & ministrorum eius, sed manent intra suos limites: ciuitatum arcium, populorum præfectos constituunt, & in senatum suum ascisount, quos illis visum est: Ecclesijs neminem obtrudunt, qui non per Episcopos priùs examinatus fuerit, & approbatus. Mirum est, quam sibi potestatem non sumit suprema potestas, q̃ eam audet sibi vendicare, quæ multis partibus est inferior? vt rectè de ea cum illa suprema collata dici possit, quod apud Paulũ legimus, q̃ nec glorificata est, q̃ erat in gloria propter superemineñtẽ sũ premæ potestatis, saltem ab illa disceret hæc modestiam, disceret intra sua septa se continere, nec sibi quæ scit non esse sui muneris arrogaret. Hæc pluribus verbis cũm exaggerasset Cardinalis, non aliud ei responsum est, quàm quòd haberent priuilegium Casimiri Regis, haberent & alias literas eius Regis, qui nunc ad Regni gubernacula sedet, quibus illis permittitur, vt reiecta Christiana, Confessionem Augustanam sequi possent. Respondit Cardinalis, Regia Maiestas plus vobis iuris non concessit, quàm habet ipsa. Nunc autem ipsi videtis, quod quæ pietas est & religio & modestia Maiestatis illius, cũm sciat hoc ad se minimè pertinere, non sibi sumit, vt constituat vel Pastores, vel Episcopos, vel Canonicos, vel quoscunq; tandem Ecclesiæ ministros: verùm si quarum Ecclesiarum aut Sacerdotiorum patronus est, quos Episcopus designat, ad Pontificem Romanũ, quibus alia minora sacerdotia committi velit, ad Episcopum loci ordinarium, vt ille cognoscat, quàm sit idonea persona quæ præsentatur. An vos quoq; non deceret, eandem imitari pietatem, religionem, & modestiam, ne maiorem vobis potestatem & authoritatem vendicaretis, quàm vllus Rex aut Imperator. Sed si quos habere vultis Ecclesiæ ministros, eos ad Episcopum vestrum, vt de eorum vita & doctrina cognosceret, mitteretis. Non est vestrum, interpretari literas Regiæ Maiestatis, verùm cuius condere fuit, eiusdem erit & interpretari. Quamuis etiam receptus in his terris vsus, ex quo tempore datum est huic ciuitati priuilegium, hoc satis aliud interpretatur, cum Parochos non alij præsentauerit Regia Maiestas, quàm Episcopo, vel eius officiali. Et qui nunc est Parochus, à Regia Maiestate fuit, non Burgimagistris, verùm absente me Vicario meo præsentatus, & per eum institutus. Sic Episcopi iurisdictionẽ agnoscit Regia Maiestas, quam vos reijcitis, & contra communem Regem ac dominum vestrum alium vobis Pastorem eligitis, ab eo quem illius Maiestas præsentauit, quod q̃ vos facere deceret, ipsi vobiscum expendite. Porrò iactabant Augustanam Confessionem per Maiestatem Regiam esse concessam. Exhibuit Cardinalis literas ad se scriptas, & manu Maiestatis Regiæ subscriptas, quibus à se literas huiusmodi datas fuisse, Maiestas illius memoria se tenere negat. Multus etiam sermo fuit de Politicis Pontificibus, quorum iam etiam ipsos Lutheranos vehementer est pertesum, de quibus lecta sunt, quæ scribũt Centuriatores in præfationem, quintæ, septimæ centuriæ. Lecta etiam est epistola Matthiæ Bredenbachij, valdè accommodata ad negocium, de quo tunc tractabatur, qua quendam Consulem non dissimilem eorum, qui tum præsentes aderant, officij sui piè admodùm & prudenter admonet. Lecta sunt etiam quædam ex libello Clebitij, qui inscribitur Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici, & ostendit in eo Cardinalis, quam formulam instituendæ Synodi Christianis olim Lutherani præscribebant, eandem nunc Lutheranis præscribunt Zuingliani, & eorum vbiq; vestigijs incedunt. De pagella quoq; Melanchtonis, quæ Caluinismũ spirat, quam non ita multò antè, quàm ex hac vita migrauerat edidit, magna fuit disceptatio. Negabant illi, quòd eam aliquando scripserit Melanchton. Sed Cardinalis multorum Philippi discipulorum productis testimonijs, imprimis autem Tilemanni Heshusij, quòd eam scripserit comprobauit. Multis de rebus actum est in ædibus Cardinalis eodẽ die cum præcipuis quibusdam è Senatu. Sed omnia scripto mandari longum foret, ac minimè necessarium.

Postero verò die communicato cum suis consilio, Cardinalis quoniam non videbat quõ fructum ex ea re sperare posset, ad prætorium sibi veniendum esse non putauit, sed cùm ex templo reuersus fuisset, atq; Consulem obuium habuisset, dixit illi, se suis in ædibus responsum illis esse daturum. Quo cum nonnulli venissent ex Senatu: quandoquidem videbat eorum animos fuisse non mediocriter offensos: quòd Confessionem Augustanam diaboli verbum vocasset, paucis ex his nonnulla repetiuit, quæ pridiè dixerat, quomodo probandi spiritus, ac Dei verbum à Dei verbo dignoscendum esset: Addidit & hoc, totum Christum ex Augustini vel potiùs ex Pauli sententia caput & corpus esse. Caput esse Dei Filium vnigenitum, nec satis esse si de capite credas, quæcunq; de eo credenda, sacræ scripturæ nobis prodiderunt. Si te segregas à corpore capitis huius, quæ est vna sancta Catholica Apostolica Ecclesia, si non communicas eius vnitati: Si contra eum, quem illa tot seculis recepit sensum scripturas interpretaris, si plus tibi soli, quàm illi vniuersæ credis, quando quidem caput & corpus vnus est Christus, quamlibet rectè sentias de capite, quia tamen te diuidis à corpore, soluis Iesum, atq; ita Antichristus es. Quisquis enim vel Ecclesiam à capite suo CHRISTO, vel seipsum ab Ecclesia, vel Ecclesiam in seipsa separat, ac diuidit, is ex Augustini sententia verè soluit Iesum, & verè dici meretur Antichristus, quia diuidit ac scindit, quod preciosa morte sua CHRISTVS congregatum & vnitum esse voluit: & quantum in ipso est crucis & mortis eius beneficium euacuat, CHRISTO non communicat, quisquis Ecclesiæ quæ corpus eius est non communicat: à qua cum per Augustanam Confessionem facta sit separatio, cùm per eam CHRISTI corpus Ecclesia scissa, & alijs exemplum datum sit in plures etiam sectas dissecandi, quis est qui dubitare queat, quin eiusmodi doctrina non CHRISTI qui venit congregare, sed eius qui venit, vt diuidat inter fratres, vt spargat, vt mactet, Antichristi verbum est. Hæc itaque cum vel ipsa luce clariora sint, mirum vobis esse non debet, si Confessionem hanc Augustanam verbum diaboli esse dixi. Nam aduersatur charitati, quæ Deus est. Nec enim, sicut præclarè, inquit ille, diuidit vnitatem quisquis habet charitatem. Cum enim Dei verbum sola ferè sit charitas, ex qua pendet lex & Prophetæ, quæ complectitur vnitatem, quæ nos omnes vnum in CHRISTO corpus efficit, certum est & indubitatum, non Dei verùm diaboli verbum esse, quicquid cum illa pugnat, & ad separationem atque diuisionem pertinere videtur. Sed fatetur hoc etiam ipse Lutherus, quòd à diabolo sibi sint argumenta suppeditata, quibus venerandum Missæ Sacrificium oppugnaret. Quò minus molestè ferre debetis, si quod ipse profitetur & præfert doctrinã illius ab authore diabolo profectã non Dei, verùm diaboli verbum esse dicamus. Verùm de hac re satis. Cupiebam à vobis certior fieri, quid in ijs desideraretis, quos proximis superioribus mẽsibus, vt pũrũ vobis Dei verbum prædicarent, ad vos miserã, quid nam esset causæ, quod ab eorum sermonibus audiendis tantoperè vestra volũtas abhorreat. Expectabã vt grauem aliquam causam proferretis, ecce aũt encomium Augustanæ Confessionis adfertis, quòd illa sit Christiana, vera,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Euangelica doctrina, diuinæ legis oraculis per omnia conueniens, & in verbo Dei bene fundata: qui verò missi sunt à me, nec vita nec doctrina illi respondeant. At quod vos de Augustana Confessione dicitis, id quàm sit ab omni veritate prorsus alienum, iam satis docuisse videmur. Nã & in imperij comitijs ante annos 28. ac deinceps etiam non semel abordinibus Imperij reprobata, & in Oecumenico Concilio ante annos plus minus quinque totius orbis Christiani iudicio fuit hæreseos condemnata. Vellem autem vt explicaretis mihi, quid in ijs verbis intelligi velitis, quòd eorum vita non respondet Augustanæ Confessioni. qualem vitam requirit hæc vestra confessio ? num dissolutam aliquam, & omni spurcicia plenam ? qualem in ijs quos ad desideria vestra vobis coaceruatis Magistris videre licet. Equidem fateor lubens, quòd eorum qui missi sunt à me, talis vita non est. Est enim sancta prorsus & inculpata. an hoc dicere velle videmini ? Grauis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita eius, & immutatæ sunt viæ eius. Quæso vos, vel vnum aliquod eorum proferte crimen, in cuius vel suspicionem aliquam inciderint, nisi fortè hoc crimen putatis, quòd vxores non habent, quod & vitam celibem & eam castam agunt. Atqui cùm essent Euangelium Apostoli prædicaturi, vel non ducebant vxores, vel semel ductas relinquebant, & ab earum se consuetudine continebant. Isti verò quinti præcones Euangelij persuasum habent, se parum idoneos ad id prædicandum fore, nisi priùs vxores duxerint, & procreandis liberis operam dederint. Pulchrè certè conueniunt, Euangelium prædicare, sacris operari, & procreandis liberis operam dare. Verùm adfertis mihi mox Dei verbum : Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum. Quem sensum ex hac scriptura colligunt hæretici non Dei, verùm diaboli verbum est. Verùm demus hoc eum esse, quem vos vultis. At vester hic non vnius, verùm duarum vxorum, si minùs trium vir est. Nam alteram eum duxisse iam in confesso est, an hoc verbo Dei consentaneum est, an cum Pauli sententia non ex diametro, quod aiunt pugnat ? Tale Dei verbum est præclara vestra confessio. Sed ego memoria teneo, fuisse quendam in ista ciuitate, paulò antè quàm accesseram, ad huius Ecclesiæ gubernacula, qui tres haberet superstites vxores, & quod ab illo prædicabatur, Dei nihilominùs verbum vocabatur. Alium quoque noui, qui cum ex monasterio quodam rapuisse diceretur monacham quandam, quam tamen suam esse vxorem dicebat, receptus est à vobis tanquam Apostolus Dei. Num autem quia coniugem habere visus est, ideò cæteris fuit continentior ? quin illius tam inexplebilis fuisse libido fertur, vt haud aliter quàm si Cynicus aliquis esset in conspectu fœminæ, quam vxoris habebat loco, cum alijs impudicis fœminis consuetudinem habuisse, suamq; cum illis turpitudinem expleuisse palàm diceretur. Talis ne vita quadrat Augustanæ Confessioni, dignum vt patella sit operculum, vt qualis doctrina, talis & vita sit. Impetraueram à Regia Maiestate mandatum, vt è ciuitate vestra pelleretur, quod vos cum magna alacritate fuistis exequuti, iam enim vos illius valdè pertesum fuerat. Cùm autem à vobis discedens in Pomeraniam cum illa sua fœmina venisset, publica fama fuit, quòd eam occiderit in itinere. Quod ego cum essemus in Comitijs Marieburgensibus, præsentibus illis qui missi fuerant ex ista ciuitate : cùm præsens etiam fuisset, qui nunc hic adest Sprengelius, obiecisse me recordor, neque fuit quisquam, qui secus rem habere diceret. Tales ne vobis ministros & magistros à me dari vultis ? talisne vita respondet præclaræ huic confessioni vestræ ? Si qui verò sancti sunt innocentes & impolluti, tales ferendi vobis non esse videntur. Verùm ad eorum doctrinam rediamus. Sicut me superius dixisse memini, quemadmodum Augustanæ Confessionis doctrina primùm Augustæ comitiorum Imperij decreto, deinde Tridenti totius orbis Christiani sententia fuit in Oecumenico Concilio condemnata, sic quam adferunt isti per orbem Christianam vniuersum recepta est & approbata. Cur autem non profertis quid in illa reprehendendum sit ? Vtinam aliqui vestrum Heilspergam ad me venirent, ac dies aliquot commorari mecum vellent, omnibus humanitatis officijs illos prosequerer, sumptum etiam suppeditarem omnem, vt vel docerent me, vel docerentur à me de rebus ad salutem nostram necessarijs, & ad fidei doctrinam pertinentibus. Verùm graue quoddam audeo proferri argumentum : Martinus Kemnitius ædito libello Iesuitarum doctrinam refutauit, cui qui responderet hactenus, repertus fuit nemo. Non sunt igitur audiendi. Quàm verum fuit, quod paulò ante dixeratis de Confessione Augustana, quòd nemo fuerit inuentus, qui contrà scriberet, aut qui potuerit eam refellere, tam verum est & hoc de Kemnitio. Plus minùs decem legisse mihi videor, qui Confessionem Augustanam æditis libris confutarunt : atque totin ea tam crassos errores ostenderunt, vt vel manibus palpari potuerint. Nec legi qui validis rationibus eorum scripta refelleret. Payuæ quoque Lusitani librum legi magna sacrarum literarum peritia, nec minore Latinè scribendi facultate præditi, qui diuinæ legis oraculis, ac sacrorum doctorum scriptis omnes ineptias Kemnitij præclarè confutauit. Quem librum quin & alios nonnullos vobiscum lubens communicauero, dummodò legere velitis. Non enim soletis ferè legere, nisi quæ quinti sunt, si dijs placet, Euangelij, quò minùs rectè de rebus incognitis tanquam cœci de coloribus iudicare possitis. Verùm obsecro vos, quodnam est hoc argumentandi genus. Scripsit nescio quis Kemnitius contra Catholicam Iesuicarum doctrinam, falsa igitur est, & ab omnibus reijcienda. Num eadem ratione non liceret in hunc quoq; modum argumentari : Scripsit Osiander contra doctrinam Augustanæ Confessionis de iustificatione, verum igitur est quod scribit Osiander, falsum quod Confessio docet Augustana. Scripsit Gregorius vel Blandrata siue Gentilis contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ de Sancta Trinitate, deq; sempiterna CHRISTI diuinitate, verum est igitur, quod à Gregorio, falsum quod ab

ab Ecclesia Catholica docetur. Quid hoc ratiocinandi genere dici vel cogitari potest ineptius ? Kemnitius audacia pro sapientia vsus, vt stultitiam suam orbi toto ridendam proponeret, ausus est etiam examen scribere sacri Concilij Tridentini decretorum, & eorum doctrinam refutare. Num igitur verum erit, quod scribit Kemnitius, falsum quod credit orbis totus Christianus. Sed ego longior in ijs ineptijs refellendis esse nolo. Video me non eum profectionis ad vos meæ fructum tulisse, quem sperabam. Nam quod magno studio laborabam, vt ab Antichristo vos Islebiensi auerterem, & ad CHRISTVM in Bethlehem natum conuerterem, quantum in eo profecerim adhuc, vehementer me pœnitet. Neque tamen propterea de vobis lucrifaciendis omnem spem abijciendam esse puto. Duodecim sunt horæ diei : Potens est Deus, quando illi visum fuerit etiam ex lapidibus filios Abrahæ suscitare. Quamuis itaque coram conferre mecum digniati non fueritis, non ego tamen ideò quod erit officij mei, negligam. Si nullius ex vobis præsentis mihi potestas dabitur, mittam nihilominus libros, quibus Augustana Confessio non semel est præclarè confutata. Mittam & Andradij Payuæ Lusitani librum, quo præclarè diluit omnia, quæ scripta sunt ab isto vestro Kemnitio. De quo videtur dixisse sapiens ille : Vidisti hominem qui sibi sapiens esse videtur. Spes est de stulto quàm de eo longè maior. Vtinam autem adduci possetis, vt sicut Lutheranorum sic & Christianorum libros legeretis ! nec damnaretis quidlibet personis non auditis, neque rebus dijudicatis. Priùs vt audiretis etiam eum, qui ritè atq; ordine missus est à me, ac tum demum, an sit eius doctrina Prophetarum & Apostolorum scriptis consentanea (quandoquidem hanc vobis potestatem arrogatis) dijudicaretis : nec inauditum condemnaretis. Si verò non potest hoc vobis persuaderi, liceat saltem in hac Regia ciuitate, quod licet sub graui Turcarum tyranno, vt CHRISTVS in Bethleem natus liberè prædicetur, & Christiano ritu colatur. Neque patiamini virum hunc tam pium & doctum, ab extremis hominibus ita vexari, in suis concionibus interpellari, lapidibus etiam nonnunquam peti : vt vita illius in magno discrimine posita esse videatur. Sed nec illud ferre velitis, vt homines deterreantur, quo minus Christianam illius doctrinam audiant : quandoquidem non impeditur quisquam, quominus audiat ministri vestri non Christianam. In terris Turcarum tyranno subiectis complures monachi sunt, qui non modò non impediuntur à quoquam quominus CHRISTVM piè colant, & Christianis cæremonijs vtantur, verùmetiam vt à fide dignis audiuntur, in honore habentur, & ab ipsis Turcis eleemosynæ nonnunquam tribuantur. Cur debet esse deterior conditio Christianorum in ista ciuitate Regi Christiano subiecta ? Si reperiuntur quos Dei metus in officio continere non potest, saltem contineat eos in officio Regiæ Maiestatis metus. Non ignoratis, quod est illis à Regia Maiestate fides publica data quam saluum conductum vocant, quòd eos in protectionẽ suam illius Maiestas assumpsit, quòd graues pœnas cominatus est, si quis fidem publicam violasset. Dolendum est eò rem recidisse, quòd etiam apud eos qui Christiani videri volunt, absque fide publica CHRISTVM profiteri non licet. Sed habent eam tamen, vel huius rei ratio saltem aliqua ducatur. Vos verò, qui cum potestate versamini in hac ciuitate, qui Regiæ Maiestatis vices in ea gerere videmini, etiam atque etiam vobiscum expendite, quid periculi vobis ea res allatura sit, si quem eorum qui missi sunt à me, sub fide protectionẽq; Regia violari passi fueritis. Vestrum, hoc est officium, prouidere ne quid contra ius & fas fiat, deq; securitate cunctis prospicere. Exhibuerat autem Burgrabio Cardinalis quinque lapides grandes & rotundos, quorum quilibet ad interficiendum hominem satis erat idoneus, quos pridiè Annunciationis Beatæ Mariæ virginis quinque viri magno cum impetu iecerant in cubiculi fenestram, in quo fuerat P. Petrus ex Societate nominis IESV vnà cum alio sacerdote, vt si minùs primus, saltem secundus, tertius, quartus, quintus, aut alterum, aut vtrunque Sacerdotem, qui tunc erat in cubiculo, feriret & occideret. Quod etiam factum propemodum fuerat : Sed suos Deus mirabiliter seruauit. Negauit Burgrabius, quenquam ea de re coram se quæstum fuisse. Quamobrem nemine accusante, nihil se durius in quenquam statuere potuisse. Quod minùs à Maiestate Regia sibi mandatum gerat, se meminisse, nec illud ignorare, quod officij sui sit, vt vniuscuiusque securitati prospiciat, fidemq; suam imploranti succurrat. Quamobrem promisit, se prospecturum illorum securitati. Si quid, inquit, vel minimum molestiæ illis quisquam attulerit, deferatur nomen illius ad me, quod erit mei muneris, in me requiri non patiar, & in eum exemplum ædam eiusmodi, quo facilè possint alij à simili audacia deterreri. Cardinalis autem : Scitote, inquit, quòd homines ij, quorum nunc vtor in vobis Christo lucri faciendis opera, neminem præter vnum Deum metuunt, nec reuerentur pro illius nomine mortem etiam si vsus venerit, oppetere. Quamobrem nihil est, quod quisquam existimet, eiusmodi persecutionibus eos ab Euangelio prædicando deterreri posse, quin animosiores etiam reddantur, quod reipsa iam experti estis. Quæ sit passus rector Bransbergensis Gymnasij, non ignoratis : nihilominus petijt is à me, quo potestatem illi facerem, vt ad vos redire, verbumq; Dei vobis prædicare posset, se non dubitanter extrema quæq; passurum, ac in magna suæ felicitatis parte posiurum, si mortem etiam pro fide CHRISTI oppetere sibi licuerit. Videtis itaq; quales isti sunt Euangelij præcones. Verùm ego potestatem hanc illi concedere nolui, nõ solùm illius causa, verumetiam ne quod grauius in diserimen hæc vestra ciuitas veniret. Quamobrem cohibete furorem istorum hominum, & si minùs ipsorum, saltem vestræ salutis rationem habetote. Burgrabius futurum se promisit omnia, nec officio suo defuturum, si quis illud imploraverit. Sed & hoc pollicitus est, quos miserit Cardinalis libros, eos lecturum se, sanæque doctri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

næ locum apud se futurum. Tum Cardinalis : Quandoquidem aliud remedium, inquit, hoc tempore mihi non occurrit, ad Deum confugiam, qui summam habet rerum omnium potestatem, in cuius manu corda sunt omnium: supplex illum precabor, vt auferat à vobis cor lapideum, & donet vobis cor carneum, quo facilius acquiescere sanæ doctrinæ possitis. Excepit Burgrabius : Nos quoq; Deũ precabimur, vt gratiam suam impartiat, quo possimus ih pace & vnitate viuere. Tum Cardinalis: Necesse est, vt eo redeatis, vnde discessistis initiò. Ad hoc, vt sit vnum ouile, requiritur etiam vt sit vnus Pastor, vt agnoscatur non solùm ille, qui nunc degit in cœlis, nec sub aspectum nostrũm cadit, verumetiam is qui vices illius gerit in terris, aliter vnitas constare non potest.

Ita discessum est : nec enim fas esse putauit Cardinalis, cum tam præfractis hominibus Pascha manducare, verùm Branspergam ad suos profectus est. Et simul vt ad Ecclesiam venit, quæ tantùm quatuor milliaribus ab Elbinga distat, curauit libros aliquot Burgrabio mittendos: nimirum quæ scripsit Andradius contra Kemnicium, quæ contra Confessionem Augustanam Hoffmeisterus : tum opuscula nonnulla Bilichij & Matthiæ Bredembachij de ratione componendi religionis dissidia. An autem hos libros Burgrabius legerit, vel quo fructu legerit, nihil adhuc habet Cardinalis explorati, cùm hominem ex eo tempore non viderit, neq; cum eo quicquam contulerit, qui cæteris hac in ciuitate doctior esse videtur, vt si quid apud eum profici posset, minus esset in alijs lucrifaciendis negotij futurum. Interea Deum precabimur, vt misereatur illius ciuitatis, vt illuminet vultũ suum super eam, vt conuertat eam, & auertat iram suam ab ea.

Cùm autem animaduertisset postea Cardinalis, quod non esset alia ratio ciuitatem hanc lucrifaciendi Christo, quàm si ministeri sathanæ, qui Lutheri verbum pro Dei verbo prædicabat, ex ea facessere iuberetur, obtinuit literas à Regia Maiestate, quibus id seriò Magistratui mandabatur. Quas reuersus ex Marieburgensibus Comitijs per duos Maiestatis Regiæ Secretarios, quorum vnus Regiomontum, alter ad Comitia Marieburgensia, nomine Maiestatis eius legatione functus fuerat, exhibẽdas Magistratui curauit: qui nihil aliud, quàm se rem ad populum relaturos responderunt, ac posteà Regiæ Maiestati responsum daturos. Redditæ sunt autem eis literæ 16. Galend. Iunij, dies nunc agitur quintus decimus. Hactenus non constat illas exequutioni mandatas fuisse. Quid postea sit futurum, dies indicabit. Res in anarchiam quandam euadere velle videtur: quod etiam ipsi testantur, qui quitum hoc (si dijs placet) Euangelium profitentur, & clamat res ipsa.

FINIS.

STANISLAI HOSII CARDINALIS VARMIENsis maioris Pœnitentiarij,

De Actis cum Elbingensibus, Anno Domini M. D. LXVIII.

IN comitijs Elbingensibus graues fuerunt quærimoniæ, quòd noua fierent omnia: quòd nulla iurium, priuilegiorum, libertatum, quæ sunt his terris concessæ, ratio duceretur: quòd plura constituerentur non adhibitis in consilium earum consiliarijs : nuper etiam noua quædam & insolita forma, Commissarios esse missos : qui nullo seruato legitimo processu, duos Elbingenses Burgimagistros loco suo mouerunt. Itaque magna contentione postulatum est à Cardinale, quo memor eius personæ quam gerit, iurium, priuilegiorum, & libertatum defensionem apud Maiestatem Regiam, vna cum alijs harum terrarum senatoribus susciperet, seq; murum pro illis opponeret, eorum exemplo qui locum hunc antea tenuerunt : proficisceretur ad regni comitia, modis omnibus contenderet, & elaboraret, vt ea quæ decreta sunt per D. Commissarios, restitutis in loca sua Burgimagistris, antiquarentur, & irrita redderentur, ac in posterum etiam ne quid in eos noui decerneretur, prouideret. Cardinalis in eam sententiam respondit.

Si quibus nouatio displicet, in ijs & ego nomen profiteor meum : nec est vlla res à qua magis abhorream, quam ab omni nouatione, siue sit ea religionis, siue Reipub. nouatio: quod eam summo cum periculo coniunctam esse malorum q; lernam secum trahere, satis perspectum & exploratum habeam. Quare nemini concedo, maiorem vt ex his nouationibus dolorem capiat, aut magis ex animo propulsatas illas esse cupiat, quàm ego. De in-

de si cui molestum est præteriri Senatores harum terrarum, nec eos in concilium adhiberi de rebus ad illos pertinentibus, quod in hac noua forma commissionis, de qua non prius certior sum redditus, quàm cum executioni mandari iam cœpisset, factum esse nonnulli queruntur, mihi quoque non minus molestum id accidit. Nam quòd ego quoque sum præteritus, nec ea de re quicquam fuit mecum communicatum, fatebor, quod res est, æquo satis animo ferre non potui. Sed cui debemus hæc mala accepta ferre, de quibus nunc tam graues excitantur querimoniæ, nisi Burgimagistris trium harum ciuitatum? Nam qui sunt qui nouam Religionem, nouos ritus & cæremonias in eas introduxerunt, qui noua fecerunt in Ecclesia omnia, nisi Burgimagistri? qui sunt, qui quos nominauit Episcopos in istis ciuitatibus Regia Maiestas, quos & sancta sedes Apostolica confirmauit, eos de suis locis deturbarunt, & alios per summum nefas instituerunt, nisi Burgimagistri? Qui sunt qui gloriantur id concessione Regiæ Maiestatis se fecisse, cùm nullus ex harum terrarum Senatoribus ad id consilium fuerit adhibitus. præter vnum fortè Marieburgensem Palatinum, qui iam ex hac vita migrauit, nisi Burgimagistri? Siccine quod Burgimagistris placuit, si Regiæ Maiestatis qualisq; tandem consensus per obreptionem obtentus, ad hoc eorum placitum accesserit, iustum id, æquum, sanctum & inuiolatum esse debet. Si verò statuta aliquid eadẽ Regia Maiestas, aliorũ quam Burgimagistrorum consilio, prorsus id irritum & inane decerni statim oportebit? Nouat in Repub. pleraque Regia Maiestas, at multo plura nouarunt in religione Burgimagistri. Sed fecerunt permissu Regiæ Maiestatis. Demus hoc. Quis est autem, qui satis mirari queat, quòd ei regiam potestatem adimere conantur, cui plus quàm Pontificiam tribuunt? Nam audeo dicere, quòd neq; Pontifex potestatem habet, nouam religionem instituendi, nouos ritus, nouas cæremonias abrogatis veteribus totius Ecclesiæ perpetuo consensu receptis & approbatis, inducendi. Scilicet quando visum erit Burgimagistris, Sigismundus Augustus erit plus quàm Pontifex: quando secus illi iudicauerint, ne Rex quidem erit. Certum est & indubitatum, quod ad Reges & Principes Politicarum, ad Episcopos autem Ecclesiasticarum rerum administratio pertinet. Quamobrem cui concedunt, vt Pontificem agat, & plusquam Pontificem, vt etiam in ea quæ diuina sunt sibi potestatem sumat, quo iure possunt prohibere, quò minùs in his ius & potestatem suam exerceat, quæ propriè pertinent ad munus eius, vt in rebus politicis aliquid noui statuat? Quòd verò contra priuilegia terrarum harum fieri quiritantur, vt non communicato cum eorum Senatoribus consilio, pleraque constituantur, à quonam edocta hoc facit Regia Maiestas, præterquam à Burgimagistris? quis enim ex harum trium ciuitatum episcopis, quis ex Palatinis præter vnum fortasse, de quo supra memini Marieburgensem : quis ex Castellanis, quis ex Succamerarijs in consilium adhibitus & sententiam rogatus fuit, cùm Burgimagistri nescio quam nouam religionem sibi concedi postularunt, & sicut ipsi gloriantur obtinuerunt: quod ego tamen adhuc non satis credo. Si quid obtentum est, per obreptionem obtentum est. Ego præsens in ijs comitijs adfui : non solum per omne tempus id, quo fui Varsauiæ commoratus, nihil mecum ea de re communicatum est, verùm & anuos aliquot post diligenter admodùm de consilijs istis Burgimagistrorum fui cœlatus, & æquè tunc eram præsidens atque nunc, neque tamen pro præsidente, sed neque pro Senatore, vel pro Consiliario tunc agnoscebar, & volunt vt nunc cœlum terræ misceam, quòd cum de rebus Politicis ad has terras pertinentibus haberentur consilia, fuerim vnà cum alijs earum Senatoribus ab illis exclusus: cum exclusus antea fuerim, quando de diuinis rebus tractabatur, quæ magis adeò pertinent ad meã vocationẽ quàm hæc Politica. Multò grauiora sum passus, & adhuc patior à Burgimastris Elbingensibus, q me de dignitate mea Episcopali deturbarunt, altare contra altare erexerunt, Cathedram contra Cathedram constituerunt, & alium sibi superintendentem elegerunt, qui publicè CHRISTVM blasphemaret, & quod lingua dicere, quod etiam aures horrent audire, diaboli nomen illi tribuit. Ausus est enim scelleratus & blasphemus ille, cùm blasphemas multas voces contra sacrosanctum Missæ sacrificium eiacularetur, & hoc inter alia dicere : Qui, quum eleuat, in sacrificio Sacerdos hostiam adorat, diabolum adorat. Hæc ego ferre cogor & fero, quandoquidem prohibere non possum: hic neque pro Episcopo, neque pro præsidente agnoscor: & vbi leuiora committuntur, vbi de Politicis tantum rebus agitur, ibi volunt vt præsidentis munere fungar, vt pro iuribus, priuilegijs, & libertatibus harum terrarum pugnem, & nullius offensionem reformidem, dum ea sarta tecta conseruari queant: quin priùs mihi quæ non magis mea, quàm ipsius Dei iura & priuilegia sunt, Burgimagistri mea iura, mea priuilegia, meas Ecclesias, quas per summam iniuriam occuparunt restituant, ac ita demum posteaquam id fecerint, à me quod est munus præsidentis exigant. Quod nullo seruato legitimo processu D. Commissarios Regiæ Maiestatis fecisse dicitur, duos vt Burgimagistros loco suo mouerent, quemadmodum verè possit affirmari, non video. Constat enim, quòd fuerunt citati, fuit illis facta causæ dicendæ potestas, fuit actor, fuit reus, & cum audita fuisset vtraque pars, sententia per iudices lata est. At ego quando fui citatus? quando mihi fuit facta causæ pro me dicendæ potestas? quis fuit accusator? quis iudex? nihilominus quemadmodum aliarum duarum ciuitatum Episcopi, sic & ego de cathedra mea per Burgimagistros deiectus, & Episcopatu meo sum spoliatus, & omnia templa per summam iniuriam ab illis occupata sunt. Miseram viros pios & doctos, qui purum Dei verbum in Regis Christiani, Catholici, & orthodoxi ciuitate, quæ meæ iurisdictionis est Ecclesiasticæ, prædicarent: & Christiano ritu Christum colerent, non sunt admissi, vel extra mœnia saltem ciuitatis, vt mandato sibi munere per me fungi possent, quin lapidibus petiti, ac modo non interfecti sunt. Quid facerem? Regiæ Maiestatis fidem imploraui, ne pateretur Christianus Rex in sua ciuitate prohiberi, pe

 tiui,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiui, quod in suis ciuitatibus quamlibet à Christo sit alienus, etiam immanis Turcarum Tyrannus liberum permittit. Fecit Maiestas Regia quod erat Catholici Regis officiũ. Misit Commissarios suos, per quos mandauit, vt magistratus Euangelij cursum impediri ne pateretur, sed qui forent ad id prædicandum à me tanquam legitimo Episcopo missi, mandatum sibi munus eos exequi permitterent, ac seriò prouiderent, ne quis eos violare sãluo conducto Maiestatis illius munitos auderet. Ac fuit mihi quidem Parochialis Ecclesia restituta, sed quod ad Sanctos illos patres à me missos attinet, non maior est Regiæ Maiestatis, quàm Episcopalis dignitatis habita ratio. Petebantur illi nihilominùs grandioribus etiam saxis, & frustrà contra sacrilegos homines Magistratus fides implorabatur, quin quanto magis Regia Maiestas eorum qui missi sunt à me securitati prospicere conabatur, tanto maior leuissimorum hominum contra eos impetus fiebat, tanto grauioribus eorum iniurijs erant obnoxij. Mandauerat Regia Maiestas, vt eijceretur ex vrbe seditiosus ille & blasphemus minister: Contrà Burgimastri quasi in despectum Regiæ Maiestatis, Pellantur, aiebant, potius Iesuitæ. Res est admiratione digna, rebus etiam ipsis nomina commutata vidimus. Nam qui subinde superiori de loco detonabat in Papistas, in quibus Regia quoque Maiestas nomen profitetur suum, in Cardinales, Episcopos, qui Christũ etiam ipsum probris, conuicijs & maledictis afficiebant, deinde qui lapides in pios homines puri verbi Dei ministros iaciebant, audiebant pacifici: qui verò neminem vel verbo læserant vnquam, qui saxis à saxeis hominibus petebantur, quia fortè declinabant eorum ictus aliquando, nec eos totis corporibus excipiebant, seditiosi vocabantur, Diaboli verbum, per quod qui precioso Christi sanguine collecti fuerunt, eos mirabiliter dispersos, & non ab Ecclesia modò, verumetiam ipsos à se inuicem disiunctos, & horrendum in modum in plurimas sectas dissectos cernimus, Dei verbum appellabatur. Ipsi denique Christo & Seruatori nostro (proh scelus abominãdum) diaboli nomen tribuebatur. Apud extreme barbaros vix talia fando quisquam audiuit. Ego nihilominus hæc & audire cogor & ferre. Interea, qui mutus vt sim in Christi causa cupiunt, ijdem illi posteaquam aliquid in rebus politicis nouari cœptum est, nescio quos clamores excitare me volunt contra potestatem à Deo constitutam, quæ si mihi foret offendenda, mallem in Christi causa, quàm in alia quapiam offendere. Quamobrem cùm Elbingenses Burgimagistri de gradu meo me deiecerint, cùm quæ propriè spectant ad munus meum ea sibi præter fas & æquum arrogauerint, cùm eorum quisque maiorem sibi sumat authoritatem, & minùs tolerabilem minus etiam excusabilem potestatem, quàm Papa Romanus vnquam: ab illis nunc exigite non à me præsidentis vt munere fungantur, vt ad Regni comitia proficiscantur, vt in eis iura, priuilegia, libertates harum terrarum tueantur. Ego verò quando ferre cogor multo grauiora, feram & hæc leuiora, quò possum animo. Fieri non potest, quin mutationem religionis Reipub. quoque mutatio consequatur, quòd non solùm superiorum temporum res gestæ, verùm & quæ nostra memoria sunt acta cum apud finitimos, tum apud eos, qui longiore locorum interuallo sunt à nobis disiuncti, satis manifestè nos docere possunt. Nam quæ sunt in his tribus ciuitatibus ante quadraginta annos acta, quando primùm nascens adhuc vt istis vocare visum est Euangelium, hoc in eas irrupit, commemorare nunc nolo: quanta tum tempestas excitata, quanta seditio coorta fuerit, qui sunt natu grandiores bene meminisse possunt: neq; dubito, quin & iuniores à senioribus id acceperint. Nunc etiam quæ sit inter populum & Senatum concordia, proximi superiores dies abundè nobis declararunt, sicut ab Episcopis magistratum, sic à magistratu populum discessionem feciſſe videmus: verùm hæc domestica silentio præterire malo, ad externa me potiùs conferam. Quis ignorat simul ac Quintum hoc (si dijs placet) Euangelium, quod multis seculis sub scamno latuit, Martinus Lutherus de tenebris in lucem produxit, quanti fuerint in Germania motus excitati, Rustici contra nobiles. Facto verò fœdere Smalcaldico, Nobiles & Principes contra suum Imperatorem fortissimum diuini verbi propugnatorem Carolum Quintum, arma sumpserunt. Item & in Gallijs factum est, vbi qui Superintendentes eligendi contra Episcopos à Rege nominatos, & à Sede Apostolica confirmatos, potestatem sibi pridem arrogauerant, ijdem illi superstite Rege suo, cui iurisiurandi religione fuerunt obstricti, Regem alium elegisse feruntur, quem Ludouicum decimumtertium appellarunt, & legitimo Principi suo parricidiale bellum intulerunt. Idem propemodum & in Belgico factum crebris rumoribus ad nos perfertur. Ita vidimus, quod qui noluerunt esse Papistæ, noluerunt etiam esse Registæ: quo iure Pontificis eodem & Imperatoris & Regum suorum iugum excusserunt. Quem verò fructum huius audaciæ atque amentiæ suæ tulerint homines isti, CHRISTI primùm, deinde regum quoque suorum rebelles, & hoc obscurum non est. Semper protestati quam ordinauit ipse DEVS assistit, ac de rebellibus pœnas quas merentur sumit, quibus non ferè contra suos dominos feliciter euenisse quicquam audimus. Constat autem, quòd posteaquam in his regnis plerique primum à CHRISTO per Vicarium suum Romanum Pontificem Ecclesiam gubernantis, deinde à regum suorum obedientia discesserunt, & hoc tam audax facinus designarunt, tantis illa regna calamitatibus affecta fuisse, vt si Turcarum ille Tyrannus cum omni suo exercitu peragrasset, vix eis maiorem cladem afferre potuisset. An aũt tale quid auditur aut in Italia? aut in Hispania? aut in Lusitania, aut in quibuscunque tandem alijs locis, vbi prisca fides adhuc retinetur, vbi suaue CHRISTI iugum per Pontificem Ecclesiam suam gubernantis excussum non est. Sed video quòd eadem ad has quoque terras incipit serpere contagio: quo magis periculum est, ne idem & nos exitus maneat. Totus exhorresco, cùm hæc animo mecum diligentiùs reputo, nisi quòd rectè voluntatis rectorumqúe consiliorum conscientia me sus-

stẽto. Semper enim ab omni nouatione & ab omnibus inquietis consilijs tam fui remotus, quàm qui maximè, viderint illi quorum culpa factum erit, vt in magnas aliquas calamitates incidamus. Ego DEVM supplex precabor, vt mihi gratiam suam impartiatur, quo possem communem cum alijs fortunam pacatè moderateqúe ferre, simul vt qui iustè peccatis nostris irascitur, non in æternum irascatur nobis: neque contineat in ira sua misericordias suas: illi me totum committo, in illius clementia spem & fiduciam omnem meam collocabo: quandoquidem ita visum est Burgimagistris, & ego prohibere non possum: per me licet, vt non solùm in religione, verùm & in Republica noua fierent omnia: nec enim intelligo, cur huius debeam quàm illius curam gerere maiorem, cum propiùs ad me religionis, quàm Reipublicæ causa pertinere videatur.

In hanc sententiam cum pleraque dixisset Cardinalis: Burgimagister Elbingensis, Non solere se dixit negligere conciones, quæ habentur in Ecclesia Dominicanorum: sed semper eas audire consueuisse: neque tamen quod ea de CHRISTO verba superintendens eorum fecerit, quæ per me commemorata sunt, ad aures vnquam suas peruenisse, rogauit Cardinalem, vt ne quorumcunque sermonibus fidem statim haberet: curæ sibi futurum, vt veniret ad eum Sebastianus, seqúe purgaret de his, quorum esset apud Cardinalem insimulatus. Respondit Cardinalis, fieri posse quòd non audiuerit. nam & hoc non raro fit, quòd inter concionandum somnus auditoribus obrepit, at adesse multos fide dignos, qui hoc ex ore illius accepisse, se testantur. Cùm enim furentis instar contra sacrosanctum Missæ Sacrificium blasphemas multas voces esset eiaculatas, tandem & in hanc inter alias eum prorupisse. Cæterùm satis, inquit, mirari nequeo, quomodo ferre possitis hominem tam impia multa, tanto cum furore contra Sacrificium blaterantem, cum hoc vno signo diuina seruitus ab humanis obsequijs discernatur, & honor creatori singulariter debitus, ab eo quo se inuicem rationalis creatura prœuenire iuxta Apostolum debet, honore distinguatur, vt propriè DEO debitam seruitutem externum hoc sacrificium vocet Augustinus. Nam alia, inquit, quidem obsequia, quæ diuinitati debentur ausi sunt sibi superbiæ fastu quodam homines arrogare: rarissimi autem commemorantur, qui sibi vt sacrificaretur cum regia potestate possent, ausi fuerint imperare. Quicunque tamen id ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt. Quamobrem qui tanto studio cupiunt externum sacrificium abrogatum, quid aliud hi quàm omne discrimen inter honorem, qui Maiestati diuinæ, quiqúe mundi principibus debetur, auferre velle videntur. An autem hoc aliquis ad omnem agnitionem Dei tollendam, & ad quendam atheismum inducendum, rectè pertinere non dixerit: cùm nec sub lege naturæ, nec sub lege scripta, nec sub lege gratiæ tempus fuerit vllum quo non fuerit externum Deo sacrificium oblatum: quin etiam qui falsos Deos colebant, hoc signo cultum illis debitum ab humanis obsequijs discernebant, quò sic non se tamen absque DEO esse planum omnibus facerent. Erat qui diceret, missam esse nunc faciendam religionis causam. ac quod remedium inueniri possit, ne nouæ subinde res in has terras introducantur, de eo sermonem potiùs habendum. Cardinalis autem, propiùs, inquit, ad me religionis quàm aliud quodcunque negocium spectat. Nam hæc est propriè vocatis mea, prouidere, nequod in Religione peccetur: quin hæc est potissima causa; quamobrem locus hic in Senatu datur Episcopis, vt præcipuam religionis curam gerant. Nunc vos de labefactatis humanis viribus, vt curæ mihi sit, quid autem de violatis diuinis & Ecclesiasticis fiat, id à me negligi vultis. At non ita me docet expressum DEI verbum. Primùm, inquit, quærite regnum DEI, & cætera adijcientur vobis: nunc quidam volunt, posteaquam reiectum est Dei regnum, posteaquam Christiana religio conuulsa est, vt cætera, hoc est, fortunæ bona nihilominus adijciantur. Volunt vt laborem de Burgimagistris Elbingensibus in locum suum restituendis, cum tamen ab illis ego nondum sim in meum plenè restitutus: quin vos Domini Palatini intercedite pro me potiùs ad Dominum Burgimagistrum Elbingensem, vt mihi quem per summam iniuriam eripuit Episcopatum meum, quem in ista ciuitate plus quàm ex dimidia parte possident, integrum restituat: & ego me vicissim facturum esse promitto, nihil vt curæ, diligentiæ, laboris, prætermittam, quo possim t& hi Burgimagistri, qui loco moti sunt, in gradum suum restitui. Burgimagister autem Elbingensis: Nos verò, inquit, nunquam te loco tuo mouimus, pro Episcopo & præsidente nostro te libenter agnoscimus. Agnoscitis, inquit Cardinalis. Si verum est hoc, cur igitur, qui fuerunt à me missi puri verbi DEI ministri, non modo non recepti, verùm etiam lapidibus in hac ciuitate petiti sunt? Ac ne vna quidem illis initiò Ecclesia permissa fuit. Restitutum est mihi tandem brachio regali Parochiale templum: & in hoc quamuis essent in protectionem regiam recepti, & securitatis literas habuerint, quem Saluum conductum vocant, liberè tamen officio suo iungi, Christianoqúe ritu CHRISTVM colere permissi non sunt: cùm nihilominùs à saxis in illos iaciendis temperatum non esset. quin & nunc si sum Episcopus vester, cur inuito me, quin & Regia Maiestate frustrà prohibente, Sebastianus vester in templo Dominicanorum, quod longè in alium vsum à pijs hominibus fuit exædificatum, CHRISTVM blasphemare non intermittit? cur quod nec Imperator, nec quisquam regum CHRIstianorum facit, Burgimagister & Superintendentem & verbi ministros constituit? Nam quemadmodum Imperator, & alij reges Christiani, sic & REX noster nullum constituit Episcopum, quem non priùs Pon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tifici præsentet, eius iudicio confirmandum, neque Pastorem aut Canonicum aliquem nominat, aut quamlibet exile Sacerdotium aliquod cuiquam confert, quem non priùs examinandum Episcopo obtulerit. Estne hoc Episcopum agnoscere? Quidam verò: Laudo te, inquit, quòd es in munere tuo tam vigilans. Cæterùm non est quòd nouationem religionis cum ea nouatione quæ fit in Repub. compares. Nam animæ suæ salus cui debet esse magis curæ, quàm cuius ea est propria? ne quid contra conscientiam suam faciat, contra quam si quid peccauerit Episcopus, pœnas gehennæ pro illo non luet. Cardinalis verò: Vetus est hæc, inquit, cantilena, quæ mihi toties iam occinitur. Vtinam autem res ita haberet vt dicis, minore cura & sollicitudine nunc premerer. Sed aliter Apostolus mihi loquitur, qui cum ad oues verba faceret: Obedite, inquit, præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant pro animabus vestris, tanquam rationem Deo reddituri. Pastores dicit Apostolus rationem esse reddituros pro animabus ouium, quibus etiam pœnas cõminari videtur, nisi diligenter officio suo functi fuerint. Oues autem non vult ipsas conscientiarum suarum iudicio esse, verùm obedire iubet suis præpositis & subiacere. Quin & Propheta multò antè, Filij, inquit, hominis speculatorem te dedi domui Israël. Si dicente me ad impiũ morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua impia & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur. Sanguinem autem eius de manu tua requiram. De speculatoris, hoc est, Episcopi manu sanguinem eorum quorum speculator est constitutus, requisiturum se per Prophetam dominus denunciat. Et tu dicis, non luet pro me, si quid à religione deflexero, pœnas Episcopus. Est quidem ita, quòd vnicuique salus animæ suæ curæ esse debet: vt autem propterea conscientiæ suæ iudex quisquam sit, vt arbitratu suo liget aut soluat animam suam, id verò non solùm pugnat cum Euangelio, verumetiam ab omni ratione prorsus est alienum. Etiam in corporis morbo medico non permittitur, vt seipsum curet, verùm ab alio potiùs eiusdem artis perito consilium petere iubetur. Nullus in propria causa bonus esse iudex potest, noluit Christus vt vnusquisque suam animam ligandi vel soluendi potestatem haberet: verùm Apostolis & eorum successoribus potestatem hanc omnem tradidit. Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Euangelistæ, nunquid omnes doctores & pastores, dicit Paulus. At quantum ex hoc tuo sermone colligere licet: omnes Apostoli, Pastores omnes vt sint & doctores, tu velle videris, fortasse autem & Apostolæ, & Pastrices, & doctrices. Quid autem hoc aliud fuerit, quàm omnem ordinem ex Ecclesia tollere, & sempiternum horrorem inducere, & quam scriptura vocat castrorum aciem ordinatam, eam plus quam Babylonicam confusionem facere velle. Quicquid est nunc malorum in Ecclesia, non aliunde, quàm ex hac praua persuasione natum est. Nam dum suæ quisque conscientiæ vult esse iudex, dum sibi quisque ligat & soluit animam arbitratu suo, dum vnusquisque doctor esse vult: & prudentior non solùm Episcopo suo, verùm & Ecclesia vniuersa, cuius iudicium præ suo iudicio prorsus contemnit, & pro nihilo ducit, inde adeò profectæ sunt omnes hæreses tum priorum seculorum, tum nostri quoque temporis, & omnia schismata. Nam quod abs te nunc dicitur, idem à Caluinistis, idem ab Anabaptistis, idem à Trideistis, idem ab omni reliqua diuersorum hæreticorum fece non minus confidenter profertur, omnes conscientiam suam prætendunt. Inter alios audire licet Trideistas, ea se prohiberi dicentes, quo minus crederet in S. Trinitatem. Nam à Martino Luthero doctos nihil se recipere præter scripturis, in scripturas autem nomen hoc Trinitatis nunquam reperiri, quam obrem religione quadam se prohiberi, quo minùs credant hoc, quod vbique quàm late patet orbis totus Christianus, vniuersa credit Ecclesia, quandoquidem vetat hoc ipsis eorum conscientia. Docetur nunc in vicinia: quòd opera bona non sunt ad salutem necessaria, magis adeò noxia: quod quibus persuasum est, ij nihil maiore studio cauent, quàm ne quod bonum opus aliquando faciant, quòd se religione quadam deterreri, conscientiaq; sua prohiberi dicant, ne si quid egerint boni, sententiam eorum approbasse videantur, qui dicunt opera bona ad salutem esse necessaria. Ex quo factum est, vt nunc maiorem in hominibus improbitatem videre liceat, quàm vnquam anteà. Fatetur hoc ipse Lutherus, nec eunt inficias eius discipuli, quod vbi quintum hoc Euangelium prædicari cœptum est, multò sceleratiores homines, quàm in Papatu (sic enim illis Christianismum appellare visum est,) reperiantur. Vides igitur in quot errorum præcipitia ruant, qui suarum conscientiarum ipsi iudices esse volunt. Cùm verè dictũ sit ab illo: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spũm suum, & nihil vident. Non suũ, sed Ecclesiæ spũm quisq; sequi debet: nã si suũ secutus fuerit, quinvarios in errores incidat effugere non poterit: licet .n. apud nonnullos reperire talẽ conscientiam, vt culicem colant, camellũ aũt deglutiant: & euenit eis illud, quod à Propheta dictũ est: Illic trepudiauerunt timore, vbi non erat timor. Quo minus Ecclesiæ sensum & consensum sequantur, conscientia se prohiberi dicunt: posteaq; autem ducem illam reliquerunt, quæ columna est & firmamentum veritatis, cum in varios & eos horrendos inciderunt errores, nulla religione tanguntur, nulla super ea re conscientia premuntur. Sic in Euangelio legimus, quòd magna fuit religio Iudæis, in prætorium ingredi: quòd grauiter ea re se contaminatos iri persuasum habebant, CHRISTVM autem tradere ad Gentibus illudendum, ad flagellandum, ad crucifigendum, nulla fuit illis religio: nam vt id facerent, expresso DEI verbo sibi præceptum esse putabant. Nos legem, inquiunt, habemus, & secundum legem debet mori, quia filium DEI se fecit. An eorum similis quoque religio non est, qui trepidant, vbi discedendum est ab vnius, aut alterius in scripturarum interpretatione sententia? vbi verò CHRISTI corpus lacerandum, & posteaquam ab ea, quam ipsa pro-

profert scripturarũ intelligentia, discessum est, in multas & eas horrendas sectas dissecandum est, ibi nulla religione tanguntur. Non est Burgimagistrorum, sed nec aliorum quorumcunque de conscientijs, de rebus ad religionem pertinentibus iudicare: proprium hoc Apostolorum, & qui successerunt in eorum loca, munus est. In corpora ciuili Magistratui, & in fortunas, hominum: in animas verò, Pastoribus & Episcopis Potestas à Christo concessa est. Regi, sicut præclarè dixit alicubi Chrysostomus, terrena commissa sunt, mihi cœlestia, mihi cùm dico Sacerdotem intelligo. Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum. Dixerat autem idem ille, quòd Regia Maiestas habet potestatem de religione statuendi: Cardinalis ad hæc, Nolo nunc, inquit, de regia potestate tecum disputare. Sed si Rex religionis potestatem nouandi habet, multò maiorem habet nouandi politicas. Itaq; nihil est quod quæraris de nouatione, sed quandoquidem vobis ita nouatio placet, noua sint omnia, sicut in cœlo & in terra, sicut in diuinis & in humanis, sicut in Ecclesiasticis & in politicis. Miror autem, quòd cuius esse te profiteris Augustanæ tuæ Confessionis, iam sis oblitus, quæ non regum aut principum, multo minus Burgimagistrorum, sed Episcoporum propriam esse iurisdictionem docet, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, & impios quorum nota est impietas excludere. Scripsit etiam hac de re breuem quendam libellum Philippus Melanchton, in quo nihil aliud principibus tribuit, quàm vt sint custodes primæ & secundæ tabulæ, hoc est, vt sanam doctrinam tueantur, non autem vt aliquid de ea noui statuant. Iam verò discipuli eius Flaccus, VVigandus, Heshusius, & alij plerique, quàm grauiter quæruntur de Burgimagistrorum tyrannide? & quòd in aulis principum nouas formas religionum audacissimè ex suo cerebro nonnulli fundunt, quas Ecclesiæ ministris obtrudunt: & res ad pastorum officia pertinentes, nefariè & impiè ad se rapiunt. Olim, aiunt, Romanus præsul potestatem sibi sumebat leges etiam Politicas non modò reformandi, sed etiam delendi. Quid verò nunc fit? Pro vno Pontifice innumeri ex Politicis à forensibus rebus ad Ecclesiasticas transcendunt: & non contenti suis metis, religionum formulas cum sceptro, gladijs, & fulmine Iouis, exhibent, falcem in alienam messem mittunt: & alienam functionem temerè inuadunt, sanctumq; sanctorum intrant, quẽadmodum Iosias: qui cum sint Politici magistratus, magno supercilio audent religionum formas componere, easq; Ecclesiæ ministris offerre tali cum imperio: ni applaudant sine contradictione suo sceptro, illos punituros aut expulsuros, id quod etiam factitant absq; omni misericordia. Factitarunt autem reuera cùm de tribus his, tùm de alijs nõnullis, quos ex multis ciuitatibus iam esse pulsos constat, quòd nollent ciuilis magistratus de religione præscriptis parere, præsertim de Heshusio, de quo distichon etiam à VVittembergensibus conscriptum legimus:

Queritur Heshusius, cur sexta pulsus ab vrbe est,
In promptu causa est. seditiosus erat.

Vides quemadmodum necipsi Lutherani ferre possunt Politicos istos (hoc enim illis nomen tribuunt) Pontifices, quos etiam Politicos Antichristos vocat VVigandus, qui res ad Pastorum officia pertinentes, nefariè & impiè (nam his ipsis verbis vtuntur) ad se rapiũt, qui falcem in alienam messem mittunt, & alienam functionem temerè inuadunt: quorum etiam factum cum Osiæ regis facto comparat.

Erat qui diceret, Maiestatem Cæsaream Confessionem Augustanam in suis terris recepisse & approbasse: Respondit Cardinalis, expectare se claudum nuncium, qui sit verius & melius nouum allaturus: quod etiam statim vt absoluta sunt comitia, per Dei gratiam factum est: Addidit autem & hoc: Si maximè verum esset, quòd à Cæsarea Maiestate factum dicitur, dissimulare se nolle quòd suaserit Regiæ Maiestati, quin & suasurus etiam deinceps sit, si, quod pro sua misericordia procul Deus auertat, semel deliberatum habuerit Politicum agere Pontificem, & res ad pastorum officia pertinentes, ad se rapere: saltem vt regni terrarumq; suarum tranquillitati prospiciat, nec permittat suis hominibus Augustanam Confessionem, ne fortè possit aliquis argumentum inde capere, quòd ad Imperij terras pertinere videantur, sed aliquam aliam in Polonia Confessionem conscribi faciat, vel si id magis visum fuerit, iam scriptam Gregorianam illis concedat, vt ita non ad imperium, sed ad Poloniæ regnum has terras pertinere constare queat, cum Polonam potiùs, quam Germanam fidem amplexæ fuerint. Quia potestate Maiestas illius Augustanam, eandem potest & Gregorianam concedere: nec ita multum referre, cùm perinde sit, in littore quis mergatur, an in medijs maris fluctibus. Ausus fuit quidam dicere, perpetuò duraturam Augustanam Confessionem: cum nullus mortalium hactenus repertus sit, qui possit eam refellere. Cardinalis autem: Quis dicit hæc? Mirum, nisi ille qui nihil præter Lutheri postillam, & alia quædam eius opuscula legit, & Philippi Melanchtonis locos communes. At mihi plus minus decem videre licuit: inter quos aliqui fuerunt excellenti doctrina præditi, qui sic eam confutarunt, vt nullus Confessioniſtarum inuentus hactenus fuerit, qui vel mutire contra potuerit. Quin eo ipso tempore, quo Maiestati Cæsareæ fuit in Imperij Comitijs Augustæ oblata per quosdam viros doctos, validissimis rationibus confutata, Cæsareæ Maiestatis decreto de communi omnium Imperij ordinum sententia paucis principibus exceptis, fuit condemnata: quod ipsum à præstantissimis etiam Academijs Parisiensi, Louaniensi, Coloniensi, & alijs, quorum nomina mihi nunc non suppetunt, factum est. Quinetiam & orbis totus Christianus in S. Concilio Tridentino, quod proximis superioribus annis habitum est, eam condemnauit, vbi præsentes adfuerunt per suos Oratores Imperatores Carolus atque Ferdinandus, & Galliarum & Hispaniarum, & Lusitaniæ, & nostræ quoque Poloniæ Reges, & non pauci Principes Christiani: fuerunt vnam in ciuita-

tem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem ex orbe toto congregati ferè trecenti Episcopi, singulari plerique omnes doctrina, neque vulgari vitæ sanctimonia præditi : fuerunt complures doctissimi Theologi, qui simul omnes vnanimiter post longam in vtranque partem disputationem habitam, doctrinam Confessionis Augustanæ tanquam hæreticam anathemate dignam pronunciarunt, & intereà non veretur aliquis dicere, quod eã nemo confutauit? Maius etiam aliquid adferam. Non solùm à Christianis omnibus, verum ab ipsis etiam Lutheranis explosa iam est & reiecta : quorum quod iudicium de ea sit, ex eorum scriptis & grauissimis altercationibus, quarum finis adhuc nullus est, videre licet. Nam qui sunt Germani Lutherani, qualis est Matthæus Flaccus Illyricus, & qui sunt eiusdem sectæ quas eorum quærimonias audire non licet de corruptelis confessionis huius, quòd plurimis in locis mutata, versa, peruersa, deprauata sit, & adulterata, quam etiam Cothurnum vocant vtrique pedi aptum, & à quibus conscripta postea fuit, eos cothurnifices appellant. Qui suis eam digitis conscripsit Philippus Melanchton, in præcipuis capitibus ab istius Confessionis doctrina discessit : in quibusdam ad Christianissimum reuersus, quem nunc Papismum vocant. In dogmate verò de Eucharistia, Caluinismum amplexus. Quam etiam ob causam discipulus eius Matthæus Flaccus Illyricus, eum ab Ecclesia sua eiecit, & pro Ethnico & Publicano habendum esse pronunciauit: vt nemo cum eo familiaritatem, conuersationem, amicitiam vllam haberet, lepræ contagium & iram diuinam ei qui secus fecisset denuncians. Nec melius de Augustana Confessione iudicauit Andreas Osiander, qui Philippi, non autem Dei verbum, eam esse docuit, & grauiter ferre visus est, quod qui iurarent in illam, abiurare Dei verbum, & in Philippi verba iurare cogerentur. Quam verò confessionem pro Germania recipiunt ij, qui se veros Lutheranos esse gloriantur, cùm eodem propè loco Lutheri, quo Dei verbum haberi velint, & vel vnguem ab eo latum discedere, grande periculum esse putent, ea non ferè iam toleratur in Germania : quin cum ipsis eius assertoribus explodatur, & exterminatur, qui nullam ferè iã in Germania fixã sedem habere possunt, cum ex vna ciuitate subinde pellantur in aliam. Quid si nemo contra confessionem hanc scripsisset, multos autem grauiter & docte scripsisse constat, ipsorum tamen inter se confessionistarum dissidijs iam satis esse refutata videtur, cum ipsi mutuò sibi sint hæretici, nec vnquam verius aliquid loquantur, quàm cùm hoc sibi nomen inuicem tribuunt. Dixit autem quidam, se mirari, quòd Cardinalis omnia conferret in Burgimastros, cùm tamen quo tempore Regia Maiestas Gedanum venerat præsens adfuerit : & quid vniuersus populus ab ea petiuerit, auribus ipse suis audiuerit, vt solis Burgimastris tribui rectè non possit, quod ab omni populo postulatum est. Respondit Cardinalis : Audiui cùm peterent sartores, sutores, zonarij, baiuli, figuli, & eiusdem farinæ alij, purum Dei verbum, & legitimum Sacramentorum vsum à Regia Maiestate sibi concedi. Quibus etiam cachinnis exceptа fuerit à multis hæc eorum petitio, vidi. Num autem penes hanc fecem tantis de rebus, de puritate verbi Dei, deq; legitimo Sacramentorum vsu, iudicium esse debet ? num statim assensum præbere magistratum oportet ? Si quid parum pudenter & prudenter à minus prudentibus fuerit postulatum? Num fas fuit Burgimagistris, vt soli terrarum harum consiliarijs exclusis, in rebus tam arduis à Regia Maiestate fieri nouationem impetrarent? Quod autem in vulgum conferunt, quomodo res agantur, obscurum adeò non est. Si vellent Burgimastri, facilè vulgum in officio continere possent. Huiusmodi ferè sermonibus ille consumptus fuit. Postero verò die cùm iterũ vehemẽtius instarent, vt Cardinalis ad comitia proficisceretur & admoneretur promissi sui, quod in proximis Marieburgensibus comitijs id se facturũ recepisset. Respondit, Tenere se memoria quid promiserit, & qua conditione promiserit, neque nun recusare quo minus promissum præstet. Nam & visendæ Regiæ Maiestatis dominiæ benefactoris sui, quem totis ferè quatuor annis non vidit, se desiderio teneri, neque se ferre posse diutius, vt quod sui muneris esse scit, à se requiri patiatur. Sed cùm sit Episcopus, q̃ propriè spectant ad Episcopum, imprimis ea sibi curæ futura : qua summa poterit animi submissione se petiturum, vt non magis quæ facta sunt in Repub. q̃ quæ factæ sunt in religione nouationes à Maiestate Regia tollerẽtur, vt aut vtraq; tolleret, aut vtraq; tolleraret. Nam non esse personæ suæ, de iuribus humanis magis esse sollicitũ, q̃ de diuinis: & magis de fortunarum, quàm de animarum salute laborare. Miseret, inquit, me miserorum hominum, quos ita sathanæ fraudibus esse video deceptos, vt quod hominis, vel diaboli potius per hominem loquentis verbum est, Dei verbum id, & Euangelium appellare non vereantur. Constat, qualis homo fuerit Martinus Lutherus, quàm ab omni religione prorsus alienus, quemadmodum fidem iureiurando firmatam violauerit : ac non modò nulla pœnitentia tanti sceleris ductus fuerit, verumetiam tanquam Sodoma peccatum suum prædicauerit : ac longè turpissimo flagitio, quod etiam Imperatorię leges extremo supplicio dignum esse censent, virtutis nomen tribuerit. Legi superioribus diebus librum Germanicum satis grandem : quem quidam in scribit Symposiaca siue sermones conuiuales Lutheri, quàm scurriles, quàm obscœnos, quàm impios & blasphemos in eo sermones reperire licuit, vt si quis nihil aliud Lutheri, præter hunc librum legisset, vel ex eo solo quale fuerit ingenium hominis, quàm ab omni Christiana pietate remotum, facilè cognoscere possit. Quàm autem in eo multa tractat de disputationibus habitis cum diabolo, quod etiam facit in libello, quem inscripsit de missa angulari: vbi diabolum itidem inducit : contra se disputantem, ac fortiora contra missam argumenta proferentem, quàm quæ refellere potuerit cuius etiam vocem ibi describit, quòd ea grauis robustaq; sit, tamq; terribiliter insonet, vt vsu quandoque veniat : quod post nocturnam cum dæmone collationem, homines postridiè mane mortui reperiantur. Nam & corpus, inquit, occidere potest, deinde verò animam ita reddit anxiam, vt in vno momento necesse habeat quandoq; è corpore migrare : quod ipsi quoq; sibi sæpè propemodum accidisse dicit : & in eodem isto libello, & in Symposiacis, quin & accidit ad extremum. Nam qui vespere bene potus erat & hilaris, postridiè mane repertus est in lecto mortuus, & fuisse quidam fertur famulus eius, qui narrauerit, quod cum ingressus cubiculum eius esset, eum à seipso laqueo præfocatum inuenerit : sed eam rem tamen propter honorem istius (si dijs placet) Euangelij propalare noluerit : & huius verbum quod ego diaboli verbum esse tam certò perspectum habeo, quàm certum est hoc loco me sedere, pro Dei verbo me recipere nonnulli volunt, vt contra conscientiam meam pestiferam illius doctrinam Euangelij loco propagari permittam? Ego verò Deum precor, vt mihi prius mentem omnem eripiat, quàm in hanc mentem impelli me patiatur. Quæ potest autem esse maior idololatria, quàm sit hæc de qua tollenda mihi prima cura est futura. Fuit qui negaret Lutherum laqueo vitam finiuisse, Cardinalis autem, nec se dixit hoc pro certò affirmare, sed audita tantum referre : tum autem ex his quæ legerit ex Symposiacis Lutheri colligere se, quod à vero non prorsus abhorreat.

Petebantur literæ commendatitiæ pro Elbingensibus Burgimagistris, vt loca sua quibus moti fuerant recuperare possint. Respondit Cardinalis, vt eiusmodi literæ darentur, assentiri se nulla ratione posse. Nam cum ipse petiuerit, quamuis alijs de causis, Elbingam Commissarios mitti, qua fronte posset nunc à Regia Maiestate petere, vt quæ per eos rectè constituta sunt, ea rescinderet: cum præsertim videat, quod per Dei gratiam quietiora iam in ista ciuitate sunt omnia, duobus istis loco motis. Qui prædicant Euangelium Christi, nõ eas quas antea persecutiones nunc patiũtur, licet eis tuto suo munere fungi, licet citra metum alicuius Christiano ritu CHRISTVM colere, quod antea non licebat. Se quidem duobus istis pro quibus petitur honestissime cupere, & vt de criminibus, quæ sunt illis obiecta coram Regia Maiestate, purgare se possent optare, sed vt priusquam id fecerint, pro illis intercedat, id verò minimè se decere. Si fuerint innocentes pronunciati, facilè suum in gradum restituentur. Actum est autem, & à nuncijs terrarum & oppidorum, vt commendatitiæ literæ scriberentur : præcipuè verò postulatum à Cardinale, vt ordinis sui memor afflictis compatiatur potiùs, & cum alijs suas pro illis præces interponat, quàm vt quo minus hæ literæ scribantur intercedat, maximè verò pro Gedanensibus laborabatur. Cardinalis verò de sua sententia dimoueri se passus non est. Cæterùm quo die comitia fuerant absoluenda, cum idem à nuncijs peteretur, dixit Cardinalis: Non ignorare se, quàm personam gerat, & quòd si quem alium se maximè deceat pro reis etiam qui sunt conuicti criminis alicuius intercedere. Sed cùm regia Maiestas per nuncium suum ad regni comitia Consiliarios terrarum harum venire iusserit, vt cum illis de causa hac Gedanensium deliberationem suscipiat, qui verò deliberaturi sunt, suam q; de re aliqua sententiam dicturi, eis fas non esse, vt vllam huius rei significationem dent in aliquam partem, se maiore quadam sue voluntatis inclinationẽ propendere: quin eos ab omni prorsus ira, odio, gratia, & misericordia esse vacuos oportet, non se videre quomodo nunc rectè cummendaticiæ literæ dari possint, posteaquam verò ventum fuerit ad rem, si quid loci deprecationi futurum est, facilè perspecturam ciuitatem Gedanensem, quantò studio cupiat eam subleuatam: libenter se facturum omnia, quoàd fides & religio patietur, quæcunq; ad placandam Regiæ Maiestatis iram ad illius gratiam ciuitati cõciliandam pertinere putauerit, cum præsertim cum quibusdam etiam, quibus præ cæteris negocium exhibetur, non parua sibi coniunctio intercedat, quos ex his angustijs, in quibus versantur ereptos cuperet, vt q; de criminibus quorum insimulati sunt, purgare se possint, ex animo precatur & optat. Priusquam verò suscepta fuerit per Maiestatem Regiam his de rebus consultatio, quemadmodum & consiliarium & intercessorem siue deprecatorum rectè queat agere, se non videre. Dictum est postea quòd maior pars cõcludit. Quamobrem commendaticias literas dari debere. Tum Cardinalis: Quo minus, inquit, quod maiori parti videtur id fiat, impedire nolo. Sed tamen hoc testatum faciam, vbi locus fuerit, quòd vt hæ literæ commendasiciæ scriberentur, assensus nunquam fuerim. Tanem absoluto nuncio Regio Cardinalis discessit. A prandio verò cum in prætorio Cardinalis non adesset, literæ quibus Elbingensis causa commendabatur, obsignatæ fuerunt. An autem & Gedanenses eiusdem generis literas obtinuerunt, Cardinalis nescit.

ACTA

Universidad de Deusto
Biblioteca

ACTA EIVSDEM
CARDINALIS HOSII HILSPERgensia, de bonis Lusiani.

ORTA fuit controuersia de bonis, quæ moriens reliquerat nobilis quidam Albertus Lusianus, Cardinalis subditus, inter relictam viduam & sorores defuncti. Cùm ad iudicium ventum esset, visum est Cardinali, quandoquidem inter propinquos res agebatur, vt amicè potiùs transigerent inter se. Dati sunt arbitri, quos ipsi dari sibi petiuerunt: quorum opera fuit amicè res transacta. Petita fuit à Cardinali postea concordiæ factæ confirmatio: libenter assensus est Cardinalis, verùm in calce literarum confirmationis adscribi fecit, vt quicunque bonorum possessionem, quæ sita sunt in Ecclesiæ terris, adire vellet, non aliam quàm Catholicam fidem profiteri teneretur. Legi postea fecit confirmationis literas, quæ siuit q̃ ex partibus, num in ea consentirent omnia, quæ scripta in illis continerentur. Erant autem ex parte viduæ pater eius Kinsfing, D. Iohannes ab Ailemburg Melchior ab Lessgerant, Nicolaus Sporvveyn, Capitaneus in Augerberg, Christophorus à Vandtau, Ioannes Ferelder. Ex altera parte sororum defuncti, quarum duæ nuptæ sunt duobus Truchsesijs, tertia cuidam Camienski, fuerunt Doctor Rhodus, qui fuit dux verbi, Albertus Truchses à VVetzhausen, Sebastianus Kobrze, Christoferus Bronserdt, Erardus Truchses à VVetzhausen. Respondit itaq; Doctor Rhodus, consentire se quidem ad omnia quæ per arbitros constituta, literis essent mandata: verùm petere, vt clausula de professione fidei Catholicæ tolleretur: quandoquidem nullam eius rei mentionem arbitri fecerunt. Cardinalis autem id sibi minimè licere dixit, cùm sit Catholicus Episcopus. Tum Doctor Rhodus: Scimus, inquit, quod sis Christianus dominus, rogamus te, ne velis grauare cuiusquam conscientiam: vt aliud credere cogatur, quàm quod ea sibi dictat. Cæterùm quicunq; fuerit bonorum Ecclesiæ tuæ possessor, ne dubites quin is fidem & subiectionem debitam, & omnia tibi sit obsequia præstolaturus, ad quæ reliqui tui subditi tenentur, dummodò liber sit in sua conscientia. Cardinalis autẽ, ago tibi gratias, quòd me Christianum dominum esse confiteris: verùm si talem esse me persuasum habes, qualis per Dei gratiam sum, & esse volo quoad vixero, quęso te, cur qui vult subiectus esse Ecclesiæ meæ, non vis eum eandem, quam ego fidem Christianam profiteri? nunquid aliam dominus, aliam subditus religionem habere debet. Respõdit Doctor: At fert ipsa Regia Maiestas eos, qui sunt Augustanæ Cõfessionis in ciuitatibus, & in Ducatu: cur illius exẽplo tu quoq; non feras, dummodò quæ debentur à subditis, fideliter tibi præstentur, quod iterum & iterum se facere paratos offerunt. Cardinalis autẽ, scio quod fert Regia Maiestas non solùm Lutheristas & confessionistas: verùm & Caluinistas, & Anabaptistas, & Trideistas, & omnẽ hæreticorum fecem: verùm quis ego sum, qui iudicem Regem & dominum meum. Domino suo stabit aut cadet. Sed meæ tamen personæ longè diuersa est ratio. Nam ego non solùm Dominus: verùm & Episcopus huius terræ sum, & quidem Catholicus Episcopus, quo minùs eos ferre me decet, qui diuersum ab Ecclesia Catholica corde credunt, & ore confitentur, & ab eius corpore se præcidunt. Quid autem vester Merlinus? an ille fert Caluinistas? an eos nõ è suis, verũ ex dñi sui Ducis terris nõ exigit? an idẽ non facit de Osiãdristis, de Sinergistis, Maioristis, Adiaphoristis, qui tamen omnes eiusdem cuius ipse Lutheranæ sectæ se esse gloriantur: & quotquot ab illius doctrina, quam non esse Catholicam certum est, dissentiunt: quod q̃ facinus indignum & minimè ferendum est, etiam ipsos Christianos, quos et Papistas vocare visum est in his locis, vbi nescio quo iure sibi vendicat imperium, non tolerat, cur huius nunc potius exemplum non profertis. Cur quod ipsi licere vultis, non in suis, verùm in Domini sui terris, id in meis vel Ecclesiæ meæ terris mihi licere non vultis, vt eos inter meos subditos esse nolim, qui cuius ego sum Christianæ fidei esse recusant. Ego non meam aliquam singularem, & nuper inuentam, sed Christianam, quod ipse falsus est fidem, & eam Catholicã profiteor, & vis vt feram eos, à quibus illa reiecta est? cùm non ferat Merlinus tuus eos, qui ab opinione sua, vel sui Illyrici dissentiũt. Doctor autem Rhodus, Quid faciat Doctor Merlinus, nec enim eum Episcopum appellabat, nihil ad me. Reddet ille factorum suorum rationem, nos non sumus Illyricistæ: verùm hoc abs te petimus, ne graues cuius q̃ conscientiam, sed suo quemq; iudicio permitte. Cardinalis verò vicissim ego peto, ne grauetis meam conscientiam, qua salua quod à me postulatis præstare non possum. In alijs libẽter vobis quoties vsus fuerit gratificabor, vbi Dei causa agitur, & animarum salus, dicam quod illi dixerunt, Oportet obedire Deo magis, q̃ hominibus. Fuit hoc aliquando, quod Episcopi de conscientijs iudicabant. Nam illis & non quibusuis alijs ligandi & soluendi potestas à Deo data est. Nunc quisq; suo ipsius iudicio sibi soluit & ligat conscientiam suã. Inde vobis adeò tot hæreses natæ sunt. Quod aũt vos Illyricistas esse negatis, libẽter audio, sed Merlini vestri scripta planũ omnibus faciunt, quòd ipse sit Illyristica: quod genus hominũ iam non toleratur in Germania, præcipuè sub principibus electoribus: & edidit quidã libellũ, in quo breui futurũ scribit, vt in Prussiam oẽs Illyricistæ pulsi ex Germania, veniãt. Doctor verò. Tu scis, inquit, q̃ Augustana Cõfessio passim tolleratur & approbatur. Quæ-

nam est, inquit Cardinalis, ista vestra præclara Augustana Confessio? Tum ille, quæ fuit oblata Cæsari anno tricesimo. Quid autem, inquit Cardinalis, si ea in præcipuis Christianæ doctrinę locis, magna ex parte iam est mutata, deprauata, & adulterata. Quid si, nec hi Principes Lutherani, qui ante annos plus minus octo Numburgi conuenerant, illi subscribere voluerunt, sed maluerunt illi, quę decem annis post edita fuit, quam libenter etiam amplectuntur ipsi Caluinistæ, neq; cum sua doctrina de Sacramento pugnare dicunt, qua de re legimus & Flacci, Galli, & Heshusij, & Vvigandi querimonias, quorum sectæ est Merlinus quoq; vester. Quam igitur Confessionem ille recipit, reiecerunt Principes: quam ille reijcit, receperunt. Quid si nec vestri quidem Lutherani, eum illa Confessione Cæsari primùm oblata consentiunt, in qua sub speciebus panis & vini, non autem cum pane & sub pane, sicut habet posterior, corpus & sanguinem Christi veraciter contineri scribitur. At apud vos longè diuersum doceri certum est. Sic & ipsi condemnare videmini illam ipsam Confessionem, quæ fuit primum Cæsari oblata, & eam erroris arguere. Doctor autem Rhodus, Nobis, inquit, minimè conuenire videtur, vt in disputationem tecum ingrediamur. Nam & esse tibi nos impares, ingenuè profitemur. Iterum atq; iterum rogamus, vt conscientiam cuiq; suam liberam esse velis. Sed mea conscientia, inquit Cardinalis, non erit libera, si quod petitis concessero. Dei timor me prohibet. Quamobrem breuibus respondeo, quod scripsi scripsi. Si vultis accipere confirmationem concordiæ, rectè est: offertur vobis. Si minus, & hoc erit in vestra potestate positum. Alia forma vt conscribatur, nunquam feram. Quibus dictis ad alia transijt: Sic ille cùm in medio luporum versetur, & ex omni parte sit illis cinctus, Christum tamen publicè confiteri veritus nõ est, plenus bona spe, quod sicut ipse Christum apertè confitetur coram hominibus etiam Lutheranis, sic vicissim eum Christus promissi sui memor confitebitur coram patre suo, qui in cęlis est. Vtinam idem & aula faceret, in qua multò plus roboris esse deberet. Sed ea quoties apertè Christus confitendus est, mirabile dictu, quàm sit meticulosa. Cœlum ruiturum existimat. Sed non possum tenere me, quin quæ posteà sunt acta, perscribam. Fuit post Cardinalis discessum inter eos magna contentio, Num esset recipienda confirmatio, cum ea clausula nec ne. Numeret nobis dicebat quidam 50000. Mar. Cardinalis, pro bonis istis, & posteà det cuicunque volet Catholico. Nos libenter pecuniam accipiemus. Putabant esse Cardinalem Episcopum N. Dixerat aũt Cardinalis, quod oblitus eram scribere. Videtur inter vos vnus esse Catholicus D. Camienski, qui habet vnam ex sororibus Lusiani, possideat ille bona. Futurus est mihi non ingratus. Simul quæsiuit ex illo D. Camienski: Nõnne tu eiusdem es, cuius ego Christianæ Catholicæ & orthodoxæ fidei? Tum ille, Sum Domine. Ergo dixit Cardinalis, benè conueniet inter nos. Cæterùm Truchsesij, qui vehementer cuperent eorum bonorum, quæ moriens Lusianus reliquit, possessionem adire, dicuntur obtulisse Notario pecuniam, fassus enim est hoc ipse Notarius, vt omitteret clausulam illam de fide Catholica. Cùm ille negaret sibi licere, nolebant recipere confirmationem concordiæ sub sigillo: sed copias tantum dari sibi petiuerunt: quod sibi deliberandum esse amplius dicerent, fortassis ad Merlinum totam causam referre volentes, ab illo consilium acceptur. Cęterùm altera pars recepit, quin fuit etiam illa in templo, non solùm quoad habebatur sermo, verùm etiam per totum sacrificium, verùm duo tantum ex illis, & satis reuerenter se gesserunt. Quid porrò fit futurum, dies indicabit. Eo die quo discesserunt, erat autem dies Dominicus, tanta fuit inter eos benè mane nata contentio: Vt ad arma iam veniretur, cùm præsens adesset frater Cardinalis, cuius opera factum est, vt quiescerent, neq; sine metu sunt, qui sunt ex parte viduæ, quod accusabuntur apud Merlinũ de accepta sub sigillo cõfirmatione, quodq; præsentes in Missa sacrificio adfuerint. Dicitur etiam quod Merlinus singulis diebus festis de superiore loco nomina recitat Caincij, Suerini, Aulaci, quartum autem, inquit, qui non procul à vobis abest, nunc silentio præterire malo, monetq; populum, vt ab ijs tanquam à pestibus quibusdam sibi diligenter caueant, & eorum consuetudine cunctis interdicit. Eccé autem dum hæc scribo, rumor quidam spargitur, Merlini regnum confirmatum, perfidiam Augustanam esse comprobatam. Deus misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos. Nam cæcitate quadam & amentia peracti esse videmur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LOCA EX SACRA SCRIPTVRA, ET S. ECCLESIAE DOctoribus, & ex ipsis Hæreticorum libris excerpta: quibus ostenditur, non ad Burgimagistros, vel ad aliquem ciuilem magistratum, sed ad Episcopos, iudicium de fidei religionisq; controuersijs pertinere.

Collecta per eundem Illustrissimum D. Cardinalem Hosium, cum annotationibus marginalibus, pro Instructione Elbingensium.

LEVITICI 10.

Generationi Leuiticæ, ex qua Sacerdotes deligebantur dictum est, vt doceant, non Burgimagistris.

Præceptum sempiternum est in generationes vestras, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, docea-
tisque filios Israel omnia legitima mea.

DEVTERON. 17.

Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum in-
ter portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elege-
rit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudi-
cem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij ve-
ritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Do-
minus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum. Nec
declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens o-
bedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex
decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël, cunctusq; po-
pulus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.

Non ad Burgimagistros.

Sacerdotis, non Burgimagistri.

DEVTERON. 21.

Ad verbū Sacerdotum pēdet omne iudiciū, ab illis iudicari debet, non à Burgimagistris.

Accedent Sacerdotes filij Leui, vt ministrent ei, & ad verbum eorum eti-
am negocium pendet, & quicquid mundum vel immundum est, iudicetur.

EZECHIEL. 3. & 33.

De manu speculatoris, hoc est, Episcopi, nō Burgimagistri se Deus requisiturum sanguinē pereuntis, dixit nō ergo pertinent ad Burgimagistros animarū cura.

Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo ver-
bum, & annunciabis eis ex me: Si dicente me ad impium, morte morieris, nō
annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat
ipse impius, in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua
requiram.

Interroga Sacerdotes, non Burgimagistros. Nūc Burgimagistri volunt docere non solū Sacerdotes verū & Episcopos.

Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga Sacerdotes legem, quæ verba
Hieronymus explicans: Considera, inquit, Sacerdotum esse officij, de lege in-
terroganti respondere.

MALACHIÆ 2.

Sacerdotis nō Burgimagistri, ex ore Sacerdotis nō Burgimagistri.

Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore eius requirent. An-
gelus enim Domini est exercituum.

MATTH. 18.

Apostolis, nō Burgimagistris data est potestas ligādi et soluendi conscientias. Nunc oēs nō solùm Burgimagistri, verum & opifices volunt esse Apostoli, Prophetæ, Doctores, quin et fœminæ.

Quecunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quecunq;
solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.

CORINTH. 13.

Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios
verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem
sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis CHRISTI. Nun-
quid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Do-
ctores.

HEBRÆOR. 13.

Præpositis non Burgimagistris obedire iubet. Præpositi non Burgimagistri pervigilare, quasi rationem reddituri.

Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi ratio-
nem pro animabus vestris reddituri; vt cum gaudio hoc faciant, & non ge-
mentes, hoc enim non expedit vobis.

ACTVVM 20.

Episcopos non Burgimagistros ponit regere Ecclesiā Dei.

Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Epis-
copos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

PETRI 1.

Presbyteris hoc dictum est, non Burgimagistris.

Pascite qui in vobis est gregem Dei.

Quem sui gregis vocat Imperatorem.

Gregorius Nazianzenus eos qui cum potestate & imperio versabantur al-
loquēs, Accipite, inquit, liberam orationem. Christi, lex subijcit vos meę po-
testati, meoque tribunali: gerimus enim principatum & nos. Addam & hoc,
quòd maiorem & perfectiorem principatum gerimus: nisi fortè spiritus car-
ni, cœlestia terrestribus subesse debent. Suscipe, yocem liberam, scio quòd
ouis es mei gregis. Hæc ille in oratione quam habuit ad subditos timore per-
culsos, & Imperatorem irascentem.

Quod non licet Osiæ Regi, multò minus decet Elbingensi Burgimagistro. Manē intra tuos terminos Burgimagister.

Ioānes Chrysostomus explicans illum locum de Osia: Ingressus est, inquit,
sancta sanctorum, & Rex cùm esset, sacerdotij principatum vsurpat. Volo,
inquit, adolere incensum, quia iustus sum. Sed manē intra tuos terminos, alij
sunt termini regni, alij Sacerdotij, hoc regnum illo maius est. Neque enim
ex his quæ videntur, hic declaratur. Rex neque è gemmis illi affixis, neque ex
auro quo amictus est, debet æstimari Rex. Ille qnidem ea quæ sunt in terris
sortitus erat administranda: cæterùm Sacerdotij ius è supernis descendit.
Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Regi ea quæ
hic sunt commissa sunt, mihi cœlestia, mihi cùm dico, Sacerdotem intelligo.
Ac paucis interiectis: Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ, Rex
maculas corporū remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit,
hic exhortatur: ille necessitate, hic consilio. Ille habet arma sensibilia, hic ar-
ma spiritualia: ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum est aduersus dæ-
mones, maior hic principatus, propterea Rex caput submittit manui sacer-
dotis, & vbique in veteri scriptura Sacerdotes inungebant Reges. Verùm
Rex ille sua transiliens septa, modumque regni transgressus, conatus est ali-
quid addere, atque ingressus est templum cum authoritate, incensum ado-
lere volens. Quid igitur Sacerdos: Non licet tibi Osia adolere incensum.
Vide libertatem, vide mentem seruire nesciam, vide cœlos attingentem,
vide libertatem incoërcibilem, vide hominis corpus & angeli mentem, vide
humi ingredientem, & in cœlo versantem. Vidisti Regem, nec vidisti dia-
dema. Ne mihi dixeris esse regnum, vbi est legum transgressio. Non licet tibi
Rex adolere incensum, non est fas venire in sancta sanctorum, transcendis se
pta tua, quæris tibi non concessa, eoque quæ accepisti, perdes. Non licet tibi
adolere incensum; sed Sacerdotibus istud datum est, non tuum hoc est, sed
meum.

Nunc etiam cœlestia sibi Burgimagister vsurpat. Sacerdoti sunt animæ commissæ, non Burgimagistro.

Quæris tibi non concessa Burgimagister, caue ne quæ accepisti perdas.

Idem posteàquam regno tanto sacerdotium excellentius esse docuit, quā-
rum spiritus & carnis interuallum esse potest, ita de sacerdotibus loquitur:
Qui terram, inquit, incolunt, atque in ea versantur, ijs commissum est, vt ea
quæ in cęlis sunt, dispensent: ijs datum est, vt potestatem habeant, quam Deus
optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim
ad illos dictum est: Quæcunque alligaueritis in terra, erunt alligata & in cęlo.
Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verùm corporum
solùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam
contingit, atque ad cœlos vsque peruadit, vsque adeò, vt quæcunque inferne
Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac seruorum
sententia dominus confirmet.

Nūc Burgimagistri dicunt se potestatem habere vinculi, quod non solùm corpora, verùm & animus contingit, ad se conscientiarum examē, ad se curā animarum spectare. Nunc Burgimagistri sibi licere volunt, quod non licet Imperatori.

De Ioanne Chrysostomo narrat Simeon Metaphrastes, qui vitam eius de-
scripsit, quòd cùm Gaianus vir præpotens ab Imperatore petiuisset, suæ quo-
que partis hominib⁹, hoc est, Arianis, vnam è sacris domibus concedi, respō-
disse Chrysostomum: Non licere Imperatori aliquid audere in rebus Eccle-
asticis, si velit esse pius. Nec obtinuit Gaianus quamuis bellum esset minatus,
quod etiam posteà mouit, & est in eo trucidatus, Deo pœnam de impijs illius
conatibus sumente.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imperator Constantius quo nihil fuit inconstantius, sub quo nouem fides, vel vt nunc loquuntur, fidei confessiones conditas fuisse scribit Socrates, quamuis obtinuerat iam, vt authoritate Synodi cuiusdam, quam ipse coegerat, Athanasius condemnaretur, quoniam tamen eam Synodum Liberius Pontifex non approbauerat, misit Spadonem suum ad Liberium, qui persuadere conaretur, vt Athanasij condemnationi subscriberet, tam ardenti desiderio tenebatur. Libet enim Anciani Marcellini verbis vti, authoritate Episcopi æternæ vrbis firmare, quod iam impletum esse sciebat. Cùm facilè perspiceret irrita fore omnia quæcunque per alios acta fuerant, nisi confirmatio Romani Pontificis accessisset, verùm ei qui missus fuerat sic respondit Liberius: Non ita se habet, inquit, Ecclesiasticus Canon, nec vnquam accepimus talem à patribus traditionem, quam ipsi à beato & magno Apostolo Petro acceperunt.

Exclusit ille Pontifex Imperatorẽ ab Ecclesiastico iudicio, nunc ingerit se Burgimagistri.

Quid si omnino Imperator curam suam pro Ecclesiastica pace interponere quærit, fiat Ecclesiastica Synodus longè à pallacio, vbi nec Imperator præsto est, neque Comes se ingerit neque Iudex minatur, & vbi solus timor Dei ad omnia sufficit. Post hæc trahitur Liberius ad Imperatorem, quo cùm peruenisset, magna libertate vsus: Desine, inquit, persequi Christianos, ne tenta per me hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere, ad omnia potius sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eò deueniamus, vt Ariani appellemus, ne coge nos fieri Christi perduelles,

Nunc insulsi Burgimagistri dicunt Hosio Varmiensi Episcopo: Ne te misceas rebus Ecclesiasticis neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius à nobis ea disce.

Osius verò Cordubensis Episcopus, datis ad eundem Constantium literis, hortatus est eum, vt suos Comites ad Synodos ne mitteret. Desine quæso, inquit, & memineris te mortalem esse, reformida diem iudicij, serua te in illũ diem purum, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in eo genere præcipe, sed potius à nobis ea disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quę sunt Ecclesiæ concredidit, & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. De vtroque præter alios qui scripserunt Ecclesiasticam historiam, narrat hæc Athanasius ipse, scribens ad solitariam vitam agentes.

Et paucis interiectis Athanasius ipse loquitur, Si istud est iudicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Quando à condito æuo auditum est, quando iudicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit, aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est. Plurimę antehac Synodi fuerunt, multa Ecclesię iudicia habita sunt. Sed neque patres istiusmodi res principi persuadere conati sunt, nẽc princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris familia, & per eos in literis salutabat Philippenses, non tamen eos in iudicio socios assumpsit. Nunc aũt nouum quoddam spectaculum ab Ariana hæresi ęditur. Cõuenerunt in vnum & hæretici & Imperator Constantius. Et prope finem dicit eum Antichristi imaginẽ induisse. Quis n. inquit, videns eum in decernendo principem se facere Episcoporum, & presidere iudicijs Ecclesiasticis, non merito dicat eum illam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est. Nam cùm sit circumamictus Christianismo & in loca sancta penetret, & inibi consistens deuastet Ecclesias, &c.

Multò minus à Burgimagistris.

Sinon Principes, multò minus Burgimagistri.

Nouũ quoddã spectaculũ à Lutherana hæresi.

Sicut nũc nihilo melioribus Lutheranis.

Osium Cordubensem imitatus Ambrosius Mediolanensis, cùm Imperatoris nomine mandaretur, vt traderet basilicam Arianis respondit: Domum priuati nullo potes iure temerare, domum DEI existimas auferendam. Allegabatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa, respondit Ambrosius: Noli te aggrauare Imperator, vt putes in ea quę diuina sunt, te Imperiale aliquod ius habere, esto Deo subditus. Scriptũ est; Quæ Dei Deo, quę Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palacia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ: Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Rursus mandat, Debeo & ego vnam basilicã habere. Non tibi licet eam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera enim est, quæ non est Christo legitimo coniugio copulata. Hæc Ambrosius epistola 33.

Mãdat Imperator, nõ permittebat Ambrosius, nunc vult Burgimagister.

Simon habet in diuina ius Imperator, multò minus Burgimagister.

Publicorũ mœnium ius cõcessũ est Burgimagistro, non sacrorum.

Adultera est Ecclesia Lutherana, sicut fuit Ariana.

Alio loco dicit idem Ambrosius, Imperator bonus intra Ecclesiã, nõ supra Ecclesiam est. In oratione quam habuit in Auxentium.

Nunc etiam Burgimagister vult esse supra Ecclesiam.

Idem

Idem Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem scribens Palmatius tribunus & Notarius mandato, vt allegauit, clementiæ tuæ postulans, vt & ipse iudices legerem, sicut elegisset Auxentius. Nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant postulati, sed id addidit, quòd in cõsistorio esset futura certatio, arbitror iudicio pietatis tuæ. Cui rei respondeo, vt arbitror competenter. Nec quisquam me contumacem iudicare debet, cùm hoc asseram, quod Augustæ memoriæ pater tuus non solùm sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit. In causæ fidei vel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hęc enim verba rescripti sunt, hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam si alias quoq; argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respõdit clementiæ tuæ. Ille qui te patri similem esse desiderat, an qui vult esse dissimilem. Nisi fortè vilis quibusdam tanti Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides Confessionis constantia comprobata est, & sapientia melioratæ Reipub. profectibus prædicatur. Quando audisti clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse. Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt Sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum. Si docendus est Episcopus à laico, quid sequatur, laicus ergo disputet, & Episcopus audiat. Episcopus discat à laico. At certè si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare. Eris Deo fauente etiam senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc cẽsebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicis ius Sacerdotale substernit. Pater tuus Deo fauente vir maturioris ævi dicebat: Non est meum iudicare inter Episcopos, tua nunc dicit clementia: Ego debeo iudicare.

Etiam Imperatoriã lege sanctum est, vt in causa fidei vel Ecclesiastici ordinis nõ iudicet, nisi quis sit eiusdem ordinis.

Hæc verè dici possunt de sanctæ memoriæ Sigismundo Rege.

Nũc Burgimagistri volũt, vt Episcopus discat è laico, quam doctrinã populo tradere debeat.

Si de Imperatoribus, multo minus de Burgimagistris debẽt Episcopi iudicare, nõ de Episcopis Burgimagistri. Quod non dicit Regia Maiestas, dicit Burgimagister Elbingẽsis: Ego debeo iudicare, cuius doctrinæ prædicatores ad nos mittere debeat Episcopus.

De Valentiniano hoc scribit idem Ambrosius, quòd cùm eum erroris posteà pœnituisset, tantam deuotionem erga Deum nostrum induerat, atque tãto in Ambrosium suum incubuerat affectu, vt quem anteà persequebatur, posteà diligeret: quem ante vt aduersarium repellebat, posteà vt parẽtem putaret. Hoc ipsum facturos Elbingenses in Deo spes est, cùm eos Deus de potestate tenebrarum eripuerit, & Euangelij sui luce illustrauerit, cùm ex Lutheranis facti fuerint Christiani.

Constãtium Imperatorem, etiam Hilarium sic legimus alloquutum: Proclamabo tibi, inquit, ô Constanti, quod Neroni locutus fuissem, quod ex me Decius & Maximianus audiret. Contra Deum pugnas, cõtra Ecclesiam sæuis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus nõ iam humanorum, sed diuinorum. Hæc tibi à me atq; illis socia & communia sunt. Tu verò nũc propria tua accipe, Christianum te mentiris, Christi nouus hostis es, Antichristum prævenis, & arcanorum eius mysteria operaris. Cõdis fidem cõtra fidem, viuens doctor prophanorũ es, indoctus piorum, subrepis nomine blandienti, occidis specie religionis, impietatem peragis. Christi fidẽ, Christi mendax prædicator extinguis. Et aliquot paginis interiectis. Hoc nũc à te Constanti requiro, in qua tãdem fide credas. Ego .n. nunc fidem tuam ignoro per demutationis tuæ tempora, quibus quisq; in vnum blasphemiæ suæ baratrum descẽdens, per gradus præcipites cucurrit. Nanq; post primam veræ fidei Synodicè congregato, rursum Antrophiæ Concilio fidem tibi renouas. Sed accidit tibi quod imperitis ædificatoribus, quibus sua semper displicent, vt accidere solet, vt semper destruas, quod semper ędifices. Et in sequẽti libro: Certè voces exclamantium à tua mansuetudine exaudiri decet: Catholicus sum, nolo esse hæreticus: Christianus sum, non Arianus, & melius est mihi in hoc seculo mori, quàm alicuius potentia dominante, castam veritatis virginitatem corrumpere.

Sicut Ariani, sic Lutherani se Christianos mentiuntur.

Hoc nãc dici posset Confessionistis in qua tandem fide crẽditis, cũ toties fides Augustana sit mutata.

Christianus sum, nõ Lutheranus.

Cùm Barses Valentis Imperatoris prefectus hortaretur Eulogium, vt se cũ Imperatore coniungeret in doctrina fidei: Nunquid, ait vna cum Imperio etiam ille Pontificatum est consequutus? Theodor. lib. 4. cap. 18.

Nũquid insulsi Burgimagistri Pontificatũ vnà cũ hoc munere sua cõsecuti sũt dũ volũt, vt Episcopus cũ illis, in quadã noua doctrina fidei consentiat.

De Anastasio Imperatore narrat Georgius Cedrenus, quòd Episcopum Ariani, tum ad se vocatum hortatus est, vt ad suam factionem desciseeret. Cui respondit Episcopus: Tu potius ad Orthodoxos transi, ne dum opiniones im-

Sicut nunc insulsi quic-

dã horiatur Episcopum, vt relicta Christiana Cõfessione, sequatur Augustanam, hoc est, vt Christum neget, & Antichristũ, Lutherum, pro Deo colat.

piorum hominum Seueri Eutichis, & Dioscori amplecteris æterno igni addicaris, simulque apprehendens Imperatoris chlamidem: Hęc ait, vestis nequaquam te post mortem sequetur, ô Imperator, sed sola te comitabitur pietas, ac virtutum habitus. Missam fac Ecclesiam, quam Christus suo redemit sanguine. Indoctus es & ratiocinandi ignarus, neq; vllum Ecclesiæ decretũ perfectè intelligis, tantũ impostoris, & scurrilibus calumnijs fatuos terres. Satis tibi sit dignitatis, quod Imperator es, Antistites Ecclesiæ vexare noli.

Lutheri, Philippi, Zuinglij.

Missam fac Ecclesiam, indoctus es ô Burgimagister.

Leo Isaurus Constantinopolitanus Imperator, cum imaginibus bellũ suscęperat, & eas è templis eiecerat, contra quem scribens Ioannes Damascenus his verbis vsus est. Cùm iam inde ab initio plurimi Sacerdotes & Reges à Deo dati fuerint, qui & sapientia & pietate, nec dicendi magis faculrate, quàm vitę sanctitate excellerent, cùm prætereà Synodus plurimę fuerint, sanctorum patrũ, qui diuinitùs erant inspirati, cur nemo tale quid facere aggressus est. Non patiemur, vt nos aliquis nouam fidem edoceat. Ex Syon. n. egredietur lex ait per Prophetam Spiritus sanctus, & verbum Domini ex Hierusalem. Non patiemur, vt alias aliter sentire, temporumq; vicissitudine fidem variare liceat, quo sic ea his qui sunt extra Ecclesiam, ridiculum & ioculare quiddam esse videatur. Non patiemur, vt ea Regijs subiaceat decretis, qui conetur morem à patribus traditum euertere. Non. n. est piorum regum subuertere sanctiones Ecclesiasticas. Non patrum hęc, sed latronum & prędonum sunt, quę per vim extorquentur, non autẽ fiunt libera persuasione. Testis est eius rei Synodus, quæ fuit iterum Ephesi congregata, quæ nunc etiam prædonicæ nomen obtinet, cùm regia manu fuerit exorta, quando P. Flauianus interfectus est. Ad Episcoporum hæc pertinent, non ad reges, quemadmodũ dixit Dominus: Vbi cõgregati fuerint duo vel tres in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Non Regibus ligandi & absoluendi potestatem dedit Christus, sed Apostolis & eorum successoribus, & Pastoribus, & Doctoribus. Hęc ille in primo libro. In eo verò qui proximè sequitur: Non est Regum præscribere leges Ecclesiæ. Vide quid dicat diuinus Apostolus. Sed alios quidẽ dedit Deus in Ecclesiam primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Pastores & Doctores ad ædificationem Ecclesiæ, non addidit Reges. Et iterũ, obedite prępositis vestris & subiacete, ipsi. n. peruigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri. Et iterum. Mementote Prępositorum vestrorum, qui loquuti sunt vobis verbum, quorum contemplantes conuersationem, imitemini fidem. Non sunt vobis loquuti verbum Reges, verùm Apostoli, Prophetæ, Pastores & Doctores. Cùm Dauid præcepisset Deus, vt sibi curaret ædificandam domum, dixit ei. Non tu mihi domum ædificabis, quandoquidem vir sanguinum es. Reddite vnicuique debitum clamat Paulus, cui honorem, honorem: cui timorẽ, timorem: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Regum cura est, vt benè sit Reipub. vt autem Ecclesię rectè constituę sint, ad Pastores & Doctores pertinet. Eiusmodi alienæ functionis inuasio, prædonum est & latronum, ô fratres Saul discidit pallium Samuelis. Quid autem accidit ei posteà. Scidit regnum ipsius Deus, & dedit illud Dauid Regi mansuetissimo. Eliam Iesabel persecuta est & linxerunt sues, atque canes sanguinem ipsius. Herodes sustulit Ioannem, & à vermibus erosus, extinctus est. Et nuper B. Germanus, non vita solùm, verùm & doctrina illustris alapis cœsus, & in exilium relegatus est, & alij multi Episcopi & patres, quorum nomina nescimus. An hoc latronum & prædonum facinus non est? Dominus noster cùm adijssent eum Scribę & Pharisæi, vt tentarent quomodo possent eum irretire laqueo sermonis, quærebãt ex eo, num licet dare sensum Cæsari, respondit eis: Exhibete mihi numisma. Cùm autem illi protulissent, Cuius, inquit, habet imaginem, illis respondentibus, Cæsaris, Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ autem Dei Deo. Paremus tibi libenter, ô Rex, in his quæ pertinent ad præsentis vitæ negocia, qualia sunt vectigalia, tributa, & id genus largitionum acceptiones, quarum rerum penes te potestas est. In Ecclesiastico verò statu cõstituendo habemus Pastores, qui loquuti sunt nobis verbum & ritus, atque instituta Ecclesiastica nobis expresserunt. Non transferimus terminos ab orbe condito nobis præscriptos, quos posuerunt patres nostri, sed retinemus traditiones, quem admodum accepimus. Nam si cœperimus Ecclesiæ structuram, vel in minimo demoliri paulatim vniuersa moles corruet. Ac paucis interiectis: Non recipio

Cùm ex quo tẽpore Christi fidẽ recepit Elbinga, multi fuerunt Burgimagistri viri pietate præditi, cur nemo tale quid quid facere aggressus est.

Disrimẽ inter Politicam & Ecclesiasticam potestatem.

Prædonũ & latronum, non Burgimagistrorum alienæ functionis inuasio.

Si non patiemur, vt Imperator, multò minus vt Burgimagistri.

Non patiemur, vt nunc alia foueatur religio quã anteà.

Multò minus consilaribus.

Multò minus Burgimagistrorum, Latronum & prædonum hæc sunt.

Multò minus ad Burgimagistros.

Ergo de cõscientijs in dicare non pertinet ad Burgimagistros.

Multò minus Burgimagistrorum est.

Pastores habemus & Episcopos, non Burgimagistros, qui constituant Ecclesiæ statum ab orbe condito.

Lutherus tectã demolitus est, Zuinglius pariẽs, &c.

pio Regem, qui per tyrannidem sibi sacerdotium vsurpat. Non Reges accepe- runt potestatem ligandi & soluendi. Et iterum post pauca: Non assentior, vt Regum legibus gubernetur Ecclesia; sed patrum potius traditionibus, siue scripte sint siue non scripte.

centẽ boni Tridentinæ exẽplũ istorũ secuti, fundamẽtũ etiam ipsum euellunt. Multò minus Burgimagistri.

Theodorus quoq; studita, cùm idem faceret successor huius Leonis & cognominis, qui & ipse quæ sunt Ecclesiastici muneris vsurpare sibi conabatur, sic eum aliocutus apud Theosterictum legitur: Ne tentes nunc ô Imperator Ecclesiasticum statum dissoluere, ait. n. Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primũ Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Pastores & Doctores ad perfectionẽ sanctorũ. Non dixit Reges: Tibi qdem ô Imperator ciuilis status & exercitus cõmissus est. Hæc igitur cura. Ecclesiã aũt Pastoribus & Doctoribus, vt ait Apostolus, derelinque. At si non vis hoc facere, si quis pernertende fidei causa de cœlo nobis aliquid nunciauerit, ipsum non audiemꝰ; tantũ abest, vt te audituri simus. Hęc Theosterictus in vita Theodori Studitę.

Multò minus Burgimagistros.

Etiam Augustana Confessio Episcoporum hanc esse iurisdictionem ait remittere peccata, item cognoscere doctrinã, & doctrinã dissentiẽtem ab Euãgelio reijcere, & impios, quorum nota est impietas excludere à cõmunione Ecclesiæ, & cõmisceri prohibet potestatem Ecclesiasticam & ciuilem.

Quod isti tamẽ facilẽ nõ curant præscriptũ suæ confessionis, deque doctrina sibi iudicium sumunt.

Erasmus in epist. quam scriptit contra Pseudoeuangelicos, Excussum est iugum humanarũ cõstitutionũ, sed vbi sunt, qui submiserunt ceruicẽ suã iugo Domini. Et interim constitutiones humanę, constitutionibus humanis, imò parũ humanis mutantur. Titulus modo mutatus est, vocantur. n. verbũ Dei. Cæterùm res adeò nihilo est mitior, vt cõplures boni viri præferant vltroneũ exilium isti magnificè decantatæ libertati. Atq; adeò proceres qdam & antesignani istius factionis, cùm nõdum ad Episcoporũ dignitatẽ opes & ditionẽ peruenerint, tamen eiusmodi specimen de se præbent, vt ego me malim in Episcoporũ, q̃ in istorũ potestatẽ tradere si detur optio, malimq; potentissimi Cęsaris ferre iugũ, q̃ quorundã Magistratuũ Euangelicorũ, q̃uis humili sorte. Sic excutiũt iugũ hoĩem, q vestro Euãgelio submittũt ceruicẽ, magis vereor, ne pleriq; ꝓ graui iugo hoĩum, portẽt graui⁹ iugũ diaboli. Excussa est obediẽtia Eꝑorum, sed ita, vt ne profanis qdem Magistratib⁹ parcatur. Olim Christiani sub Ethnicis principib⁹ quietè viuebãt, studiosè cauentes, ne q̃ seditionis occasionẽ darent, exhibentes honorẽ cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributũ cui tributũ. Hortabantur Christo initiatos, vt idololatrias etiã Magistratib⁹ obtemperarent, ꝓ eorũ incolumitate Deum quotidie orabant. At iste populus tam Euangelicus, etiam Turcarum principi dicitur esse detestabilis, quem ait seditioni natũ, quos subinde tumultus excitat, quoties quàm leuib⁹ de causis procurrit ad armaꝰne suis qdẽ Ecclesiasticis satis obtẽperans, nisi dicant blanda auribꝰ profligandi, etiã si liberi⁹ in vitã illorũ inuehantur, aut opinione dissentiant. Initio tantũ nõ Deus erat illis Lutherus, nũc qdem prorsus delirat, quod nouum de Eucharistia dogma non recipiat. Nouã verò libertatem Euangelicam impunè facere, sentireq; quod cuiq; libitum est.

Descriptio Magistratus Euangelici.

An tale quid etiam Elbingæ videre nõ licet.

Euangelicorũ, hoc est Lutheranorum descriptio.

Lapidanti quoque.

Recepit Philippus eius discipulus author Augustanæ Cõfessionis.

Hæc mens libertatis expetitur.

Centuriatores in præfatione septimæ Centuriæ antequam lux verbi diuini illuceresseret in Germania, regnantibus tenebris Pontificijs & monasticis, vnicus ille Romanꝰ præsul potestatẽ sibi sumebat, leges etiã Politicas nõ modo reformãdi, sed etiã delendi substitutis suis decretis & decretalib⁹, id quod superis atque inferis notum est. Quid verò nunc fit. Pro vno Pontifice innumeri ex Politicis eminẽtia locorum atq; munerum suffultis atq; elatis exilijs, qui vicem alternantes, nunc à forensib⁹ in Ecclesiasticas transcendunt, & non contenti suis metis, religionũ formulas Ecclesijs cũ sceptro, gladijs & fulmine Iouis exhibent. Colores verò varij allinuntur, quod magistratuũ sit offi cium, custodem vtriusque tabulę agere, altercationibus modum statuere, ꝓpicere publicæ paci, remouere seditiosa capita, & quis potest eos oẽs fucos cõnumerare, quib⁹ conantur plurimorum fascinare, & faciũt q̃ libet. Et præfatione quintæ Centuriæ: Magistratus Politici qui Euangelio nomen dederũt plurimis in locis prestigiatorib⁹ & corruptelis locum, dignitatem prędia prębent, quos etiã ideò eò magis cõplectuntur, quòd eos sibi prõpti⁹ seruire, cõniuere & adulari cernunt, confessoribus veritatis os obstruunt, pennas excutiunt, libros ne typis excudantur vetant, adulteratoribus aũt veritatis vox libera est, præla laborant, & oẽs spirit⁹ maligni eorumq; organa, vt quã latissi-

Polytici Pontifices ne Lutherani quidem ferunt, tantum abest, vt ferant christiani.

Etiã ipsi Lutherani ferre nõ possunt, & ferrent Christiani;

Reiecto Papa vno, multi Papæ nati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Elbingenses Burgimagistri.

mè dispergantur, pestiferi illi libri inseruiunt. Filij huius seculi audacissimè formas religionum ex suo cerebro fundunt, & formulas præscribunt, quas ministris verbi Dei imperiosè obtrudunt. In eas enim angustias iam Ecclesia Dei pro nefas redigitur, dormitantibus Pastoribus passim etiam prodētibus, & sponte tradentibus suum ministerium Politicis viris, vt non rara tumidi rabulæ quidam forenses sese non intra septa sua rerum mundanarum continentes, alijsq; res ad Pastorum officia pertinentes, nefariè & impiè ad se rapiant. Et planè sicut olim Pontificij proceres in Ecclesia sceleratè regna huius mundi inuaserunt; ita nunc vicissim Politici illotis quasi manibus in gubernationem illam spiritualem verorum ministrorum Dei, legitimeque suo officio fungentium irrumpunt, seque vtroque gladio instar Antichristi accingunt, cùm ne vnum quidem suum rectè administrare norint. Hæc in præfatione quintæ centuriæ. In præfatione verò septimę. Inclinate parum per aures, vestras ad vocem Regis cœlestis, quia ministros Dei ingenti fastu arcetis sæpè ne vobis veritatem loquantur. Is hanc regulam præscribit & sancit: Date Deo quæ sunt Dei, & magistratui Politico (nam Cæsar hic in genere accipi debet) quæ sunt magistratus Politici: verba illa, quod inquit, quæ sunt differentiam faciunt inter res, quæ conueniunt Deo soli, & quæ magistratui Politico propriæ sunt. Discernit ibi vnigenitus Dei filius religionem complectentem verbum Dei & cultus mandatos, & deinde leges atque tes Politicas. Distinguit vocationem Ecclesiasticam & Politicam, insuper prohibet ne cõfundantur, & cuilibet suum, hoc est, quod ei propriè competit relinquatur. In nouo quidem testamento semper distincta fuerũt officia magistratuum Politicorum, qui corpora & res externas atque mundanas gubernant, & Doctorum verbi Dei, quibus cura tradendi verbum Dei, & administrandi Sacramenta à Christo instituta est delegata. Et nihil habet perplexi ista sententia filij Dei. Reges gentium dominãtur, vos autem non sic. Proinde falcem in alienam messem mittunt, & alienam functionem temerè inuadunt, sanctumque sanctorum intrant, quemadmodum Osias, qui cùm sint Politici Magistratus, aut ipsorũ serui, tamen magno supercilio audent nouas religionum formulas componere, easque Ecclesiæ ministris offerre, tali cum imperio: Ni applaudant sine contradictione, se suo sceptro ipsos expulsuros, aut punituros id, quod etiam factitant absque omni misericordia.

Intra septa rerum mundanarũ se Burgimagistri contineant, nec res ad Pastorum officia pertinentes, nefariè et impiè ad se rapiant.

Sicut arcuistis nuper pium & sanctũ virum.

Discrimen vocationis Politicæ & Ecclesiæ.

Ne confundantur.

Falcẽ in alienã messem mittunt Elbingenses Burgimagistri.

Pœnã Osiæ metuãt.

Nouam religionis formã Ecclesiæ ministris offerunt.

Eiusdem generis querimonias legere licet apud Heshusium, qui fuit Magdeburgi superintẽdens, sed sicut antea Goslaria, Rostochio Hiedelberga, Brema, sic & inde posteà pulsus vna cũ alijs, nisi quod honoris gratia tecto tamen ille carpento noctu deportatus est, alij verò carbonario curru multis armatis circumsepti. Sic suos Papas Euangelicos tractant isti Politici Pontifices. Domestica silentio præterire malumus. Sic iam excusso vnius Papæ iugo, multi Papę nati sunt: non solùm Euangelici, verùm & Politici, sic enim eos vocant centuriatores. At sicut olim fuerunt hæretici, qui dicerent, quod volumus sanctum est, sic nunc dicunt isti: Quod volumus Dei verbum est, & Euangelium Christi, nec ad Christi regulam, sed ad suos affectus fidei doctrinam sibi tradi cupiunt. Volumus aiunt Augustanam, nolumus Confessionem Christianam. Illa Dei verbum est, non hæc.

Et verum est, si Lutherus et Philippus se prius esse Deos probauerint.

STA-

STANISLAI HOSII CARDINALIS VARMIENSIS,

Examen siue excussio eius responsi, quod Elbingenses in scriptis ad legationem ab illo missam, dederunt.

Ad Petrum Miscouium Regni Poloniæ Vicecancellarium, pro Serenissimi Poloniæ Regis Informatione.

POST saxeum illud, accepi tandem, & chartaceum respõsum ab hædis meis mihi datum, sed quod neq; caput, neque pedes, scopas quasdam dissolutas esse diceres: quale missum est ad me, Reuerendissimæ D. vestræ mitto. Verissimum autem illud esse comperio, quod veteri prouerbio iactatur: Veritatis simplex est oratio, quam illi cùm oppugnant, quibus vtũtur ambagibus, quibus coloribus, quàm perplexè loquuntur? vt vix vllum ex eorum verbis certum sensum elicere queas. Vt interim taceam, quod eorum oratio multis scaret solœcismis & barbarismis, quod equidem satis mirari non possum: cùm in ea ciuitate schola celebris esse dicatur, si neq; magistrum, neq; ministrum, habere potuerunt, qui saltem hoc daret operam, quando quidem eis Latinè respondere visum est, Latina tamen, vt esset eorum oratio. Nunc illi, nouam fidei regulam proponunt, qui neq; Grammaticorum regulas, adhuc habere satis cognitas videntur. Agunt mihi gratias? Quam ob causam? An quod eos sacrificare CHristo cupiebam? hæc enim summa fuit legationis, nec aliud præ me tuli, cùm D. Iacobum Timermanum Ecclesiæ meæ Canonicum ad eos mitterem. Optabam, vt Christum confiterentur, quem impiè negauerunt, postquàm reiecta Cõfessione Ariana, plusquàm Babylonicam Confessionem Augustanam sunt amplexi. Quòd si mihi gratias agunt hoc nomine, cur votis meis non respondent? cur paternis ad monitionibus non parent? Cur non deserunt Baal Islebij natum, & reuertuntur ad Christum, qui natus est in Bethleem? quem piè maiores nostri coluerunt, à quo nomen etiãm traxerunt, vt Christiani vocarentur, nec hoc nomine quicquam tibi fieri posse gloriosius existimauerunt: quamobrem & ad nos illud, suos posteros trãsmiserunt, ac vt idem nos quoq; faceremus, voluerunt. At huius nominis Itados meos pudere videtur. Nam Euangelici, quàm Christiani dici malunt, ne quid cum suis, & ijsdem nostris maioribus habere cõmune videri possint. Qua quidem re planum omnibus faciunt, se non Euangelium Christi, sed Islebiensis idoli sui Euãgelium, pro puro Dei verbo recepisse, quæ potest autem esse maior idololatria, quàm sit hæc? Ab hac igitur, vt liberari possent, & ad agnitionem veri Dei Christi reuocari, propterea missus est à me D. Iacobus, cum duobus puri, & veri Euangelij Christi prædicatoribus, qui redeundi viam illis ostenderent.

Sed stupeo, cùm quæ sequuntur in eorum præfatione lego. Dicunt enim ex intimo pectore, precari se Deum, vt conatibus meis pientissimis, diuina sua clementia aspiret, & faueat. An istis idem non accidit, quod Balaam Prophetę, qui cùm esset conductus à Balach, vt malediceret populo Dei, maledictionis loco, suam illis benedictionem impertiuit, sic Deo mentem illius impellente? Sed si pientissimos esse meos conatus agnoscunt, si precantur, vt eis aspiret diuina clementia, cur ipsi Dei inspirationi resistunt, cur impediunt, quo minus pientissimi conatus, ad optatum exitum perduci queant? nisi fortè videri volũt esse duplici corde, vt aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum gerant: quod mihi de eis suspicari non libet.

Dari sibi Concionatorem queruntur, ex alio religionis genere, quàm nunc fouetur: hæc enim sunt eorum verba. Quid igitur? Aliud iste nunc relligionis genus fouent, libet enim eorum verbo vti, quam fouerunt anteà, vel ipse vel maiores eorum? An est variabilis apud eos religio? Non ita nos Paulus docet. Vna fides, inquit, vnum Baptisma. Nunc isti non obscurè videntur iudicare, quod à Prisca fide, religioneq; defecerint, quàm ab ipsis Apostolis, per longam Episcoporum & Sacerdotum successionem, per manus nobis traditam accepimus, & nouam quandam, ab ea diuersam sequantur, vt rectè possit insensatis istis Galatis dici: Miror, quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit, in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium CHristi. Conuersum igitur, & peruersum est apud eos Euangelium: conuersa, & peruersa fides, & religio: quando quidem alia est ab illa, quàm à sanctis maioribus nostris, nobis traditam retinemus.

Dari sibi veniam postulant, quòd non statim, vel Parocho, vel Nuncio meo, responderũt.

Vtinam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vtinam nullum esset eorum grauius peccatum, hoc quidem condonari facilè posset, sicuè & illud, quod ad ordines ciuitatis, de postulatione nostri Nuncij retulerunt, modo ne frigidam, quod est in prouerbio, suffunderent ipsi, néue suggererent ordinibus, ea quæ ad seditionem per commouendam pertinere videntur. Non enim obscurum est, quibus in ea ciuitate, tanquam flabellis quibusdam Sathanas vtatur, ad istos, in ea, religionis ergò, motus ac tempestates excitandas. Quod si, qui Principem in ea locum gerunt, officij sui meminisse vellent, facilè per eos populus in officio contineri posset: Verùm à capite manat, quicquid est malorum in corpus reliquum. Quam autem habet Senatus, populusque statuendi potestatem de negocio, sicut ipsi loquuntur, conscientias animarum qúe salute spectante? Ne sutor, aiunt, vlara crepidam. Ciuilia negocia rectè tractantur, à Senatu, populoque: quæ verò pertinent ad conscientias, animarum qúe salutem, ea propriè sunt Episcoporum, quos animarum Pastores, loco suo CHRISTVS constituit. Sancti Patres, Liberius, Osius Cordubensis Episcopus, Ambrosius, Hilarius, Ioannes Damascenus, nec Imperatoribus hanc potestatem permiserunt, quorum hæ voces fuerunt: Ne te misceas rebus Ecclesiasticis, Imperator, neque nobis in hoc genere præcipe: sed potius à nobis ea disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Noli te grauare, inquit alius, ô Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere. Esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palacia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Nunc quod necipsis licet Regibus & Imperatoribus, hoc sibi licere volunt Burgimagistri. Præclarè verò quidam alius ex Patribus: Regum, inquit, cura est, vt benè sit Reipublicæ: Ecclesiarum constitutio, ad Pastores, & Doctores pertinet. Eiusmodi alienæ functionis inuasio, prædonum est, & latronum. Prædones & latrones vocat sanctus ille vir, qui, quæ spectant ad conscientias & animarum salutem, quarum cura penes Episcopos esse debet, quibus oues suas pascendas CHRISTVS ipse commisit, ea sibi per summum sacrilegium arrogant. Episcopos dedit speculatores domui Israel Deus, de quorum etiam manu, eius qui mortuus fuerit, non annunciantibus illis, vt auertatur à via sua impia, sanguinem se requisiturum esse comminatur, illis obedire, & subiacere populum, per Paulum Dei spiritus præcepit. Ipsi enim peruigilant, inquit, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Per eundem dicit, quòd dedit alios Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores: Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Doctores? At isti volunt omnes esse Prophetas, Apostolos, & Doctores. Volunt vt omnes iudicent de his, quæ pertinent ad conscientias, & animarum salutem. Alio loco dicit idem Paulus: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Paulus Episcopos dicit esse positos à Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei: nunc isti non Episcopos, verùm Burgimagistros Ecclesiam Dei regere debere contendunt. Vel vnum è scripturis locum proferant, vbi populo permissa sit potestas hæc, ad desideria sua, sibi coaceruandi magistros, conscientiasque suas, vel aliorum ligandi, vel soluendi. Constituit Apostolus Episcopos, Thimotheum, & Titum. Tito quoque mandauit, vt ipse non vt populus, qui docendus, non sequendus est, aut prophanus Magistratus aliquis, constitueret per ciuitates Presbyteros. Ligandi quoque & soluendi potestatem, non populo, vel prophano magistratui, sed Apostolis tantum dedit, & eorum successoribus. Nunc isti belli homines non alio, quàm lupino iure, sibi potestatem hanc arrogant, seqúe ipsos faciunt Pontifices, dum quæ spectant ad conscientias & salutem animarum, de his arbitratu suo statuere sibi licere volunt. Quam eorum tantam hanc insolentiam, non solum Christiani, sed necipsi iam ferre possunt Lutherani, dum in eam sæpius inuehuntur, & hos oblitos sui homines, Politicos quosdam Pontifices appellant.

Quod autem priuilegijs commissionibusque regijs, hoc sibi permissum esse dicunt, vt in alienam iurisdictionem inuadant, id mihi verisimile non fit. Nam quomodo permittat alijs Maiestas eius, quod ipsa sibi non sumit, quomodo transferat in alios ius, quod ipsa nullum habet? Sic autem scriptum est respondsum hoc, vt ipsi qui scripserunt, nesciant quid dicant, aut de quibus affirment, nisi quod hoc tamen indicare videntur: Parochum suis prouentibus esse contentum debere, quandoquidem ante ipsum etiam terminum illi soluantur. Itaque ius ipsius incontaminatum, sic enim loquuntur, ei relinqui. Quasi verò non aliam in rem ius habeat Parochus, præterquàm in solos reditus: penes ipsos autem plena sit potestas, dum sanam doctrinam non sustinent, ad sua desideria coaceruandi sibi Magistros, qui loquantur illis placentia. Faciunt mentionem priuilegij, quod à Casimiro Rege ciuitati datum est, in quo nihil est, quod pro illis faciat, nisi quod alienum quendam sensum adferunt. Atqui non illorum est interpretari, sed eius cuius fuit condere. Ius patronatus vtriusque Parochialis, reseruat sibi Rex. Talem autem si Parochum præsentaturum Episcopo scribit, qui sit illis accomodus, hoc est, qui non sit imperitus linguæ Germanicæ, qui possit officio suo rectè fungi. Qua de re non penes magistratum aut populum, sed penes Episcopos iudicium esse debet. Nam sicut Regiæ Maiestatis est præsentare, sic Episcopi est præsentatum examinare, & si dignum iudicauerit, ei prouidere. Num autem quo tempore datum fuit hoc priuilegium, vlla fuit alia Confessio, præter Christianam: De Augustana, ne per somnium quidem cogitare venit in mentem, vel Regi, vel ipsi etiam Senatui, populoque Elbingensi. Qua fronte igitur in eum sensum priuilegij faciunt mentionem, quasi vigore illius alterius, quam Christianæ religionis ministros ipsis eligere liceat, Sed aiunt, ab hac, quæ nunc ad Regni gubernacula sedet Regia Maiestate, se doctrinam, & religionem impetrasse Confessionis Augustanæ. Quis autem credat Regem, quem Christianum

stianum esse constat, aliam præter eam quam ipse palam profitetur, ipsis religionem indulsisse. Scit Maiestas eius verissimum esse, quod ab illo S. Patre scriptum est, fidem vnam esse. Quicquid autem est præter vnam hanc fidem, perfidiam esse, non fidem. Est autem verisimile, quòd vllis rationibus adduci potuerit Regia Maiestas, vt perfidiam approbaret? Quid enim aliud, quàm sanctos parentes, auos, proauos suos, quin & seipsam impietatis, & perfidiæ condemnaret. A quo plus, quàm parricidali crimine, quàm longissimè Maiestas eius est remota. Mirum est autem, quòd ex Rege nunc Papam, atque adeò plusquàm Papam facere conantur. Nam neque Papa nouam fidem, religionemqúe condendi, vel concedendi potestatem habet, tantùm abest, vt eam Rex aut Imperator habeat. Et interea queruntur, per Maiestatem Regiam, iura & priuilegia violari, cùm tamen vt id faceret, illius Maiestati si verum est quod asserunt, authores ipsi fuerunt. Nam si voluerunt ei licere, quæ diuini sunt iuris, in ea sibi potestatem vt arrogaret, vt nouas fides condederet, vt concederet, vt nouos in Ecclesijs ritus instituere vel permitteret, certè multò magis illius Maiestati in ea licere debet, quæ sunt iuris humani. Plus habet potestatis in iura, priuilegia, libertates, immunitates omnium subditorum suorum, vt arbitratu suo noua faciat omnia, veteribus abrogatis, quod eum isti docere videntur, quàm in ea quæ sunt religionis. Si potest esse plusquam Papa, potest etiam esse plusquàm Rex. Sed etiamsi quas illi chartaceas literas proferant, mihi nunquam fit verisimile, Christianum Regem aliquid indignum Christiano Rege cõmisisse, verùm id omne surreptitium esse persuasum habeo.

Quod scribunt de proximorum Regni Comitiorum decreto, ne qua religionis fiat immutatio, antequã vtripsi loquuntur, certũ aliqd desuper, consensu procerũ Regni accedente constituatur, quale fit non intelligo. Missus est ad me quoq; Comitiorum illorum recessus, sed in eo nihil tale repperi: nisi fortè quod ego non credo, secreto cõsilio diuersum aliquid ab eo decretum sit, quod edicto publico sancitum est. Quanquam si maximè decretũ esset aliquid eius generis, pro nobis tamen id magis faceret. Quid. n. aliud est quod magis cupiamus, quorquot Catholici sumus & Orthodoxi, quàm vt ne qua fiat religionis immutatio. Cæterùm quam addunt ipsi clausulam: antequam certum aliquid procerum Regni desuper consensu accedente constituatur, ea nihil opus est. Iam. n. in conuentu Parcouiensi Regiæ Maiestatis, & Regni procerum consensus ante biennium accessit: vbi per Legatum Pontificis exhibita fuit Confessio, quam approbauit S. Synodus Oecumenica Tridentina, quam vna cum Senatu Regia Maiestas lubens accepit. Nec eam solus recepit Serenissimus Rex noster, verùm & Imperator, & Reges, ac Principes omnes Catholici, quorum oratores ibi præsentes adfuerunt, & his quæ decreta sunt in Synodo, suorum Principũ nomine subscripserunt, cùm nihil noui ibi constitutum, sed vt ea quæ sunt Patrum tenerentur, sancitũ fuit, absit. n. vt nunc aliqua noua religio statueretur ab ea diuersa: quam Patres nostri professi sunt. Nam & nouum Christum, credere nos oporteret, sicut nunc proh dolor fit à quibusdam SS. Trinitatis impijs blasphematoribus, qui cùm Lutherum tectum tantùm discessse dicant, Zuinglium verò parietes demolitum, se prorsus radicitus euulso fundamento, cum puluisculo, quod aiunt, Papatum, hoc est, Christianam religionem omnem sustulisse, glorioſi milites iactant, & cum noua religione nouum etiam Christum confingunt, qui nõ sit Patri coæternus, nec ei consubstantialis, nec infinitus, neq; Deus de Deo, sed cùm esset homo natus in tempore, postea sit factus Deus. Sic isti cùm viderent nouam religionem Augustanam, commenti sunt ipsi quoq; cum nouo Christo, nouam Confessionem Gregorianam, siue Blandratanam, cùm caussæ nihil esset, quamobrem ipsis licere non deberet, quod aut Luthero licuit, aut Philippo. Cæterùm religio siue fides aut Cõfessio, cuius vna cum Regia Maiestate nos esse gloriamur, non est Augustana, non est Polona, neq; Germana, nõ est Prussena neq; Lithuana, sed est fides aut Confessio Catholica. Sicut Ecclesiam Catholicam in Symbolo nos credere profitemur, sic & fidem non aliam, quàm Catholicam. Et sicut Regia Maiestas ferre non posset, vt verbi gratia, in Russia, vel in Masouia diuersum aliquid ab ijs, quæ rectè constituta sunt in generalibus Regni Comitijs decerneretur: Ita nunquam ferret, vt aliquid à Proceribus Regni de religione statuatur, quod ab eo diuersum sit, quod est in generalibus orbis totius Christiani Comitijs, hoc est, in Cõcilio Oecumenico, quod Ecclesiam Catholicam repræsentat, in quibus etiam qui personam illius Maiestatis gerebat, Orator inter fuit, & nomine Maiestatis eius subscripsit, vnanimi omnium consensu receptũ est & approbatum: quin quod olim ab Imperatoribus pientissimis post Synodi Chalcedonensis definitionem, ædicto publico cautum est, idem eorum exemplo M. quoq; Regia cauebit, & cum illis dicet: Cesset iam prophana contentio. Nam verè impius atq; sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ tractandum aliquid relinquit. Extremæ quippè dementiæ est, in medio, & perspicuo die lumen inquirere. Quisquis. n. post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium quærit. Reuerà mendacium quærunt, qui post veritatẽ in SS. Tridẽtino Concilio repertam, aliquid opinioni suę tractandũ relinquunt, & vlterius discutiendum esse putant: Ac verè impij sunt & sacrilegi habendi. Sed quænam est hæc Augustana Confessio, cuius ipsi sibi dari ministros & prædicatores expetũt? Certum est, quod nec in ipsa quidem Augustana ciuitate recepta est cuius Ciues, aut ex magna parte Christiani sunt, aut Zuingliani, vel cuiuscunq; tandem sectæ, citius quàm eius quæ Lutherana vel Augustana vocatur. Sola fuit aliquando Saxonia, quæ Confessionẽ hanc receperat: quam etiam ob caussam Philippus aliam posteà Confessionem scripsit, Sacræ Synodi Tridentinæ iudicio submittendam, quam illi Saxonicam, non Augustanam vocare visum est. Nunc & Saxoniæ multò maxima pars ab ista Confessione defecit, quin & ille ipse, qui suis digitis eam se conscripsisse gloriatur, Philippus Melanchton, quam etiam ob caussam lepidè vocat eam Osiander, verbum Philippi, quòd cum verbo Dei pugnet, ab ea

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per suos discipulos excluditur,& ab ea desciuisse multis etiam in locis eam deprauasse dicitur,cùm in quibusdam doctrinæ capitibus Catholicorum sententiam eum secutum,in dogmate verò de Eucharistia nihil eum à Caluino diuersum sensisse constat. Qualis igitur est ista Confessio, quam ne Saxonia quidem ipsa tota recepit, multò minus à qua sibi nomen vendicat Augustana ciuitas. Cuius qui fuit primus author in præcipuis doctrinæ locis,eam ipse condemnauit. Qua de re Flacci & Galli Tragicas quasdam vociferationes audire licet, qui non dubitant eum arguere falsi, & adulteratæ multis in locis Confessionis istius reum facere. Quam cùm ego quoq; Tridenti cùm essem diligentius inspexissem,& multa Confessionis huius exemplaria contulissem, non inanes horum fuisse querimonias animaduerti. Sic.n.inter se dissidebant,vt vbi grauissimis de rebus tractabatur,contraria pleraq; quę posterius impressa sunt,ijs,quę primæ sunt editionis cõtinerent,nec vllum videre mihi licuit exemplar,quod propius accederet ad eam Confessionem,quæ primùm Cęsari Carolo fuit oblata, quàm quod opera Flaccij Ienæ fuit impressum. Cùm itaq; sic de ista Babylonica potius Confusione, quàm Augustana Confessione disceptetur, cùm ab ipsis eius Confessoribus,Cothurnus vocetur vtrique pedi aptus,cùm scatere plurimis corruptelis affirmetur, cùm ab ipsis etiam Lutheranis purum Philippi verbum esse dicatur: An isti non multò rectius facerent, si Christianæ potius Confessionis, quàm Augustanæ Confusionis prædicatores dari sibi vellent. Sed videtur eos cœcitate Deus & amentia percussisse.

Quod autem tumultus meminerunt nuper excitati contra missum à me puri verbi Dei prædicatorem,vtinam ipsi tumultus huius excitati suspicione carere possint. Auderet.n. talia quisquam inuito, vel saltem non cõniuenti Magistratu, cui si factum hoc displicuisset de turbulentis hominibus istis pœnas proculdubio sumpsisset,quos fortassis etiam præmijs affecerunt,ob rem præclarè gestam, quod erga sanctum virum inermem animositatem suã ostenderunt,& eum lapidibus petiuerunt. Nihil est quod in vulgi fecem ista conferant. Sit sanus magistratus, nullo negotio tumultus isti prohiberi poterunt. Verùm hoc interea tñ sciant, quod saxeis istis argumentis suis adeò non deterruerunt à sancto proposito suo venerandum patrem illum à me missum,vt magis etiam inflammarent ad ea quæ piè cęperat prosequenda,nec ardentioribus votis quicquam expeteret,quàm vt pro tuendo Christi Euangelio,quod ab istis per summum scelus reiectum est,vitam etiam ei cum sanguine profundere liceret,ac summa cum alacritate redire cupiebat,purum Dei verbũ prædicaturus, nisi fuisset à me prohibitus,vt alij magis opportuno tempori se reseruaret. Nullam autem ille diuersam religionem inuehere conatus est. Absit. n. vt hoc quisquam audiat à me legitimo Pastore missus,verùm vt ab idololatria mentes eorum abduceret,& à verbo Philippi, quod illi verbum Dei vocant, ad verbum Dei, verumq; veri Dei cultum reuocaret: id verò modis omnibus nisi fuisset impeditus, efficere conabatur. Cæterùm diuersa religio ea est, quã se nũc nunc isti fouere cępisse in hoc suo scripto cõfitentur, quæ simul vt ab alijs quoq; foueri cœpit,& in Germanijs,& in Gallijs,quos tumultus excitauerit, quàm horrendas seditiones conflauerit: quibus infortunijs florentissima regna mactauerit: notius est, quàm vt pluribus hic recensere sit necesse. Nam vt quæ remotiora sunt, silentio prætereamus. Vnde bellum rusticorum in Germania contra suos Dominos, vnde seditio Principum, cõtra suum Cęsarem Carolum,acerrimum Euangelij Christi propugnatorem. An non ex hac diuersa & peruersa religione, quam isti nunc nunc se fouere cœpisse fatentur. Hæc est quæ tumultus & seditiones excitat, sicut etiam à quodam ex huius diuersæ religionis professoribus dici solebat: Euangelium sitit sanguinem: Quod quam esset verum, de istorum caeangelio potius, quàm Euãgelio, etiam euentus ipse comprobauit, quemadmodum oculis ipsi nostris vidimus & auribus audiuimus. Cæterùm religio quam sancti maiores nostri professi sunt, quamque nunc etiam & Regia Maiestas, & maior ac sanior pars Regni retinet, est pacifica,modesta,suadibilis,bonis cõsentiens,plena misericordiæ,& fructibus bonis. Quales autem fructus fuerint istius diuersæ nouæq; religionis de qua gloriantur hædi mei, vtinam vicinorum nostrorum exemplis didicisse contenti esse vellemus,nec malo nostro quã sint acerbi fructus illius experiamur. Vtinam quorum exitus perhorrescimus,eorum facta ne velimus imitari. Quam aũt istos opinionem habere de Rege Dominoq; suo credẽdum est,qui diuersam ab ea quam ipse profitetur, fidem religionemq; sequuntur? Cùm .n. fides nõ sit nisi vna, & quicqd est extra vnam fidem perfidia sit, nónne perfidiam illius Maiestati manifestè tribuere videntur? quę tamen illis multò verius tribui potest, qui nunc nunc diuersam quandam religionem ab vna illa fide, quam sancti maiores nostri professi sunt, fouere se cœpisse fatentur. Sed hæc istorum hominum audacia atq; amentia non nisi Regali brachio compesci potest,quandoquidem nullum in eis Dei metum,nullę ab ipso Deo institutæ legitimæ potestatis, cui Christus animarum curam concredidit, rationem haberi videmus. Ipsi sibi ligant,ipsi soluunt conscientias suas pro libidine sua. Omnem salutarem medicinam respuunt,& à quo doceri debent,ei docendi formam præscribunt,ac sursum ac deorsum miscent omnia.

FINIS.

D. STANISLAI HOSII, S. R.E. PRESBYTERI CARDINALIS, maioris pœnitentiarij,& Episcopi Varmiensis.

Epistolæ ad diuersos, CCLXXVI. Collectæ & in Ordinem redactæ per Stanislaum Rescium.

Stanislaus Hosius Sigismundo II. Regi Poloniæ nomine Petri Tomicki Episcopi Cracouien. Regni Poloniæ Vicecancellarij.

Docet Regem in quibus studijs & occupationibus teneram etatem suam transigere, atque ad res magnas,eo quo natus est loco & officio dignas,præparare debeat.

SACRA Regia Maiestas &Domine Domine clementissime,post seruitutis meæ & orationum commendationem. Cum ad me paucis ante diebus Vilnia reuersus esset Iacobus Patzinski scriba & seruitor meus,narrauit mihi cum primum studium meum & obseruãtiam, ita vt in mandatis ei dederam ad Sac. Maiestatem Vestram verbis meis detulisset, quæsiuisse eam è vestigio,nunquid à me literarum attulisset: neque obscura signa dedisse earum desiderij cuiusdam singularis: qua ex re maiorem quam dici queat animo cepi voluptatem. Facile enim inde coniecturam facere potui,quanti me Maiestas vestra faceret, cùm eius præ cæteris in scribẽdo officium requirere soleamus, in quem quã suauissimè simus effusi. Neque verò cõmissurus fueram, vt id à Maiestate vestra requiri iure posset. Sed & tanta illam eius rei cupiditate teneri nesciebam: & quod scriberem magnopere non habebam. Neq; enim adhuc eo ætatis Sac. Maiestas vestra progressa est,vt serijs grauibusq; de rebus aliquid à me ad illam scribere debere arbitrarer. Nullo autem aut leui aliquo argũmenti genere scribere: neq; personæ,neq; ætatis meæ videbatur. Sed in Sac. Maiestate vestra verum id esse comperio: virtutis ingenijq; nõnunquam esse quam ætatis cursum celeriorem. Quare faciam equidem non inuitus vt de his rebus quæ neq; ætati Sac. Maiestatis vestræ nõ aptæ: ingenio verò maioriq; quã pro ætate grauitati vel maximè futuræ sunt accommodatæ,hoc est,vt grauissimis de rebus quoad eius fieri poterit grauissimè scribam,si prius hoc vnum quasi præfatus fuero.

Serenissimum parentem Sac. Maiestatis vestræ sæpè quidem à multis,nunquam tamen à quoquam pro dignitate laudatum, iam inde à multis annis priusquam canus,esset caput vtriusq; nostrum respersum viridi adhuc illa viuida; vtriusq; ætate me pro sua singulari erga me clementia in senatorum suorum consiliariorum numerum referre dignatum esse: neq; locum modò consilijs meis dandum,sed fructum etiam iudicio suo amplissimum tribuendum censuisse: Itaq; cum amplissimo Vicecancellarij munere me ornasset,in duobus primum mmoribus mox in eo quem nunc obtineo minimè pœnitendo dignitatis gradu Princeps me optimus beneficentissimusq; collocauit. Postremo quo nullum iam in regno suo altiorem dare potuit, eum quoque mihi concesserat,in quem ego cum eo dignus à Maiestate sua iudicatus essem certo tamen consilio ascendere noluit: neq; minus mihi tanti de me Principis iudicium hoc gratum fuit, quam ille ipse in quo me positum volebat summus honoris gradus.

Quæ mea eo pertinet oratio, vt intelligat Sac. Maiestas vestra diuina planè atq; immortalia Serenissimi patris sui constare in me beneficia: neque cum illius tum vestræ Sac. Maiestati adeò deuinctum esse & obligatum,vt si vitam etiam & sanguinem pro salute dignitatéq; Maiestatum vestrarum profunderem,vel minimam meritorum partem assecutus tamen esse non viderer. Atq; vt vna istud quoq; Sac. Maiestas vestra secum diligenter expendat: si Serenissimus parens eius rex ipse prudentissimus eo ipso tempore quo nondum erã ita multum ætate prouectus,tantum tamen seruitoris & capellani sui consilijs loci dandum esse putauit: vt fructum ex his me ferre vellet vberrimum: quid sit Sac. Maiestati vestræ ea in ætate faciendum: cuius inscitia senum esse dicitur constituenda prudentia, præcipuè cũ quo plura Serenissimo parenti Sac. Maiestatis vestræ debeo, hoc me maiore studio in eam curam cogitationemq; incũbere oporteat: vt quæ Serenissimus parens profuisse sibi quandoq; consilia mea iudicauit,ex his ad vestram Sac. quoq; Maiestatem regni illius dominiumq; successorem designatum aliqua posit vtilitas peruenire.

Eo certè mex cogitationes referuntur omnes,in eo consumuntur: hæc est ergo consilij mei summa. Etiam atq; etiam diligenter vt consideret Sac. Maiestas vestra, quibus studijs ætatem hanc teneriorem traducendam putet: permagni id interest: vel ad laudem & gloriam Sac. Maiestatis vestræ: vel ad nostrum omnium,qui in fidem illius & potestatem voluntarij nos contulimus salutem atq; incolumitatem: quæ ita est cum Sac. Maiestatis vestræ

Universidad de Deusto
Biblioteca

salute implicita: ruere vt non possimus, vt non illa quoq; quod Deus omen obruat eodem labefactata motu concidat.

Cum itaq; fortunæ nostræ omnes omnium tum salus nostra non aliundè, quam de recta Sac. Maiestatis vestræ institutione educationeq; pendere videatur: de ea re ita censeo.

Cum vtile & iucundum, tum amplum atq; in primis honorificum Sac. Maiestati vestræ futurum: si tenera hac ætate, quæ nondum grauioribus est ferendis laboribus idonea, artibus his pectus infecerit suum: ex quibus quemadmodum sibi primum, tum alijs sit imperandum perdiscere possit.

Neque enim existimare debet Sac. Maiestas vestra, ad regendos & gubernandos homines satis esse Regem nasci: sunt ea præcepta diligenter tenenda: quæ ab his qui non laudem modo verum etiam admirationem prudentiæ sunt consecuti, futuris Regibus aut Imperatoribus conscripta feruntur. Nisi fortè nullum esse artificium, quod opera manus qúe constat tam vtile & sordidum quod non artis alicuius præceptorumq; indigeat rectè putabimus: solam administrandi Regni gubernandorumq; hominum rationem absque, vlla doctrina præceptioneq; teneri & percipi posse arbitramur? Ego verò in ea planè sum opinione & sententia: vt literis eruditioneq; nullis opus esse magis existimem, quam his quorum Deus in regendis mortalibus vicaria quadam opera vtitur. Cæteri enim mortales, si qua in re ab officij religione declinauerũt, si nulla sint ipsi bonarum artiũ cognitione instructi, facilè tamen amicum reperiunt, à quo erroris sui admoneri, cuius cohortatione ad officium reuocari possint. Princeps autem literarum omnino rudis & imperitus si quid peccat pessimo publico peccat: & neque ipse se peccare intelligit, neq; ab alio edocetur. Et quo maiorem de se fœlicitatis opinionem animo combibit, hoc difficiliùs recta cuiusque consilia admonitionesq; admittit. Quicunque verò aut sperat aliquid, aut metuit, is vt maximè velit, liberè tamen quod sentit principi dicere non audet: solæ chartæ libriq; quoniam nec boni quicquam sperant, nec mali metuũt, æquè Principibus atq; his qui nullo loco nullo q; numero sunt id quod rectum est, magna cum libertate dicere nihil dubitant.

In quibus legendis perdiscendisq; si plus esset laboris & molestiæ quam voluptatis iucunditatisqúe, non ea tamen satis iusta causa videri deberet: cur animus cuiusquam ab illis refugere posset. Nihil enim præclarum, quod non idem arduum & difficile. Nunc autem solis in literarum studijs summa cum summa vtilitate coniuncta est delectatio. Quæ quidem alijs ex rebus omnibus fluxa & fragilis atque eiusmodi, vt mœror eam comes è vestigio consequatur: ex hac sola solida & diuturna vel potius sempiterna percipi consueuit. Potest enim quicquam esse dulcius? cum ipsa nobis natura cupiditatem atque ardorem quendam ingenuit incredibilem? à qua sicut ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis, sic nos ad duas res ad intelligendum & agendum nati, & producti esse videamur: priorem vt ætatem intelligendis, posteriorem agendis rebus tribuamus. Itaque videmus eos qui dulcedinis illius suauitatisqúe, quæ in literarum studijs abstrusa est & recondita, gustum aliquem ceperunt, neque valetudinis, neque rei familiaris suæ rationem habere vllam: atque etiam si in commoda eis daturæ sint literæ, maximo tamen in eas studio ac incredibili cupiditate ferri: quod quidem non de priuatis modo & philosophis, verum etiam de summis ducibus & imperatoribus memoriæ proditum esse legimus.

Fuit hæc quondam, fuit magnorum principum laus: vt non alia re quam literis cæteros anteire pulchrum putarent: ijdemqúe apud priscos mortales, reges & sapientes fuerunt. Marcus Brutus vir & in Republica Romana Princeps, & ad omnia summa natus, eo ipso die quo pugna Pharsalica erat futura, in qua de vita sua fortunisqúe omnibus decernendum sibi esse videbat: tanta dicitur legendæ historiæ voluptate captus fuisse, vt impendentis periculi oblitus, in id vsq; punctum temporis absq; vlla intermissione legeret, quo in aciem dimicationemq; descendendum erat.

Caius verò Iulius Cæsar quo tempore hostium vi atque impressione compulsus, in fluctus è naui se proiecerat, vt vitæ salutíque suæ natando consuleret, altera tantum manu cum vndique ab hostibus peteretur natando vsus: altera verò libellos in altum ne madefierent sustuliſſe legitur: neq; minor ei libellorum quam salutis vitæq; conseruandæ cura fuit. Adeo principes viri non minus esse discere quam viuere, aut iucundum aut necessarium putauerunt.

Sed fortasse non perinde studia literarũ eos delectant, qui nõ ita magnos in eis processus esse cernunt. Ita natura comparatum est, vt quo præclarior, quo admirabilior, quo magis res est aliqua expetenda: hoc aditus ad illam atque ingressus sit difficilior: sicut magnarum arborum altitudo nos delectat: stirpes radicesqúe non item, ita in literarum, ita in virtutum studijs progressiones voluptatem mirificam, initia verò primiqúe introitus aliquid laboris & molestiæ afferre consueuerunt, vt non aliud esse debeat exitus amarissimi certius argumentum, quam si cuius rei principia sunt iucunda. Sed certè his qui magno & excelso sunt animo, nulli labores tam ardui videri possunt, quos non fructus gloriæqúe magnitudine facilè putent compensari. Atqui haud scio an vlla ex re quam ex literarum studijs magis solida & expressa possit gloria comparari, cuius cum præ cæteris principem oporteat esse studiosissimum: potéstne res esse vlla, in qua sibi magis elaborandum putet, quàm vt quo vno homines bestijs maximè præstant, hoc hominibus ipse antecellat.

Vidit hoc Macedonum Rex ille Alexander non sine causa Magnus appellatus, vt qui maiorem orbis partem sub imperium ditionemqúe suam subiugarit: qui cum molestè ferret quæ ab Aristotele præceptore didicerat, ea vulgata esse ab eo, & in lucem edita: quanam, in-

quit, tandem re præstare illis poterimus, si quæ abs te sumus edocti, ea vulgò iam nota erunt omnibus? Næ ego multo malim doctrina quam diuitijs atq; opibus cæteros anteire. Putabat Rex prudentissimus in ordinem se coactum esse, si nihil sibi relictum esset quo cæteris mortalibus doctior videri posset. Doctrinæ verò Thesaurum omnibus omnium Regum Gazis, longo interuallo non dubitanter anteponebat. Neq; verò id iniuria cum sola esse doctrina videatur, quæ Deo similem hominem reddat.

Etenim cum optimus ille rerum omnium creator & conditor, suam in creandis nobis effigiem expressisse legitur, non est, quod in corporis lineamentis nobis cum brutis communibus, aut in vultu ad cœlum erecto, cuius & Simiam participem esse videmus, effigiem illam positam esse putemus. Nihil habet Deus qui spiritus est, cum carnea hac & terrena mole commune: sola ratio diuinitatis est particeps. Neque alia est in nobis imago Dei, quam ipsa ratio: quam qui doctrinarum studijs diligentissimè excoluit, is ad Dei similitudinem tam propè accessisse existimandus est: vt qui mortalis quidam in terris Deus appelletur, non indignus esse videatur, cum præsertim Deum ipsum æterna illa in domo nihil aliud facere, quam rerum contemplationi vacare legimus.

Quare cum & vtilitatem Sac. Maiestati vestræ & solidam voluptatem literarum studia sint allatura: laudem verò & gloriam tantam, vix vt ea cœlo capi posse videatur: cum vna sit hæc ad immortalitatem diuinitetemq; comparandam via: nihil operæ, studij & laboris prætermittere illam oportet, quo possit in eis tantum proficere, quantum profecisse futurum sit, vt eam non pœniteat.

Quoniam verò qui alterutra tantum in re elaborauerunt, vt vel literas sine virtute, vel virtutem sine literis consecuti sint, his videntur non dissimiles, qui altero oculo capti, altero tantum prospiciunt: qua ex re & ingens incommodum, & multo turpitudo maior ad eos peruenit. Danda erit nobis opera, ne nos quoq; eodem turpitudinis recidisse videamur. Et aliquid etiam de his quæ ad morum integritatem pertinere, iudicabimus dicendum.

Neque verò ea me de sententia facilè depelli patiar, qua mihi semel est firmiter persuasum: ita esse coniuncta inter se & connexa literarum studia & virtutum, vt altera absque alteris nullo modo consistere queant. Qui enim fieri istud potest? vt aut qui virtus quid sit ignorat, virtute præditus esse possit, cuius specie deceptus, infinitimum illi sæpè numero vitium incurrit: aut qui virtutis vim perspicit, atque eam rem vnam optimam esse intelligat (cum natura bona omnes omnia expetant) non ardentissimo erga id quod optimum esse videt amore feratur, vt simul atque mentis eam oculis cernendi potestas à superis alicui data fuerit: tantum in eo sui ardorem excitet, vt vel inuitum & recusantem in sui amorem rapiat, atque ita inflammet, vt præ vna ea omnia sibi putet esse contemnenda, & pro nihilo ducenda. Certè neque amat temerè quisquam quod non cognoscit: neque potest eius quod bonum esse cognoscit, amore non rapi singulari. Quanquam itaque tam amicè inter se coniunxerunt doctrinarum & virtutum studia, vt disiungi & diuelli abinuicem nulla ratione possint: ne qua tamen in parte officio meo satisfeciſse non videar: pauca quædam rectè viuendi consilia adscribam: plura & copiosiora ex his authoribus Sac. Maiestati vestræ petere licebit, quorum salubribus præceptis mentem suam expoliendam curabit. Ego ea quæ maximè necessaria esse duco, strictim breuiterq; attingam.

Nullam esse statuo pestem adolescentiæ capitaliorẽ quam prauum prauorum commertium: cuius tanta est vis, vt si qui alicui dati sunt à natura virtutum igniculi: hi nullâ re alia citius, quàm mala malorum consuetudine extinguantur. Itaque sæpè factum videmus, vt quorum optimam in partem adolescentia fuit cognita: de quibus ea omnium erat opinio vt facti à natura viderentur ad virtutem: hi simulatque perditis atque profligatis adolescentibus familiariter vti cœperunt, repentè & euestigio tanquam epoto circeo poculo, & priſtinam hominis formam exuerint, & in eorum, quibuscum consuetudo illis fuerat mores abiuerint. Quamobrem quanto ea in re plus est periculi, tanto Sac. Maiestati vestræ maior est cura adhibenda diligenter, vt perspiciat: qui sint hi, qui se in familiaritatem eius velint immergere: vt assentaciunculis gratiam sibi Maiestatis vestræ aucupari studeant, neque dubitent ad voluptatem omnia referentes, vnam illam pestilentissimam vocem auribus eius instillare: Regi quod libet licet: eos cane & angue odisse, eos à conuictu suo familiaritateqúe procul debet repellere, atque hanc sententiam pectori suo inscriptam habeat: sæpius multorum Regum opes, assentationem atque hostem euertisse. Viros autem graues, de quibus habetur præclara virtutis opinio, eos inprimis amplectatur, ab eorum latere si fieri possit, nunquam discedat. Neque ad ludum iocumqúe, sed si quemquam mortalium, se præ omnibus ad res maximè serias graues q; ad intelligendum & agendum natum esse sciat. Neque cuiquam minus quam sibi licere persuasum firmiter habeat. Quiuis enim de fœce vulgi liberiores habet rerum omnium voluntates, quàm Regia Maiestas: quæ tot populis tot gentibus imperatura, non ad aliud se quam ad intelligendum & agendum natam esse semper meminisse debet.

Non eó id scribo quod Regiæ vestræ Maiestati honestis omnibus solatijs interdictum velim. Longè absum ab ea sententia. Licebit Maiestati vestræ dare se interdum iucunditati, licebit ludicris certaminibus, licebit pila, licebit venationibus, equitando, currendo corpus exercere. Etenim remittere animum quandoque non solum opus est, verumetiam necesse: qui si semper grauibus curis distentus sit, conficitur corpus & debilitatur. Neque nisi quod libenter faciat, diu quis facere potest. Sed & honesta velim solatia: & modum eis adhiberi: & eam semper cogitationem animo Sac. Maiestatis vestræ obuersari, bo

Universidad de Deusto
Biblioteca

næ tandem valetudinis causa conseruandæ non esse hæc aliquando obmittenda. Cæterùm aliarum rerum intelligendi agendiq; curam Principi esse debere potissimam.

Illud tamen imprimis Maiestati vestræ obseruandum puto: festis vt diebus à ludicris certaminibus, præcipuè vero à venationibus abstineat. Néue nisi sacris operata fuerit, cibum in illis capiat. Est enim æquissimum, mentem prius quam corpus cibo refici: neq; quicquá est diuinæ rei præuertendum.

Sacra Maiestas vestra vbi maiores in literis habuerit progressiones, ab omnibus his, qui omnium seculorum res gestas literis mandauerunt, ita esse memoriæ proditum comperiet: his demum Regibus & principibus feliciter atque ex animi sententia cecidisse omnia, qui diuini cultus fuerunt studiosissimi: eos contra grandi mactatos infortunio, qui se hac in parte negligentiores præbuissent. Non longe abierit Sac. Maiestas vestra. Serenissimus parens illius quot & quantas victorias, triumphos de multis suis atque his sempiternis hostibus reportauit? Nunquam ferè (faxit Deus vt proprium hoc tum illius tum vestræ quoque Sac. Maiestati sit perpetuum) in dubiam Martis aleam descendit (descendit autem sæpius quam quisquam vel nostra memoria Regum, & Principum Christianorum vel omni memoria nostrorum Regum) quando diuina ope & misericordia adiutus victoria fuerit semper potitus: id alius militum robori, alius imperatoris virtuti tribueret: ego quandoque de horum laude quoq; nihil delibatum cupio, felicitatem tamen hanc Sereniſſimi Regis nostri soli pietati illius ac religioni acceptam ferre nihil dubitauerim.

Possem etiam non neminem commemorare arctissima necessitudine Maiestati vestræ coniunctum, qui cum voluptatibus se totum tradidisset, Dei timorem ex pectore excussisset, studium religionis abiecisset (cuius rei sine lachrymis meminisse non possum, viridi etiam tum ætate recenti omnium memoria & se & regnum suum perdidit. Sed odiosis in exemplis nomen tacuisse satius fuerit. Per Deum immortalem quæso atque obtestor Sac. Maiestatem vestram domesticis vt exemplis hisce incitata impietatem fugere, religionem amare, discat: nos Maiestatem vestram & Regem habemus & dominum: ipsa quoq; alium multo habet maiorem potentioremq; & Regem & Dominum, quem nisi timuerit, nisi coluerit, nisi dicto audiens illi fuerit, nunquam Maiestas vestra tam graues à subditorum suorum quoquam, imminutæ Maiestatis suæ pœnas expetere poterit: quin ille (quod tamen procul omen auertat) multo sit ab eadem grauiores exacturus: quin etiam qualem se erga fidei potestatisq; suæ subiectos Sac. Maiestas vestra gesserit, talem illum Regem erga se vicissim experietur. Qua porrò fide & obseruantia erga illum fuerit, eandem à suis expectabit.

Sed hæc sacris ex concionibus melius discet Maiestas vestra: quas quidem & sæpè & diligenter ab ea audiri velim. Nihil fieri poterit ab ea beatius felicius q; : si & audire Deum & loqui cum Deo statis temporibus nunquam intermittat. Tunc autem audire se Deum putabit, cum præconem eius diuina proferentem præcepta audiet: Deum audit, qui eum audit: Deum contemnit qui eum contemnit. Loqui verò cum Deo tum se Maiestas vestra existimet: cum vel in cubiculo suo, vel in templo puro ex corde preces ad sacram eius Maiestatem fuderit. Quod, quo faciet frequentius, hoc se in maiorem eius gratiam insinuabit, futurumq; est vt Sac. Maiestas vestra, & in hac vita prosperos & fælices rerum omnium successus sit habitura: & cum æternam illam in domum ex hac luce migrauerit (id quod vtinã serò cõtingat) ea pietatis & religionis suæ præmia latura, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

Habet Sac. Regia Maiestas vestra ita vt desiderare à me visa est meas literas, sed longiores fortasse quam volebat. Mihi verò non erat initio propositum tam copiosè scribere: sed amore erga Maiestatem vestram prouectus sum longius: cui si operam hanc meam gratam esse intellexero, equidem non grauabor sæpius eam nauare: atque omnia ad eam identidem consilia mea perscribam, quæ huic eius ætati fore putauero accommodata.

Hoc à Sac. Maiestate vestra maiorem in modum peto, vt me seruitutemq; meam Sereniſsimis parentibus suis diligenter commendet: eosque roget, vt qua me præsentem gratia sunt aliquando & clementia prosequuti: eandem absenti quoque nunc impartire dignentur: si fidem erga se meam & obseruantiam tot iam annorum spatio perspectam habent, & multis in rebus exploratam: si nihil de ea ne nunc quidem propter hanc locorum disiunctionẽ detractum esse intelligunt: si curas meas omnes, oẽs cogitationes meas in eo euigilare vident, vt magis indies atque magis omni meo obsequio eorum mihi voluntatem demereri, eorum gratiam augere possim: faciant hoc pro sua bonitate Principes optimi clementissimiq́ue: vt mei absentis corpore, animo præsentis ad omnia iussa eorum & mandata exequenda promptissimi paratissimiq́ue benignam rationem habere dignentur. Hoc si Maiestas vestra ab illorum sereniſsimis Maiestatibus optatum tulerit, nullum eo maius, nullum gratius, nullum dare mihi munus poterit optatius. Quod reliquum est, Dominum Deum oro & orare nũquam desinam, vt sacram Maiestatem vestram in sua gratia, in quę rerum omnium affluentia & summa felicitate saluam & incolumẽ, quã diutissimè conseruare dignetur. Cui rursus me suppliciter commendo.

Stanis-

Stanislaus Hosius, Sigismundi I. Regis Poloniæ nomine, ad Paulum III. Pont. Max. Epistola II.

De sua in Concilium Oecumenicum propensione, & de illius translatione significat.

QVOD si quis alius, ego certè semper eum diem illucescere magnoperè cupiebam, quò congregato sacrosancto Oecumenico Concilio, qui sunt graues in Ecclesia motus excitati, sedari tandem aliquando, & quæ nunc Petri nauicula magnis tempestatibus & procellis iactari atque agitari videtur, ea ad optatum tranquillitatis portum, perduci posset. Itaque cum primùm esset mihi renunciatum, conuocari per S. Vestram Concilium, vehementer sum animo recreatus. Neque mediocriter posteà perculsus, cùm annos aliquot nihil aliud, quàm prorogationes fieri cognouissem. Posteaquam verò allatum est ad me, iam tandem haberi cœptum esse Concilium, incredibili quadam lætitia afficiebar: nisi quòd ea contaminari visa est quorundam sermonibus, qui dicerent Concilium hoc progressum non esse habiturum. Quamobrem cùm longuis abessem, ab eo loco vbi Concilium fuerat indictum, quàm cæteri Reges & Principes Christiani, qui status illius foret diligenter explorabam, quamq; frequentes ex alijs Regnis & Prouincijs eò conuenirent: cumque conuenisse iam aliorum Regum legatos cognouissem, in meis mittendis postremus esse nolui. Quapropter in Comitijs Regni mei maioribus, de mea & Senatus mei vniuersi, sententia, duos designaui, qui meo Regniq; mei nomine ad Sacrosanctum Concilium hoc proficiscerentur. Ecce autem dum illi itineri se accingunt, renunciatur nobis, non grauissima ex causa Tridento Bononiam esse Concilium translatum. Quod adeò non probari multis accepi, vix quisquam vt eò veniſse dicatur, præter eos, qui ex Italia sunt, Episcopos. Quæ res valdè me anxium reddit & sollicitum, non solùm quòd vix vllus ibi videtur vsus fore legatorum meorum, si cæteri Reges Christiani nullos miserint, verumetiam, quod vehementer metuo, ne quid ex eo deterius consequatur. Quamobrem tenere me non potui, quin S. Vestram supplex orarem atque obsecrarem, velit pro eo, vt facere debet, Ecclesiæ, cuius caput S. Vestram Deus constituit, tranquillitati prospicere, & cum Imperatoria Maiestate, fratre atq; consanguineo nostro charissimo, cumq; alijs Regibus & principibus Christianis, certum aliquem locum constituere, ad quem ij qui vocati fuerint, per S. Vestram commodè venire possint: omnis vt occasio præcidatur ijs, qui rebellioni suæ nescio quid obtendere conantur. Nam hoc rerum statu, quemadmodum aut quò Regni mei legatos mitterem, prorsus animi pendeo: cùm præsertim rumore quodam acceperim, concilium hoc Bononia, Romam etiam translatum iri, quò multò etiam pauciores venturos esse puto. Neque enim ignorat S. Vestra, quid per eos posthac tuletur, quorum causa maximè Concilium hoc edictum esse videtur. Quibus magnam dederit lætitiam S. Vestra, si per illam factum fuerit, quò minus tutò eis ad Concilium, quod refugiunt vehementer, venire liceat. Serpit autem hæc lues latius indies, vt ne meæ quidem terræ ab eius contagione liberæ esse videantur. Adeò verum esse comperio quod est in Prouerbio, Aliquid mali propter vicinum malum. Quapropter iterum atq; iterũ S. Vestram maiorem in modũ peto, det operam, auctoritatemq; suam interponat, vt eiusmodi locus habendo Concilio designetur, ad quem non veniendi, legitima causa videatur esse nulla. Præclarè de Repub. Ecclesiastica merita fuerit: quæ cùm dubijs suis rebus, Vestræ S. opem imploret, spero S. Vestram illi periclitanti, non esse defuturam. Datum Anno 1547.

Stanislaus Hosius Paulo III. Pont. Max. Nicolai Dierzgovvski Archiepiscopi Gnesnensis nomine. Epistola III.

Excusat quòd nemo adhuc ad Concilium ex Prouinciana Metropolitana venerit.

QVOD in huc vsque diem, nemo ex Prouincia me ad sacrosanctum Concilium Oecumenicum venerit, non alia de causa factum est, quàm quòd nullum ea de re à S. Vestra mandatũ acceperam. Posteà quam verò certior sum factus, qui ante me ad Ecclesiæ huius Metropolitanæ gubernacula sedit R. D. Petrum Archiepiscopum Gnesnensem, & Episcopum Cracouiens. literis S. Vestræ, ad Concilium hoc, quod in Christo fuerat Tridenti congregatum, vocatum fuisse, & si equũ esse putabã, vt illo ex hac vita sublato, mihi quoq; successori eius aliqua eius rei significatio daretur, feci nihilominus, vt in Prouincia mea Synodum conuocarem, in qua demittendis ad Concilium hoc Oecumenicum Nuncijs deliberatio susciperetur: ad quam cùm frequentes Episcopi, & ex Cathedralibus Ecclesijs Nuncij veniſsent, designati quidem sunt certi Nuncij, qui ad Concilium istud proficiscerentur: sed quoniam allatum sub id tempus fuerat, sacrum Concilium hoc, Tridento Bononiam esse translatum, quò nemo se Transalpinorum Episcoporum conferre voluerit, ingens fuit dubitatio, num ad id Concilium proficiscendum nobis esset, quo nemo adhuc Transalpinorum veniſse di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

retur. Atq; ita decretum est, in Synodo Prouinciali per me congregata, vt illius nomine, ad S. Vestram literas darem, quibus quòd esset multorum de Concilio iudicium illi significarem, simul etiam supplex illam, vniuersi Cleri Prouinciæ meæ nomine, orarem & obsecrarem, vt cum capitis nostri Domini Iesu Christi in Ecclesia locum gerat, afflictis eius rationibus succurrere, ac quæ nostris ceruicibus grauissima pericula impendere videtur, ea prudentia sua, pro eo vt amantem sui gregis pastorem facere decet, propulsare dignetur. Summa secundum Deum spes nobis fuit rationum Ecclesiæ constituendarum, & tollendorum fidei dissidiorum, in sacro Concilio hoc Oecumenico per S. Vestram edicto: sed cùm ad id è Germania nemo propè venisse diceretur, quæ præcipuè Concilio huic congregando causam dedisse videbatur, dubitare multos etiam in prouincia mea videbamus, num rata essent futura quæ in eo definita essent. Quinetiam sermones quorundam audiebantur, rum non parua est in hoc Regno auctoritas, nequaquam se recepturos, si quæ per nostros è Concilio allata forent, nisi eadem illa à finitimis quoq; nobis populis recepta essent, ac iustam etiam habere causam, ad Concilium non veniendi, Germani dicebantur, quibus cùm liberum Concilium promissum esset, nunc in eis locis haberetur, vbi tutò eis versari, ac liberè quod sentirent dicere non liceret. Quorum causa etsi à nostra seiuncta est (nos enim nusquam tutiores esse possumus, quàm sub vmbra alarum S. Vestræ, quem indubitatum Christi Vicarium profitemur, & eius auctoritatem comiter conseruamus) non visa tamen sunt nobis ea negligenda, quæ vulgò dicerentur. Quamobrem etiam atq; etiam ad beatos pedes S. Vestræ procidens illi supplico, non meo magis, quàm totius cleri prouinciæ huius meæ nomine, rationem vt aliquam iniat, qua possit ei etiam ordini satisfieri, quem vocant secularem. Satisfieri autem alia ratione vix posse videtur, quàm si Concilium in eiusmodi loco habeatur, de quo nemo queri possit, quòd ei tutus ad illum accessus non pateat. Nam si quod instituisse dicitur S. Vestra longius etiam in ipsam Vrbem vsq; ad S. Ioannem Lateranum Concilium transtulerit, maiores etiam clamores, & grauiores futuræ sunt hominum suspiciones. Nos imperata S. Vestræ, pro eo vt fides & officium nostrum postulat, facere parati sumus: sed, qua summa tamen possumus animorum submissione supplices S. Vestram oramus, communicato consilio cum Imperatoria Maiestate cæterisq; Regibus, auctoritatem suam interponere dignetur, tollantur vt tandem aliquando ista fidei & religionis dissidia, à quibus nostra quoq; iam prouincia non esse prorsus immunis videtur. Ita autem ea tolli petimus, vt non in sola Italia, aut ei finitima vna siue altera Prouincia, sed in vniuerso Orbe Christiano, maximè verò in vicina nobis Germania recipiantur ea omnia, quæ in Sacrosancto Concilio isto fuerint decreta, neq; locus tergiuersandi, & auctoritatem Ecclesiæ defugiendi cuiquam detur, atq; omnes causæ præcidantur, quibus adducti, iure se fecisse contendere possent, qui ab Ecclesia discesserunt, quòd ad Sacrum Concilium hoc non accesserint. Non est fortasse tenuitatis nostræ S. Vestram hisce de rebus admonere, quæ non eget consilio quo valet plurimùm: sed difficilè est tacere, cùm præsens periculum videas: neq; nouum est & insolitum, summos gubernatores in magnis tempestatibus à vectoribus admoneri. Quamobrem dabit veniam S. Vestra curæ nostræ & sollicitudini, quæ cùm vehementer angat animos nostros, has à nobis voces extorsit, atq; in eam nos mentem impulit, vt obliti conditionis nostræ, Christi in terris Vicarium de ijs quæ vehementer nos vrgent hortari liberius, orare, & obsecrare auderemus. Quòd si scire posset S. Vestra, qui sit nunc rerum nostrarum status, quantum nobis propter vicinum malum metuendum sit, facilè ignosceret curæ huic nostræ & anxiæ sollicitudini. Quod eam pro sua paterna clementia facturam, ac diuina sua prudentia Christo gratiam suam impartiente, eo metu & periculo in quo versari nunc videmur, nos esse liberaturam confidimus. Datum Louicij. Anno 1547.

Stanislaus Hosius, Samueli Macieiovvski, nomine Capituli Cracouiensis. Epistola IIII.

Significat illi Capitulum, quòd eum in Episcopum Cracouien. elegerit.

CVM pastore suo Ecclesia nostra orbata esset, mortuo ante duos menses Reuerendissimo Domino Petro Archiepiscopo Gnesnensi & Episcopo Ecclesiæ huius Cracouiensis, conuenimus de more omnes, ac inuocato S. Spiritus auxilio, de eligendo in demortui locum pastore & Episcopo nostro deliberationem suscepimus. Ecce autem vnus tu, vna omniũ voce dignus es pronunciatus, cui tantum hoc munus mãdaretur, quòd in vno te ea videre licuit omnia, quæ Paulus Apostolus in Episcopo inesse vult. Ijs te moribus, ea esse vitæ integritate perspeximus, vt non crimine modò quouis, verumetiam suspicione criminis semper vacaueris. Nullam in te incontinentiæ speciem agnouimus, cùm pudicitia tua singularis, tam corruptis moribus his, admirationi nobis semper fuerit singulari. Iam sobrietatem & vigilantiam tantam cernimus, vt te nobis à Deo speculatore dato tutos nos à quorumuis insidijs fore confidamus. Ab omni verò leuitate, ab omni morum ineptia, adeò te alienum esse videmus, vt vix quisquam eiusdem ordinis tecum grauitate conferri, anteponi certè tibi possit nemo. Est autem grauitas hæc tua tanta comitate temperata, vt qui te familiarius nouerunt, statuere non possint, plusne in te comitatis an grauitatis insit. Porrò quod proprium esse munus Episcopi Paulus vult, vt libenter, vt placidè, vt amanter, vt citrà fastum aliquem & super alium doceat, eo tu primus nostra memoria summa cum

cum laude tua fungi cœpisti. Quodque vitium comitari nonnunquam eos consueuit, qui docent alios præfracti vt sint, & quod ipsi sentiunt mordicus tueãtur, ab eo tu tantum semper abfuisti, vt lenitate vincere, quàm clamoribus malueris: & quæ summa est moderationis laus, salua fide, edendum potius alieno intellectui duxeris, quàm contentioni seruiendum. Ab omni verò sæuitia quis vno te remotior, quem eo esse ingenio animaduertimus: vt mederi semper studueris, non opprimere: docere, non cogere: ducere nõ trahere, persuadere, non extorquere, beneficijs ac lenitate, non imperio vincere. Itaq; non modò te nemo vidit sæuientem in quenquam, aut pro imperio aliquid facientem, sed ne iratum quidem aliquando cognouit: vt parem tibi lenitate & mansuetudine sæcula hæc nostra tulisse non videantur. Nulla in te linguæ procacitas, cuius verba in pectore, non in ore nasci videntur. Nulla turpis lucri cupiditas, cùm vnum id curæ tibi sit, vt quàm plurimos Christo lucrifacias, vt fidem rectam, vt charitatem non fictam omnibus persuadeas, ac dissidentium animos in gratiam & concordiam reducas. Huius vnius rei, auarum te esse cõfitemur. Nam pecuniæ vsque eo nulla est in te cupiditas, vt non modò alienam non appetas, verùm & tuam in egentium vsus liberaliter effundas, neq; hospitalitatis laude cuiquam concedas, omnesq; eas virtutes, quibus Episcopum præditum Paulus esse vult, ita complexus videris, nulla vt sit quæ in te requiri possit. Te bonorum amantem, te iustum, te pium, te nullis animi perturbationibus obnoxium, te sermone Euangelico ita instructum videmus, vt secundum Diuum illum Stanislaum, cuius tu successor à nobis designatus es, nemo fuerit qui plus habuerit facultatis, vel ad docendos imperitos, vel ad exhortandos sana doctrina cessantes, vel ad arguendos contradicentes. Talem ergò cùm te cognoscant omnes, cum nihil eorum in te desiderent, quæ in Episcopo eligendo spectari Paulus iubet, mirum videri debet nemini, quòd vno ore, vno animo, omnes te pastorem & Episcopum nostrum renunciauimus. Quam tu prouinciam tanto omnium consensu, tam vnanimi voluntate tibi per nos impositam, caue detrectes. Quid enim id aliud fuerit, quàm Spiritui sancto repugnare, cuius instinctu factum esse, vt te Episcopum nostrum eligeremus, dubitare non debes. Nam si vbi charitas est, ibi Deus est, si pacis, si vnitatis, si concordiæ non alius Deus est, quam Sanctus ille Spiritus, qui pacem inter omnes & charitatem conciliat, qui in vnum multos congregat, vt idipsum sapiant, cùm diuersis quidem linguis, sed vno tamen animo, vna voce, vnum te Episcopum nostrum elegerimus, certum est & indubitatum, quòd à Domino factum est istud, quod à Spiritu sancto profectum est. Quò minus id tu munus detrectare debes, ne Spiritui sancto resistere velle videaris. Aderit ille tibi munus hoc administranti qui nobis eam mentem, vt te eligeremus, inspirauit.

Stanislai Hosij gratulatio, nomine Capituli Cracouiens. scripta, in aduentu Samuelis Episcopi Cracouiam. Epistola V.

QValem nobis pastorem & Episcopum dari summo semper studio, à Deo Opt. Max. precati sumus, talem te nobis singulari Dei beneficio concessum gaudemus omnes immortaliter: Deo gratias agimus: neque tibi magis quàm nobis ipsis & Ecclesiæ tuæ vniuersæ gratulamur. Quid enim ad te redit ex hoc munere, præter curas, sollicitudines, labores, & molestias? quas tu quantò maiores gregis huius tui causa susceperis, tantò illi animo esse tranquilliore licebit, dum tua fide, virtute, vigilãtia, facilè nos quorumuis insidias vitare posse, Deo misericordiam suam impartiente, speramus. Nobis ergò magis, quòd pastor & Episcopus noster renunciatus es, quam tibi gratulamur, quòd eo te esse animo cognouimus, vt prodesse quàm præesse malis. Ad hoc autem vt prodesse queas, ea in te Dei munera conspicimus, vt si quis alius nostro hoc æuo, tu plurimùm Ecclesiæ huic tuæ vtilitatis adferre posse videaris. Nolo externa illa commemorare, vel generis tui nobilitatem, vel oris dignitatem, vel amicorum robur. Quæ cùm humana sint præsidia, ita vt res omnes hominum, parum habere firmitatis re ipsa compertum est. Sunt alia firmiora, quibus ita te instructum esse videmus, vt non possimus non optima esse spe, te nobis diuinitus gubernatore dato, facilè quorumuis in Ecclesiã hãc tuam impressiones, propulsari posse. Habes enim arma quibus te facilè tegas, ne qua pateas hostium telis: quin & illud armorum genus tibi non deest, quo ferias impetentes. Memor Euangelici præcepti, lumbos animi tui castitatis baltheo præcinxisti. Cùm enim non ignores, quòd qui in carne sunt, Deo placere non possunt, ita semper vixisti, vt carnis desideria ne perficeres, sed eam in seruitutem redactam, animi imperio subesse velles. Quæ quidem omnia non fictè à te, neque simulatè fieri videmus, sed succinctus es lumbos tuos in veritate, vt nemo esse queat, ab omni hypocrisi remotior. Simul etiam iustitiæ thoracem indutus es, quæ mentis tuæ præcordia virtutum omnium squamis munit. Sed & pedes animi tui, quæ affectiones sunt, ocreis texisti: dum neque appetis quicquam, præter id quod honestum est, neq; refugis aliud quàm turpitudinem, cuius odio, illius verò amore inflammatus, ad tuendum pacis Euangelium promptus es & paratus: nullo quidem cum tumultu, sed summa potius animi tranquillitate, dum paterna lenitate mederi studes omnibus. Talem enim esse cõuenit Doctorem Euãgelicum, qui studia sua, ad pacem, quietem, & tranquillitatẽ referat omnia, quòd ea nobis testamẽto, à Seruatore nostro Iesu Christo legata est. Neq; extat nota alia qua rectius filij Dei, à filijs Belial dignosci queant, quàm quòd illi pacis, hi verò dissidij sunt auctores: illi congregant, hi dispergunt: illi amore & beneuolentia, hi odio & maleuolentia certant cum omnibus. Huius itaque pacis & tranquillitatis cùm tu sis adeò studiosus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt cogitationes, consilia, dicta, factaq; tua omnia, ad vnum hunc scopum, dirigas, quis est qui non principem tibi locum inter Dei filios, meritò tribuat ? Sed quæ sunt adhuc arma per me commemorata, ijs nondum satis esse munitus videris. Nam cõtinentia libidinum, innocentia, affectionum animi omnium moderatione tectum esse, non modò nõ sufficit, sed neq; proficit quidem quicquam, nisi adsit scutum fidei, quo liceat nequissimi spiritus illius, qui cum perpetua nobis conflictatio est, iacula ignita omnia extinguere. Hoc scutum vbi non adest, frustrà sunt arma reliqua omnia: vmbræ illæ sunt, & inania virtutum nomina, non ipsæ virtutes, si sint à fide segregatæ. Quin etiam, si quod non est ex fide, peccatum est, peccatorum potius quàm rectè factorum nomen merentur. Quicquid enim aliò quàm ad Christum refertur, quamlibet in speciem sanctum esse videatur, nihil tamen nisi peccatum est. Hoc tu fidei scuto, præclarè corpus tuum omne, vel mentem potiùs tuam texisti: qui Diuinis promissis vsq; eo nõ diffidis, vt nulli possint in te tanti terrores ingruere, quos fidei scuto non facilè propellas, paratus etiam, boni illius pastoris exemplo, si res ita postulet, animam tuam ponere pro ouibus tuis: dum certus es, repositam esse tibi coronam iustitiæ, quam reddet tibi Dominus in illo die iustus iudex. Qua tu galea, quæ quidem spes est, æternæ salutis, ita caput tuum munuisti, vt nullos fortunæ ictus pertimescas. His ergò armis tectus cùm sis, vt non facilè telis hostium offendi possis, habes insuper gladium quo ferias impetentes. Quoniam verò non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, qui gladius dexteram tuam obarmat, gladius est Spiritus : viuus est sermo Dei & efficax & penetrantior quouis ancipiti gladio, qui non membra modò corporis, verumetiam intimos incidat affectus animi, adeò vt dissecet animam à spiritu, dissecet compages omnes ac medullas mentis diseretor cogitationum arcanarum & consiliorum cordis nostri. Hunc te gladium è superiore sæpè loco fortiter vibrantem videmus. Quò maiorem spem concipimus, Deo gratiam suam & misericordiam impartiente, te ijs armis instructum, & cœlesti panoplia indutum, quæ vel ab externis, vel à domesticis hostibus nobis impendent pericula, facilè à ceruicibus nostris propulsaturum. Tu sana doctrina docebis imperitos, cessantes exhortaberis, contradicentes argues. Tu primùm eradicare vitia nostra conaberis, quæ prauitati dogmatum occasionem dederunt: dum persuasum habent vulgò, falsam esse doctrinam nostram, cum qua ex professo, pugnat omnis vita nostra. Quam ad rem tantò plus animi adferes, quantò magis ipse tectus es innocentia. Vbi flagitia nostra fuerint extirpata, tum nullo negotio prauitates istæ opinionum, ex animis hominum eijcientur, & propitio nobis Deo facto, redibit Ecclesiæ sua tranquillitas: ad cuius portum, vt te, nauim hanc gubernante, peruenire queamus, Deum Optimum Maximum supplices precari nunquam intermittemus: qui te multos annos sospitet, gratiamq; suam & misericordiam tibi largiatur, vt quam de te spem & expectationem concepimus, eam sustinere, & Ecclesiam hanc tuam, quàm longissimo tempore gubernare queas.

Stanislai Hosij responsum ad gratulationem à Capitulo factam, nomine Episcopi Cracouien. scriptum. Epistola VI.

QVòd ingressum incolumem ad Ecclesiam hanc nostram tanto studio mihi gratulamini, non potest mihi non esse gratissimum. Nam certò persuasum habeo, vestrum hoc officium non aliundè quàm ex abundantia quadam amoris in me vestri proficisci. Quæ verò tam amanter tamq; prolixè mihi tribuitis, beneuolentiæ magis in me vestræ, q̃ iudicij sunt testimonia. Quamobrem ipse mihi melius notus, ea nequaquam agnosco. Quòd si quæ sunt in nobis, & minora prædicatione vestra, & solius Dei dona sunt, illi laus & gloria, nobis verò, quatenus ex nobis, quid aliud quàm confusio faciei? In illo spem vestram & fiduciam omnem, charissimi, collocate. Maledictus enim homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Benedictus autem vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Dedit nobis Dominus promptam voluntatem, dedit ardens desiderium omnia faciendi, quo munere hoc, ad quod nos indignos, vocare dignatus est, rectè fungi possimus. Verùm nisi qui dedit velle, dederit idem perficiendi facultatem, irritus erit conatus noster omnis. Hunc igitur fratres charissimi, supplices deprecemur, à quo tanq; à fonte quodam perenni manat quicquid est rerum bonarum, vt in his tam dubijs & periculosis temporibus, afflictam Ecclesiã suam, oculis misericordiæ suæ respiciat, & quos cœtui huic suo, precioso sanguine suo redempto, præesse voluit, gratiam suam nobis impartiat, quò nõ magis præesse, quàm, quod maximè cupimus, prodesse vobis queamus: quò nobis plantantibus & rigantibus, illo autem incrementum dante, desiderata diu pax & tranquillitas Ecclesiæ Dei restituatur, & in eum tandem locum res perducatur, vt vel in hoc saltem pusillo grege Christi, fidei nostræ concredito, idipsum dicamus, idipsum sentiamus, idem sapiamus omnes, in eadem fidei regula permanentes, atq; vnanimes vno ore glorificemus Deũ & patrem Domini nostri Iesu Christi. Quam ad rem, sicut antea dixi, promptam nos quidẽ voluntatem adferimus, verùm sicut hæc ipsa à Deo est, ita quæ tam ardẽter volumus, ea perficiendi potestas à Deo solo speranda, à Deo solo supplici prece est impetranda. Quòd verò iura quoque & priuilegia huius Ecclesiæ tãto mihi studio commendatis, ea mihi tam curæ futura sunt, quàm cui maximè. Neq; in tuendis & conseruandis illis, quoad facultas mea tulerit, fidem in me & diligentiam à quoquam requiri patiar. Hoc certò vobis de me polliceri potestis.

Stanis-

Stanislaus Hosius, Sigismundo II. Regi Poloniæ, Samuelis Episcopi Cracouiensis nomine. Epistola VII.

Condolet de morte Diui parentis Sigismundi I. & de Comitijs Regni consultat.

REdditæ mihi sunt S. Maiestatis vestræ literæ, quibus & quantum dolorem acceperit ex paternæ Maiestatis obitu, significat: & consilium simul dari sibi mandat, qui dies iustis funebribus persoluendis, & moribus Regni Comitijs habendis præfiniendus sit. Non dubito quin S. Maiest. vestra, ex Diui parentis sui morte luctum ingentem hauserit, sed nobiscum illi luctus hic communis fuit. Nam & nos itidem vt vestra Maiestas, parente nos nostro, non domino, orbatos interpretamur, quando eo destituti sumus, qui nos paterna quadam cura prosequebatur: neque secus nobiscum quàm cum liberis parens viuebat. Dolemus itaque, & ipsi, dolemus vehementer omnes, tam sancti Regis, tam benefici parentis nostri mortem, sed meliora tamen ominamur, quàm quæ scribit S. Maiest. vestra, cum paternæ Maiestatis vita, inducias cum omnibus hostibus, pacta simul expirasse, pacemq́ omnem sublatam esse. Reliquit enim ille discessurus ad patrem cœlestem, pacem cum vtroque Cæsare, simul & cum alijs qui hostes aliquando fuerunt, ijs fortassis exceptis, qui rapto viuere sunt assueti. De vestra verò Maiestate nobis pollicemur, quòd quibus artibus Diuus parens effecit, vt Regnum hoc tam florens, tanto in ocio tranquillitateq́ue Sac. Maiestat. vestræ relinqueret, eas & ipsa colet, ac vias easdem omnes persequetur, Christo gratiam suam & misericordiam impartiente, quibus æquè florens Regnum in pari tranquillitate non ipsa modò retinere, verum etiam ad liberos nepotesq́ue suos, Deo benẽ iuuante, transmittere possit. Quam ad rem non consilia modò mea, pro eo vt fides & officium meum postulat, lubens cum alijs conferam, verumetiam quamlibet indignus Dei minister, illius, cuius fungor ministerio, supplex, vnà cum sacerdotum meorum cœtu omni auxilium implorabo, vt sicut paternæ Maiestati, omnem in sola sua misericordia fiduciam collocanti, præsto semper adfuit, ita vestram quoque S. Maiestatem ne deserat, sed spiritum illi suum largiatur, qui suggerat omnia, quæ ad Regnum saluum & incolume conseruandum, pertinebunt. Benignus est ille Dominus & misericors patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia: modò nos ad eum conuertamur, proculdubiò & ipse conuertetur ad nos, ignoscet nobis, & exaudiet preces nostras. In hoc itaq; spem nostram omnem collocandam, huius fidem implorandam esse censeo. Qui si pro nobis fuerit, cuiuscunq; tandem manus pugnare voluerit contra nos, nihil est quod metuamus. Quis enim est qui potestati eius resistere possit ? Cæterùm quod scribit M. vestra, quo tempore iusta fecerit, eodem habere se Comitia velle, fieri potest, vt nonnullis parum placeat, mihi quidem certè vehementer probatur. Cùm enim ad iusta peragenda Senatores Regni vocare sit necesse, aut parum ad ea frequentes venturi essent, aut certè si aliquo temporis interuallo interiecto, Comitia edicerentur, iterum, ad ea proficiscendo, sumptum facere grauarentur: multò vt sit satius, vno eodemq; sumptu obire vtrunq;. Mouebit fortasse nonnullos & locus & tempus insolitum, ac Statutis derogatum esse quiritabuntur. Sed in Statutis diserte scriptum est, non alibi nisi Petricouiæ Comitia habenda esse, nisi fuerit caussa legitima, quamobrem ibi haberi non possint. Potest autem esse caussa magis legitima, quàm sit hæc exequiarum Diui parentis ? Quod verò tempus attinet, fateor parum opportunum fore tempus in messe. Verùm quid fieret, si generalem expeditionem facere oporteret, quo alio, quàm messis tempore fieri ea plerunq; consueuit ? Atqui ad illam non vnus aut alter nuncius, vt ad Comitia, verùm viritim propè proficisci cunctos necesse foret. Quare caussam non video, quamobrem Cracouiam etiam tempore messis venire recusent, cùm accelerari Comitia necessitas postulet. Quis enim sponsor erit, ætatem hanc sine periculo transactam iri ? Satius itaque fuerit, tempori venientibus malis occurrere, deq; ratione propulsandi ea à ceruicibus nostris, deliberationem susceipere, quandoquidem omnis hoc tempore mora periculosa est: cùm non sit nouum, Domino mutato pleraq; præter spem accidere, multasq; difficultates consequi solere. Quapropter in ea sum prorsus sententia, contiungenda esse cum iustis comitia, diemq; illis præfiniendum esse, quem visum fuerit S. Maiestatis vestræ, post interuallum duorum Mensium. Nam quantò fuerit mora longior interposita, tanto necesse erit sumptus facere maiores: quandoquidem quoad sepultum funus non fuerit, eosdem omnes alere quos alebat Diuus parens, & præterea stipendium illis numerare oportebit. Quas ad res, vt ex D. VVoynicen. accepi, ingens impenditur pecunia, quam in alios magis necessarios vsus, nimirum in arcendos à finibus hostes expendi præstaret: cùm præsertim S. Maiest. vestræ fiscus, vehementer exhaustus esse dicatur. Mora autem duorum mensium, aut vnius etiam vel alterius Hebdomadæ præterea, longa non erit. Ego verò curabo, vt literæ paratæ sint antequàm huc veniat Sac. Maiestas vestra. Interea verò scribo Instructionem ad Comitia, scribo & literas ad Maiores Consiliarios, Vtrumque Sac. Maiest. vestræ, cùm ad nos, Deo benè iuuante, sospes aduenerit, exhibebo: vt, quicquid erit visum S. M. vestræ, addat, minuat, corrigat arbitratu suo. Mea quidem hęc est ratio, non aliter scribenda esse hæc, quàm scribebantur nomine Diui parentis S. Maiestatis Vestræ, nullus vt scrupulus moueatur de illius auctoritate, quæ non minor esse debet,

meo

meo quidem iudicio, quàm fuit Diui parentis. Constat enim esse S. Maiestatem vestram Regem coronatum : debitæ fidei, subiectionis, & obedientiæ iusiurandum ei præstitum esse, iam inde à decem & octo annis, & amplius. Antè annos verò vndecim vestram quoq; M. S. vicissim iusiurandum suum dedisse, neque ad aliud iam obligari, quàm vt quemadmodum se facturam esse literis suis obstrinxit, iura & publica & priuata quorumcunque confirmet. Quod cùm procul omni dubio factura sit, ita vt ego facturam illam sub finem Instructionis & literarum perscripsi, causa iam nulla est, cur tergiuersari quisquam velit, & S. Maiestati vestræ dicto audiens esse recusset. Mitto autem illi formam Iurisiurandi quod accepit, quodq; ipsa postea præstitit, simul & literarum quas dedit de Iuribus & Priuilegijs confirmandis, vt ea in promptu habeat, vtq; inde quid actum sit, superioribus annis colligat, quidq; faciendum adhuc restet scire queat. Datum Cracouiæ 7. Maij. Anno 1548.

Oratio Samuelis Maciciovvski, Episcopi Cracouiensis, in aduentu Sigismundi II. Poloniæ Regis Cracouiam. Per Stanislaum Hosium conscripta. Epistola VIII.

QVI fuerit luctus noster ex acerbo interitu sancti Regis nostri, qui proximis superioribus diebus è sui corporis diuersorio, æternam illam in domum cmõigrauit, vel ex tuo ipsius luctu & mœrore, quem te, Rex inclyte, eandem ob caussam grauissimum hausisse scimus, coniecturam facere potes. Caue enim existimes te solum esse, qui optimo beneficentissimoq; parente tuo sis orbatus. Orbatæ sunt præclarè de se merito patre suo, gentes omnes, illius tum, tuæ nunc Maiestati subiectæ : quibus ille, non vt præesset magis quàm prodesset, non ab aliquo terrarum loco missus, verùm de cœlo lapsus videbatur. Orbata est patre suo patria : in qua vt ille primus lucem hanc aspexit, ita virtutum suarum rerumque gestarum fama, primus ei lucem tantam attulit, nunquam vt illius nomen per vniuersum terrarum orbem clarius fuerit atque illustrius. Orbati sunt patre suo, omnes Regni Ordines, quibus cum haud secus ille, quàm cum liberis suis pater viuebat, neq; minore cura & sollicitudine, ocio eorum & tranquillitati, commoditatiq́ prospiciebat. Orbatus est præcipuè patre suo, noster hic Sacerdotum ordo, in quem quàm suauiter effusus, quantis eum beneficijs complexus fuerit sanctus ille Rex, cùm tibi quem non Regni magis, quàm morum virtutumq; paternarum successorem esse confidimus, tum cæteris omnibus testatius est, quàm vt pluribus à me commemorari sit necesse. Iure itaque meritò summus ex eius morte mœror ad nos veniebat, cuius plusquam paternam in nos benignitatem & clementiam experti sæpè sumus : quem nos tamen, non priuatas magis ob res nostras summa obseruantia coluimus, & ereptum nobis tantoperè doluimus, quàm quòd ea in illo Dei munera, non sine stupore quodam, conspicere licuit, nullum vt illi parem nostra hæc sæcula tulisse videantur. Quis enim est non modò Regum aut principum, verumetiam priuatorum hominum, qui prudentia, qui grauitate, qui constantia, qui splendore, qui liberalitate, qui clementia, qui iustitia, qui animi magnitudine, qui pietate, religione, sanctimonia cum illo comparari possit ? His illius virtutibus effectum est, quòd summam in toto terrarum orbe, non sibi magis, quàm vniuerso nomini Polono gloriam comparauit: quòd apud Reges omnes & principes, non modò Christianos, verùm & barbaros, auctoritatem tantam consecutus est, quantam post hominum memoriam Regum Poloniæ habuit nemo, vt vel vmbra illius ad protegendos nos sufficere videretur : quòd admirabili quadam felicitate in bellis gerendis vsus est. Quæ cùm non nisi inuitus vnquam & graui necessitate compulsus suscepserit, non ferè nisi optatos eorum exitus est adeptus. Testantur hoc tot triumphi quos ex Moschis, quos ex Tartaris, quos ex VValachis, quos ex deuictis alijs etiam quibuscunque, qui eum bello lacessere ausi fuissent, & crebros & insignes, ac sempiterna memoria dignos reportauit. Quos nihil est quod virtuti nostræ, quod militum robori, quod rei militaris scientiæ adscribamus : quibus rebus hostes nostros nonnunquam superiores fuisse recordamur. Sed pietate in Deum, sed religione, sed plenain CHRISTVM fiducia, fuit sanctus ille Rex noster cunctis superior. Solius ergò Christi beneficio, non humano alicuo præsidio, quo fæpè destitutus esse videbatur, tot res tam præclaras gessit, tot difficultates superauit, tot de suis hostibus memorabiles victorias reportauit. Quarum in hoc etiam templo præclara videre licet monumenta. Neq; enim præliũ ille memorabile confecit vnquam, quin superatis hostibus, opima spolia Deo dicauerat, ad quem laudem & gloriam rei bene gestæ transtulit: vsq; eo nihil sibi sed Diuinæ maiestati tribuebat omnia, cuius quò maiora beneficia agnoscebat, hoc in ministros eius plura dabat egregiæ suæ voluntatis præclara documẽta. Sciebat ille, cùm esset iudicio singulari præditus, nos quoque sacerdotes eadem quia cæteros infirmitate præditos esse, cùm eadem ex carne compacti, eodem in mundo cõmorãtes, ijsdem Sathanæ simus insidijs opportuni: sed propter vitia personarũ cõmittendum non esse putabat, vt suum sacro Ordini honorem non tribueret. Itaq; non q̃ essemus nos) homines enim sumus, & hoc ipso nomine peccatores (verùm cuius ministerio fungemur, attendendum existimabat. Et sicut quem diligit aliquis, eius etiam catello benignè facit, sic ille cùm summo in Deum amore ferretur, nos catellos potiùs quàm idoneos Dei ministros, hoc solo quòd ministri Dei vocaremur, paterna sua beneuolentia prosequebatur

tur : iura nostra, priuilegia, immunitates, tanquam non nobis, verùm ipsi Deo concessas, mordicus tuebatur. Neq; enim ignorabat, ministris suis Deum dixisse. Qui vos recipit, me recipit: qui vos spernit, me spernit. Et ad Samuelem. Non te spreuerũt, sed me, ne regnem super eos. Itaq; illatam eis iniuriam, Deo ipsi illatam esse interpretabatur. Tali ergò patre, tam benefico patrono, iuriúmq; nostrorũ & immunitatũ propugnatore cùm orbati, cùm eius iam præsidio destituti simus, facilè quiuis opinari potest, qui luctus noster eo mortuo, qui mœror, qui squallor fuerit. Sed huius nostri tanti doloris, non alia nobis leuatio maior contingere potuit, quàm quòd te ad nos incolumem venisse videmus, quem, vt initiò dixi, non Regni magis ditionúmq; paternarum, quàm probitatis illius morúmq; sanctissimorũ successorem & esse, & fore persuasum habemus. Quamobrem aduentum ad nos incolumem, ego tibi & meo & sacerdotum meorum nomine gratulor: atq; vt ingressus hic in regnum tuum, & Ecclesiam hanc nostram, felix, faustus, & fortunatus tibi sit, Deum precor: simul tanquam pastor & Episcopus huius loci, te hortor & moneo, supplex etiam oro & obtestor, vt non ipse modo à luctu tibi temperes, in quem grauissimum incidisti, verùm & nos mœrore nostro leues, cuius æqua nobis tecum pars est. Tu enim solus es qui mitigare dolorem nostrum possis, mortalium præterea nemo. Nam quod defuncti Sancti patris nõ tui magis quàm nostri vicem doleamus, nihil est: quem certò & indubitato credimus beatam nunc in cœlo vitam agere. Nostrum est hoc malum nostrum incommodum, nostrum detrimentum, quod his temporibus difficillimis ereptus ille nobis est, in quo solo, secundum Deum, salutis nostræ & fortunarum præsidium omne nobis fuit constitutum. Quare nostram non illius vicem angimur. Hunc tu animi nostri cruciatum, solus es qui mitigare, solus es qui lachrymas ab oculis nostris abstergere possis. Idq; non aliare, quàm si, quod facturum te speramus omnes, optamus quidem certè, sancti patris nostri vestigia fueris persecutus: vt illum ex nostro cœtu sublatum scire magis quàm sentire queamus. Quamobrẽ, Serenissime Rex, quando soli tibi potestatem hanc Deus concessit, non à tuis modò, verùm & à nostris oculis fletum abstergito, talémq; te præsta, qualis fuit sanctus ille Pater tuus: tuus natura, noster beneficijs. Ac alij quidem ad alias te virtutes æmulandas oratione sua inflammabunt, ego & loci huius, & personæ quam sustineo memor, non aliud te hortabor & orabo, quàm, vt, quod te facere, & deinceps etiam semper facturum non dubitamus, æquè pũrè vt ille, pariq; cum laude constantiæ, religionem colas. Quod cùm feceris, cùm debitũ honorem Deo tribueris, fieri non potest, quamlibet indigni simus, quoniam tamen Dei ministri sumus, quin propter illum, pro quo legatione fungimur, ob hoc ipsum legationis munus, gratia nos tua benignitatéq; Regia prosequaris: ac sancti parentis maiorúmq; tuorũ exẽplo, nos cũ iuribus, priuilegijs, & immunitatibus nostris tuendos & defendẽdos suscipias. Sic tibi Christus, cui nos indigni ministri sumus, velit esse propitius, ac nõ facta modò, verùm & cogitata tua secundet omnia. Sic te viua illius membra, quorum reliquias debita veneratione prosecutus es, suis apud illum precibus adiuuent : quas & nos pro tua salute & dignitate, próq; felici Regni tui statu supplices fundere, nullo vnquam tempore intermittemus: quò te Deus paternis vestigijs incedentem, eadem qua ille apud omnes, etiã exteros, auctoritate, eademqúe felicitate Regnum hoc gubernantem, ad eosdem etiam annos, in summa tranquillitate faciat peruenire.

Responsum datum Episcopo Serenissimi Regis nomine. Epistola IX.

NON est dubium S. Maiestati Regiæ, quin R. D. Vestra, vnà cum hac sacerdotum suorum corona, atque adeò cum vniuerso Dei ministrorũ cœtu, quotquot sunt in illius Diœcesi, & luctum ingentem hauserit, ex morte sancti Regis illius, quem iure meritò R. D. vestra, non huius modò S. Maiestatis, verùm & patriæ vniuersæ, omniumq; Regni ordinum, huius præsertim Ecclesiastici, parentem benè meritum appellat, & consolationem non mediocrem acceperit, doloriscq; sui leuationem ex aduentu incolumi S. Maiestatis huius, quam non Regni modò, verumetiam virtutum paternarum successorem esse & fore persuasum habet. Pergratum, id est, Maiestati eius, quòd apud R. D. vestram & hanc sacerdotum Christi coronam, ita gratam memoriam, & tam ardens esse desiderium videt sancti parentis sui. Sentit & ipsa doloris sui leuationem quandam, cùm eum sibi cum ita multis communem esse videt. Sed & illud non minus gratum, quòd hanc de S. Maiestate eius R. D. vestra, vnà cum fratribus suis opinionem conceperit, fore, vt illa vestigia paterna persequatur, atq; ita sancti sui parentis mortui desiderium leniat, quodq; currentem licet Maiestatem eius, oratione tamen sua magis incitet ad virtutum paternarum æmulationem, maximè verò ad religionem Christi, exemplo eius, purè colendam, & ministros eius, atq; eorum iura, priuilegia, & immunitates tuendas & conseruandas. Videt Maiestas eius illi se Regi successisse, qui fuit absolutum quoddam virtutum omniũ exemplar, quò maiore negotio se facere posse perspicit, vt quas eius virtutes sequi sedulò instituit, eas assequi possit: sed conatum tamen ea in re suum pollicetur. Ac quod promptam attinet voluntatẽ, nõ fallet opinionem de se conceptam. Religionem quidẽ certè, nõ minus purè colet, q̃ sanctus ille parens coluit, neq; minore studio Dei ministros & eorum iura tuẽda & defendenda curabit, atq; omnibus modis cõtendet & elaborabit, vt cùm cæteri oẽs tũ R. D. vestra cũ Clero vniuerso Regni huius, orbatos se esse parente suo beneficentissimo, quẽadmodũ ipsa dixit, sciere magis q̃ sentire queat. Quoniam verò non est currentis, neq; volentis, sed miserentis

Dei,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei, à quo solo tanquam à fonte perenni, quicquid est rerum bonarum proficiscitur, à R. D. Vestra postulat Maiestas eius, vt vnà cũ Sacerdotum suorũ cœtu omni supplex Deũ precetur, quò suam illi misericordiam largiatur, viresq; suppeditet, ad virtutes Sancti parentis non imitandas modò, quòd facilè sedulò, verumetiam assequendas. Quod vestris precibus adiutam, minore se negotio perficere posse, Maiestas eius confidit.

Nicolao Dzierzgovviski Archiepiscopo Gnesnensi, Stanislaus Hosius Episc. Varmiensis. Epistola X.

Causam collapsæ, & rationem iuuandæ religionis ostendit.

ETSI graues causæ fuerunt, quamobrem ad hanc ego Synodum non venire potuissem, præcipuè cùm alios minoribus sæpè de causis, in suase Diœcesi continuisse, atq; per nuncios suos rem transegisse sciré, duplici tamen ratione sum adductus, quamobrem huc veniendi laborem caperem. Primùm, quòd eo loci redactam esse ré Ecclesiasticá video, vt oẽs nos Prouinciæ huius Episcopos, ad eam fulciendá & sustẽtandã cõuenire sit necesse, neq; alienis oculis rem gerere, quod nõ fœliciſſimè succedere consueuit, sed ipsos præsentes, præsenti consilio & auxilio periclitanti Reip. nostræ subuenire. Deinde, quod cùm prima esset hæc Synodus, quam V. D. edixit, habendum hunc illi honorem putaui, vt eam præsentia mea honestarem, atq; alijs Collegis meis exemplo essem, alacriter mandata D. V. exhauriendi, atq; illius authoritatem conseruandi. Quod officium meum D. Vestræ gratum fore non dubito: & quo maiore me videt erga se studio & obseruantia, hoc minus eam commissuram confido, quin & ipsa pari in me voluntatis inclinatione propendeat. Quoniam verò sola hæc causa est Synodi congregandæ, vt Reip. Ecclesiasticæ consulatur, vt ea debilitata recreetur, luxata restauretur, collapsa erigatur, dicam equidem, prout ingenij mei captus feret, quæcunque ad constituendam illam putauero pertinere. Docuit nos Magister noster, qui est altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, vt primum quæreremus Regnum Dei, & hæc, inquit, omnia adijcientur vobis. Regnum hoc Dei, quod primùm nos iussit Christus quærere, Euangelium est, quod qui non erubescit, is fit petitionis eius compos, qua quotidiè ad uenire ad nos Regnum Dei postulamus. Assequitur enim hoc, vt non regnet peccatum in eius mortali corpore, vt non obediat concupiscentijs eius, sed neq; exhibeat membra sua arma iniquitatis peccato, sed exhibeat se Deo, tanquam ex mortuo viuentem & membra sua arma iustitiæ Deo. Neq; peccatum ei dominetur in mortem, sed gratia regnet per iustitiam in vitam æternam. Hoc regnum intra nos esse docet idem Magister noster Christus, ita vt non sit illud quærere, longius necesse. Quo maiore sumus reprehensione digni, qui Dei Regno posthabito, quod intra nos est, contra salubre præceptum Magistri nostri. Satanæ potius Regnum quærimus: ac verbo quidem, vt adueniat nobis Regnum Christi, quærimus, re verò ipsum Sathanam in nobis regnare volumus. Ibi enim Regnum est Dei, vbi regnat Charitas, gaudium bonæ conscientiæ, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Ibi contrà Regnum est Satanæ, vbi regnat fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, q̃ est auaritia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, ebrietas, cõmessationes. Hic iam in se vnusquisq; nostrum descendat, quæ regnent in se, consideret, atq; ex eo coniecturam capiat, Regnúmne Dei primùm quærat, iuxta Magistri nostri consilium, quod intra nos est, an Satanæ potius Regnum, de quo nos pretioso sanguine suo liberatos Deus esse voluit. Dolenter quidem dico, veruntamen quin, quod sentio, dicã, facere non possum: omnes propè derelicto Regno Dei, Satanæ Regnum quærimus. Ac nullius quidem rei, quàm temporalium istorum, quæ fluxa sunt & caduca, curam habemus maiorem. Sed cùm dixerit Magister noster, Primùm quærite Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis, non est mirandum, si non desunt nobis & externi, & domestici hostes, qui postea quam Regnum Dei quærere desijmus, ea quæ adiecta nobis oportuit Regnum Dei quærentibus, detrahere quantum possunt, & eripere conantur. Nostris itaq; hoc vitijs & flagitijs debemus, quod ab ijs ipsis, quibus nos benignè facimus, quod ab ijs ipsis etiam, qui nos arcta necessitudine attingunt, de iurium nostrorum abrogatione, de priuilegiorum & immunitatum antiquatione, de fortunarum nostrarum euersione consilia inire videmus. Cùm enim animaduertant ij, multum nos ab officij nostri religione declinare, neq; alijs ferè rei, quàm congerendis opibus auidè inhiare, cum solo nomine spirituales, re verò ipsa plus quam carnales, plus quàm sæculares nos esse conspiciant, cùm eam esse vitam, eos mores nostros videant, vt nomen Dei per nos blasphemetur inter gentes, nõ solùm nos & contemptu, & odio dignos esse iudicant, verumetiam de fide, de Religione, de Deo dubitare incipiunt, neq; adduci facilè possunt, vt esse vlla credant aut supplicia inferorum, aut gaudia beatorum: sic enim ratiocinantur. Si quid esset eiusmodi, quod his de rebus prædicant Sacerdotes, futurum vt ipsi primùm, aut metu suppliciorum, aut spe præmiorum à malo declinarẽt, & facerent bonum. Hinc est, quod fluctuare cernimus multorum conscientias, atque alios hanc, alios aliam sectam profiteri: plerosq; etiam à fide Christiana propter mores nostros impuros defciscere, atq; ad perfidiam delabi Iudæorum. Cuius rei culpa non penes alios residet, quàm penes nos, qui cùm recesserimus de via, & scandalizemus plurimos, nihil mirum est, si dedit nos Deus contemptibiles, & humiles omnibus populis. Re-

Regnum Dei & Regnum Sathanæ.

Contemptus Cleri vnde nascatur.

Cleri vita scandalosa, quæ mala pariat.

deundum itaque nobis est in viam, corrigendi sunt praui mores nostri, vitæq; nostræ commutatione placandus nobis est Deus, vt non in finem irascatur nobis: ita futurum est, vt & hæc temporalia, quæ nobis adiecta iri, Regnum Dei quærentibus Deus promisit. Nemo nobis eripiat, vt consequamur prætereà Regnum illud Dei sempiternum: non hoc, inquam, duntaxat, Regnum gratiæ, & misericordiæ, quod intra nos est, sed Regnum etiam illud æternæ gloriæ, in quo Christus sine fine regnat cum Patrè & S. Spiritu in sæcula sæculorum. Posteaquàm verò in vitam primùm ipsi nostram inquisiuerimus, atq; eam in melius commutauerimus, tum demum in aliorum nos quoq; mores inquirere oportet. Neque enim nostra solùm, verùm & eorum facta præstare nos debemus, qui sunt à Deo curæ nostræ Pastorali commissi. Nos enim Deus speculatores dedit domui Israël, sanguinem eorum, qui perierint, de manibus nostris requisiturus. Oportet itaq; nos diligenter speculari, quemadmodum se quisquam gerat in Diœcesi nostra, qua vita, quibus moribus sit, atq; illud in primis, quam de Deo, de fide, de religione opinionem habeat. Ad ea enim tempora deuenimus, quibus nullus potest tam impius error reperiri, qui non suos habeat approbatores. Et rei documento esse potest vestra illa mulier, eò impietatis in Diœcesi mea prolapsa, vt nullus in hunc vsq; diem hæreticorum visus sit, tam fœdè, tamq; turpiter erraſſe. Cui si adhibita medicina maturè fuisset, non ad extremum vsq; in hac tam impia, tamq; detestanda sua pertinacia permansisset. Nunc eorum, qui ante me Ecclesiæ meæ gubernacula tenuerunt, conniventia factum est, ita vt obstinatus esset atq; obfirmatus animus illius, vt certũ supplicium adire potius voluerit, quàm de sua se impia sententia dimoueri passa sit. Atque vtinam hæc esset sola mulier, in tam fœdum atque impium errorem prolapsa, sed horrenda sunt, quæ ad me perferuntur quæ fortasse breui in apertum proferentur. Occidimus, multorum animas nimia nostra negligentia; dum diligentiores sunt lupi in rapiendis illis, quàm nos, qui Pastores vocamur, in tuendis & conseruandis. Qui tum futurus est æstus noster, qui timor, qui angor animi, quæ trepidatio, cùm seuerus & incorruptus iudex ille, rationem à nobis reposcet villicationis nostræ? Quod, nisi clemens potius, & misericors, quàm iustus esse fuerit dignatus, vix quisquam nostrum effugiet, quin horrenda illa verba audiat, Tollite ab eo talentum, & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Dati sunt nobis adiutores multi, quorum alij oculorum, alij aurium, alij linguæ, alij manuum officio fungerentur: saltem per hos munus nostrum expleremus, saltem id nobis curæ esset, vt ij onera nostra ferrent, vt impiorum ad nos nomina deferrent, eorum præsertim qui à fide aberraſſent. Sed dum de Mammona ista iniquitatis nimio plus sumus solliciti, dum in solam illam coaceruandam omnem curam nostram & sollicitudinem defigimus, fit illud in nobis verum, quod à Seruatore nostro dictũ est: Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Nam neq; ipsi nostro officio satisfacimus, neq; vt alij eo rectè fungantur, curam & studium habemus. Itaq; cum alia nobis vitia declinanda sunt, propter quæ nomen Dei blasphematur in gentibus, tum hæc præsertim idolorum seruitus, quæ est auaritia, remis, quod aiunt, velisq;, fugienda est. De hac enim per Prophetam scriptum est: Aurum suum & argentum suum fecerunt sibi Idola, vt interirent. Non aliam Propheta certiorem esse causam interitus commemorat, quàm auaritiam, quàm solam Idololatriam Paulus appellat. Meminisse debemus dispensatores nos bonorum istorum temporalium, non Dominos à Deo esse constitutos. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Bona nostra, bona sunt pauperum: inter eos itaq; facultates Ecclesiæ sunt patiendę, vt quod Dei est, Deo reddatur. Hæc enim Dei verba sunt: Quicquid feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Rectè dictum est à quodam quamuis Ethnico: Nihil est tam angusti animi, tamq; parui, quàm amare diuitias: nihil honestius magnificentiusq;, quàm pecuniam contemnere, si non habeas: si habeas ad beneficentiam liberalitatemq; conferre. Propria hæc virtus nostra esse debet beneficentia & liberalitas in pauperes. Neque verò subleuare modò Ecclesiæ opibus fratrum nostrorum nos pauperta tem oportet, verumetiam prouidere pro virili nostra, ne ex abundantibus fiant pauperes, ea habentibus non habentes. Quemadmodum fieri consueuit, cùm hostes nemine resistente, grassantur in Prouincia, atq; excisionem, inflammationem, euersionem, depopulationem, vastitatem multorum tectis atq; agris inferunt. Quod si duo illa luminaria Ecclesiæ, Ambrosius & Augustinus etiam vasa Dominica propter captiuos & indigentes frangi & conflari iubebant, & indigentibus dispensari. Cur nos partem aliquam exiguam vectigalium nostrorum in eam rem collocare dubitamus? vt ne ex liberis captiui, ex habentibus fiant indigentes. Veremur fortasse ne quid ea de re labefactata esse iura nostra, & immunitates videantur. Periculum est profectò, ne, si mordicùs tueri iura nostra voluerimus, exiſtat aliquis, qui vna cum iuribus, fortunas quoq; nostras omnes nobis eripiat. Si fratres nostri ante biennium cum essent ad Leopolim, non perinde fuissent iuris sui continentes, si de eo nonnihil remisissent, si armati armis potius propulsare iniuriam & contumeliam ab hostibus illatam, quàm de iure disceptare, cum Regia Maiestate voluissent, non essemus nacti hostem vicinum eum, cuius potentiam totus Christianus orbis reformidat, non hoc tempore leporis quandam vitam ageremus. Sed perijt interdum libertas, si quis eam præfractè tueri velit. Certè liberiores essemus nunc, liberiores essent & fratres nostri, si Reip. potius necessitatis, quàm iurium suorum & libertatum rationem habuissent. Nostra esset nunc V Valachia, aut si nostra non esset, certè in Regis Turcarum potestatem nondum recidisset, certè ad salutem Regni tuendam & conseruandam interfuisset, plurimùm in V Valachia potius, quàm in patria nostra bellum geri. Nunc in promptu nos semper esse oportet, atq; omni cura & sollicitudine prouidere, ne, tanquam fur in nocte, veniat dies Domini, ne nos leo ille rugiens nec opinantes deuoret, atq; inter oscitantes, quod ille ait, op-

Episcoporum in Diœcesi munus.

Auaritia Episcopis maximè fugienda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

primat. Huc seruitutis perduxit nos, fratres q; nostros, nimium studium libertatis. Quamobrem aliquid de iuribus nostris remittamus, quæ quidem nulla ex parte violantur, quando nos ipsi non imperante aut præscribente aliquo, sed ex mera liberalitate nostra donamus aliquid Reipublicę, quo facilius contra vim atque impetum hostium defendi queat. Violarentur adeò magis iura nostra, iura, inquam, amicitiæ, & beneuolentiæ, iura fraternæ charitatis, iura Christianæ pietatis, si fratres nostros ad summam paupertatem, egestatem, vel potius mendicitatem, aut vt Plautiaco verbo vtar, ad irritas redigi, si in captiuitatem duci, si trucidari pateremur, cùm ea ne fierent, nostris opibus prohibere possimus. Quod si quis nec defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ, tam est ferè in vitio, quàm si manus ipse intulerit. Verendum est, ne nos ipsi spoliasse fratres nostros, nos ipsi captiuos eos duxisse, nos ipsi trucidasse videri possimus, dum non studemus, quæ inferuntur illis iniuriæ, eas, si possumus, propulsare, non quidem ipsi oppugnando, sed neruos belli pro nostris facultatibus suppeditando. Quare detrahamus potius de luxu nostro aliquid, detrahamus de rebus ijs, quas in res parùm licitas & honestas sæpè expendimus, & partem aliquam nostrorum vectigalium in fratres nostros, vel potius in nos ipsos tuendos conuertamus, & illorum nobis studia conciliaturi, & apud Deum ingentem gratiam inituri: qui si animas nostras, pro ouibus nostris exemplo suo nos ponere voluit, multò magis vt facultatibus nostris ne parceremus, illarum salutis conseruandæ causa, voluisse videtur. Cùm hæc alacriter fecerimus, atque patriæ tuendæ nos curam habere docuerimus, facilè omnium animos capiemus, & beneuolentiam omnium in nos conuertemus. Iura non tuebimur modò nostra, sed etiam auctionem illorum faciemus.

Valeriano Episcopo Vilnensi. Epistola XI.

Laudat Episcopum, quòd prohibuerit hæreticum in sacro loco, Catholico ritu sepeliri.

PErgrati rumores ad nos adferuntur de eo, quem admodum D. Vestra forti atque magno animo Sathanismum à suæ Diœcesis finibus propulsare conatur, neque potentiam cuiusque reformidat, quominus suo Pastoris officio strenuè fungatur, & quos viuentes nobiscum & cum Ecclesia Dei communicare noluisse intelligit, eos mortuos, ita tv lura præcipiunt, quin & ipsa ratio præscribit, à communi piorum hominum sepultura arcet. Quid enim potest esse æquius, quàm vt qualem quisque se facit, pro tali habeatur? Est aliquis, qui suo ipsius iudicio se condemnat, qui semetipsum à piorum cœtu ejicit, communicare cum illis recusat, quin seorsum sibi altare contra altare erigit, cathedram contra cathedram constituit, neque dubitat idem illud patrare facinus, quod in Core, Dathan, & Abyron grauissimo supplicio vindicandum esse Deus censuit. Quid habet is quod quæratur, si, qualem se ipse fecit schismaticum & hæreticum, talis à pijs omnibus censeatur? & viuens à sacris omnibus, & mortuus à communi sepultura fidelium omnium arceatur? Non opus est iam excommunicationibus & interdictis, ipsi se nonnulli palàm ex communione piorum eiecerunt, ipsi sibi sacris omnibus interdixerunt, exequutione tantùm opus est, vt pro talibus habeantur, qualem ipsi contra se sententiam tulerunt. Id si ab alijs fieret, etiamsi nulla grauior aliqua animaduersio sequeretur, credat mihi D. Vestra, non difficulter plerique omnes ad officium sanitatemqúe redirent. Quamobrem non possum non vehementer laudare D. Vestram, quæ verè nunc Episcopum agere videtur, dum ouium suarum saluti, per disciplinam etiam Ecclesiasticam prospicere conatur. Non deerit Deus sanctis D.V. conatibus, qui etiam cor Principis eò i ã inclinasse videtur, vt magis atque magis se à separationis consilijs abhorrere ostendat. Et certè si omnia nobis etiam aduersa forent, prius tamen omnia & ferre & facere, & pati nos oporteret, etiamsi vel exilium subeundum, vel mors ipsa foret oppetenda, quàm vt officium à nobis nostrum requiri permitteremus. Cùm essem VVarsauiæ Dominus Legatus Apostolicus mentione facta de D. Vestra tantùm illi tribuit, quantum vix cuique Episcoporum, me quoque iudicium illius de D. Vestra approbante. Posteaquam is, quàm fortem se nunc gesserit D. Vestra agnouerit, magis etiam iudicium de illa suum confirmabit, modò, quemadmodum cœpit, ita pergat. Videbit D. Vestra Deum non defore pijs suis conatibus. Et qui nunc minimè ferenda quadam audacia, & arrogantia in omne genus impietatis præcipites feruntur, eos demissuros esse cristas, ac fortasse etiam, si Deus mentes eorum inspirare dignatus fuerit, quod sperandum nobis est, & optandum, dum, ne idem illis, quod alijs, post mortem accidat, metuunt, in viam esse redituros, & ad veritatis agnitionem peruenturos. Vtinam autem & illud efficere posset D. Vestra, ne quis deinceps sacrilegum altare, contra legitimum erigere, cathedram pestilentiæ contra veritatis cathedram constituere, cũ auderet. Efficiet aũt cum Dei auxilio, si conspiratione cum alijs Dominis Episcopis & Catholicis Senatoribus facta, ascenderit ex aduerso, ac murum se pro domo Israël opposuerit, & prælia Domini fortiter dimicauerit. Non deerit etiam Regis Catholici subsidium, modô plurium consensus, adsit. Hæc ego pro meo erga D. Vestram studio & obseruantia, quin D. Vestræ scriberem tenere me non potui. Fuit autem & hæc non minima causa, quamobrem id facerem, quod quandiu schisma permissum isthic fuerit, in oculis Regiæ Maiestatis, rationem video nullam, qua nos illud longius ab illius Maiestate remoti, prohibere queamus. Quibus illud subinde occinitur: Fert hoc Regia Maiestas in suo conspectu, & tu putas facturam, vt in nos tam procul dissitos animaduertendum esse putet. Hæc vna est res, quæ & in Polonia, & in ijs terris Prussiæ animos multis facit ad audendum omnia, ad quodlibet sectæ genus amplectendum: quòd impunè talia fieri vident inspectante Regia Maiestate, quæ dum non resistit, approbari illud ab illius Maiestate interpretantur. Expeditiora nobis hic forent omnia, si quod semel & iterùm coram dixi Regiæ Maiestati, manifestis aliquibus documentis planum faceret Maiestas illius, se abominanda ista schismata auersari. Quod eam facturam non dubito, si diligens D. Vestræ studium & sollicitudo non deerit, quam & ipsam minimè defuturam omninò persuasum habeo. Datum ex Castro Heilspergens. 4. Martij 1557.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ. Epistola XII.

Excusat se, quòd cùm sit Catholicus Episcopus, Præfectum hæreticum ferre in bonis Ecclesiæ suæ non possit.

ACCEPI qua par est reuerentia Maiestatis Vestræ literas, quibus mihi mandare dignatur, vt nobilem Ioannem Preuk in administratione Præfecturæ oppidi mei Braunspergensis relinquam, cùm non dubitet ex administratione eius Præfecturę nihil hoc nomine mihi decedere. Quantum autem decedat ex Domino Nominato Chelmens Maiestas vestra cognoscere poterit. Verùm de hoc facilè mihi cum illo conueniret: neque enim sum priuatæ rei meæ studiosus. Sed non ego sum is, qui velim illum Præfectura mouere. Cogetur hoc ipse fateri, quod vltrò illi detuli, si me pro Episcopo suo agnoscere vellet. Quod cum ipse facere se paratum ostenderet, non vult vxor, quę regere maritum vult, non ab illo regi. Neque maritum modò, sed & me suum Episcopum docere vult verbum Dei. Quod ego pridem in Ecclesia Catholica didici, vt eius magisterio non egeam. Persuadet sibi me cœcum esse, qui non videam, quod ipsa videt in scripturis, aut impium certè, qui contra manifestum Dei verbum venire non dubitem. Hac opinione si de me est, cur in ditione mea esse contendit? Ego certè quàm longissimè abesse ab eo Domino cuperem, quem impium esse persuasum haberem, tantum abest, vt officium aliquod ab illo peterem. Quamobrem per me non stat, quo minus is Præfectura fungatur. Si potest hoc illius vxori persuadere Maiestas vestra, vt à separationis consilijs abhorreat, me q; pro Episcopo suo agnoscat, quod à me postulat Maiestas vestra, facere sum paratus. Sed vt schismaticum in hoc officio feram, tantum de pietate Maiestatis vestræ mihi persuadeo, quod mihi nunquàm sit mandatura. Quid enim aliud mihi dicendum restaret, quàm quòd ipsa dixit aliquando Maiestas vestra, cùm iniusta ab illa peterentur: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Non est mihi tanti res vlla in terris, vt animam meam Orco tradere velim. Sunt fortasse qui persuadere Maiestati vestræ conantur, crimen hoc perexiguum esse, propter quod ferendam illam esse non putem. Sed vtinam per otium ea de re Maiestatem vestram informare possem, facilè me demonstraturum confiderem, si omnia quæcunque excogitari possunt crimina vnum in locum conferrentur, non esse tamen ea cum hoc vno separationis crimine comparanda. Vult esse separata à Christo, & à corpore eius Ecclesia, sit etiam separata à me, qui neque Christum alium, nec Ecclesiam aliam noui, nisi quam agnouerunt Maiores nostri. Quamobrem nulla penes me, sed penes eum culpa est, qui vxori suæ nescit imperare. Etsi autem facturam hoc vltrò Maiestatem vestram confido, supplex tamen ab illa peto, ne mihi quid eiusmodi mandare velit, quod est ab Episcopi Catholici officio alienum. Quòd si Maiestas vestra mandauerit ad illam excurrere, & facti mei rationem illi reddere, non grauabor. Nam non dubito quosdam isthic esse, qui me de gratia Maiestatis vestræ deturbare conentur. Quam ego secundum Deum plurimi facio. Vbi autem Dei causa agitur, non mihi licet aliud dicere, quàm quod illi dixerunt: Oportet obedire magis Deo, quàm hominibus. &c. Heilspergæ. 3. Octob. M.D.LIII.

Ioannis Octieskij Regni Poloniæ Cancellario. Epistola XIII.

Dolet religionis statum esse perturbatum: ad Deum confugiendum esse, & humana præsidia adhibenda ostendit, & vt Cancell. pro suo officio adhibeat hortatur.

VÆ scripsit ad me D. Vestra de religionis in Regno statu, non mediocriter animum meum perturbarunt. In eadem & ipse sum sententia, quòd quæ tempestates impendent rei Christianæ, maiores sunt, quàm quæ humano consilio sedari possint. Tantò maiore studio confugio ad illum, & confugiendum omnibus censeo, qui solus potest, vt ipse comminetur vento & dicat Mari. tace & obmutesce. Sic enim futurum est omninò, vt cesset ventus, & fiat tranquillitas magna. Sed intereà tamen humana quoque præsidia non esse puto negligenda,

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque Deo fretus cuiusq; inuidiam metuo. Video, quod clamare hæretici non cessant, instant oportunè, importunè. Cur non ego idem quoque faciam Catholicus. Si non valebit causæ æquitas (neque enim est mea, sed Christi causa quam ago) fieri potest, vt velim portunitate saltem aliquid proficiam. Si non dabitur aliquid Dei timori, vel propterea saltem concessum iri spero, vt molestus esse desinam. Idem vt mihi eueniat quod illi viduæ Euangelicæ iudicis fidem imploranti. Scripsi iam ternas ad Maiestatem Regiam literas, quibus singulis petiui, vt memor esset verbi sui seruo suo, in quo mihi spem dedit. hactenus responsum nullum habeo, sed spero tamen in horas, neque sum sine spe, quod peto, me obtenturum. Nam quod ad Hoppium attinet, is iam conditionem accepisse Gedani dicitur, quod sit Secretarius Magistratus futurus, quin & suppellectilem eò suam præmisisse. Hoc iam non ab vno mihi renunciatum est. Et scripsit ad quendam D. Palatinus Marieburgensis, Vilnam proficiscens ad Regiam Maiestatem, se fuisse Elbingi, vidisse non paucos ibi adolescentes & pueros literarum studiosos, Hoppium Gedani conditionem suscepisse, dolere sibi quod iuuentus magistro destitueretur. Cupere vt per me liceat ei, munere hoc fungi diutius. Ego verò quo animo hæc scripserit, non adeò sum hebes quin intelligam: habet enim omninò persuasum, etiam inuito me facilè se quod vult Vilnæ perfecturum, cùm habiturus ibi sit adiutorem D. Ducem in Prussia, qui & ipse eò profectus est, & alium quendam Ducem. Sed ego nactus iam sum alium quendam virum, quàm Hoppius, multò doctiorem, qui fuit in Academia Viennensi bonarum literarum Professor, quę etiam iamiam Culmam misi, deq; eo Regiæ Maiestati scripsi. Non defore iam iuuentuti, qui illam bonis artibus ita instituat, vt à Christiana pietate, quod fecit Hoppius, non deterreat: quin ad eam excitet potius, quo maiore ipse sic non esse prætualituras portas inferi. Sed intereà tamen memor illius, quod à Propheta scriptum est: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, non in alio spem omnem collocatam habeo, quàm in illo, in cuius manu est cor Regis, qui potest illud inclinare quò vult: quem in causam suam tuendam illud inclinaturum omninò confido. Quanquam & illud me clam non est, non maiorem ferè nunc esse Regis authoritatem, quàm sit Episcoporum: Nam vbi Deus contemnitur, ibi Princeps magni fieri non potest. Sed si volet Regia Maiestas quod ad has terras attinet, erit adhuc illius, quæ esse debet, authoritas minus: enim hic est ferocitatis & insolentiæ, quam alibi. Sin autem pro Rege agnosci nolit, fiat voluntas illius. Ego nihilominus, quod potero, faciam, neque officium in me meum requiri patiar. Etiamsi quid negatum fuerit, quod absit, clamare nihilominus non desinam. Est quidem ita, quod me non parum ea res habet sollicitum, quod D. Ducem & fidelem illius consiliarium D. Palatinum Marieburgensem Vilnam esse profectos audio. Sed solet Deus, quo magis videt homines omni humano præsidio destitutos, hoc libentius potentiam suam ostendere, vt sibi soli gloria tribuatur omnis, nec eius partem aliquam homo sibi vendicet. In hoc itaque spes mea sita est omnis, faciat quod bonum est in oculis suis, etiamsi occiderit me, in illo sperabo. Ex quo tempore discessit Varsauia Regia Maiestas, nullas ex Aula literas accepi, quamuis nuncium eo cum literis miseram, sed absque responso redijt. Haberi nunc audio Vilnæ consilia de pace cum Liuonibus. dicuntur ibi esse Regis Daniæ, & Moschorum Legati: Deus consilia pacis prosperet. Si fuerit aliqua alia de re consultatio infatua, quæso Domine consilium Architophel, & ab eo mentem Regiam procul auerte. Dux quidem pacem vehementer cupere dicitur, à qua neque Regia Maiestas aliena esse fertur, nisi quod periculum est, ne dum quasi terrere volentes hostem, nimis eum emungi nonnulli suadent, bellum nobis minimè necessarium constent. Sed ego meliora spero omnia. Quoniam verò conuenisse multos Craccouiam audio, qui religionem nostram Christianam perturbatam cupiunt, etiam atque etiam à D. V. peto, vt pro officio Catholici Senatoris conatibus eorum obstare velit, ac Reuerendissimo Domino Episcopo autor sit, vt in hoc tam periculoso tempore ne velit oues suas deserere: verùm aduolet primo quoque tempore, vt eas à luporum insidijs tueatur, qui ad iugulandum gregem, Christi sanguine redemptum, multò sunt vigilantiores, quàm nos pro eo, vt munus nostrum à nobis postulat, seruandum. Vehementer metuo, si Pastor aberit, ne quid eueniat sacris diebus ijs, quod magnum dolorem pijs omnibus adferat. Quod pro sua misericordia prohibere Deus dignetur. In Vestra D. quam Deus multis præclaris dotibus ornauit, cùm Præfectum etiam Castri ac Ciuitatis illius agat, plurimum esse positum videtur. Etiam atque etiam oro & obsecro, quar. doquidem non de alio vllo mortalium, quam de Vestra D. maiorem pij spem & expectationem conceperunt, vt eam non modò ne fallat, verumetiá talem se præster, vt plus etiam quàm satis esse factum suæ de Dominatione Vestra expectationi Catholici & Orthodoxi oēs cognoscant. Sic futurum est, vt vicissim Deus cuius causa est, quam Vestræ Dominationi commendo, diuturnam illi valetudinem & incolumem largiatur, & omni fœlicitatis genere cumulet. Datum Heilspergæ XIIII. Martij. Anno M. D. LVII.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ. xvij. Octobris. Anno 1557. Epistola XIIII.

Rogat ne quid loci det importunis hæreticorum precibus.

Pro-

PRoficiscitur isthuc iterùm D. Palatinus Marieburgensis, qua de causa nescio. Sed intereà tamen non possum non esse sollicitus, ne quid vrgeat apud Maiestatem vestram de genero suo, quem ego certè, sicut anteà scripsi Maiestati vestræ, facilè paterer bona conditione sua aliquo etiam cum detrimento meo. Præfectum agere Castri & Oppidi mei Braunspergen. si me cōiunx eius dignaretur pro Episcopo agnoscere. Nunc cùm ipsa se præciderint à Christo, & à corpore eius Ecclesia, neque me, sed patrem suum pro Episcopo agnoscat, videtipsa Maiestas Vestra, quod, nisi grauem Dei indignationem incurrere velim, maritum eius vnà cum illa in hoc officio ferre non possum. Mira est mulieris pertinatia, quæ, sicut à patre suo docta est, ipsa sibi conscientiam suam ligat & soluit arbitratu suo, de me verò sibi persuadet, Quid autem dicam de me? de omnibus, qui sunt in Ecclesia Catholica, Episcopis & sacerdotibus sibi persuadet, quòd simus omnes absque conscientia, aut ita cæci quod scripturam non intelligamus. Dicam ego, quod tamen sine arrogantia dictum velim, intelligere mihi melius videor, non modò quàm ipsa mulier, verumetiam quàm pater eius, quamlibet sit prudens apud semetipsum. Quorsum autem res redijt? à muliere doceri debet Episcopus, quis sit verus scripturæ sensus, & is Episcopus qui non alia magis in re, quàm in legis Dei meditatione bonam vitæ suæ partem consumpsit. Prouolutus ad genua Maiestatis vestræ, supplex ab illa peto, ne quid mihi velit imperare, quod Episcopo Catholico dignum non sit, & in quo nisi velim animam meam, qua nihil habeo charius, Sathanæ tradere, Maiestati vestræ parere non possum. Omnia mihi potius alia velit imperare. Quod si saluo mihi salua re familiari mea, quæ minor est multorum opinione, in exilium proficisci, sic imperante Maiestate vestra, licebit, modò ne quid cōtra Deum & conscientiam meā facere cogar, magni id mihi beneficij loco futurum est. Nam quo nunc sum loco, eius me pridem pertæsum est, quandoquidem omni humano præsidio videor esse destitutus. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Heilspergæ 19. Octob. &c.

Aloysio Lypomano Episcopo Veronensi. Epistola XV.

Rogat vt de salute Regni Poloniæ laborare non desinat.

TSi corpore absens, non dubito tamen, quin animo præsens nobiscū est D. V. Non quod nos ita meriti sumus, sed quòd non aliò pietas mentem illius impellit, quàm cùm nobiscum ageret, testatam & illustrem fecit omnibus. Capit illa proculdubiò, etiamsi secus nos meriti videamur, salua nobis hic esse omnia, neque minus absens, quàm præsens cùm esset in Polonia de ratione propulsandi periculi, quod nobis impendere scit, sollicita est. Si nos ea non fecimus, quæ à gratis hominibus expectare D. V. debuit, facit illa tamen, quod verè Christianum & ardentem zelo pietatis Episcopum facere par est, vt nostri curam non abijciat, prospectumq; rebus nostris cupiat pro virili. Quo simus in statu non ignorat D. V. nam post illius discessum nihilo meliora sunt consecutura. Venit manipulus hæreticorum Cracouiam, duo Vergerij fratres, Ioannes à Lasko, Carolus Huttenonius, tum & Lysmaninus. Ac Vergerius quidem alter, an vterq; certè nescio, Vittembergam se iterum rediturus, contulisse dicitur, Ioannes à Lasko Vilnam ad Regem proficisci fertur. Synodus edicta est mense Maio proximo, ad quam vocatus nō sum, ac si vocarer etiam, deliberatum est mihi, non proficisci. Nam etsi qua de causa sit edicta D. vestram clam non est, metuo tamen ne veniant ad Synodum etiam non vocati, qui sub eo prætextu quasi doceri velint, disputationem aliquam de dogmatibus religionis nostræ haberi contendant. Neque mihi coniecturæ desunt, quibus in hanc suspicionem adducor, quæ vtinam vana sit. Sed quod hæretici partim remanserunt hic, partim redire Vittembergam breui cogitant, non potest ea res mihi non vehementer esse suspecta. Scio quòd non minus D. V. nostris incommodis mouetur, quàm nos ipsi, sed ego lætiora scribere adhuc non possum. Vnum tamen est, quod nonnihil consolationis adferre potest. quòd mortui nuper duo Aulici Regij, qui & benè locupletes erāt, & non postremū apud illius Maiestatem gratiæ locum obtinebant, quos cū Catholico ritu cōmunicare noluissent, in sacro loco sepeliri vetuit Episcopus Vilnensis. Cōtendebat Palatinus Vilnensis apud Maiestatē Regiā summo studio, vt ne hac ignominia afficerentur, sed non perfecit quicquam. Itaq; deduxit eorum cadauera ipse cum suis ad campum cum canticis quibusdam vulgari lingua, vbi sepulti sunt absq; cereo monijs vllis Ecclesiasticis. Quæ res magnum alijs terrorem attulit. Itaq; cùm ægrotassent nonnulli periculosè sub illud ipsum tempus, hac disciplina correcti, ad officium redierunt, rituq; Catholico communicauerunt. Ex eo colligere potest D. V. quod non fefellit eam opinio, quam concepit de Domino Vilnensi Episcopo, qui videtur ea, quæ sunt officij sui, non prætermittere. Est nunc apud Maiestatem Regiam vicinus meus Dominus Dux Albertus, sunt & Daniæ Regis & Liuonum Legati, de pace tractatus habentur, quam Deus concedere nobis dignetur. Hædi mei Elbingenses eodem statu sunt, quo fuerunt ante discessum Dominationis Vestræ. Verùm expecto ex Aula in horas aliquid, Hoppium tamen dimittere dicuntur. Quæso Dominationem Vest. vt ne meminisse peccatorum nostrorum velit, sed pro pij patris officio, quacunque potest salubri ratione det operam, vt huius Regni tranquillitati prospici queat. Nos illi parem gratiam referre non possumus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed referet is, cuius causa agitur, Dominus & seruator noster Iesus Christus, qui pietatem hanc D. Vest. abundè pensabit.

Lazarus Bonamicus, Stanislao Hosio Episcopo Varmiensi. Epistola XVI.

Gratulatur quod ad dignitatem Episcopalem euectus sit, quam ob anteactæ vitæ innocentiam mœrebator.

POstquàm ad nos allatum est de Episcopatu quem es consecutus, & de Augustino nostro in priorem tuam dignitatem substituto, maiorem opinione omnium cœpi voluptatem. Videbam enim duos inter se & nobis amicissimos ingenio, eruditione, virtute præstantes, ad amplissima munera Rerũpublicarũ peruenisse: in quo non minus Episcopo Cracouiensi Maciejouio grauissimo & sanctissimo viro, per quem & ipsi Regi, vnde hanc dignitatem est vterque vestrum adeptus, quàm vobis gratulabar. Nam laudabilius, melius, Deo acceptius nihil esse mihi persuadeo, quàm ijs deferre cùm priuatum, tùm publicum aliquod munus, qui possint & velint id pro dignitate sustinere ac gerere. Quod si vt apud vos, ita apud nos quoque fieret, tot incommodis res Christiana non laboraret: & cum hominibus, ac ipso Deo in gratia & laude esse possemus, de quo grauissimè quæritur: aut potius de officio suo homines quorum maximè interest, admonemus in quadam epistola ad Oratorem Venetorum, qui nunc Romæ est, scripta, eam nondum absoluimus, absolutam ad vos mittam. Gratulor itaque vobis hanc dignitatum accessionem, quam vt vobis laudi atque ornamento, cæteris emolumento fore arbitror, ita Deum precor, vt ea diuturna vobis viuentibus, mortuis etiam saluti sit. Te verò, Hosi Amplissime Antistes, rogo atque oro, vt memineris superioris tuæ vitæ, quam innocentissimè, in Italia cùm esses, agebas, & quos tui similes cognoueris eos subleuare, & quasi manum eis porrigere velis: in quibus est Sebastianus Lechus, quem tibi etiam atque etiam commendo. V I. Cal. Quintil. M. D. XLVIIII.

Ruardo Tapper Theologo Louanienſi. Epistola XVII.

Respondet ad quasdam illius obseruationes in libro Confessionis Christianæ.

LIteræ Dom. Vestræ gratæ mihi admodum acciderunt. nam cùm illius iudicio multum tribuam, quæ visa sunt illi emendanda, legi lubens. Quod ad proœmium attinet, mihi quoq; visum id fuit altius esse petitum, quanquàm in eo rationis nobiscum communionem brutis auctor non tribuit, sed non defuisse tantùm dicit, qui putarent, bruta animantia non esse rationis expertia, ac eius opinionis auctores etiam nominat. Quod verò tibi videtur, quòd eadem ratione dici possit, etiam religionẽ nobis cum illis communem, quod scriptum sit, Laudate Dominum bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatæ, de nostris vocibus, dicit Augustinus, laudant bruta Deum, dum admiratione sui nos ad laudandum Deum excitant, quamuis ipsa Dei cognitionem nullam habeant. Per me quidem licet, vt proœmium hoc tollatur, nisi quod mihi visum fuit abruptum illud. Qui fidem etiam ac necessariam esse partitionem quandam Dei cultus, existimabam. quæ cùm duplex sit, interior & exterior, prior ille, quo verè Deus colitur fide, spe, charitateq; constet. Neque verò est quod comparet Dominat. Vest. Synodos Regni Prouinciales cum Concilijs Oecumenicis, in his enim nudè scribuntur omnia, & perstringuntur tantum paucis. Synodi verò Petrocouien. hoc videbatur esse propositum, vt ostenderetur, minimè nouam esse doctrinam, quam Polonia tot seculis est amplexa, & cùm totius Ecclesiæ doctrina iam inde à multis seculis modis omnibus eam conuenire. Vellem autem te plura etiam in priore parte Confessionis annotasse, maximè vbi agitur de rebus hoc nostro seculo controuersis: de duabus ijs præsertim, quæ nunc magno applausu recipiuntur à nouatoribus istis, de vtraque specie, & de coniugio Sacerdotum. in ijs enim refutandis, cum à me multum operæ positum sit, metuo tamen vt non sit omnibus satisfactum. Vehementer cuperẽ fieri certior, quid sit illud, in quo sibi fortassis aliqui satisfactum non esse putent. quod vtinam per occasionem aliquando mihi perscribere non grauaretur. Quod ad alteram Confessionis partem attinet, non fuit nobis institutum, vt eorum sententiam, qui sanctam fidem iustificare dicerent, oppugnaremus. nam non de eare sermo susceptus nobis erat. Sed quoniam de tertia parte iustitiæ, qua Deus colitur, hoc est, de charitate dicendum restabat, visum est necessarium, vt obiter locus ille tractaretur: iustitiam nostram non esse solam fidem. qui si diligentius fuisset explicandus, vna hac de re maius volumen conscribi poterat, quàm est hoc, quod per me tibi missum fuit. Non solum Augustinus & Ambrosius sed & Bernardus, & alij multi Doctores vsi sunt hoc loquendi genere. Quod sola fides iustificat. Sed cùm hoc necessarium tibi videatur, mihi graue non erit paucis ver-

bis quo sensu vsi sint, perstringere. De Petri negatione non video, quid obesse queat, quod quæ fuerit ea de re Ambrosij Petrich Lombardi sententia, paucis est annotatum, cùm ipse auctor suam ea de re sententiam non interponat. Etiam Hieronymus hanc Ambrosij sententiam non probauit. quamuis autem Petrus Lombardus eam sequutus videatur, tamen nescio quomodò quotquot habeo, habeo autem non paucos, Scholasticos Doctores illius propemodum interpretes, locum hunc silentio præterierunt, vt etiam ipsi non probasse videantur. Locum autem hunc tractandi causa mihi fuit hæc, quod cùm essemus Gedani inter Regiomontanos quosdam, fuit de eo disceptatum. Vtrùm Dauid fidem amiserit adulterio cœdeq; patrata. Itaque visum fuit, vt hoc loco tractaretur ea de re aliquid. Quo magis autem Catholicorum sententia de eo, quod fidem non amiserit, confirmaretur, rectè putabam addi posse. Quid de Petro quoque, quem verisimilius erat fidem amisisse negando Christum, Ambrosius & Petrus Lombardus sensissent. Quamuis Bernardus in libello de natura & dignitate diuini amoris, maius etiam quiddam ausus est affirmare. Quod etiam charitatem aut Dauid, aut Petrus non amiserit, illè cædem & adulterium patrando, iste Christum negando.

Paulus PP. Quartus, Stanislao Hosio Episcopo Varmiensi. Epistola XVIII.

Inuitat vt Romam veniat, & consilium suum de extirpandis hæresibus, & Concilio Oecumenico congregando impertiat.

AD hoc grauissimum Sacerdotij munus, sine vllis meritis nostris à Domino vocati, propositum hoc nobis iam inde ab initio habuimus, vt ægrè & grauiter laboranti ipsius Ecclesiæ, idonea & maximè necessaria remedia adhiberemus. Quamobrem & filiorum mores corrigere, atque omnia quæ prauis iampridem exemplis in consuetudinem adducta fuerunt, & hæreses tam longè lateq; disseminatas extirpare, & harum rerum causa Concilium celebrare. Deo iuuante, statuimus. Quæ quidem consilia nostra exequendi cùm iam maturum tempus sit, sublatis belli impedimentis, quæ nobis antiquus hostis obiecerat, optimum esse duximus, priusquàm Synodum congregemus, aliquot Venerabilium fratrum nostrorum accersere, quorum & consilium & operam ad eadem exequenda in primis vtilia nobis fore arbitrabimur. Inter cæteros autem, cùm fraternitas tua nobis in mentem venerit, ac de te meritò ita sentiamus, vt præsentiam tuam maximo ad has res vsui nobis fore confidamus, & simul dicere etiam intelligamus, aliquem ex isto Regno Episcopum in consilium tantarum rerum adhibere. hortamur in Domino fraternitatem tuam, & quamuis necesse esse non putemus, tamen in virtute S. obedientiæ, præcipiendo mandamus, vt postquàm has literas nostras acceperis, compositis Ecclesiæ tuæ rebus, & ijs quæ ad iter necessaria sunt, comparatis, ad charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniæ Regem Illustrem te conferas, & literas, quas ad illum scribimus, quas ipsas & earum exemplum cum his accipies, ei redditis exponas, nostro nomine ea quæ de consilijs nostris, tuæq; ad nos profectionis causa scripsimus, atq; hoc officio vbi functus fueris, ipso salutato, iter ad nos quamprimùm ingrediaris, quibus fraternitatis tuæ aduentus gratus admodum est futurus. Romæ 8. Martij 1558. Pontificatus nostri anno tertio.

Paulus PP. Quartus, Stanislao Hosio Episcopo Varmiensi. Epistola XIX.

Iterum admonet, vt se in viam det primo quoq; tempore.

VPerioribus diebus alias ad te dedimus literas, per quas certiorem fraternitatem tuam fecimus, de quibusdam consilijs nostris, ad Dei honorem & Ecclesiæ vtilitatem pertinentibus, ipsamq; ad nos primo quoq; tempore hortati sumus. Quæ literæ, quoniam accidere posset, vt ad te minimè perferrentur, iterùm ad te ijsdem de rebus scribendum esse duximus. Nam simulac à bellicis tumultibus, quos inimicus ad impedienda nostra pia salutaria q; consilia, nobis obiecerat, Dei fuimus auxilio liberati, animum & curam omnem nostram ad ea exequenda retulimus. Ac pacem quidem inter charissimos filios nostros Francorum & Hispaniarum Reges conciliare conamur missis ad eos de nostro latere Legatis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. Ad corrigendos aũt mores, & restituendam Ecclesiasticam disciplinam, iamdiu nimium prolapsam, ita incumbere cœpimus, vt ijs de rebus aliquid quotidiè ferè decretum ad Dei honorem faciamus. Cùm autem etiam Generale Concilium constituendæ Ecclesiæ causa & extirpandarum, quatenus Deus permiserit, hæresum celebrare in animo habeamus, visum est nobis adhibere ex omnibus Nationibus aliquos, à quibus de ijs, quæ oportuna fuerint, admoneamur, vt commodius has res perficere possimus. Quamobrem cùm non ignoremus, quanto nobis vsui tua præsentis operà hic futura sit, propter eximiam doctrinam & pietatem tuam, ac rerum illius Regni peritiam. hortamur fraternitatem tuam, & in virtute S. obedientiæ mandamus, vt com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

positis Ecclesiæ tuæ rebus, & conuento prius charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniæ Rege Illustri, nostróque illius accersendæ consilio illi exposito, iter ad nos quamprimum poterit, ingrediatur, atque hunc laborem libenter, & Regni illius & totius Reipub. Christianæ causa suscipiat, sicuti pro sua pietate, & in hanc S. Sedem deuotione ac fide facturam esse confidimus. Datum Romæ 18. Decemb. Anno M. D. LVIII. Pontif. tertio.

Ioanni Francisco Comendono Episcopo Zacynthi. Epistola XX.

De necessitate Oecumenici Concilij, ac de suo zelo erga Religionem Catholicam.

INuideo tibi beatum istud ocium tuum, quo tu isthic tranquilla mente frueris, nec mihi crebrius vnquam in mentem venit Horatiani carminis illius, Beatus ille q procul negotijs, & quæ sequuntur, quàm hoc tempore quo versor in istis fluctibus negociorum, ex quibus vtinam emergere aliquandò liceat. His impedior, quò minus, quàm vellem, copiosè tuis literis respondere possim, quæ mihi tantò gratiores acciderunt, quantò fuerunt longiores, cùm præsertim amoris in me tui beneuolentiæq; notis essent insignes. Est autem ita vt scribis. Si fuit vnquam anteà, nunc est Ecclesiæ status longè perturbatissimus, & nescio quomodo in perniciem religionis coniurasse videntur omnia. Quocunque vertas oculos, nihil aliud, quàm præsentem interitum Ecclesiæ Dei videas impendere. Sola est propemodùm Hispania, quæ si cum alijs conferatur, intacta tamen adhuc & omni hæreseos labe incontaminata esse videtur, quæ tamen & ipsa non omninò caret macula & ruga. Deinde verò dicitur nescio quid contra Episcopos constitutum, vt mihi quidem videtur valdè alieno tempore. Quod si quid simile constitueretur contra eosdem vel in Germania, vel in Polonia, actum proculdubiò foret de Religione. Fortassis enim ipsi Pastores in lupos verterentur. Sed de ijs tamen iudicare nostrum non est, nec aliud existimare nobis fas est, quàm quòd optimo consilio facta sunt omnia. Prudenter autem ratiocinaris, non alio remedio præsentibus malis obuiam iri posse, quàm Oecumenici Concilij promulgatione. Quod cupiunt quidem omnes, nec abhorrere dicuntur etiam ipsi Lutherani, quos iam propemodum pertæsum est suarum istarum dissensionum ac dimicationum de dogmatibus inter se. Verum illud mirum est, quantum aures omnium refugiant continuationis nomen. Nouum indici, non vetus illud, quod est inchoatum Tridenti continuari cupiunt. Vt autem & ego tibi, quid sentiam, ipse perscribam, quamuis nescio quid mihi nimiæ rigiditatis tribuitur, nec id magis hic, quàm isthic etiam à quibusdam, censerem tamen non esse de nomine pugnandum, si modò caueri posset illud, ne per indictionem Concilij detractum aliquid videretur eorum Decretorum firmitati, quæ prius in Concilio Tridentino lata fuerunt. Nam quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare, quæ definita sunt conuellere quid sit aliud non video, quàm quod ille dixit: De adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere. ferus appellor & rigidus, cùm hic isthæc inculco, & summi Iuris quàm æquitatis studiosior. Sanè mihi, qui contrarium sentiunt, videntur & Ius & æquitatem omnem euertere. Quod enim ibi Ius, quæ est æquitas, vbi res iudicata, incognita causa, rescinditur? Sed aiunt isti, Non auditis partibus decretum esse, itaque pondus aliquod habere non posse. Atqui hoc docendum est, inquam, non dicendum tantùm. Docendum autem non alibi, quàm in ipso Concilio, vbi non solùm audientur illi qui dicunt, se inauditos esse condemnatos, sed etiam hi, qui contumaciter istos abfuisse docebunt, atque ibi demùm iustis vtriusque partis cognitis decernetur. Num admittendi sint ad ea conuellenda, quæ semel iam sunt rectè constituta, quod quandiu decretum non fuerit, nos qui per DEI gratiam sumus & vocamur Catholici, de possessione eorum, quæ rectè sunt sub Paulo tertio, & Iulio tertio iudicata, deturbari non debemus. Vt autem suspicionem illam effugerem, in quam hic incurri, quasi nimis durus sim & inflexibilis, & hoc addidi. Etiamsi decretum fuerit in Concilio, quòd nullas iustas causas attulerint isti, cur semel res iudicatæ rescindi debeant. Vt his eadem de re iudicium adipiscantur, mihi tamen videri facilè Patres adductos iri, si quis fortassis ex illis dubitet, vt aliqua in re sibi non satisfactum esse dicat, rationemq; reddi cupiat, vt aliquos ex corpore suo designent, qui doceant dubitationes, & rationem decretorum reddant. Quo dicto meo, videntur animi nonnullorum esse tamen mitigati. Sed hac de re satis durè scribuntur à te. Sunt eiusmodi, nihil vt magis piè, magis prudenter, magis appositè ad rem præsentem scribi potuerit. Sed vtinam tam facilè præstari possint hæc, quàm facilè vel dicuntur, vel scribuntur. Si quis alius, tum ego quoque longissimè me ab ijs abesse video, quæ tu rectè à nobis exigis. Intereà tamen accusor, quòd zelum quendam habeam inconsideratum, cùm non alia res tantam religionis perturbationem tantamq; rerum omnium confusionem, in ijs terris attulerit, quàm zelus quorundam nimis consideratus. Nam dum omnia metuimus præter Deum, fit vt offenso Deo metuere cogamur, modò non vmbram nostram. Quòd si superaret in nobis Dei metus, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam, non solùm non metueremus quenquam hominum, sed metuerent nos illi potius, ac summam apud omnes auctoritatem obtineremus. Vtinam autem & meus zelus non esset consideratior, quàm oporteret, qui nulla adhuc in re satis illum fortem & constantem declarasse mihi videor. Sed est hoc apertissimum iræ diuinæ signum, quòd viui videntesq; perire malunt homines, quàm aliquid quod parùm iucundum auribus accidat, audire. Crede mihi, quod me iam magna capit satietas huius fabulæ, quam nunc ago, nec aliud magis cupio, quàm vt ad illius catastrophen quàm celerrimè peruenire liceat, ac rebus vtinam ex animi sententia confectis. Prius oues meas visendi mihi potestas concedatur, quàm ad Concilium venire sit necesse. De Illustrissimo Cardinale Carpen. nihil tam à te scribi potest magnificè, quin id superet etiam virtus illius. Quem tanta in me suæ voluntatis inclinatione propendere, credibile non est quantoperè gaudeam. Idq; tantò magis, quod nulla adhuc mea erga illum merita constiterunt. De quo benè merendi si qua daretur occasio, nollem addictissimi hominis officium prætermittere, qui per te diligenter commendari cupio. Datum Viennæ. 1560.

Danieli Archiepiscopo Moguntino Electori. Epistola XXI.

Quod optimus Pontifex Germaniæ potissimum tranquillitati prospectum cupiat: & vt ipse quoque in idem studium incumbit, hortatur.

EST quod agamus Deo gratias, cuius beneficio factum est, vt nobis difficillimis temporibus his, Pontifex talis contigerit, qui summa cura cùm aliorũ Regnorum tũ Germaniæ præsertim tranquillitati prospectum, & quicquid est in ea dissidiorum, id omne sublatum cupit. Neque enim credi satis potest, quantum ex hoc Ecclesiæ statu cruciatum animi capiat, cùm nihil in eo non luxatum, nihil suo loco non dimotum videre liceat. Quam à modicis autem in speciem rebus tantæ conuulsionis exordium factum est? Nam initio de speciebus tantum Sanctissimæ Eucharistiæ litigatum, deinde numerus eorum est imminutus, paulò pòst omnia sunt sublata, sacrificium etiam ipsum externum, quæ propriè diuinitati debita seruitus est, abolitum, ad extremum eodem exemplo, verbi quoque ministerium externum abrogatum, & eò res perducta est, vt scripturis scripturarum authoritate sit omnis authoritas detracta. Quibus ex rebus tantò maiorem dolorem Sanctitas illius concepit, quantò magis ad officium suum intelligit propriè pertinere, vias vt omnes & rationes persequatur, quibus tantis Ecclesiæ vulneribus mederi possit. Itaque huc illius curæ referuntur omnes, & in hac vna cogitatione consumuntur. Cupit Sanctitas eius pro virili sua, quod infirmum est, consolidare, quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, quod abiectum reducere, quod perierat quærere, non cum austeritate & potentia imperando, sed in spiritu lenitatis cunctos instruendo & hortando. Quotquot ad Ecclesiæ matris gremium redire voluerint, eos obuijs, quod aiunt, vlnis exceptura, non minore gaudio, quàm quo prodigum filium ad se reuersum in Euangelio patrem legimus recepisse, proprijs etiam humeris errantes oues magna cum alacritate ad Ecclesiæ caulas reportatura. Quam etiam ob causam ad omnes Reges & Principes Christianos Nuntios suos misit, nullum verè pij Pontificis & boni Pastoris officium prætermissura. Me verò ad Maiestatem Imperatoriam, & ad subiectas illi terras Nuntium designauit. Sed qui sumus nos, qui quod mandatum nobis munus est id pro eo, vti rerum postulat difficultas, exequi valeamus. Nos plantare possumus, rigare possumus, emplastra vulneribus adhibere possumus, verùm incrementum dare, salutemq; rebus tam afflictis adferre, non potest nisi solus Deus. Domini est salus, & vana salus hominis. Solus est Deus qui nauiculam hanc Ecclesiæ tot & tantis tempestatibus atque procellis diu multumq; iactatam & agitatam ad optatum tranquillitatis portum perducere queat. Ad hunc itaq; confugiendum, huius præsidium supplicibus votis Pontifex esse censuit implorandum. Ac Pueros diuinam D. Vestram hortatur, vt populum admoneri faciat, quò pro fœlici consiliorum Sanctitatis eius exitu Deum diligenter orent: Orent autem in fide, nihil hæsitantes, certa cum spe futurum, vt preces illorum placatus exaudiat. Quid enim? Num de potestate illius, an verò de voluntate dubitabimus? Qui potuit olim ex Publicanis, ex persecutoribus, ex blasphemis Apostolos: qui potuit ex latronibus facere ciues paradisi: qui potuit ex lapidibus suscitare filios Abrahæ. An eundem nunc quoq; non posse credemus, auferre quibusdam cor lapideum, & dare cor carneum, vt legem charitatis in suis cordibus inscribi patiantur, & memores vnde exciderunt ad vnitatem Ecclesiæ reuertantur? cùm præsertim quem suæ diuisionis fructum cœperint oculis ipsi suis cernant, ac modò nõ manibus cõtrectent, tot varijs ex vna secta sectis tam dissectis. An verò minus eum velle putabimus, quam velle voluit. Quem non alia de causa venisse scimus in hunc mundum, quàm vt quæreret & saluum faceret quod perierat. Non est abbreuiata manus Domini, non est aggrauata auris eius, vt non exaudiat, Æquè nunc potens, æquè benignus est, & misericors vt fuit antè.

Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non est in illo, fuit, aut erit, sed est tantum. Magis ille pronus est ad miserendum, quàm simus nos ad illius misericordiam implorãdam plena cum fiducia. Cæterùm iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum nostrum, & peccata nostra absconderunt faciem eius à nobis ne exaudiat. Quamobrem hoc inprimis populum per sacerdotes admoneri iubeat, vt vita sua in melius commutata, sic demùm diuinam misericordiam tantò maiore cum fiducia implorent. Datum Viennæ xxx. Maij. Anno M. D. LX.

Guilhelmo Duci Cliuensi. Epistola XXII.

Pontificis nomine benedictionem impertit, & ad perseuerantiam in fide Catholica adhortatur.

VMS. D. N. me Nuncium ad Maiestatem Cæsaream designasset, dedit mihi negotium, vt si qua sese eius rei offerret occasio, Vestram quoque Illustrissimam D. illius nomine viserem, paternam benedictionem illi impartirer, & quas ad eam dedit literas offerrem. Quoniam verò non est hactenus occasio data, vt coram ipse Illustrissimam D. vestram conuenirem, præsentem autem hic adesse cognoueram Curiæ illius Magistrum, quod coram non licuit, saltem per literas faciendum esse putaui. Itaque mitto Illustrationi vestræ, quæ scripsit ad illam S. D. N. qui magnam ex eo consolationem capit, quod audit Illustrissimam Vestram in ea religione, quam à sanctis suis maioribus per manum sibi traditam accepit, magna cum laude constanter perseuerare. Quod ipsum cùm ex P. Gitardo quoq; cognouisset, qui nunc apud Cæsaream Maiestatem verbi ministerio fungitur, ingenti sum affectus ipse quoq; lætitia, neq; tenere me potui, quin animum hũc verè Christiano, Catholico, & Orthodoxo Principe dignum Illustrationi vestræ plurimũ gratularer. Quam simul S. D. N. verbis hortor, & moneo, vt memor illius, quod à Christo seruatore nostro dictum est: Non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit. Extrema cum primis contexat, & huius constantiæ suæ maiora, & in dies clariora det documenta. Neq; satis officio suo se functuram esse putet, si seipsam ab omni hæretica labe puram & incontaminatam seruet. Verùm qualis est ipsa, tales & suos omnes præstare conetur, atq; omni ratione prouideat, ne qua vel minima in re cuiquam ab Ecclesia Dei discedendi potestatẽ permittat. Nam nihil est facilius, quàm parere Sathanæ per membrum aliquod suum dicenti, Mitte te deorsum, Scriptum est enim, &c. Sed posteaquàm semel mittere se deorsum aliquis cœperit, iam non est in illius potestate, quo minus in imum vsq; præceps feratur prohibere. Quamobrem saluberrimum fuerit illud, quod à Poëta scriptum est, obseruare, Principijs obsta, serò medicina paratur. Habet adhuc Illust. Vestra, vt audio, dictionem suam ab hæretica contagione magis immunem, quam quisquam alius ea Principibus Imperij, quo facilius suos in officio continere potest. Quod eam libenter esse facturam pro sua erga Deum pietate, & erga sanctam Sedem Apostolicam obseruantia, nihil dubito, cùm præsertim suis ipsa cernat oculis, posteaquàm semel discessionis ab Ecclesia Dei factum est initium in Germania, ex vna secta quot sint deinceps natæ sectæ mirabiliter inter se dissectæ. Quæ vel sola res deterrere hominem Christianum debet, quò minus vnquàm animum inducat quacunq; tandem in re se ab ea Ecclesia separare, in qua maiores nostri, quorum plurimi fuerũt insigni sanctimonia prædi ti, tanta cum constantiæ laude vixerunt. Qua de re pluribus agerem cum Illustrissima D. V. Sed currentem, quod aiunt, incitare necesse non est. Quamobrem nihil aliud in præsentia, quàm me quoq; ipsum Illust. D. V. commendo omni officij, obsequij, & seruitutis meæ genere, talem illi me præstare semper paratus, vt nullum in me addictissimi seruitoris & amici officium requirere possit. Quo loco vt me habeat ab Illust. V. peto. Non fallam illius opinionem de me, Quam diu saluam esse cupio, meq; illius gratiæ commendo. Datum Viennæ X. Iunij, M. D. LX.

Alberto Duci Bauariæ. Epist. XXIII.

Laudat eius in fide Catholico tuenda constantiam, & ad perseuerantiam hortatur.

MAgis indies atque magis grati rumores ad S. D. N. perferuntur de studio Vestræ Celsitud. erga S. sedem Apostolicam, & in fide Catholica tuenda & conseruanda constantia singulari: quod ita sit super petram fundata, nullæ vt pluuiæ, nulla fulmina, nulli venti de statu suæ mentis Celsitud. Vestræ dimouere queant. Qua ex re credi satis non potest, quantam Sanctitas eius accipiat voluptatem. Nam cùm in hanc inclytam Austriæ domum, qua sub cœlo nulla est illustrior egregia quadam suæ voluntatis inclinatione propendeat, non sibi, quàm illi melius esse cupit. Quamobrem nihil est, quod auribus illius iucundius accidere queat, quàm cùm ea prædicari de illa audit, quæ sunt cum illius laude fœlicitateq; coniuncta. Quæ potest autem esse laus & fœlicitas maior in hac præsertim horum temporum difficultate, quibus in errorem duci videmus etiam ipsos propemodum electos, quam si quis in ea quam à Sanctis suis maioribus sibi per manus traditam accepit, religione constans permaneat. Quod cùm facere Celsitud. Vestrã orbi testatum sit vniuerso, laudat eam hoc nomine Pontifex, & amat plurimum, ac animum hunc verè Christiano Catholico & Orthodoxo Principe dignum illi gratulatur, simul amanter vt filium suum charissimum admonet, quo memor illius, quod scriptum est: Non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit. Extrema cum primis contexat, & suæ huius constantiæ maiora det indies documenta. Neque satis esse putet, si se ipsa ab omni hæretica labe puram & incontaminatam conseruet: verum qualis ipsa est, suos quoque tales præstare conetur, ac si quos aberrare contingit, eos in viam reuocandos curet. Qui nunc sit Germaniæ status, videt Celsitud. Vestra. Quæ fuit olim terra vnius labij & eorundem sermonum, in qua multitudinis credentium cor vnum & animam vnam videre licuit: eam nunc in tot sectas mirabiliter inter se dissectas, ita miserandum in modum dissectam cernimus, nihil vt in ea integrum, nihil non conuulsum sit & labefactatum. Inter manus immanium Barbarorum, qui CHRISTVM in crucem egerunt, integrum, nihilominus CHRISTI corpus in cruce permansit, vt impleretur, quod scriptum est: Os non comminuetis ex eo: nunc, proh dolor, inter manus Christianorum non est integrum corpus illud CHRISTI mysticum Ecclesia, pro quo suum ille verum & viuum corpus in mortem tradidit. Cùm sit illud comminutum, totq́ue ex eo particulas factas videamus. Maiorem quàm credi facilè possit, ea res animi cruciatum, & ingentem adfert Pontifici sollicitudinem, dum vias & rationes omnes quærit, quibus his tantis Ecclesiæ vulneribus mederi liceat. Huc illius curæ referuntur omnes, & in hac vna cogitatione consumuntur. Cupit pro virili sua quod infirmum est consolidare, quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, quod abiectum reducere, quod perierat quærere, non cum austeritate & potentia imperando, sed in spiritu lenitatis instruendo, & hortando. Quotquot ad Ecclesiæ matris gremium redire voluerint, eos obuijs, quod aiunt, vlnis exceptura non minore gaudio, q̃ quo prodigum filium ad se reuersum, pater in Euangelio legitur excepisse. proprijs etiam humeris errantes oues ad Ecclesiæ caulas magna cum alacritate reportatura, nec eorum quæ putauerit ad salutem ac tranquillitatem Ecclesiæ procurandam pertinere quicquam prætermissura. Quam ad rem ex animi sententia conficiendam, cùm & consilium Regum ac Principum Christianorum auxilium requiri videatur, alios quidem alio, me verò ad Maiestatem Cæsaream Nuncium designauit, vt cum illa de ratione redintegrandi CHRISTI corporis, & de modo quo pristina posset Ecclesiæ tranquillitas restitui, consilia communicem. Quoniam verò non ignorat S. eius, quàm sit ardens Celsitud. Vestræ zelus, in Catholica & Orthodoxa religione tuenda, ad illam quoque refugium vt haberem, ac fidem illius, quoties vsus foret, implorarem, præcepit. Quòd certò sibi persuadet, Celsitud. Vestram mihi quamlibet indigno S. eius nuncio, neque consilio, neque auxilio suo defuturam. Quæ quantò plus curæ, diligentiæ, laboris posuerit in in motibus istis tranquillandis ac tempestatibus & procellis, quibus miserè iactatur atque agitatur Ecclesia, sedandis, hoc sibi maiorem apud Deum gratiam demerebitur, tantoq́ue sibi eum magis propitium experietur. Qui quos Reges & Principes Ecclesiæ suæ præstò semper adesse videt, nunquam eos fauore auxilioq́ue suo destituit, ac non in hac modo vita prospera & fœlicia cuncta largitur, verùm & in futuro bonorum eorum reddit participes, quæ nec oculos vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Porrò quod ad ipsum Pontificem attinet, Christi vicem in terris agentem, ab eo Celsitud. Vestra ea officia expectabit omnia, quæcunque à verè pio & amante sui patre sperare bonus filius, & expectare potest. Non fallet hanc de se Vestræ Celsi expectationem. Datum 1560.

Martino Zborovvsky Palatino Posnanienſi. Epistola XXIIII.

Gratulatur illi, quod filius eius Andreas ad Ecclesiam rediit.

EST quòd. D. Vestra lætetur, est quod agat Deo gratias, cuius hoc est insigne beneficium, quòd filius hic illius D. Andreas, qui mortuus erat, reuixit, qui perierat inuentus est: Nam cùm varijs & peregrinis quibusdam doctrinis abductus, & in aliud nescio quod Euangelium translatus fuisset, singulari Dei misericordia factum est, vt ad illud Euangelium reuerteretur, quod ab ipsis Apostolis per longam Episcoporum & Sacerdotum successionem, per manus nobis traditum accepimus. Quod non est Lutheri, neque Philippi, neque Caluini, sed ipsius Christi Euangelium, quod iam inde à 600. annis ita recepit Polonia, nunquam vt illud sibi deserendum putauerit, nisi posteaquàm paucis his superioribus annis insanire nonnulli cœperunt. Huc accedit, quod qui sub Euangelio Lutheri feroculus esse dicebatur, sit nunc, vt audio, mutatus in alium hominem, posteaquàm Euangelium CHRISTI est amplexus, vt placidis cumprimis esse moribus iam feratur & miti quodam ingenio. Pietate verò tanta, vt æquales eius perpaucos reperire simileis liceat. uoQ nomine non possum, quin Dominationi Vestræ plurimum gratuler. Habet hic filius Dominationis Vestræ multas præclaras dotes, quibus affatim à Deo est ornatus. pollet ingenio, in literis progressus fecit maiores, quàm pro ætate, neque desunt illi cætera vel corporis, vel fortunæ bona. Quæ tamen omnia nulla forent, si essent (quod caput est omnium rerum) pietate re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

religioneq; destituta. Quamobrem cùm & hac excellere videatur, dignus est quem singulari quodam amore D.V. prosequatur. Bonam de illo spem concipio, si Deus illum incolumem seruauerit, quod D. Vestræ, quin & nobilissimæ familiæ illius, atque adeò toti patriæ nostræ, magno futurus est ornamento. Qui quamuis apud D.V. cùm sit filius & talis filius, qui sicut scriptura loquitur, patrem lætificat, commendationis non egeat, tamen pro eo amore, quo & ipse præclaram hanc illius indolem complector, tenere me non possum, quin eum etiam atq; etiam D.V. commendem, cumq; videat eum studio quodam minimè vulgari bonarum literarum flagrare, non dubito quin pro paterna sua erga illum charitate prouisura sit, vt quoad per ætatem liceat, pectus suum illis expolire queat. Quod vt factat, etiam atq; etiam à D.V. maiorem in modum peto. Non de illo magis, quàm de patria malè mereretur D. Vest. si tam nobile ingenium bonis artibus magis excolendum non curaret, cùm ex eo plurimum olim emolumenti ad patriam redundaturum, firmiter persuasum habeam. Sed & illud à D.V. maiorem in modum peto, cùm non ignoret, in quanto nunc discrimine communis patria nostra propter conuulsam & labefactatam in ea religionem versetur, quot sectæ quamq; dissectæ natæ sint ex vna secta, quibus scinditur incertum studia in contraria vulgus, velit in eam curam & cogitationem incumbere, vt viæ aliquæ & rationes inueniri queant, quibus ista sectarum diuersitas aboleri, & quæ fuit ante decem aut viginti hos annos in Polonia tranquillitas, restitui queat: vt sit, sicut anteà fuit Polonia, vnius labij & eorundem sermonum, sit in ea multitudinis credentium cor vnum & anima vna, sit illa Ciuitas Hierusalem, cuius participatio in idipsum, vt quod subinde Paulus hortatur. Idipsum sentiant, idipsum dicant, idem sapiant omnes, & amoris inter se benetuolentiæq; potius, quàm istarum pugnatium opinionum certamen suscipiant. Quo magis autoritate valet D.V. hoc maiore studio periclitanti patriæ succurrere tenetur. Nam certè actum est de illa, nisi fuerit oportunum aliquod remedium repertum, quò saluti illius prospici queat. Quoad vixit Archiepiscopus ille prior, quem virum quidem bonum, sed literarum rudem fuisse scimus, vt si maximè voluisset, ea tamen quæ fuerant sui muneris, præstare minimè potuisset: nihil erat quod aliquam ijs morbis, quibus Patria nostra conflictatur, medicinam factam iri speraremus. Nunc per Dei gratiam talis est Archiepiscopus & Regni Primas nobis datus est D. Przerembskij, qui quamuis non ita grandis ætate, grandis tamen ingenio est, in quo neq; prudentia, neq; doctrina, neq; vitæ honestas sacrarumq; literarum peritia desiderari queat, vt non possim, non optimam de eo spem concipere, facturum eum diligenter, vt memor suæ vocationis, omnes quod aiunt, neruos animi ingenijq; sui in eo intendat; vt nutantem religionis ergo Patriam sustentare, & ab interitu, qui nisi nos oculis misericordiæ suæ respexerit, iamiam certissimus illi impendere videtur, eam vindicare possit. Cum hoc D V. consilia sua coniungat, & eum adiuuare dignetur. Quod cùm fecerit, nihil dubito quòd Deus incrementum sit daturus. Est ille Primas Regni, Est vestra quoq; D. inter sæculares Regni Senatores Primas Poloniæ maioris. Si fuerint inter vos coniuncta consilia, si pari studio in seruandam ab interitu Patriam, & hæreses ab ea extirpandas, in pristinam pacem & concordiam conciliandam incubueritis, si nihil aliud in eare, quàm Dei gloriam, Patriæq; salutem vobis esse spectandam putaueritis, certa spes tenet animum meum facturum Patrem illum misericordiarum, & Deum totius consolationis, vt pijs & sanctis vestris conatibus, ne desit, & eis optatum exitum largiatur. Quod vt illius nobis misericordia contingat, & ipse quamuis indignus peccator, supplex à Deo precari non intermittam, & alios, vt faciant, incitare conabor. Datum Viennæ X. Iulij. Anno M. D. LX.

Martinus Zborovvsky Palatinus Posnanien. Hosio Cardinali. Epistola XXV.

Respondet ad gratulationem præcedentem.

SANE ex literis R. D. V. intellexi de perdita oue, quæ denuò restaurata est in fidem Sedis Romanæ Apostolicæ siue Papalis, quod est liberum arbitrium, credere vnicuiq; Christiano prout in eius conscientia apparet. Ego filio meo nullo modo renuo, talem fidem tenere, nec etiam omnibus filijs meis, & hoc hãc ob causam, quod nemo potest sapere, quo spiritu aliquis conscientiam suam onerat. Si verò id voluitur ex Spiritu sancto, & Filius Dei eum traxerit, fiat secundum voluntatem eius. Datum Stobnica, XV. Septembris. Anno M.D. LX.

Martino Zborovvsky Palatino Posnanensi. Epistola XXVI.

Ostendit fidem non esse nisi vnam, & quòd non est liberum vnicuiq; credere prout apparet in eius conscientia.

Romana fides eadẽ est quæ Catholica.

DE oue perdita Sathanæq; fraudibus miserè seducta, est quod gaudeat D. V. quòd ea tandem inuenta, Christiq; sit ouili restituta. Nam quæ Romana & Apostolica, siue Papalis, vt vocat D.V. eadem Christi est Ecclesia. Itaq; quisquis à Romana fide desciscit, idem à Christiana fide desciuisse credendus est: Nam eadem est Romana quæ Catholica fides. Quæ non propterea Romana vocatur, quod mœnibus tantùm Vrbis Romæ terminetur, absit vt Ecclesiam & fidem

fidem Christi tam angustis terminis circumscriptam velimus, sed propterea, quod per quos Religio nostra sumpsit exordium, eorum vterque Petrus nimirum & Paulus doctrinam suam in Romana Vrbe sanguine suo obsignatam reliquit. Alter verò Pontificatum in ea gessit, à quo post longam Pontificum Romanorum successionem eam quam retinemus fidẽ, nos qui per Dei gratiam sumus & vocamur Catholici, nobis per manũ traditam accepimus. Et cùm aliæ Patriarchales etiam Ecclesiæ non semel à fide Christiana defecerunt, sola est Romana Ecclesia, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, ad quam nunquàm accessum habere perfidia potuit, quæ nunquam Hæreticis nouitatibus depranuanda succubuit, sed quam ab exordio fidei Christianæ normam ab ipsis Apostolis accepit, in ea semper illibata permansit, cùm interea quot quot ab illa defecerunt, ij subinde fidem doctrinamq; suam variauerint. Quod etiam in Polonia paucis istis superioribus annis fieri cœptum esse Dom. Vest. suis ipsa cernit oculis. Adeò nulla certa est apud eos fidei regula, nulla stabilis & fixa doctrina, qui ab hac fide & Ecclesia Romana desciuerunt. Quam quod Apostolicam vocat Domin. Vest. in eo mihi præclarè sentire videtur, nusquàm enim est alibi extra illam Apostolica doctrina, & legitima Apostolorum successio. Quod autem Papalem appellat: etsi quàm sit odiosum nunc Papæ nomen non ignoro, tamen quin pio Catholicoq; animo scriptum sit à Dom. Vest. nil ambigo. Video quòd qui à CHRISTI fide, quæ eadem est Romana fides & Ecclesia defecerunt, ijs nihil magis est propositum, quàm vt legitimam potestatem à Christo institutã euertant: ac incipiunt illi quidem à Papatu, quem omnibus machinis expugnare conantur, sed interea tamen ijs finibus nequaquam contenti, etiam de reliqua potestate, quam sæcularem vocant, tollenda, consilia capiunt. Quid factum sit apud finitimas patriæ nostræ gentes, non ignorat Dom. Vestra: verùm & apud nos qui sibi pro sua libidine Episcopos eligendi potestatem vsurpant, quos nominandi patrum & auorum nostrorum memoria non alij, quàm Reges ipsi facultatem habuerunt, audio quòd ijdem illi, spreto & contempto sicut Ecclesiastico, sic & sæculari legitimo Iudice, sibi ipsis Iudices eligere dicuntur, coram quibus non magis de spiritualibus quàm de sæcularibus causis disceptatur. Quid posteà sit sequuturum, dies nobis faciet manifestum. Malo id in opinione D.V. relinquere, quàm in literis ponere. Non possum autem, quin laudem D.V. quæ quam Romanam & Papalem, eandem vocat Apostolicam fidem. Cæterùm hoc non laudo, quod scribit liberum arbitrium esse debere. Credere vnicuique prout in illius conscientia apparet. Quamuis enim fieri possit, vt & hoc ab optimo illius animo sit profectum tamen, quod pace dictum sit, D. V. in eo vehementer errat. Dedit quid ẽ nobis Deus liberũ arbitrium, & reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata si voluerit ea conseruare, conseruabunt eum, apposuit aquam & ignem, ad quod voluerit vt manum suam porrigat. Posuit ante eum vitam & mortem, bonum & malum, vt quod placuerit sequatur. Addam & hoc, quod ad fidem cogi neminem voluit, quæ causa etiam est, quòd nemo vel Iudæus vel Ethnicus vel infidelis ad fidem nostram Christianam compellitur: sed à fide desciscere, quo minus vnicuiq; liberum esset, legitimam potestatem & Ecclesiasticam & secularem constituit: quorum alteri cognitionem de sana doctrina, simul & è cœtu piorum impios eijciendi, alteri pœnis quibusdam alijs, quæ sunt legibus præscriptæ eos coërcendi potestatem concessit. Qua de re nolo pluribus. Quòd si vacaret D. Vest. cuperem ab ea legi 48. & 50. Epistolam D. Augustini, quæ sunt in secundo Tomo, ibi reperiet. An sit liberum vnicuique credere vt vult. Quoniam verò illi nõ vacat, faciat hoc filius eius, qui nuper ex Lutherano factus est per Dei gratiam Christianus. Fides nostra non est singularis, sed est Catholica fides, & in Symbolo nostro profitemur, nos credere sanctam Catholicam Ecclesiam. Quod cum dicimus, & illud simul profitemur, non quod nobis videtur, sed quod Ecclesia credit, & sentit vniuersa, nos quoque credere, nostrumq; de doctrina fidei iudicium, illius iudicio submittere. Absit igitur, vt quisque credat, sicut scribit D.V. prout in illius conscientia apparet. Hoc iam esset non Catholicam, sed singularem aliquam & propriam fidem habere, & ab Ecclesia Catholica se dividere, extra quam salus est nulla. Posteaquàm hanc nonnulli sunt opinionem sequuti, vt putarent licere sibi credere, quicquid appareat in eorum conscientia, quorsum res redacta sit videmus. Nam & nostris temporibus, eadem nobis dicere licet, quæ suo sæculo dixit Hilarius. Periculosum admodum atque miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas esse quot mores, & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt, dum aut ita fides scribuntur vt volumus, aut ita vt volumus intelliguntur: & dum secundum vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum Baptisma etiam fides vna sit, excidimus ab fide quæ sola est, & dum plures fiunt ad id cœperunt esse, ne vlla sit. Mihi quidem hæc verius de nostro, quàm de eo sæculo, quo vixit Hilarius dici posse videntur. Non est opus longius abire D. V. non procul nunc abest à Pinczouia, vbi ante annos iam propè decem istud Cacangelium potius quàm Euangelium cœpit originem, num ipsi eiusdem illius Scholæ Magistri non se mutuò vocant hæreticos? Certè Stancarum parum abfuit, quin flammis traderent, qui tamen non maior est hæreticus, quàm ij qui diuersum ab eo Pinczouiæ sentiunt, vt si fortè minus apud aliquos habet ponderis Catholicorum iudicium, Pinczouiensium de se mutuò iudicio, tribuere tandem aliquid debeant, qui cùm sint in duas aut etiam plures fortasse partes diuisi, vtraque pars hæresis condemnat alteram. Nec est dubitandum, quin verum vtraque dicat. Sic sit vbi quisque sibi liberum esse vult, credere quod apparet in eius conscientia. Non ita maiores nostri, qui mortem etiam obire prius parati fuerant, quàm ab eo fidei articulo discederent. Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam. Non quod somniaret quisque in sua conscientia, quæ sæpè fallere potest ho-

Romana Ecclesia insignis prærogatiua.

Non est liberum credere cuiq; prout vult.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mines, præsertim imperitos, quales ex magna parte sunt, qui nouas istas opiniones apud nos sequuntur, sed quod Ecclesia doceret, id sibi sequendum esse putarunt. Diuersum ab illa sentientes, haud aliter atque viperam vel basiliscum fugiebant, ac non modò cibum eum eorum quoquam non sumebant, sed nec Aue dicebant ei, qui doctrinam Ecclesiæ non recepisset. Neque dubitabant vbi esset Ecclesia: sed cùm se Christianos esse, parentibus, auis, proauis, atauis, abauis etiam Christianis propagatos nihil ambigerent, eos Ecclesiæ membra fuisse minimè dubitabant. Itaque eorum fidem sequebantur, & quod à maioribus suis sibi per manus traditum acceperunt, in eo summa cum laude constantiæ ad finem vsque vitæ suæ perstiterunt. Quos qui reijciendos esse putant, & nouas istas opiniones amplectendas, nónne potest illis dici, quod quibusdam ante multa sæcula dixit Athanasius: Quòd si male senserunt Patres nostri, cesset eorum omninò memoria. Ito ergò vos ipsi & eruite eorum reliquias ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & eos fuisse seductores, aut, vt nunc vocant, Idololatras, & vos parricidas esse. Eat vnus, & eruat è sepulchro laudatissimi Cardinalis illius Sbignei, qui Pinczouiæ castrum ædificauit, reliquias, quandoquidem ab istis Idololatriæ condemnatur. Eruat alius Iohannis Conarski, alius verò Petri Tomitzki, quorum vterque sicut multarum aliarum virtutum, sic pietatis laude fuit insignis, denique eijciat patris quisque sui, aui, proaui, & atauireliquias è sepulchris, quandoquidem omnes illi, si fidem habemus insanis istis capitibus Idololatriæ fuerunt. Quæ potest esse maior quàm est hæc impietas, quæue magis execranda crudelitas, ita de maioribus suis sentire, quos piè DEVM coluisse constat? Sed sic fieri necesse est, quandò quisque sibi liberum esse vult, non quod Ecclesia Catholica vult & docet, sed quod sibi apparet in sua conscientia, credere. Apparet vni conscientia sua, quòd non debeat esse neque Sacerdotium, neque sacrificium, qua ratione DEVS ipse quodammodò in ordinem cogi videtur: apparet alij falsum esse, quod CHRISTVS dixit: Hoc est corpus meum, sed significari tantum corpus, esse figuram vel virtutem corporis: apparet tertiò, quandoquidem dixit CHRISTVS: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et: Docete omnes gentes baptizantes eos. Et Paulus quoque, Vna fides, vnum baptisma, propterea non debere quemcunque baptizari, nisi fidem habeat actu, atque ideò paruulorum Baptisma nihil valere, & eos esse rebaptizandos. Apparet quartò, Quandoquidem à Propheta scriptum est: Audiam quid loquatur in me Dominus. Et rursus: Beatus vir, quem tu erudieris Domine: quin & ipse CHRISTVS docuerit. Nolite plures fieri Magistri, quoniam vnius est Magister vester in cœlis. Non est igitur fidendum scripturis, multò minus autem ferendum, esse externum verbi seu prædicationis ministerium, sed de cœlo reuelationes expectandas, vt ille nos doceat, qui solus est verus Magister. Sed quorsum attinet enumerare singula, si liberum erit vnicuique credere, quod apparet in illius conscientia. Tot erunt fides, quot voluntates, nec vlla certior est & celerior ad interitum via, quàm vt quod vult cuique credere, quod vult cuique facere liberum sit. Ibi enim nullus iam videtur esse Magistratus, nulla legitima potestas, & sic vt præclarè dixit ille. Dum plures fiunt fides, ad id cœperunt esse ne vlla sit: ad extremum enim peruenitur eò, vt dicat insipiens in corde suo, Non est DEVS. Quod etiam factum esse, iam non temerè queritur Iohannes à Lasko, cùm ad Atheismum homines inclinare dicit. Multò maior ex eo pernicies existit, si liberum cuique sit, quod apparet in conscientia sua credere, quàm si liberum sit furari, vel occidere, vel quæuis alia, quamuis horrenda flagitia patrare. Adeò schisma vel hæresis multò grauius crimen est, quam quoduis aliud. Quinetiam cætera omnia, si in vnum conferantur, cum schismate vel hæresi collata, festuca sunt cum trabe comparata. Quod etiam pœnæ testantur, quas in scripturis grauissimas Deum exegisse legimus, de ijs qui separationis consilia sunt secuti. Quæ certè nobis pertimescendæ sunt, nisi DEVS mentem quibusdam inspiraverit meliorem. Sed hac de re satis. Non possum autem, quin iterum atque iterùm laudem Domin. Vest. quòd scribit, se filium non impediturum, quominus ei liceat Christiano potius esse, quàm Lutherano. Nam fides, quæ fides quidem dici meretur, non est nisi vna, & ea Christiana, extra quam si quæ esse alia fingitur, eam non fidem, sed perfidiam rectè vocari verissimè docet Hilarius. Hanc itaque quod effugerit, & ad veram Christianam fidem se est conuersus, meritò gaudere debet Domin. Vest. quin & alijs autor esse, si qui fortè in simílem errorem sunt prolapsi, vt filius anteà Domin. Vest. vt Christiani potius quales fuerunt sancti maiores nostri, quàm Lutherani, siue Zuingliani dici malint. Nec de eo quicquam dubitet, quòd filius DEI traxit filium Dominat. Vestr. Vtinam autem similiter trahat alios omnes, quotquot à fide Romana, quæ eadem est Christiana, defecerunt. Non dubito, quin Dominat. Vest. magnam olim ex hoc filio suo consolationem sit accepturæ, de cuius præclara indole multa mihi polliceor. Quæ spes ne me fallat, atque vt confirmet hoc DEVS, quod operatus est in illo, simul vt reliquos etiam eodem modo, quo illum filius DEI ad se trahat. Diuinam illius Maiestatem supplex precari nunquam intermitto. Hæc ego summis in occupationibus meis pro meo erga Dominationem Vestram studio ad literas illus mihi rescribenda esse putaui, quæ vt in bonam partem accipiat quæso. Datum Viennæ. Anno M. D. LX.

Sigif-

Sigismundo Archiepiscopo Magdeburgensi. Epistola XXVII.

Admonet vt Deum precari sedulò faciat pro vnitate Ecclesiæ Dei, & Concilij Oecumenici congregatione.

QVÆ sit opinio S.D. Nostri de illustrissima D.V. ex literis Sanctitatis illius cognoscet. Præclaram is de illa spem concepit: nec; dubito, quin factura sit illustrissima D.V. vt omni ope contendat & elaboret, quo illius de se expectationi satisfaciat. Quam in rem tanto maiore studio incumbet, quantò plures ex vna sectas natas esse videt, quarum tamen vnaquæque suum Dei verbum, censeri vult. Eiusmodi autem Idola vt fugiamus monet scriptura, quæ quicquid dixerint aut scripserint, quamlibet id cum verbo Dei pugnet, nihilominus tanquàm expressum Dei verbum adorari volunt. Quod genus Idoloiatriæ nusquàm nunc exercetur magis, quàm in ea, quæ fuit olim Catholicæ & Orthodoxæ fidei tenacissima Germania, in qua tot nunc Deos videre licet, quot sunt nouorum dogmatum autores. Cum primis dolendum est, quòd quæ fuit olim terra vnius labij & eorundem sermonum, de qua rectè potuit illud vsurpari; quòd multitudinis credentium fuit cor vnum & anima vna, quod; in Psalmis dicitur: Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio in idipsum, eam in tot sectas miserabiliter inter se dissectas, ita miserandum in modũ dissectam videmus, vt non dicam in Prouincia aut Ciuitate aliqua vna, sed vix etiam in ædibus vnis reperire quando; duos liceat, qui quod subinde Paulus monet, idipsum sentiant, idipsum dicant, idem sapiant. Nihil in ea non luxatum, nihil non conuulsum, nihil suo loco non dimotum videmus. Adeò mutatus est ille color optimus, qui fuit Sanctorum Patrum nostrorum memoria, dum nihil nunc placet quod receptum, quod; per manus illorum traditum est nobis, sed suum quisq; iudicium Ecclesiæ totius iudicio anteponere non veretur. Ac vsu tandem comperimus, verissimum illud esse, quod scriptum legimus: Qui modica spernit, paulatim decidit. Nam in ijs quæ sunt in speciem leuiora, sumptum est ab Ecclesia Dei discessionis exordium. Initio nanque de speciebus tantùm venerabilis Eucharistiæ Sacramenti litigabatur, deinde numerus Sacramentorum imminutus, paulò post omnia per quosdam sublata, quin & ipsum sacrificium externum, quæ propriè diuinitati debita seruitus est, abolitum, vt sic Deus in ordinem cogi videretur, dum nullus illi præcipuus à reliquis mortalibus cultus externus tribuitur. Quid autem est posteà consequutum? Eodem exemplo quo sacrificium, verbi quod; ministerium externum abrogatum, & eò res ad extremum est perducta, vt autoritate scripturarum, scripturis autoritas omnis detraheretur. Hæc quin pijs omnibus magnum dolorem adferant, dubium non est. Sed nulli maiorem, quàm ei qui non magis nomine, quàm reuera Pius est Pontifex, qui nũc ad Ecclesiæ totius gubernacula sedet, quo nec nostra, nec Patrum aut Auorum nostrorum memoria magis Germanicæ nationis Pontifex alius studiosus fuisse videtur: cuius huc omnes curæ referuntur, & in hac vna cogitatione consumuntur, vt vias omnes & rationes inuenire queat, quibus Ecclesiarum Germanicarum tantis vulneribus mederi possit. Cupit Sanctitas eius pro virili sua, quod infirmum est cõsolidare, quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, quod abiectum reducere, quod perierat quærere, non cum austeritate imperando & potentia, sed in spiritu lenitatis cunctos instruendo & hortando. Quotquot ad Ecclesiæ matris gremium redire voluerint, eos obuijs, quod aiunt, vlnis excepturã, non minore gaudio quàm quo prodigum filium ad se reuersum in Euangelio patrem legimus recepisse. Proprijs etiam humeris errantes oues magna cum alacritate ad Ecclesiæ caulas reportatura, nec vllum verè Pij Pontificis & boni Pastoris officium prætermissura. Quam etiam ob causam ad omnes Reges & Principes Christianos, me verò ad Maiestatem Imperatoriam, & ad subiectas illi terras Nuncium designauit. Sed qui sumus nos, qui quod mandatum est nobis munus, pro eo vt rerum postulat difficultas exequi valeamus. Nos plantare possumus, verùm incrementum dare salutemq́ue rebus tam afflictis afferre, non potest nisi solus Deus, Domini est salus, & vana salus hominis. Solus est Deus, qui nauiculam hanc Ecclesiæ tot & tantis tempestatibus atque procellis, diu multumq́ue iactatam & agitatam ad optatum tranquillitatis portum perducere queat. Ad hunc igitur Pontifex confugiendum, huius auxilium supplicibus votis implorandum esse censet, ac Reuerendissimam Dominationem Vestram per me iussit admonieri, vt quos adhuc habet Catholicos & Orthodoxos Sacerdotes, eis mandet, vt populum diligenter hortentur, quo pro fœlici consiliorum Sanctitatis eius exitu Deum precentur. Precentur autem in fide nihil hæsitantes, certa cum spe futurum, vt preces illorum Deus placatus exaudiat. Et quamuis, qui nunc sit in Germania rerum status, & quàm multos in ea reperire liceat, qui nolunt benedictionem, Sanctitas eius non ignoret, quoniam tamen bona spe est, etiam in terris istis reliquisse sibi Deum septem millia, quæ non curuarunt genua ante Baal, vel ijs septem millibus gratiam Iubilei impertiendam esse putauit, quò maiore cum alacritate, quod admonentur, faciant. Quod si fortè Reuerend. Dom. V. publicè non potest omnibus, saltem cum pijs Catholicis & Orthodoxis, quos adhuc in Prouincia sua per Dei gratiam habet non paucos, gratiam hanc, cuius exemplum Dom. Vest. mitto, communicet, ac omnia faciat, vt pij verè Pij Pontificis conatus adiuuari possint. Qui cùm hanc esse potissimam rationem intelligat, qua possit Ecclesiæ cùm alibi tum in Germania præsertim vehementer fluctuan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti succurri. Si Concilium generale primo quoque tempore celebretur, de tollenda suspensione Concilij Tridentini cogitationem suscepit, & illud primo quoq; tempore continuare cupit: Qua tamen de re nihil adhuc certi constitutum est, quod secus faciendum nonnullis videtur. Intereà tamen dubium illud non est, quod primo quoq; tempore Pontifex celebrandum Concilium curabit. Qua de re non dubito, quin ipsi quoq; D. V. scripserit. Porrò quod ad me attinet, cùm sim D. V. multis nominibus deuinctissimus, priuatim etiam operam illi meam defero, qua si volet vti, in ijs præsertim quæ ad religionem pertinent, hoc sibi de me certò persuadeat, quod in causa Christi, neq; sumptum, neq; labores, neq; pericula vlla defugiam. Quid enim est, quod mihi magis expetendum esse debeat, quàm vt à quo vitam habeo, illi vitam meam impendam, si cubi id nominis illius gloria & Ecclesiæ salus postulauerit? Quam si vel morte mea repræsentare possem, tantum in Deo meo fiduciæ collocatum habeo, quòd is sit mihi hunc animum suppeditaturus, vt id minimè dubitanter facerem. Itaq; si præsentis etiam mei potestatem sibi fieri vellet D. V. dummodò fructum aliquem adferre præsentia mea possem, mihi labor ad illam proficiscendi molestus non foret. Neque dubito, quin hanc mihi facultatem S. D. Noster, pro suo singulari studio recupedæ salutis animarum in ijs terris non grauatim esset concessurus. Datum X. Iulij. Anno M. D. LX. Viennæ.

D. Michaeli Episcopo Mersburgensi. Epistola XXVIII.

Ostendit quàm sint hæretici in varias sectas dissecti. & vt in suo Præsidentis munere Catholicos tuendos suscipiat hortatur.

LItteræ D. V. Reuerendissimæ quamuis tardiores, quàm cupiuissem, pergratæ mihi tamen acciderunt. Quod pios Pij Pontificis conatus, in motibus istis, religionis ergo, excitatis, tranquillandis, commendatos omnibus reddere conatur, facit pro pietate sua, & pro Christiani, Catholici, & Orthodoxi Præsulis officio. Vtinam autem persuadere pluribus posset, vt huius iudicio se subijcerent potiùs, quàm eorum, de quibus etiam ipse Philippus Melanchton queritur, quòd arbitratu suo damnent quidlibet, non auditis personis, neq; dijudicatis rebus, quodq; vindicant sibi maiorem magisq; intollerabilem & minus excusabilem autoritatem & potestatem, quàm Papa Romanus vnquàm. Quod ipsum totidem etiam verbis de Philippo discipuli ipsius Illyricus & Gallus queruntur: nulli autem verius queri possint, quàm Catholici & Orthodoxi, quos vtriq; magistrum erroris Mart. Lutherum secuti Idololatriæ condemnarunt, seq; ab illis vltrò segregarunt non auditis personis, neq; dijudicatis rebus. An non præstaret vnum agnoscere Papam, quem semper agnouit sancta Catholica Ecclesia, iam inde à Petri temporibus in hunc vsq; diem, quàm istos ita multos noua nobis fidei dogmata quotannis condentes, ac non inter se modò, verùm etiam persæpè secum dissidentes, de quibus idem Philippus queritur, quòd Anarchiam quandam in Germania pepererint, quæ concedit licentiam prauis ingenijs fingendi monstrosa dogmata. Quale fuit etiam ipsius Philippi ingenium. Cùm initiò fuisset Christianus, factus est posteà Lutheranus, mortuus est ad extremum Caluinianus, & pro eo quid dicit Christus Hoc est corpus meum, docuit nos dicere, Hæc est κοινωνία corporis mei. An hoc est aliud esse, quàm corruptorem Euangelij? Itaq; minus miror, si qui circa venerabile Sacramentum Eucharistiæ realia & corporalia sentiunt, passim ciuitatibus & ditionibus excedunt: manent autem qui Caluino & Philippo sentiunt. Et intereà de Confessione gloriantur Augustan, cùm tamen quæ primò fuit oblata Confessio Carolo Imperatori ante 30 annos, in ea de venerabili Eucharistiæ Sacramento nihil prorsus diuersum ab Ecclesiæ doctrina reperiatur. Ibi enim claris verbis conscriptum est: Quod sub speciebus panis & vini verè & realiter exhibeatur corpus & sanguis Christi. Cuius Confessionis exemplum principibus hic ostendi, simul & hoc indicaui, perpaucos esse iam reliquos, qui sint Augustanæ Confessionis, longè maxima ex parte ad Caluini dogma inclinare omnes etiam in ipsa Saxonia, idq; Philippo authore, qui toties nobis suam Confessionem mutauit: Aliquandò enim scripsit Christianè, Sub speciebus, aliquandò Lutheranè, In, & Sub pane & vino: ad extremum Caluiniano, Cum pane & vino. Vidi autem proximis diebus ijs, Catechismum quendam Vratislauiæ editum, quem qui conscripsit, eum anxiè laborasse comperi, quam de Eucharistia sententiam sequeretur. Videbat enim à suæ farinæ scriptoribus Christianam & Catholicam pridem esse eiectam, Lutheranam etiam hisce annis superioribus reprobatam. Itaq; cùm nesciret, quomodò cœnam Domini definiret, nõ est illi visum dicere, in & cum pane, sed eam ijs verbis definijt: Cœna Domini Sacramentum est, in quo Christus, verè præsens nobis offert pane & vino corpus & sanguinem suum. Noluit iste decernere, an in, vel sub, vel cum pane, sed lectori liberum reliquit, vt ille quam vellet præpositionem adderet. Quoniam verò scriptus est idem Catechismus etiam Germanicè, in eodem libello potuit peræquè rem explicare sicut latina lingua. Εσιστ &c.

An & hoc non est monstrosum dogma? Et intereà sic sunt mentes hominum proh dolor excœcatæ, vt non videant. Quinto isto, sicut ipsi vocant Euangelio, Christianam doctrinam omnem cùm de venerabili Eucharistiæ Sacramẽto, tum de quibusdam alijs, non dicã, obscuratam, sed prorsus euersam esse. Deus est orandus, vt corũ oculos aperiat, quo videre tamen

men possint, quibus in tenebris Andabatarum more, quod est in prouerbio, secum ipsi pugnent, & ad lucem aliquandò redeant veritatis. Quod ad Aquisgranenses attinet, non putet Reuerendissima D. V. quod quæ lex lata sit in Comitijs Augustanis ante annos quinque nesciam. Non sum adeò rerum Germanicarum rudis, sciui priusquàm etiam Romam venissem à Paulo IIII. vocatus. Adhuc cùm essem in Diœcesi mea intellexi, quòd cum Christiana religione quæ ab ea discessit Augustana, quam religionem vocare, quadam religione prohibeor, fuerit æquata, & eã quam vocãt pacem religionis, legi diligenter. Sed quæso, D. V. vbi nunc est ista quiduis potius quàm religio Augustana? quam æquo iure cum Christianã quidam esse voluerunt? Nónne ab illis ipsis, qui se Confessionis Augustanæ gloriantur prorsus est explosa, idq; non in vno doctrinæ capite. Quòd ego non magis Catholicorum, quàm ipsorum etiam aduersariorum Flacci, Galli, Vigandi, & aliorum eiusdem farinæ testimonijs docere possem. Quorsum itaq; prætenditur lex ista, quæ non perfidiam Caluinianam, sed nescio quam Confessionem Augustanam, quæ perisse iam videtur, aut saltem pluribus in locis esse deprauata, eodem iure cum Christiana religione esse vult, scilicet sub istius Augustanæ Confessionis titulo, hæreses omnes, æquo iure cum Christiana fide esse debent. Nunc in Morauia cœpit initium hæc hæresis, quæ Christum Deum ex Virgine natum esse negat, sacramẽta omnia vocat præstigias Diaboli, & nescio quæ horrenda blasphemat: peruenisse iam etiam dicitur in Hungariam: num & ipsa sub hac pace religionis comprehenditur? Sat scio qui vel proscripti sunt ex Ciuitate Aquisgranensi, vel vltrò ex ea excesserunt, eorum vix quenquam esse qui sit Augustanæ, & non Caluinianæ potius aut Anabaptisticæ Confessionis. Certè qui causam proscriptorum isthic agit ex authorati Consulis Aquisgranensis filius, eum in Caluini schola educatum esse constat. Sed demus hoc quod sint Augustanæ Confessionis, qui proscripti sunt, nihilominus cùm Decretum istud de pace religionis diligenter legissem, non reperi, quòd ea cautum esset, vt Catholici Principes & Magistratus, impunè in suis Ciuitatibus, aut etiam Terris ferre tenerẽtur eos, qui vellent à Christiana Religione discedere, & Augustanam Confessionem sequi, nouosq; motus in Ciuitate Catholica, vel sub aliquo Principe Catholico excitare. Quid Treuerenis, quid Saltzburgensis Archiepiscopi fecerint, non ignorat D. V. sed nec illud eam latere debet, quòd in vicina suæ Diœcesis Misnia, de quodam Episcopo factum sit ante annos fortasse duos, qui cùm fuisset Christianus, coactus est esse tandem Lutheranus, vel Caluinianus, si restitui in bona sua, quamuis accisa voluit. Quid in Ducatu VVittembergensi factum sit de sanctis qui busdam Virginibus, quid in Coppido Phorcheim de Monachis, vt intereà de quibusdam Abbatibus & multis alijs taceam, cur hic non valet apud Iudicium Cameræ lex ista de pace Religionis per istos violata? Nam quo tempore lex ista fuit lata, fuit adhuc Episcopus Misnensis Christianus & Catholicus, nec vlla Lutherana labe contaminatus. Itidem & Virgines & Monachi videbantur comprehensi lege ista. In Aquisgranensi verò Ciuitate Catholica fuerunt omnia ante legem latam, nec notorius hæreticus in ea quisquam fuit, nulla vt lege constitui potuerit, aut sit etiam constitutum, vt aliam quàm Christianam religionem Aquisgranensis Magistratus in sua Ciuitate ferret. Egi hac de re cum Cæsarea Maiestate, quæ non dissensit ab hac mea sententia: cumq; peterem, vt ea de re conferre mecum D. Doctorem Heldium Vicecancellarium suum iuberet, fecit non grauatim, ac illi idem quoque quod mihi, visum est, qua de re scriptam etiam suam sententiam se missurum ad D. V. promisit, quam ego literis hisce meis adiunctam esse puto. Sic itaq; sibi persuadeat velim, nulla se necessitate cogi, legem vt conseruatam velit, quæ contra factum hoc Aquisgranensium lata est nulla. Gaudent omnes Catholici, quòd Præsidentem habeant Imperialis Cameræ, & Catholicum & Episcopum & iudicium hoc Cæsareæ Maiestatis in eligendo tali Præsidente satis laudare non possunt. Etiam atq; etiam à D. Vestra peto, quod eam vltrò facturam esse nihil dubito, vt solidum ac diuturnum hoc eorum gaudium esse velit, vt quibuscunq; potest honestis rationibus Catholicos & Orthodoxos per omnem occasionem tuẽdos & defendendos suscipiat, Aquisgranenses præsertim, qui certè singulare quoddam suæ erga Christum pietatis & in fide Catholica constantiæ, animiq; fortitudinis documentum dedisse videntur, quo nomine tantum abest, vt aliquid illis periculi creari debeat, summis vt etiam præmijs & honoribus propter hãc erga Christum pietatem eos affectos oportuerit. Datum Viennæ XIX. Ianuarij. M. D. LXI.

Pio IIII. Pontifici Maximo. Epist. XXIX.

Agit gratias pro collata dignitate Cardinalitia.

POST oscula pedum beatorũ. Reddidit mihi Cubicularius S. Vestræ literas illius, quibus me certiorem facit, quemadmodum pro bonitate sua magis quàm pro meritis vllis meis in sacrum S. R. Ecclesiæ Presbyterorum Cardinalium ordinem me seruum suum indignum esse duxerit cooptandum. Quin & biretum purpureum huius honoris insigne manibus ipse suis capiti meo imposuit eo ipso die, quo Gabriel Archangelus lætum Sanctissimæ Virgini nuncium attulit, futurum, vt conciperet & pareret Saluatorem. Etsi autem eius rei complures testes citare possum, nec hunc, nec alium honorem vllum appetiui vnquàm, & in eo dignitatis gradu, quo me Deus prius collocatum esse voluit, facilè fueram acquieturus, hæc tamen Vestræ Sanctitatis in me plus quàm paterna benignitas, & clementia mihi tantò gratior accidit, quod nec opinanti mihi tantum hunc honorem de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferendum esse putauit. Quo nomine maiorem illi gratiam me debere profiteor, quàm vt vllis verbis eam satis exprimere possim. Et plus me certè iudicium hoc de me Sanctitatis Vestræ, quàm honos etiam ipse delectat: Qui quantò cum onere sit coniunctus, non adeò sum hebes, vt non intelligam. Sed facit præcipientis authoritas, vt recusare, quod imperatur, non audeam. Tuam enim vocem non hominis, verùm Christi per te loquentis vocem esse certò persuasum habeo. Quamobrem quiduis imperes, mihi licebit: non aliud respondebo à me feres vnquàm, quàm quod ille dedit, qui dixit: Paratum cor meum, paratum cor meum. Cor tibi paratum adfero, facultatem illi suppediter, qui per te mihi præcipere dignatur. Quæ sit horum temporum difficultas video, quibus quanto quis in locum altiorem ascenderit, tantò manent eum curæ, sollicitudines, labores, pericula grauiora, sed nec hæc ego, nec quid vires meæ possint, verùm quid imperet ille, quem per te loqui certum est & indubitatum, attendendum esse puto. Dabit is parenti vires, qui tibi me parere præcepit. Quamobrem si propterea mihi purpureum hoc honoris insigne mittendum esse duxisti, vt admonitus eo prò Dei religione, proq; fide Catholica non modò nullum laborem recusem, nullum q; certamen detrectem, verùm & sanguinem ipsum, si sit vsus, vna cum vita profundere nihil dubitem, paratum cor meum, paratum cor meum. Vtinam autem hoc me tantò honore Deus dignaretur, vt Ecclesiæ tàm grauiter afflictæ salutem vel morte mea repræsentare possem, quid me fælicius, quid me fieri posset beatius? Mihi verò non vnius, sed mille mortium instar est, quod miserandum in modum sic eam à sæuissimis lupis laceratam, & ex illa tot esse particulas factas video. Vellem vt in mei corporis membra sæuirent, & ea lacerarent potius, dummodò per hunc modum pristinæ possit integritati restitui corpus CHRISTI illud mysticum, pro quo verum & viuum ille suum corpus in mortem tradidit: quamobrem ad omnes, quamlibet grauiores labores tolerandos, ad durissima quæque certamina perferenda ad mortem etiam terrificam oppetendam pro Dei religione, pro Ecclesiæ tranquillitate, pro Sanctæ Sedis Apostolicæ dignitate, paratum cor meum, paratum cor meum. Neq; dubito quin qui dedit cor paratum, idem quoties vsus fuerit, vires etiam sit suffecturus, ad hæc omnia summa cum alacritate pro sui nominis gloria sustinenda. Quin & illud mihi de illius infinita bonitate polliceor, quòd qui iustè peccatis nostris irascitur, non continebit in ira sua misericordias suas, & afflictam Ecclesiam sponsam suam precioso sanguine suo sibi subarrhatam oculis clementiæ suæ tandem aliquandò respiciet, neque diutius ijs eam procellis ac tempestatibus iactari atque agitari patietur, verùm citius opinione multorum optatam illi tranquillitatem restituet, neque enim iniquitas nostra euacuabit fidem illius. Dixit ille, cuius verbum permanet in æternum de sponsa hac sua, quòd portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Cœlum & terra transibunt, verbum autem hoc, quemadmodum & alia verba illius, transibit nunquam. Tu modò beatissime pientissimeq; Pater, quòd etiam cùm esses, in minoribus facere nunquam intermisisti, magis indies atque magis ad pietatem exercere te perge, cum alijs DEO gratis operibus, tum præcipuè largis eleemosynis diuinam iram à nobis auertendam stude. Si pro nobis ille fecerit, quis contra nos? Consistant licet aduersus nos castra, non timebit cor nostrum. Si aduersus nos exurgat prælium, in hoc vno sperabimus, ponat nos iuxta se, & cuiusuis manus pugnet contra nos, fortior est vnus DEVS, quo adiuuante nihil non possumus, quàm sint infinitæ dæmonum legiones, qui nihil intenta, tum relinquunt, vt fidem Christianam euertere, Ecclesiæ ordinem perturbare, & Sanctæ Sedis Apostolicæ dignitatem autoritatem q; conuellere possint & labefactare. Sed propitio nobis DEO nihil est quòd ab illis metuamus. Oppugnare possunt Ecclesiam, expugnare non possunt: seruet modò te DEVS quàm longissimè incolumem, certant & indubitatam spem in illius misericordia collocatam habemus, quòd ministerio tuo diu defideratam pacem ac tranquillitatem Ecclesiæ tandem suæ sit redditurus. Quod vt ita eueniat, supplex illius clementiam implorare nunquam desino. Quòd verò Sanctitas Vestra non contenta, Breui suo Apostolico tantum honorem immerenti mihi mandasse, etiam familiari scribendi genere ad me vti, mihiq; salutem adscribere dignata est, & ex hoc magis agnosco illius pius quàm paternum in me animum, & omnia non solùm filij, verùm & serui addictissimi fidelissimiq; officia atque obsequia, qua summa possum animi mei submissione Sanctitati Vestræ prolixè defero, cumq; parem illi gratiam pro tanta illius in me clementia referre me non posse intelligam, totum illi me, quantus quantus sum, dedo, atque illud vt certò sibi persuadeat maiorem in modum peto: quod nihil rerum suarum æquè in potestate sua habeat atque me habet, & habitura est semper, quod re, si quandò vsus fuerit præstare, quam pluribus verbis polliceri sum paratior. Deum precor, vt Sanctitas Vestra Dominum meum clementissimum pro Ecclesiæ suæ tranquillitate quàm diutissimè seruet incolumem & felicem. Cuius beatissimos pedes iterùm atque iterùm reuerenter exosculor, atque paratam illi semper & promptam seruitutem meam defero. Datum X. Aprilis Viennæ.

Hercu-

Herculi Gonzagæ Cardinali Mantuano. Epistola XXX.

Respondet ad gratulatoriam.

EGo verò nihil dubito, quæ singularis est virtus Illustrissimæ D. Vest. quin ex me in Cardinalium Collegium cooptato maius etiã, quàm ego ipse gaudium conceperit. Nam quod ad me attinet, credat mihi velim Illustrissima D. V. quòd plus mihi nouum hoc perturbationis quàm lætitiæ attulit. Cùm enim, vt priuatim interim de rebus meis taceam, quæ sit loci huius sublimitas, quæ mea vicissim humilitas, quæ temporum horum difficultas, quæ periculorum magnitudo mecum considero, non possum quin animo perhorrescam, cum his tantis tempestatibus, quas grauissimas impendere video, me obiectum intelligo, qui si quisquam alius rationum earum sim prorsus ignarus, quibus ea sedari possint. Quantò maior autem est Illustrissimæ D. V. de me opinio, tanto magis anxio sum animo & sollicito, quod facilè perspicio me respondere ei non posse, cùm quæ mihi tribuit Illustrissima D. V. ea beneuolentiæ magis illius in me, quàm iudicij sint testimonia. Quòd si voluntatem in me spectat, ea non modò prompta est, verumetiam ardens: ita vt si sanguis etiam pro fide Catholica tuenda sit profundendus, Deo mihi vires suppeditante, summa cum alacritate me id facturum esse confidam. Huic voluntati si par adesset facultas, fortassis aliqua ex parte sustinere possem expectationem de me concitatam: sed ea quàm sit exigua nemo scit melius me ipso. In sola Dei misericordia spem omnẽ collocatam habeo. Sed interea tamen ex eo quoque non mediocrem consolationem capio, quod ab vno omnium prudentissimo pientissimoq; Pontifice Illust. D. Vestram primarium sacri Concilij Legatum esse designatum audio. Nam cùm plurima in illa Dei munera, quibus eam pro sua benignitate affatim cumulauit videre liceat & admirari, nemo fuisse videtur alius, cui tãta prouincia hæc rectius mandari potuerit, cùm & ingenio & prudentia, & doctrina, & maximo rerum vsu si quisquam alius abundet, vt illa Concilio præsidente non possim non optimã spem concipere, futurum, vt Deus Ecclesiæ suæ calamitatum aliquando misertus, procellas istas & tempestates, quibus eam grauiter iactari atq; agitari videmus, multorum opinione citius tacere faciat ac obmutescere. Quæ scribit Illustrissima Dom. Vestra de præclara in me voluntate, non ex ipsius magis, quàm ex amicorum, qui ex Vrbe ad me scribunt, literis cognoui. Quo magis illi me debere profiteor, quòd si vlla in re opera illi mea vsui esse poterit, non illam modò, verùm & me ipsum totum dico, lubens etiam ad nutum illius me sempercõ uersurus. Illius labor fuerit imperare, meũ verò iussa capessere. Si minus amplam facultatem, voluntatem certè ad inseruiendum illi in omnibus tantam adferam, nullam vt requirere maiorem possit, neque cuiquam ex seruitoribus Illust. Dom Vest. concedam, maiore vt illi fide, studio, alacritate, quàm ego seruire sit paratus. Hoc sibi certò de me persuadeat velim. Ac quoties vsus fuerit, periculum faciat licebit, hac in re non modò satisfaciam illius opinioni de me, verumetiam superare conabor. Datum XXVII. Martij, Anno M. D. LXI.

Andreæ Zborovvskij Palatini Posnanensis filio. Epistola XXXI.

Hortatur vt in hæreticorum, quò missus erat, à patre, scholis fidem Catholicam constanter seruet.

DOlenter admodum accepi, quòd patris tui iussu coactus eò te contuleris, vbi periculum esse videtur, ne quibus infectus anteà fuisti prauis iterum opionibus imbueris. Sed quoties subit animum meum recordatio, quanta cum asseueratione promiseris, te in ea fide Christiana, Catholica, & Orthodoxa, quam anno superiore Viennæ didicisti, perpetuò perseueraturum, non possum, non optimam spem concipere, futurum, vt non modò nil ex eorum consuetudine labis contrahas, quibuscum eritisthic tibi commorandum, verum ipsos potius inter quos etiam deges, ad officium sanitatem q; familiaritate tua reuocabis, quàm vt ab ipsis in aliud Euangelium transferri te patiaris. Venit mihi nunc in mentem, quod à quodam dictum est: Non in Asia fuisse, verùm in Asia continenter vixisse laus est. Quanto maioribus insidijs in suam te massam pertrahere Sathanas conabitur, tantò tua laus erit illustrior, tantò merces apud DEVM posita copiosior, si fortiter illi restiteris, & implorato diuino auxilio subdolos illius conatus represseris. Memineris illius quod à Paulo scriptum est: Si quis aliud vobis euangelizauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit. Etiamsi diuinas tibi scripturas aliquis produxerit contra receptum Ecclesiæ sensum & consensum: tu cum Athanasio Paulinam hanc illi sententiam obijcito, simul & illud CHRISTI. Qui blasphemauerit in Spiritum Sanctum non remittetur ei, neq; in hoc, neq; in futuro seculo: blasphemat autem in Spiritum sanctum, quisquis Ecclesiam audiendam esse negat, & illius traditiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

contemnit, quas ab authore Spiritu sancto per quem Ecclesia gubernatur, profectas esse dubium non est. Illud verò pectori tuo præcipuè sit infixum, quod & Prophetæ & Apostoli toties monent, vt fugias Idola, hoc est, eos qui noua opinionum suarum commenta, tanquam Dei verbum adorari cupiunt ab omnibus, seq; tanquàm Deos quosdam populo venditant, dum non illud quod Ecclesia, quæ columna est & firmamentum veritatis, sed quod seorsum ab orbe Christiano ipsi sentiunt, id Christi Euangelium, id purum & expressum Dei verbum haberi volunt. Nulla potest esse magis horrenda quàm sit hæc Idololatria. Quamobrem hanc, quod aiunt, remis velisq; fugito, nec vnquàm tibi persuaderi patiaris, vt hoc esse Dei verbum credas, quod seorsum ab orbe toto Christiano per vnum aliquem, non ab alijs magis fidelibus dissentientem, quàm secum ipsum persæpè pugnantem Sathanam loqui videris. Suspectum tibi sit, quicquid singulare productū animaduerteris. Quod verò omnium est, quod Catholicum est, quod cum vniuersa totius Orbis Ecclesia conuenit, id obuijs, quod aiunt, vlnis amplectere, nec vnquàm excidat ex animo tuo, quod à Paulo scriptum est, Deum nostrum non esse dissensionis, sed pacis & dilectionis Deum. Quanta autem sit inter eos dissensio, qui se præciderunt à Christi corpore, vna, sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, quam ipsi inter se Andabatarum more in tenebris pugnent, dum se mutuò non intelligunt, non ignoras, ita vt spes indubitata sit, qui nunc mordent & comedunt inuicem eos iri consumptos ad inuicem. Quoniam verò desiderare, visus es ea quæ scripta sunt à nobis contra Brentium, eum librum nunc ad te mittimus, ex quo pugnas & dimicationes istorum inter se cognoscas, simul & rationes perdiscas, quibus contradicentes arguere possis. Mittimus autem & tabulas duas, Latinas & Germanicas, ex quibus non minus cognosces, quàm isti non magis inter se q̄ secū dissideant. Quamuis aūt habere te putamus libellū nostrum de expresso Dei verbo, tamen & hunc si fortè qui tibi donatus à me fuit, intercidit, tibi nunc iterū mitto. Quē si versare diligētius volueris, spes est in Deo, q; eo legendo fructum sis percepturus, minimè pœnitendū. Misissem aūt tibi Confessionem quo que nostram, sed eam habere te existimo. Et quoniam is equo portabatur, cui literas has ad te perferendas dedi, non visum est eum nimis onerare. Pluribus tecum agerem, nisi de tua constantia certò mihi persuaderem, etiamsi nullus hortator accessisset, te nihilominus ea quæ Deo promisisti, ipluribus testibus firmiter esse seruaturū. Scio quæ sit ætas tua, & quàm ea flecti facilè soleat: sed indolem tamen mihi tuam talem perspexisse videor, vt ætatem virtute longè superes, certoq; mihi de te polliceor, etiamsi fractus illabatur orbis, futurum, vt impauidum ferire te ruinas potius permittas, quàm vt ab ea fide, quam proxima superiore ætate Viennæ didicisti, Sathanæ persuasionibus illis te dimoueri patiaris. Etiamsi quam capiti nostro cantilenam cecinit, eādem tibi millies occinat. Scriptum est enim: Scripturas tanquàm Dei verbum reuerenter accipies: sed priuatum vnius alicuius sensum, contra totius Ecclesiæ sensum & consensum, eas interpretantis tanquam Diaboli verbum repudiabis. Confortare, viriliter age. Certa bonum certamen, fidem serua, cursum consuma, reposita est tibi corona, quam reddet in illo die iustus iudex. Pertinebit hoc etiam ad familiæ tuæ clarissimæ laudem, quòd in ea sit repertus ætate quidem adolescens, virtute verò & cōstantia plus quàm vir, qui nullis neq; minis, neq; blanditijs, neq; falsis persuasionibus adduci se passus fuerit, vt à Christo discederet, vt ab illius sacrosancto corpore, vna, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia se præcideret, vt priuatum alicuius hominis sensum, totius Ecclesiæ sensui & consensui anteponeret, quamuis inter eos degeret, qui sicut ipsi se diuiserunt à Christo, & ab eius corpore, sic in plurimas sectas mirabiliter dissectas, ipsi vicissim inter se iusto Dei iudicio sunt dissecti. Scio quàm sit res difficilis, ad quam te literis meis hortor: sed apud Deum nihil est impossibile, in quo spem & fiduciam meam omnē collocatam habeo, quod idem à te quoq; fieri cupio. Non deseret ille te, nisi prior, quod absit, desertus fuerit à te. Ego verò quamuis indignus Sacerdos, diuinam illius misericordiam implorare non intermittam, vt tibi fidem augeat, viresq; contra Sathanam pugnandi suppeditet. Bene vale. Viennæ 4. Martij. M. D. LXXVIII.

Francisco Gonzagæ Cardinali. Epistola XXXII.

Ad gratulatorias respondet.

REddidit mihi D. Fidelis Illustrissimę D. V. literas, quibus & eleganter, & amanter mihi scribit, quæ res in causa fuerint, quamobrem & anteà me amauerit, & nunc mihi dignitatis eius, quam vtriq; nostrum sapientissimus pientissimusq; Pontifex communem esse voluit, accessionem gratulatur. Grauissimos quidem illos testes producit, quorum authoritate adducta, tantain me voluntatis suæ inclinatione propendere cœperit, patruum suum non magis natalium splendore, quàm omni virtutum genere illustrem: deinde verò Puteum cuius & doctrina & pietas singularis omnibus est admirationi, Cardinalem vtrumq;, omni exceptione maiorem testem vtrumq;, sed sic in me suauiter effusum vtrumq;, vt periculum sit, ne illorum beneuolentiæ magis quàm iudicij testimonium esse videatur. Solet enim vt corporis, sic animi quoq; oculorum aciem amor ita nonnunquā perstringere, vt pulchra sæpè videantur amantibus etiam ea, quæ sunt deformia. Verùm vtcunq; res habet, quamlibet suspectum clarissimorum horum virorum iudicium videri possit, ego tamen etiam errore eorum hac sola in re, cùm in alijs errare nesciant, delectari me fateor,

fateor, cùm præsertim ipsorum opera factum sit, vt Illust. D. V. beneuolentiam mihi conciliatam habeam. Quæ quamuis ætate non ita multum processerit, tantos tamen habere virtutum progressus dicitur, vt si de quoquam alio, rectè de illa dici queat. Quòd celerior nonnunquàm sit virtutis, quàm ætatis cursus. Romæ cùm essem, multa mihi renunciata fuerunt, & de progressu illius in literis, & de morum integritate singulari, qualis in hac ætate lubrica non ferè solet inueniri, quæ certò incredibili me illius studio accenderunt: nisi quod sub idipsum tempus, quo hæc dici audieram hoc munere legationis mihi mandato sic fui districtus, vt mihi salutare Illust. D. Vestram & cum ea notitiam contrahere non vacauerit. Hanc itaq; mihi nunc datam occasionem lubēs arripio, & Illustrissimæ D. V. quòd in hac florenti sua ætate, non generis magis quàm virtutum suarum nobilitate ad hunc amplissimum dignitatis gradum proiecta sit, etiam atq; etiam vehementer gratulor, ac honorem hunc illi fœliciter euenire cupio. Neq; vel minimum de eo ambigendum esse censeo, quòd Spartam hanc, quæ illi contigit, sic ornatura est, vt quantum ad ætatem accesserit, tantum ad summarum quoq; virtutum laudem accessisse intelligant omnes. Magna est de illa multorum expectatio, quam non fallet proculdubiò, neq; ei respondere modò, verumetiam superare conabitur. Ego verò me seruitutemq; meam Illust. D. Vestræ promptam semper & paratam defero, qua haud aliter licebit vtatur, atque cuiuscunq; tandem alterius ex minimis suis seruitoribus, quibus ego non concedam magis, vt ament & obseruent Illust. D. V. quàm quantum ea amatur & obseruatur à me propter insignes virtutes, quas in illa prædicari audio. Seruet Deus Illust. D. V. diu saluam & fœlicem, Cuius me, &c. Datum Viennæ 8. Aprilis. Anno 1561.

Henrico Cardinali Infanti Portugalliæ. Epistola XXXIII.

Ad gratulatorias respondet.

ESTita, vt scribis, etiamsi nullas tuas literas ea de re ad me dedisses, quoniam tamen spectata mihi pridem & multis rebus probata iam est non vulgaris in me beneuolentia tua, facilè fueram existimaturus, te nouæ huius dignitatis meæ accessione, plus adeò quàm etiam me ipsum fuisse lætatum. Nam quod ad me attinet, non tam iucundus mihi nouus hic honor accidit, quàm fuit gratum eius de me iudicium, qui meritorum cuiusq; prudentissimus est æstimator. Cuius ego clementiam hanc in me, benignitatemq; singularē tanti facio, vt vel solo hoc illius iudicio de me facilè fuerim contētus futurus, etiamsi nulla præterea honoris insignia accessissent, quæ mihi plus oneris, quàm honoris attulisse videntur, ijs præsertim difficillimis temporibus, quibus non alios grauiores labores grauioraq; manēt pericula, quàm qui sunt in sublimiore quadam specula collocati. Quamobrem hoc mihi credas velim, fieri posse, quod alij summam ex hoc honore sibi delato voluptatem perceperint, sed mihi certè maiorem, quàm credi queat horrorem attulit, præcipuè quoties animo mecum reputo, quàm sim omnibus ijs rebus destitutus, quæ ad eum pro temporum horum ratione sustinendum pertinere videntur: quoq; maior est multorum de me, vt scribis, expectatio, hoc magis refugiebat animus, quòd ei me satisfacere posse non viderem. Quod si præcipientis autoritatem defugere licuisset, nihil erat quod factu rus fuissem lubentius. Sed ea maior fuit, quàm vt id facerem, mihi fas esse putarem. Quamobrem suscepi prouinciam duriorem, quàm vt ferre posse videar, illius præsidio solius fretus, in quo Paulus ille Tarsensis omnia se posse gloriatur, cùm tamen ego de me nihil polliceri queam, præter egregiam voluntatem adiuuandæ pro virili mea reip. Christianæ. Cuius salutem si vel morte mea repræsentare possem, nihil est, quod mihi magis expetendum esse ducam. Hanc igitur voluntatem prolixè polliceor, quam tamen & ipsam diuinæ benignitati acceptam refero. Tibi verò, quod feciste te scribis, vt ad Pontificis pedes osculandos causa mea te demitteres, hoc nomine debere me profiteor, per omnem occasionem gratam tibi memoremq; voluntatem præstaturus. Nam quod anteà tibi me scribere memini, quibuscunq; rebus alijs citius à te me superari patiar, quàm in hoc mutui amoris beneuolentiæq; pulcherrimo certamine, in quo priores vt tu feras concedam nunquam. Si quid erit præterea, in quo Statio nostro gratificari, meamq; erga illum beneuolentiam declarare queam, nihil est quod fecero libentius, quem saluere plurimum cupio. Datum Viennæ X. April. M. D. LXI.

Cosmo de Medicis Duci Florentino. Epistola XXXIIII.

Ad gratulatorias respondet.

QVòd Illust. D. V. nouam hanc mihi dignitatem gratulatur, ad quam S. D. N. pro paterna sua magis in me clementia, quàm pro meritis vllis meis me promouendum esse duxit, non dubito quin ex optimo illius beneuolentissimoq; animo profectum sit. Tam enim inde à multis annis etiam cùm in Diœcesi mea degerem, quamuis longissimo locorum interuallo disiunctus, excellentes tamen Illust. D. V. virtutes à multis mirificè prædicari audiui. Inter quas & hæc non postrema, connumeratur, quod de quibus esset aliqua virtutis & doctrinæ opinio, eos præ cæteris complecteretur, beneuolentiaq; sua dignos iudicaret. Ex quorum numero

mero me quoq; esse cuperem. Ac elaboraui quidem omni studio, vt is esse possem, sed quantum profecerim, vehementer me pœnitet. Neq; verò dubito, quin S.D.N. in alijs cooptandis in Cardinalium Collegium summo sit vsus iudicio, singularemq; suam prudentiam ostenderit, verùm de me quam S. eius opinionem concepisse videtur, eam si posse me sustinere dicam, oblitus mei videri queam. Quamobrem quòd vnum ex illis esse me quoq; voluit, bonitati magis illius, quàm dignitati meæ tribuendum esse puto. Quod verò vestra quoq; Celsit. iudiciũ hoc S. eius de me tantoperè se probare ostendit, nil ambigo, quin amori in me suo nimio plus indulserit. Quo tamen & ipso nomine plurimum Cels. Vestræ me debere profiteor. Neq; enim non potest mihi gratum & iucundum accidere, illius me iudicio probari, cuius & prudentiam & virtutem singularem in cœlum laudibus ferunt omnes. Ago autem ingentes gratias Cels. Vestræ, quòd officia mihi sua tam prolixè defert. Si quid erit vicissim, quo meum erga Cels. Vestram studium & obseruantiam testari possem, nullam eius rei occasionẽ prudens prætermittam, ac quocunq; potero officij, obsequij, & seruitutis meæ genere voluntatem illius mihi demereri curabo. Hoc de me sibi certò polliceatur licebit. Non fallam opinionem hanc illius. Datum Viennæ XXII. April. 1561.

Ferdinando Cardinali Medices.
Epistola XXXV.

Respondet ad gratulatorias.

ACcepi literas Illust. D.V. quibus magnam se scribit voluptatem accepisse, posteaquàm intellexerit à pientissimo Pontifice me cooptatum in amplissimum Cardinalium Collegium fuisse. Ego verò quo plura prædicari audio de præclara tua indole, deq; multis præstantibus Dei muneribus, quæ plena manu in te contulit, tanto magis gaudeo probari tibi prouectionem hanc meam, qui virtute superasse annos diceris. Quò maior est familiæ tuæ nobilitas, ex qua prodijsse tot laudatissimos Pontifices memoria tenemus, quo magis excellens Illustrissimi patris tui virtus, quæ quàm late patet, Christianus Orbis vniuersus summa cum laude celebratur ab omnibus: quo sanctior educatio, quam & ipsam à multis mirificè prædicari audiui, hoc maiorem sustines expectationem, futurum, vt cum maiorum tuorum vestigijs incesseris, quos omnibus virtutum numeris absolutissimos fuisse constat, eorum laudem non æquasse modò, verumetiam superasse videaris. Quamobrem de te magis gaudendum est omnibus in hunc ordinem allecto, qui cum iis ætate florens, virtute magis, liberalium artium disciplinis expeditus, omnibus & fortunæ, & corporis, & animi dotibus egregiè instructus, magno Ecclesiæ Dei & ornamento & emolumento esse potes. Mihi iam acta ferè est ætas, & sum ad iuuandam illam voluntate magis quàm facultate paratus, nulla vt causa sit, quamobrem hunc ad me honorem delatum esse gaudere quis meritò possit. Sed faciam tamen omnia, vt omnes intelligant summum conatum in sana Ecclesiæ doctrina tuenda, & impijs hæreticorum dogmatibus propulsandis mihi minimè defuisse. Sed & tibi Princeps Illustrissime, si quid erit in quo priuatim etiam inseruire queam, in magni beneficij loco sum positurus. Si me haud aliter vti volueris atq; alio quocũq; eorum, quos habes inter seruitores tuos tibi addictissimos. Neq; enim vel inter eos paratiorem quenq; reperies ad omnia officia & obsequia summa cum alacritate tibi præstanda. Hoc tibi certò de me persuadeas velim, atq; vt Illustrissimo parẽti tuo, qui fama sui nominis terrarum orbem impleuit vniuersum, per occasionem diligẽter me commendes, etiam, atq; etiam maiorem in modum abs te peto. Seruet Deus Illustrissimam D.V. incolumem & fœlicem. Viennæ 22. April. 1561.

Stanislao Carnkouio Referendario.
Epistola XXXVI.

Respondet ad literas gratulatorias, & quomodo ad dignitatem Cardinalatus peruenerit, & de inuidis & obtrectatoribus.

NIsi minimè vulgare studium in me D. Vestræ perspectum & exploratum haberem, fortasis in eam opinionem adduci possem, vt abillas meis calamitatibus insultari putarem, dum & verbis gaudium suum explicat, ob nouum hunc honorem à pientissimo Pontifice nuper ad me delatum, & cum tanto studio mihi gratulatur. Quid enim exillo prouenit aliud ad me, præter agmen quoddam curarum & sollicitudinum, præter labores grauissimos, quibus etiam sumptus accedunt maiores quàm vt sustinere queam, præter maxima pericula, quibus ita me obiectum video, vt non modò de fortunis meis, quarum leuis est iactura, verumetiam de existimatione, qua nihil mihi prius est & antiquius in discrimen vocari videar. Et ad tantas ærumnas amicus mihi gratulatur? de ijs gaudere se ostendit? Nisi testatior esset animus in me D. Vestræ, quàm vt vnquam de illius in me benevolentia dubitare queam, occasionem secus aliquid suspicandi de se mihi dedisset. Verùm ego quin hęc D. Vest. gratulatio ex optimo illius in me animo sit profecta, nil ambigo: quò mihi gratior etiã accedit, cui quamuis gaudendi nulla causa sit, quin sit potius causa, cur mœrori me totũ dedam, inficias tamen ire non possum, quòd me, quibus nunc versor difficultatibus, recreatur nonnihil animus meus, cùm quod sit eorum de me iudicium intelligo, quos bonorum iudicio plurimùm probari video, tanto; fero facilius ea, quæ mihi secum nouus hic honos attulit, quàm vt facilè sustineri posse videantur. Quem vtinam sicut appetiui nunquam, sic honestè nunc quoque mihi recusare licuisse, quemadmodum antè biennium fecisse me, non sinè periculo, Dom. Vestra non ignorat. Sed cùm toto mense deliberauissem & S. Maiestatis Regiæ responsum expectassem, nec tamen per tempus id vllum accepissem, vrgerent autem ij vehementer, qui fuerant hac de causa ad me à Pontifice missi, admonerer etiam literis multorum ne Spiritui sancto resisterem, dedi manus tandem, & ei cui debui, quam debui, obedientiam præstiti. Quę ijs quidem ridicula videtur, qui magna ex parte, non modò Pontificis verùm & Regis obedientiam excusserunt. Cæterùm apud pios, nihil est aliud, Vicario Christi non obedire, quàm Christianum non esse. Multa perferuntur ad me, de singulari quodam gaudio gratulationeq; multorum apud exteras gentes, propter honorẽ hunc mihi mandatum, quàm etiam Principes aliquot viri, datis ad me suis literis testati sunt: quare ex alijs, quàm ex me, certiorem D.V. fieri malo. Sola est patriæ meæ, de qua tamen ego non pessimè meritus mihi videor, in qua nescio quæ mihi pericula denunciantur, quæ sim aditurus, si, quod iam factum est, Pontificis imperata fecero. Sic apud vos grauis est obedientiæ pœna constituta, rebellionis & inobedientiæ nulla. Vtinam autem non essent etiam præmia constituta ijs, qui suaue Christi iugum excusserunt, vnà cum obedientia, quam eius debent Vicario. Quod autem à me tantum scelus patratum est, cur plecti debeam? An quod cùm existimaretis, cui iudicium ea de re summaq; potestas à Deo concessa est, posse me cum aliquo fructu Ecclesiæ Dei inseruire, ei ad hoc munus me vocanti, paruiì? Hócne tandem capitale crimen apud vos est, propter quod fortunis aliquẽ suis euertere, æquũ esse censeatis. Si quid ambiuisse me constaret, si vel verbo mortalium quenquam sollicitasse, si non etiam renuisse quamdiu licuit, fortasse tamen causam aliquam haberetis, quamobrem durius aliquid in me statuendum iudicaretis. Sed si mihi honos hic obtrusus est, si refutaui quoad potui, si non ad voluptates, non ad delitias, non ad opes, verùm ad labores, ad sumptus, ad pericula grauissima sustinenda sum vocatus, & quidem Ecclesiæ totius causa sustinenda, num hac re tantum vobis deliquisse videor, vt pœnas etiam de me sumendas existimetis? quòd Ecclesiæ tranquillitati pro virili mea inseruire conor: quam ad rem non ipse me ingessi, sed ab eo, cui necesse fuit obedire, sum vocatus. Nisi fortè graue crimen hoc apud vos est, præter ambitum ad honorem aliquem peruenisse: quemadmodum etiam proximis superioribus diebus, cuidã D.V. non ignoto, non alia res dicitur impedimento fuisse, quò minus nescio quid consequeretur, nisi q; parũ ambiuisse videtur. Quasi verò non satis ipsa virtus ambiat, non satis ambiant labores, Regni & reiquepub. causa susceptí? Apud Ethnicos lex erat ambitus constituta, apud vos contra eos qui non ambiunt. Video nil vobis esse cum illa Platonis Repub. commune, in qua non esse mandandos honores, nisi inuitis fuit constitutum, ambientes verò procul ab illis arcendos. Sed si vobis hoc visum est tam graue facinus, priusquam plectere me poteratis. Nam præterq; quòd nullum vnquam sacerdotium precario obtinui, nonnulla etiam delata mihi sunt, prius q; ea vacare sciuissem. Quemadmodum ad Episcopatum peruenerim, quis alius mihi testis esse posset locupletior, q; ipsa Regia Maiest. quę procul dubiò tenet adhuc memoria, quoties deprecatus fuerim, vt ad alium quemuis potius honorem hunc deferret. Quiritabantur etiam tum Prutheni iura sua & priuilegia violari: sed nec illorũ quiritationis, nec meæ recusationis, rationẽ vllam habẽdam esse, Maiest. eius censuit. Nunc demum iurium istorum & statutorum regni, tam anxij obseruatores videri vultis, quæ vtinam obseruaretis. Esset mihi tanti, omnibus quæ in Prussia possi deo spoliatum esse, & ferrem id animo æquissimo, quin etiam in beneficij loco ducerem, dummodò viderem pias illas & sanctas patriæ leges, quæ sunt in Regni statutorum libro, contra impios hæreticos promulgatæ, executioni debitæ mandatas. Sed contra Christi hostes, nulla est apud vos Statutorum executio, contra eum verò qui Christi causam pro virili sua tueri, semper est defendere conatus (loquor vt insipiens) non sine fructu multorum, executionẽ paratam habere videmini. Ego verò causam non dico, si quas meritus sum pœnas, de me sumatis, si vobis meritus videbor. Reclamabit iudicio vestro totus orbis: nec me tamen spes mea Christus deseret, nec ego propterea quicquam remittam, vel de religionis tuendæ studio, vel de ea fide & obseruantia, quam Serenissimo Regi & Domino meo, vel de ea charitate, quam patriæ meæ dulcissimæ debeo. Iam vela ventis permissa sunt. Deum precor vt cursum nostrum dirigat. A D.V. verò peto, vt quem semper animum in me benevolentissimũ ostendit, eum etiam nunc declaret: & si quos viderit maleuolos, existimationi meæ detrahere, fortunisq; meis insidias facere velle, contra eos metuendum suscipiat. Quæ quòd animum iam & amplius, nullis me suis literis dignata est, causas tã diuturni silentij nullas quæro. Nam certum illud & indubitatum habeo, quòd quæuis aliæ fuerint potiùs, quàm quod de suo amore in me remiserit aliquid, cùm præsertim idem ego semper erga illam, qui antea, sim & fuerim, & deinceps etiam sum futurus. Viennæ 34. Aprilis. M. D. LXI.

Campegio Episcopo Maioricensi.
Epistola XXXVII.

Ad gratulatorias respondet.

INter alias causas quibus adductum fecisse te scribis, vt honorem hunc mihi gratulareris, quo me pientissimus Pontifex pro sua in me plus quam paterna clementia, non ꝓmeritis vllis meis ornãdũ esse duxit, nulla verior est q; ea quã primo loco ꝓfers. Nã qui maiore quadã in te suæ volũtatis inclinatione, ꝓpenderet, potuit honos hic deferri nemini. Quibus enim officijs me cum essem adhuc

Universidad de Deusto
Biblioteca

adhuc adolescens, prosequutus fueris memini, nec eorum obliuiscar vnquàm. Quin illud potius efficere pro virili mea conabor, vt apud gratum & memorem hominem ea te posuisse gaudeas. Quamobrem qui magis ex animo te amaret quàm ego, quique tibi cuperet honestius in amplissimũ Cardinalium. Collegiũ cooptari potuit nemo. Quam verò secundâ causam adfers, quod vberes gloriæ fructus cœperim, crede mihi, quòd neque gloriam, neque fructus hos vnquam appetiui, sed quod tu, idem & ego iudicaui semper, satis esse magnum virtutis fructum, virtutem ipsam aspirare quidem sedulò, sed qu ãtum in ea profecerim, vehementer me pœniteat. Quodque & Pauli & Pij IIII. præclaram de me fuisse scribis existimationem, id ego magis illorum bonitati, quàm alicui meæ dignitati tribuendum esse puto. Quàm verò cuperem quod à te postremo loco positum est, propterea te mihi dignitatem hanc tanto studio gratulari, quòd in spem veneris illius accessione, accessionem aliquam dignitatis & vtilitatis Apostolicæ sedis fore, & aliquod inde remedium afflictæ Reip. Christianæ comparari posse, vt spem hanc tuam ratam, firmam, certamque Deus esse vellet: tum ego laborum quos pro Ecclesia D E I suscepi, fructus vberrimos & eos optatissimos tulisse mihi viderer, nec esset iam quidquam, quod ad fœlicitatis cumulum accedere mihi posse putarem. Sed ego quod ad leuandam Ecclesiæ calamitatem attinet, nil adhuc præter conatum attulisse, nec deinceps aliud, quod adferre queam, habere me video: quo minus iusta tibi fuit hæc quoque causa, quamobrem hunc tu mihi tantum honorem tantoperè gratulareris, cuius accessione nullius rei præterquam curarum sollicitudinum, laborum, vigiliarum, periculorum facta est accessio. Quæ mihi tamen omnia minus essent grauia futura, si quid ijs rebus à me profici posse putarem. Sed cùm non adeò sim mihi ipse ignotus, vt non intelligam, quàm tenuis sit in me facultas, Ecclesiam Dei pro eo vt cupio durissimis téporibus his adiuuandi, consolationis quàm gratulationis magis egere videor, qui grauius in me susceperim onus, quàm cui ferendo par esse queam. Quòd si quæ plena manu Deus in te sua munera contulit, ijsdem & ego peræquè abundarem, iustior tibi gratulandi causa foret. Nunc quò maiorem esse mearum virium imbecillitatem perspicio, hoc abs te peto vehementius, vt me tuis apud Deum precibus adiutum velis, quo velit vires ad hoc tantum onus sustinendũ pares mihi suppeditare. Ego verò quibuscunque meis officijs animi mei propensionem erga te declarare potero, nullam eius rei occasionem prudens prætermittam.

Priulo Duci Veneto. Epist. XXXVIII.

Ad gratulatorias respondet.

REddidit mihi vir clarissimus Iacobus Superantius, quem ego propter raras dotes, quas illi plena manu Deus est largitus, amo & obseruo plurimùm literas tuas: quibus indicas, quantam tibi Reip. q̃ vestræ lætitiam & voluptatẽ attulerit Nuncius is, ex quo primùm certis factis certiores, ad amplissimam Cardinalatus dignitatem à pientiss. Pontifice me promotum fuisse. Quarum etiam humanitatem, vt est cum primis mei studiosus, ipse quoque suo sermone mirificè subsecutus est. Gratæ mihi admodùm literæ illæ acciderunt, nec minus gratus oratoris vestri sermo. In vtroque tãquam in speculo quodam videre mihi licuit, minimè vulgare studium in me vestrum, & beneuolentiam singularem. Quibus etiam rebus adductꝰ, ea mihi tribuitis, quæ si agnoscerem, oblitus mei prorsus videri possem. Vtinã autem esset aliquid in me, vnde, sicut literæ vestræ loquuntur. Christianæ Reip. quæ proh dolor, nunc tam grauibus tempestatibus, atque procellis miserè iactatur, atque agitatur, nonnihil adferri præsidij possit. Fœliciorem hoc nomine, me iudicarem, quàm propter istud honoris insigne, quod mihi nuper pientissimus Põtifex pro clementia magis in me sua, quàm pro meritis meis deferendum esse duxit. Sed ego nihil me habere video, quòd ad eam rem adferre possim, præter promptam semperque paratam voluntatem, & eam ardentem adeò, mors vt etiam ipsa mihi, si foret oppetenda, dummodò pertineret, id aliquid ad Reip. Christianæ, quam nunc adeò miserandum in modum afflictam cernimus, salutem repræsentandam, non modò non eam fugiendam, verumetiã ardentissimis votis expetendam esse censerem: In magna fœlicitatis meæ parte positurus, si mei corporis interitu grex ille, quem nõ corruptibilibus auro & argento, verùm precioso sanguine suo Christus redemit, ab exitio sempiterno venditari queat. Huic meæ tàm ardenti voluntati, si par facultas adesset, rectè Reip. Christianæ præsidium aliquod in me positum esse iudicari possit. Verùm quò magis ea me destitutum video, hoc ardentiore studio, quamlibet indignus, clementiam illius, qui seruare solus potest, imploro, vt is afflictam Ecclesiam suam oculis misericordiæ suæ tandẽ aliquando respiciat, & optatam illi tranquillitatem restituat. In solius huius misericordia, spem & fiduciam omnem collocatam habeo: libenter interim & ipse pro tenui mea parte, quæcunque fuerit ab illo inspirata. dicturus & facturus omnia (quandoquidem ad eam rem vocatum me esse video) quibus Christiana Resp. possit adiuuari. Sed & tibi Princeps Illust. Florentissimæque Reip. isti vestræ, cuius gloria terrarum Orbem impleuit vniuersum, si quid erit, in quo studium erga vos meũ, promptamque vobis inseruiendi voluntatem declarare potero, nullam eius rei occasionem prudens prætermittam. Quamobrem in eorum numerum à vobis referri peto, quos esse Reip. huic vestræ persuasum habetis addictissimos. Non fallam opinionem hanc de me vestram. Datum Viennæ.

Capi-

Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Craccouiensis. Epistola XXXIX.

Ad gratulatorias respondet.

QVò magis perspectam habeo tibi singularem in me beneuolentiam D. Vestrarum, hoc minus dubito, quod eis lætus illuxit dies ille, quo perlatum est isthuc de noua dignitate mihi delata. At mihi non perinde lætus illuxit. Quid enim ex eo peruenit ad me præter curas, sollicitudines, labores, vigilias, sumptus maiores, quàm quos queã sustinere, deinde verò pericula multò grauissima. Credant mihi, q̃ multò fœliciorem agebam vitam, quo tempore vnus eram ex Collegio D. Vestrarũ. Sub illo præsertim Episcopo D. Maczeiouio, qui paterno quodam amore me prosequebatur, quàm posteaquàm nobilem illa m Ecclesi^am reliqui. Et quo maior honorum accessio est facta, hoc plus etiam ad labores accessit & molestias, vt si qui mei sunt amantes, ab illis consolatio mihi sit magis quàm gratulatio expectanda. Nam certè succumbere iam honoribus istis videor, quibus pressus pridem succubuissem, nisi preces piorum, quas deesse non puto, me subleuassent. Quod si rationem aliquam inuenire potuissem, qua mihi recusare licuisset honorem hunc à pientissimo Pontifice delatum, Si me virum bonum esse, D. Vestræ persuasum habeant, certò credant, quod nil facturus eram libentius, quæ causa etiam fuit, toto vt mense, num is mihi suscipiendus esset, deliberarem, Cùm autem præciperet is, cui non parere, est Christianum non esse, & præciperet in virtute S. obedientiæ, ego ne tot illi nominibus obstrictus & Episcopus, & hoc tẽpore Nuncius, non parerem, & exemplum inobedientiæ cæteris præberem? Cùm præsertim & Cæsarea Maiestas & Cubiliarius Pontificis vnus & alter, & alij nonnulli me impellerent, vt finem deliberandi facerem, meque filium dicto audientem declararem. Quàm fuerim istorum honorum cupidus, nemo eorum ignorat, qui me penitus norunt in patria mea. Sed cum onus magis, quàm honorem ad me deferri viderem, quamlibet imparem illi me esse sentio, non esse tamẽ detrectandum existimaui, illius auxilio fretus, in quo confortante se, omnia se posse, Paulus gloriatur. Ego verò etiamsi mors oppetenda sit, pro salute & tranquillitate Ecclesiæ, non esse mihi defugiendam illam scio, tantum abest vt subire labores & pericula detrectem. Ad quæ ferenda vires vt mihi suppeditet Christus, orationibus vestris adiuuari peto. Facturus vicissim alacri animo, vt quæcunque pertinebunt vel ad ornamentũ vel ad emolumentũ Ecclesiæ vestræ, cuius ego quoque membrũ aliquando fuisse me lubens agnosco, ea quoties admonitus à D. Vestris fuero, summa diligentia semper sum curaturus. Sed & priuatim vnicuique D. V. quicquid gratificari potero, faciam lubens: Modo me, quod iterum atque iterũ oro, precibus & Sacrificijs apud Deum commendatum habeant, Datum XXVI. April. 1561.

Maximiliano Vngariæ & Bohemiæ Regi. Epistola. XL.

Gratulatur illi in tuenda & propaganda fide Christiana constantiam.

ALlatum est huc, quosdam isthic fuisse, quibus rectè dici potuit: Nescitis quid petatis, qui nonnulla ausi fuerunt petere à Regia Cels. Vestra, quæ non magis illi præstare fuisset indecorum, quàm illis impetrare perniciosum. Quid enim aliud illi, quàm interitum & quidem sempiternum animarum suarum interitum impetrassent, si quid eorum, quæ petebant, obtinuissent. Feciste itaque Ser. V. pro sua prudentia, pietate, religione q̃ singulari, vt illis Christiano Cathiolcoque Rege dignum responsum daret, nec eorum insulsæ petitioni loci quicquam tribueret. Credibile non est quanta fuerim, cũ hæc audiui, lætitia cumulatus. Et cum pridem occasionem mihi dari cuperem, per quam Regiam Cels. Vestram reuerenter salutarem, & studium atque obseruantiam erga illam meam testatam illi facerem, hanc esse mihi datam gaudebam, per quam illi mentem hanc adeo Christianam, & maiorum suorum pietate respondentem gratularer. Quid enim est quod ardentioribus à Deo votis expetam, quam vt indies magis atque magis de Ser. V. confirmetur hæc opinio, quod in eam curam toto, quod aiunt, pectore incumbit, vt subiectos sibi populos in ea fide, quam à sanctis suis maioribus sibi per manus traditam accepit, contnere queat. Proprium est hoc verò Christiani, vereque Catholici Regis officium. Nunc enim adest, videmus tempus illud de quo scripsit olim Apostolus: Erit tempus, cũ sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auerent, ad fabulas autem conuertentur. Fuit ne tempus vllum, quo maior esset in quibusdam aurium pruritus, quam sit hoc? quo sanam Ecclesiæ doctrinã plærique non sustinent, sed coaceruat sibi quisque magistros ad sua desideria, vsque ei etiã vt nõ modò Ciuitates iã id faciãt, verũetiam si qs villæ alicuius sit dominus, magistros ad sua desideria sibi coaceruet. Desiderat hic Lutheri doctrinã, alius Caluini mauult. Ex Lutheri verò discipulis desiderat hic, q̃ à Philippo Caluinisante scribitur, alius q̃ à magis rigido Lutheri sectatore Flacco, alius q̃ ab Osiandro. Neque desunt, q vel alius q̃ à magis rigido Lutheri sectatore Flacco, alius q̃ ab Osiandro. Neque desunt, q vel Suenckfeldij, vel Stancari. vel Serueti, vel nescio cuius alterius doctrinã audire potius desiderent. Quis enim Idola, quorum ingens iam est numerus, enumerando recensere queat omnia? Nam quo alio nomine, quàm Idolorum, rectius hos appellem nescio, qui verbum suũ imperitę multitudini pro verbo Dei venditant, & vt ab ea, tanquam Dei verbum

Universidad de Deusto
Biblioteca

reciperetur, in angelum lucis sese transfigurantes, pluribus in locis calliditate sua perfecerũt. Hanc igitur Idololatriam, ꝙ in Vngaria Celsi. Vestræ Regia non esse censuit admittẽdam, nomen illius â pijs omnibus in cœlũ fertur. Quam si non ab Vngaria modò, verumetiã ab alijs locis arcere conata fuerit, & ab hominibus laudem vberiorem, & à Deo consequetur ea præmia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Nullum enim illi Sacrificium potest offerre gratius, quam si pro virili sua contenderit, & elaboraverit, vt sicut vnus Deus sic vna quoque sit fides apud populos sibi subiectos omnes. Nam quod ante 1206. annos scripsit ille, verissimè nunc dici quoque potest: Periculosum admodum atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mores: & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt, dum aut ita scribuntur fides vt volumus, aut ita, vt volumus, intelliguntur. Et cum secundum vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum baptisma etiam fides vna sit, excidimus ab ea fide quæ sola est, & dum plures fiunt, ad id cœperũt esse, vt nulla sit Et euenit hoc iã certe cũ alibi, tũ in Vngaria, ꝙ ad hoc ibi cœperũt plures esse fides, ne vlla sit Nã etiam in S. Trinitatẽ quæ iactantur ibi blasphemiæ R. V. Celsi. non ignorat: neque desse dicuntur, qui propterea S. Trinitatem adorare nolunt, quod à Papistis ea colatur, cum quibus aliquid habere commune sibi fas non esse putant. Qua quidem ratione futurum est aliquando, vt nec in Christum credere velint, ne quid commune cum Papistis habeãt. Et certe videre iam quosdam licet, quos pudet nominis Christiani, qui malunt Euangelici, quàm Christiani vocari, ne si Christiani vocentur, esse Papistæ censeantur. Hucusque cæcitatis & amentiæ non alia de causa prolapsi sunt, quàm quod suum quam Ecclesiæ Spiritum sequi malunt, quodque suo ipsorum, quàm totius Ecclesiæ iudicio plus tribuere non verentur. Hos igitur quòd Sanctitas Vestra pro virili sua in fide atque officio continere conatur, nec eis permittendum esse putat, vt ad sua desideria sibi magistros coaceruent, gratissimum D E O Sacrificium offert: quem precor vt confirmet hoc quod operatus est in Regia Celsi. Vestra quo lætiora nobis indies audire de illa, liceat vtque illam quam longissimo tempore seruet incolumem, & omni fœlicitatis genere cumulet. Datũ Tridenti XXVIII. Octobr. M. D. LXI.

Iulio Pflugio Numburgensi Episcopo. Epistola XLI.

Ostendit religionis negotia in Oecumenico Concilio potius, quàm in aliquibus Germaniae angulis, & priuatis Conuentibus tractari debere.

PErlatum iam advos esse non dubito, S. Concilium in hac Ciuitate Tridentina congregatum ad XV. Calendar. Februarij, quod Ecclesiæ suæ fœlix, faustum, & fortunatum, Deus esse velit, apertum fuisse. Conuenit autem ad illud frequentior & celebrior Patrum numerus opinione multorum, vt etiam eorum numerum propè exæquare videatur, qui ad primum Constantinopolitanum Concilium conuenerant, quemadmodum ex Cathalogo, quem tibi mitto, cognosces. Ac adferebantur huc gratissimi nobis rumores, missuros ad Concilium hoc suos Oratores, Illustrissimos Principes Electores, Saxoniæ & Brandeburgen. quibus vehementer fuimus exhilarati: nisi quod ea de re certi adhuc nihil habemus. Cupimus quidem certè suos vt mittant, cum nil nobis aliud hic sit propositum, quam, quod infirmum est, consolidare, quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, quod abiectum reducere, quod perierat quærere, non cum austeritate imperandi & potentia: Sed in spiritum lenitatis omnes, qui voluerint, instruendo, quo cognoscant nil aliud à nobis præter salutem suam, quæsitum esse. Quem fructum suæ discessionis à nobis tulerint, non sine graui periculo suo didicisse iam vestros existimamus: cum quo authore primum hæc facta fuit discessio, posteàquam is diuidere Christi corpus Ecclesiam conatus est, num à suis ipse quoque quotidiana concisione non diuiditur? nec fit huius diuisionis finis vllus. Vidimus hic Ducum Vinarien. librum, quo nouem, vidimus Ministrorum Mãsfeldensium alium, quo sectæ sunt XI. condemnatæ. Ex his duobus libris cognouimus Ienenses & Mansfeldenses Ministros, non magis à nobis Chtistianis, quos pro contumelia, vt ipsis videtur, Papistas vocant, abhorrere, quam ab ipsis Vittenbergensibus & Lipsensibus, quibus visum est incertis doctrinæ Christianæ capitibus, ab ipsis etiam Lutheri placitis non leuiter dissidere, nec illius sententiæ in omnibus subscribere. Vidimus & Flacci, & Galli, & Amsdorfij, & Vigandi, & Heshusij, & Spangenbergij, & Mathæi cuiusdam iniquissimi seditiosissimique iudicis, quem sceptro Magistratus potius, quam stylo refutatum oporteret, conuicia & maledicta, quibus non ministros tamen, verum & ipsos Principes Electores omnes, quamuis suppressis eorum nominibus grauissimis afficiunt: nec minus illos quàm nos condemnatis habent, & eorum consuetudine suis interdicunt. Legimus & Philippi Melanchtonis, qui nuper, cum ei Lutherus in plærisque non satisfaceret, Caluini doctrinam ad extremũ est secutus, graues querimonias de hoc mirabilium hominum genere, cum quibus nil agi posse dicit. Cogunt, inquit, Concilia quando & vbi ipsis placet, atque vendicant sibi maiorem magisque intolerabilem & minus excusabilem authoritatem & potestatem, quam papa Romanus vnquã. Quæ quo tandẽ euasura videantur, cogitetur inquit, Paulo verò antè scribit in Anarchiã quãdam euasisse: Quod an verum sit, vos quorum oculis res subiectæ sunt, scire melius potestis. Sed ego quoque video animaduertisse quibusdam in locis, vbi suaue Christi iugum per Ministrum suum Pontificem Ecclesiam gubernantis, excussum est, etiam Principum iugum non ferè tolerari. Vidimus & Clebitij quendam libellum, qui inscribitur: Victoria veritatis & ruina Papatus Saxoniæ: in quo Lutheranos ad Synodum & ad disputationem de præsentia vel absentia potius Christi corporis & sanguinis in Eucharistiæ Sacramento prouocat, & easdem illis leges præscribit, quas ipsi nobis præscribere consueuerunt. Itaque qui Romanum Papatum se euersuros esse persuasum habebant, de ijs gloriantur Sacramentarij, quod eorum Saxonicus Papatus prius sit euersus. Vidimus & Flacci supplicatorios quosdam libellos, quibus in Germania vel in Saxonia potius congregari Synodum postulat, à qua primum excludit Christianos omnes, quos libuit illi vocare Papistas, deinde Seruetianos, Suenckfeldienses Antinomos, Anabaptistas, Sacramentarios, & Osiandrinos, neque sibi cum alijs quã cum Synergistis, Adiaphoristis & Maioristis, qui vestri sunt, rem esse vult, ac miras tragedias excitat de Confessione Augustana, multis in locis mutata ac deprauata. Neque dubitat alicubi falsi crimen impingere Philippo, quod non Confessionem Augustanam magis, quàm ipsos etiam Lutheri libros pluribus in locis adulterauerit, nec sine causa: Nam contuli ego quoque aliquot exemplaria Confessionis Augustanæ, & ita se rem habere comperi: nec vlla est mihi visa propius accedere ad eam, quæ fuit Augustæ Christianiss. Cæsari Carolo fœlicis recordati oblata, quàm ea quæ Flaccij opera typis fuit edita, & extat in quarto librorum Lutheri tomo. Quamobrem cum etiam de ipsius Augustanæ Confessionis fide iam apud nos disceptatur, quamadmodum festiuè quidam Cothurnum appellat, vtrique pedi aptum cum authori ipsius, qui suis eam conscripsit manibus, & in alijs multis, & quod est præcipuum doctrinæ Christianæ caput, de Christi corporis in Eucharistia præsentia diuersum ab illa sentiat, & cum Caluino consentiat. Nónne satius foret, vt de hac ipsa Confessione, quid in ea rectè recipi posset, quid non huic Oecumenico Concilio potestas iudicandi potius permitteretur, quàm vt vnius hominis arbitrio toties mutata, tantum ipsis etiam Lutheranis ambigendi, deque ea disceptandi altercandi materiam præberet. Cupit id in Saxonia fieri Flaccus. Cur autem non ibi potius, vbi totus congregatur Orbis Christianus. Scilicet Saxonica fides condenda, & non Catholica potius nobis est retinenda. Certè ex vsu magis & etiam ex dignitate fieret Principum istorum, vt eorum iudicio controuersias istas ministrorum suorum disceptandas permitterent, quos pro legitimis iudicibus agnoscunt, & Dominus eorum Cæsarea Maiest. quotquot sunt alij per Orbem Christiani & Orthodoxi Reges ac Principes, quàm vt vel Flacco se, vel Gallo, vel qui sunt eiusdem farinæ subijcerent. Neque dubitare debẽt, quin Patres hos habituri sint, multò æquiores Iudices, quam illos nescio quos. Esset hic non magis cognoscendi, quam ignoscendi locus, idque tolerabilioribus multò conditionibus, quàm quas præceptoribus suis proponit Flaccius. Et cum in symbolo credere nos profiteamur omnes sanctum Ecclesiam Catholicam, nónne magis velle deberent Catholicam aliquam habere Confessionem Principes isti, quàm vel Saxonicam vel Augustanam. Cum de his quæ ad Catholicam aliquam Confessionem pertinent, nihil extra Concilium Oecumenicum, quod Catholicam Ecclesiam repræsentat statui fas sit: & quod in aliquo angulo constituitur à paucis id Catholicum dici nequeat. Omnia sibi de nobis rectè polliceri possunt, quæ de Patribus sui amantissimis, nec aliud quicquam præter salutem ipsorum sentientibus. Quod si venerint Principum istorum Oratores, re ipsa à nobis comprobabitur: nec erit vllum officij genus, quo non illos omni cum charitate simus prosecuturi, nec alia vlla in re curas cogitationésque nostras omnes defixas habebimus, quàm vt exista Babylone, quàm in Germania videre modò licet, effici possit ciuitas vnius labij, & eorundem sermonum ciuitas Hierusalem, cuius participatio sit in id ipsum, vt sit multitudinis credentium cor vnum & anima vna, vt vnanimes vno ore glorificemus omnes Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Quem tandem aliquando respecturum sponsam suam Ecclesiam oculis misericordiæ suæ, & hanc nobis esse gratiam concessurum speramus. Atque vt huius voti brèui compotes faciat, supplici prece misericordiam illius imploramus. Datum Tridenti XXII. Febr. 1562.

Alberto Marchioni Brandenburgensi, Duci in Prussia. Epistola. XLII.

Inuitat ad Concilium Oecumenicum, & ostendit, quod in eo potius de controuersijs Religionis, quam in priuatis priuatorum hominum colloquijs agendum sit.

SErius licet aliquantò, redditæ mihi tamen sunt Illust. D. V. literæ, quas Craccouia misit ad me dominus Canobius, quandoquidẽ ipse compendium sequutus itineris, rectà Romam profectus est, Tridẽtum non venit. Fuerunt autem illæ mihi multò gratiores, quã responsum Nuncio Apostolico datum. Nam quod scribit optare se, pium vt Concilium indiceretur, quale verè Catholicus Imperator ille Carolus Quintus. Augustanæ Confessionis Statibus fuerat pollicitus, in quo controuersiæ religionis, & hæresis, quæ sub speciosa verbi Dei & Euangelij titulo sunt inuectæ, placidè tolli possint. Pi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

um hoc illius votum ac principe Christiano dignum non potui non vehementer probare. Quid enim aliud optandum est & à Deo precandum, ardentius pijs omnibus, quam vt effici tandem aliquando possit, multitudinis credentium cor vnum & anima vna, vt sublatis sectis istis tam inter se diffectis, vnanimes vno ore glorificemus omnes Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Quemadmodum etiam nostra memoria ante quadraginta hos annos factitatum esse scimus. Huic igitur & Illustr. Vestræ, & piorum omnium voto vt satisfieri posset, pium istud Concilium pius Pontifex nuper indixit, qui tanta suæ voluntatis inclinatione in Germanicam nationem propendet, tantóque studio Orbis totius Christiani, præsertim verò Germaniæ tranquillitati prospectum cupit, vt nostra memoria nemo fuerit Pontificum, qui posset hac in re cum illo comparari. Huc omnes illius cogitationes referuntur, & in hoc vno consumuntur, vt quod scribit Illust. V. quæ cunq; controuersiæ religionis & hæreses sub specioso verbi Dei titulo sunt inuectæ, placidè tolli possent. Et quoniam aliter id fieri non posse videt, quàm si Concilium Oecumenicum esset congregatum, & quod ipsa fatetur Illust. Vestra, in suarum ad me literarum inscriptione Christianũ Conciliũ Oecumenicũ indixit. Cum enim fides nostra nõ sit Vittembergẽsis, neque Ienensis, neque Tigurina, vel Geneuensis, sed sit & vocetur Catholica fides, vbi melius de stabiliendis illa deque placide, sicut scribit Illust. V. tollendis hæresibus iniri consilia possunt, quàm in eo quod vniuersam Catholicam Ecclesiam ræpræsentat. Oecumenico Concilio, ad quod ex vniuerso Orbe Christiano propterea conuocãtur omnes, quotquot se Christianos esse profitentur, vt quod omnes tangit, ab omnibus approbetur. Quamobrem quod optare se scribit Illust. V. pium vt Concilium & Christianum indiceretur, id iam Dei beneficio factum esse videt, Qui misertus Ecclesiæ calamitatum, tandem aliquando oculis clementiæ suę illam respexit, atque pium Pontificem in hanc mentem impulit, vt pium hoc & Christianum Concilium quale fuit ab Imperatore Carolo statibus Augustanæ Confessionis promissum, indiceret. Quo quidem nomine Deo meritò gratias agere, & beneficentiam hanc illius obuijs, quod aiunt, vlnis amplecti debent omnes. Sed interea tantæ Dei gratiæ videre plærósque licet ingratos, qui certè contristant spiritum sanctum, & eius gratiæ contumeliam faciunt, dum vti eam vltrò sibi oblatam accipiant, nullis persuasionibus adduci possunt. Inter quos Illust. V. esse nolliem, à qua durius expectatione mea resonsum Apostolico Nuncio datum esse doleo. Nec adduci facilè possum, vt credam ab illius id voluntate profectum esse. noui enim ingenium Illustritatis vestræ omni humanitatis genere perpolitum & ab omni eiusmodi asperitate comprimis alienũ. Sed solent aliquando Principes nimio plus his tribuere, quorum concilijs vtuntur. Quorsum autem pertinebat de iugo Põtificis excusso gloriari, cum illud sic excussum à complurimis videamus, vt alij multò grauiori cuiusuis potius, quàm CHristi iugo colla sua subiecerint. Qui Caluini verbum pro Dei verbo sunt amplexi, non obscurè queruntur de his, qui Lutheri, quàm Caluini verbum, tanquam Dei verbum adorari malunt, quod non sustulerint, sed potius ad se pertraxerint Papæ tyrannidem: próque ligneo iugo Papæ collo excusso, ferreum ab illis impositum esse. Sed valeant Sacramentarij, quorum impurior est hæresis, quàm vt illius vel meminisse fas sit. Etiam ipsos Lutheranos ad eundem modum de se mutuò quærẽtes lego. Quid scribat de Philippo, deque sectatoribus eius Vittembergensibus & Lipsensibus Doctoribus, Amsdorfius, Flaccius, Vigandus, Gallus, non esse clam Illust. D V. esse puto. Sed quædam Galli verba nihilominus in schæda describenda curaui, quæ seorsim legere poterit. Ediditautem anno proximo superiore Melanthon corpus quoddam doctrinæ suæ (quod vtinam sicut inscribitur, ab illo sic esset corpus doctrinæ Christianæ) vbi de Flaccio, deq; Gallo in admonitione ad lectores scribit in hæc verba: Cum isto mirabilium hominum genere agi nihil potest, qui suo arbitrio damnant quidlibet, neque personis auditis, neque dijudicatis rebus, cogunt Consilia, quando & vbi ipsis placet, & vendicant sibi maiorem, magisque intollerabilem & minus excusabilem authoritatem ac potestatem, quàm Papa Romanus vnquam. Quæ quorsum tandem euasura videantur, cogitetur. In præfatione verò, quæ præcedit, quorsum res euaserint, indicat: Nõ dissimulari potest, inquit, motis rebus magnam varietatem opinionum exortam esse, & concedit Anarchiæ licentia prauis ingenijs fingendi monstrosa dogmata

Lutheri perfidia in Anarchia euasit.

Hic apertè fatetur Melanthon, euasisse rem in quandam Anarchiam, quam certè passim videre iam licet. Verum hoc minus ad rem præsentem pertinet: Illud autem apertè videt ex his verbis Illustrissima D Vestra, quid de Flaccio, deque Gallo Melanthon sentiat, Tolerabilem & excusabilem esse censet Papæ Romani potestatem & authoritatem, quandoquidem annis mille quingentis amplius in ea præscripsit, nec per omne tempus id, eius hęc possessio fuit interrupta. Horum autem qui sunt heri, quod aiunt, & nudius tertius nati, sibique nuper adeò Papalem authoritatem arrogare sunt ausi, prorsus intollerabilem & inexcusabilem esse iudicat. Num autem aliud est Flacci & Galli de Melanthone deque sectatoribus, eius quàm quod fuit huius de illis iudicium? Nec horum dum viueret Melanthon, nec illius hi (sic enim vocant) Papatum se ferre posse putauerunt. Ita videt Illustritas vestra, posteaquàm excussum est Romani Papæ iugum, intra paucos annos tot esse Papas exortas, quot nunc hæreticos in Germania videmus, & est in tot sectas mirabiliter inter se dissectas, miserandum in modum ita dissecta natio hæc, qua nulla videtur ante natum Lutherum fuisse religiosior, vix vt earum numerus iniri queat. Hunc illi fructum attulit excussum Romani Papæ iugum. Ecce autem dum hæc scribo, perfertur ad me libellus Guilhelmi cuiusdam Clebitij, cuius hæc est inscriptio: Victoria veritatis & ruina Papatus

Papatus Saxonici, in quo Lutheranos ad Synodum & ad disputationem de præsentia CHRISTI corporis & sanguinis in Eucharistiæ sacramento prouocat: & eadem illis legis præscribit, quas illi nobis Christianis præscribere consueuerunt. Quorsum autem res redijt Per DEVM immortalem? Putauit Lutherus Papatum se Romanum euersurum, qui mille quingentis annis in Ecclesia durauit, duraturus etiam ad finem sæculi, & eum profecisse tamen aliquid in quibusdam locis, negari non potest. Ecce nunc ipsius Lutheri Papatum euersum prius esse non temere gloriantur sacramentarij: cum bona pars eorum qui Lutheri fidem fuerant amplexi, reiecta ea, Zuuinglij siue Caluini doctrinam sit secuta: Quam nunc multò latius quam vnquam antea Lutheranã propagatam esse, nõ sine magno dolore cernimus. Nam quod ad Confessionem Augustanam attinet, quam Illustritas Vestra sectari se profitetur, ea propè iam est extincta. Ministri namque qui sunt sub Ducibus vinariensibus, & in Saxoniæ ciuitatibus, nec his omnibus, eam suis tantum finibus esse circumscriptam asseuerant. Quin & authorem ipsius Melanthonem ab illa excludunt, quem in Zuinglij siue Caluini fide mortuum esse, certum est & indubitatum. Et sunt apud me Confessionis huius aliquot libri diuersis in locis ac temporibus typis excusi, qui mirabiliter inter se variant. Neque tacent hoc rigidores Lutherani, qui corruptã eam à Melanthone posteà fuisse nõ dubitãter affirmãt, Curauit Flaccius nõ ita pridẽ iterũ excudi Lutheri libros Ihenæ, q; à Melanthone deprauatos esse quos Vittembergæ curauerat edẽdos affirmet, cui etiã hoc nomine falsi crimẽ impingit. In horũ Lutheri librorũ tomo quarto Confessionẽ etiã Augustanã vidi, sed ab ea multũ discrepantẽ, quæ cẽtinetur in Corpore doctrinæ Melanthonis: nec vlla videtur propius, quàm hæc Ihenensis ad eam Confessionem accedere, quæ fuit in Comitijs Augustanis ante annos triginta vnum Carolo Imperatori oblata. Cum itaque de Confessionis etiam ipsius Augustanæ fide iam dubitetur, quam toties mutatam ac deprauatam esse, non modò Zuuingliani siue Caluiniani, verùm & ipsi vociferantur verè Lutherani, cùm & author ipsius de præcipuo doctrinæ Christianæ capite, nimirum, de præsentia CHRISTI corporis in Eucharistia, non ab Ecclesia Catholica tantum, verùm & à Magistro suo Luthero diuersum senserit, & ad impium Caluini dogma deflexerit, nónne satius foret, vt de hac ipsa Confessione, quid in ea rectè recipi posset, quid non, huic Oecumenico Concilio iudicandi potestas permitteretur, q; vt vnius hominis arbitrio toties mutata, certã ipsis etiã Lutheranis ambigendi, deq; ea disceptandi, & altercandi materiã pberet. Mihi verò si cuius q; alterius, certè Lutheranæ sectæ vel maximè videtur interesse, suã vt doctrinã siue Cõfessionẽ Oecumenico huic Cõcilio disceptãdã pmittat, quãdoquidẽ ea p Sacramentarios vehementer opprimitur, q de euerso etiã Papatu Saxonico gloriãtur, ac mutuis ipsorũ inter se dissidijs extinguitur. Scribit supplicatorios libellos Flacc. q bus instat & vrget mirabiliter, vt in Germania Synodus habeatur: à qua tamen arceri vult primò Christianos omnes, quos per contumeliam vocat Papistas, deinde Seruetianos, Suuenckfeldianos, Antinomos, Anabaptistas, Sacramentarios, & Osiandrinos, neque cum alijs, quàm cum Synergistis, Adiaphoristis, & Maioristis sibi rem esse vult. Atqui Patres qui præsentes adsunt in isto Concilio, minus duros se præberent, quàm Flaccius, nec omnes eos excluderent, quos ille vult exclusos, & esset hic non magis cognoscendi, quàm ignoscendi locus, idque tollerabilioribus conditionibus, quàm quas præceptoribus suis proponit Flaccius. Vidi librum quendam Ducum Vinariensium, in quo nouem. Vidi alium Ministrorum Mansfeldensium in quo sectæ sunt vndecim (quarum vna tamen est Catholica) condemnatæ. An autem non præstarat, si quę doctrina vel damnanda est, vel approbanda, vt id fieret in theatro potius totius Orbis Christiani, ad quod à Pontifice vocantur Episcopi omnes & Reges ac Principes Christiani omnes, quàm in aliquo Saxoniæ angulo? vt sic quicquid esset in vtramque partem decretum, Orbis totius Christiani decreto factum esse iudicaretur. Certè quod Catholicum est, de eo nihil nisi in Ecclesia Catholica, quam Concilium Oecumenicum repræsentat, decerni fas est, alioqui Catholicum dici non poterit. Sed nunc eò res perducta est, vt & Concilij, & Papæ sibi quisque potestatem & authoritatem arroget, quotque non sine causa grauiter Melanthon conquæritur, arbitrio suo damnat nunc quisque quodlibet, neque personis auditis, neque dijudicatis rebus. Nec multum diuersus esse status hic Ecclesiæ videtur, ab eo quem suo tempore fuisse deplorat Hilarius. Sed libet illius verba adscribere: Periculosum est admodum, inquit, atque etiam miserabile, tot nunc fides existere quot voluntates, & tot nobis doctrinas esse quot mores, & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur vt volumus, aut ita, vt volumus, intelliguntur. Et cum secundum vnum DEVM, & vnum Dominum, & vnum baptisma etiam fides vna sit, excidimus ab ea fide, quæ sola est, & dum plures fiunt, ad id cœperunt, esse, ne vlla sit. Quod verè de suo sæculo dixit Hilarius, non minus verè de nostro quoque dici potest, quo & ipso ad hoc cœperunt plures esse fides, ne vlla sit. Extincta est fides apud multos, & ad atheismũ res redijt, quod eos etiam ipsos, qui discesserunt à nobis, & huic atheismo causam dederunt, non vno in loco quærentes legimus. Vnde autem hæc orta sunt omnia? Non aliunde, sicut ante multa sæcula scriptum à sancto Martyre Cypriano legimus, nisi quod sacerdoti DEI non obtemperatum nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice CHRISTI cogitatur. Cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nihil nunc eorum malorum cerneremus, quibus miserandum in modum conflictatur Ecclesia. Esset nunc quoque qualis fuit ante quadraginta hos annos Germania, ciuitas vnius labij & eorundem sermonum, esset multitudinis credentium cor vnum & anima vna, neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantam nunc in ea Babylonem videre liceret, quæ non prius exædificata est, quam excussum Papæ iugũ fuisset. Quare cum ita sẽ rem habere suis ipsa cernat oculis Illustritas Vestra etiam atque etiam hortor illã atque moneo, oro atque obsecro sententiam vt suam mutet, neque Ministrorum suorum doctrinam, quæ dicitur & ipsa nonnullis in rebus à doctrina Confessionis Augustanæ discrepare, Sacri huius Oecumenici Concilij iudicio discceptandam permittere detrectet. Erit hoc & honestius Illustritati Vestræ & citra dubitationem aliquam salubrius: neque enim quicquam hic decernetur aliud, nisi quod Prophetarũ & Apostolorum scriptis fuerit consentaneum. Nec se Propterea deterreri patiatur, qđ à Pontifice Romano Conciliũ hoc est indictum, cùm hanc semper Ecclesiasticam regulam fuisse constet iã inde à mille trecentis & amplius annis, ne præter sententiam Romani Pontificis Concilium vllum celebrare liceret. Quod Si verò factum est ab Imperatoribus aliquando, vt Episcopos ipsi conuocarent, nunq̃ tamen id nisi consentiente Romano Pontifice factũ esse constat. Fuit que tum alia potestas Romanorũ Imperatorum quam quæ nũc est: Nunc. n. etiamsi ad Germaniæ comicia vocent Imperatores subditos sibi Principes, q̃ sint multi futuri, qui ad ea veniant, Illustritas Vest. non ignorat. At illo tempore toti Orbi propemodum imperabant Romani Imperatores, & eorum præscriptis parebatur. Quare autem futurum esset Concilium, quod Imperatoria Maiestas conuocaret, tantum abest, vt dici possit Oecumenicum, vt ne Germanici quidem nomen mereretur. Nam qui ad Comitia vocati non veniunt, multò minus venirent ad Concilium vocati. Deinde verò Germania inferior magna ex parte subest Regi Catholico, & Imperatorem non agnoscit. Quamobrem tale Concilium ne Germanicum quidem dici potest, tantum abest vt Oecumenici nomen illi liceret. Serenissimus Rex & Dominus meus colit & obseruat Maiestatem Cæsaream, tanquam perentem suum, sed tanquam superiorem non agnoscit, Itidem & Rex Catholicus & Rex Christianissimus & Principes Italiæ, atque alij multi quorum nemo vocatus ab Imperatoria Maiestate veniret. Interea tamen non modò Reges & Principes quos enumerauí, verùm & ipsa Maiestas Imperatoria Pontificem Romanũ tãquam superiorem libenter agnoscunt, & ei debitam reuerentiã & obedientiam præstant, ac non modò nihil honori suo detrahi persuasum habent, cum id faciunt verùm aliqua potius illum accessione cumulari credunt, si gloriam hanc Deo dent, vt quem illi visum est in terris Vicarium suum constituere, debitam ei reuerentiam tribuant. Et certè nulla res est, in qua piorum Principum vel fides magis exerceatur, vel Christiana quædam humilitas, qua nihil Deo gratius est, amplius enitescat, quam cùm non hoc attenditur, quis ille sit, quem in Petri Cathedra Deus collocauit (cum fieri quoque possit, vt eadem, qua cæteri, præditus infirmitate, nec vitæ prorsus inculpatæ, nec omnibus in rebus quibus libentius homines honorem quendam & venerationem tribuunt, sic satis instructus) verum solum id modò spectatur, quod CHRISTI Vicarius, quod Petri legitimus est successor, vt honor omnis non ad hominem qui & infirmus est & suis perſæpè vitijs non caret, verùm ad ipsum DEVM referatur, per quem in ista Cathedra collocatus est. Neque in homine fiduciæ quicquam ponitur, quod qui facit, eum Propheta maledictum esse dicit, sed in solo Domino, qui potest per quemlibet indignum peccatorem contra spem etiam & expectationem multorum ea præstare, quæ maximum ipsius Ecclesiæ fructum afferre queant, quo sic omnes intelligant, non id hominis virtute contigisse, Verum excelsi dextra factum esse. Quam ergo Deo gloriam tribuit Imperatoria Maiestas, quam tribuit Serenissimus quoque Rex noster, cuius Vasallum Illustritas vestra se esse profitetur, quam tribuunt & reliqui Reges ac Principes omnes, quotquot Christiani & Catholici censeri volunt, cur eandem Deo gloriam non det Illustritas Vestra, vt ipsi per ministrum suum Pium Quartum Pontificem ad Concilium vocanti pareat, & suos huc primo quoque tempore mittat? Legi nescio quid in responso Illustritas Vestra de quibusdam abusibus Ecclesiæ Romanæ, deque Idolis, quæ fugere se scribit iuxta præceptum Domini. Atqui si qui sunt abusus, non in angulo de illis disserendum, sed hic potius in Orbis totius conspectu, sub oculos omnium subijciendi sunt. deinde verò etiam ipsos Lutheranos, & à Caluino & à Lasco non vno in loco Idolatriæ accusari lego, vt cuius criminis insimulant nos Lutherani, eiusdem ipsi vicissim arguantur à Zuuinglianis. Neque magis id fit à Zuinglianis, quam ab ipsis, dum se mutuò conuitijs insectantur. Lutheranis· Legi quandam concionem de pœnitentia Flacci, in qua præceptores suos, & quicunque doctrinam eorum sequuntur, vocat abnegatores CHRISTI, apostatas, & persecutores Ecclesiæ Dei. Legi & Amsdorfij libellum contra Pfeffingerum scriptum, in quo grauiter aduersus illum inuehitur, Quod doctrinam Ecclesiarum suarum, quam vocat ipse Dei verbum, & sanctum Euangelium vocet Diaboli mendacium, & Pfeffingero vicissim Idololatriæ crimen impingit. Quid autem Osiander sentiat de Confessione Augustana, non est obscurum Illustritati Vestræ, qui monet in quodam scripto suo, ne suos filios parentes mittant Vittembergam, vt ibi Magistri vel Doctores efficiantur. Coguntur enim, inquit, abiurare verba Dei, & in Philippi verba iurare. Sic ille Confessionem Augustanam vocat Abiurationem verbi Dei. Quæ autem non confinxerunt vicissim de Osiandro, qui sunt Confessionis Augustanæ? Præterquàm quod eum plurimis conuitijs & maledictis insectati sunt, etiam commentum hoc de illo sparserunt: eum hoc affirmare, Christi passionem & mortem nullum nobis fructum attulisse, cum tamen ego diuersum in scriptis illius repererim. Quamobrem conuitia sunt hæc & maledicta de Idolis, deque criminibus alijs, quæ, S. Romanæ Ecclesiæ à quibusdam obijciuntur, quibus ipsi quoque, qui discesserunt à nobis, non raro se inuicem incessunt. Vtinam aũt le-

geret Illust. V. Sanctos illos veteres & Orthodoxos Patres, Hieronymum, Augustinũ, Vincentium Lyrinensem, & ex eis, quæ sint illa Idola, quæ nos fugere scriptura iubet, disceret. Non alia ea esse cognosceret, quàm eorum commenta, qui doctrinam suam hoc nostro sæculo pro Dei verbo, populo venditant, & tanquam Dei verbum adorari, & omnes coram eo se incuruare volunt, cum tamen Diaboli potius, quàm Dei verbum, nonnunquam id esse reperiatur. Volo autem nunc, verbi gratia, vnius tantum meminisse. Visum aliquando fuit Luthero Dei verbum esse: quod seruum sit in nobis, non liberum arbitriũ, & cõuerti hoẽm purè, passiuè vt trucũ & nihil agẽtẽ conuerti repugnantẽ & hostiliter Deo conuertenti aduersantẽ, quãdoquidẽ etiã mala opera in impijs Deus operetur. Quã suã doctrinã, quò magis verbũ esse Dei ꝓsuaderet, plurimis scripturæ locis cõfirmauit, & eandẽ nũc quoque Caluinus magna cõtẽtione tuetur. In qua fuit etiã aliquãdo Philippus, q docuit in primis annotationib. suis in Epistolã ad Romanos, sicuti propriũ Dei opus fuit Pauli vocatio, ita fatendũ esse, opera Dei propria esse, etiam quæ mala sunt, vt Dauidis adulteriũ, Manlijq̃ seueritatem: cum constet Deum omnia facere, non promissiuè, sed potenter, vt sit eius proprium opus Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio. Sed posteà tamen impiam hanc opinionẽ, quam anteà tanquam Dei verbum asserebat, reiecit, & Catholicam de libro arbitrio doctrinam est amplexus. Quo nomine grauiter à discipulis suis Flacco & Gallo flagellatur, tanquàm Apostata, tanquam desertor, tanquam abnegator Christi. An autem hæc non est Germana quædam Idololatria, quod ab homine dictum est, neque doctissimo, neque sanctissimo contra totius Ecclesiæ Catholicæ receptam doctrinam, id tanquam Dei verbum adorare, nec ab eo vlla ratione dimoueri velle. Talia itaque Idola, quæ suum verbũ pro Dei Verbo coli volunt, qualia sunt Lutherus, Zuinglius, Pacimontanus, Flaccus, Philippus, Gallus, & si qui sunt eiusdem farinæ alij, fugere iubent Illust. V. Propheticæ & Apostolicæ literæ, cum præsertim videat ipsos inter se Deos istos Germanicos, haud aliter atque Deos quondam Homericos grauiter dimicantes, mutuisque se vulneribus conficientes. Hæc igitur Idola iuxta seuerissimum Dei mandatum & remis, & velis Illust. Vest. fugiat, neque statim vel huius, vel illius verbum, tanquam Dei verbum adoret, etiamsi nonnunquam examina scripturarum proferantur, quæ proferre solere hæreticos quoque non ignorat. Sed quod sit verbum Dei, ibi cognoscere studeat potius, vbi Ecclesia vniuersa in spiritu sancto congregata est. Quo cum eam gubernari certum sit & indubitatum, errare nulla ratione potest. Hanc igitur sanctissimam parentem qua decet pietate veneretur, illi se permittat, illi credat, illam audiat, illam secundum Deum ipsum vereatur: Quæ de rebus diuinis ipsa sentit sentienda, quæ de humanis præscribit facienda, quæ prohibet fugienda esse, sine vlla dubitatione statuat, cum præsertim inter alios articulos fidei profiteatur absque dubio hunc quoque, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Neque verò temerè fecerunt Apostoli, quod, cum symbolum traderent, nusquam posuerint, Credo sancta Biblia, aut sanctum Euangelium, sed Credo (dixerunt) sanctam Ecclesiam Catholicam. Non quod Biblijs credendũ nõ sit, quibus qui nò credit, Christianus non est, sed q̃ de ipsis Biblijs, qui sint libri Canonici, q nõ sint, nõ alicuius priuato, sed Ecclesiæ totius iudicio fides habenda quod q̃ ipsa Biblia nõ iuxta priuatũ alicui⁹, verũ iuxta cõmunẽ totius Ecclesiæ sensũ interpretanda sunt: Cum sanus Bibliorum intellectus non alibi, quam in Ecclesia reperiri queat: sic enim scriptum à Petro legimus, scripturam non esse priuatæ interpretationis, nulli vt permittatur ea licentia, vt illis præcipuè locis, vbi dogmata traduntur, suam aliquis peculiarem interpretationem effingat. Huc itaque recurrat Illust. V. huc suos mittat: ab Ecclesia Catholica, quam Concilium hoc repræsentat, de verbo Dei, deque cuiuscunque tandem doctrinæ veritate doceri velit. Sic est futurum, vt nihil cum istis Idolis commune habeat, sed vnanimiter, nobiscum vna Deum & Patrem D. nostri Iesu Christi glorificet. Qui vt in hanc mentem impellat Illust. Vestram, diuinam illius misericordiã tanto maiore studio imploro, quanto vehementius Illust. V. salutem sitio. Cui propter bonam vicinitatem semper mecum hactenus conseruatam plurimum me debere profiteor, ac in omnibus his in quibus rectè potero, operam illi meam dico, quos huc miserit, omnibus humanitatis officijs prosequuturus, atque vt idem faciant cæteri Reuerendissimi & Illustrissimi Domini Legati, quamuis vltrò pro sua humanitate in eã esse propensos certò sciã, tamẽ ipse quoq̃ quantũ apud illos gratia valuero, efficere conabor. Datũ Tridenti X. Decemb. Anno, 1561.

Maximiliano Vngariæ & Bohemiæ Regi.

Epistola. XLIII.

Rogat vt Principes Germaniæ autoritate sua adducat, vt ad Concil. Oecumenicum veniãt, & in eo de controuersis Religionis articulis tractari potius velint, quàm in priuatis Conuenticulis.

LIteras Serenitatis Vestræ ea qua par est reuerentia accepi, fuerunt que mihi eo gratiores, quòd erant gratiæ illius & beneuolentiæ in me notis insignes: & ita scriptæ sunt, vt verè Christianum ipsius pectus in illis agnoscere licuerit. Nam & pietatem quandam non vulgarem præ se ferebant. Itaque vehementer eo die sum exhilaratus quo mihi redditæ fuerunt. Duplicatum autem est hoc gaudium meum allato lætissimo nuncio de sacra Cæsarea Maiestate, Quod illa tandem aliquando constituerit, suos Oratores huc mittere, & eos adfuturos hic statim post Idus Ianuarij receperit. Ea verò res non mihi magis, quã cæteris Illust. & R. D. Legatis, & omnibus, quotquot hic præsentes adsunt, Epis. nõ mediocrẽ voluptatẽ attulit, ac leuatis in cælũ manib. Deo gratias egimus q̃ Maiest

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cæsaream in hanc mentem impulerit . Neque dubiam spem concepimus, futurum, vt Concilium hoc fœlicem progressum, & exitum habeat fœliciorem , omnem fiduciam nostram in solius Dei misericordia collocantes. Ac deliberabatur quidem de eo, Num esset ante festa Natalicia Concilium hoc aperiendum. Quod vt ita fieret, nonnulli censuerunt, Sed posteaquàm à Cæsarea Maiestate gratum hunc Nuncium accepimus, visum est hunc illius Maiestati honorem habere in eum ipsum diem, quo suos hic ad futuros promisit, apertio Concilij differetur. Incredibilis autem fuit omnium gratulatio, Quod Sacra Cæsarea Maiestas verè se primogenitum Ecclesiæ filium esse declarauit, cum prima suos Oratores ad Sacrosanctũ Concilium hoc mittere decreuerit. Quamuis. n. Serenissimi Portugalliæ Regis Orator ante Idus Oct. Lisibona discessisse dicitur , tamen vbi nunc locorum sit, aut ad quem diem huc venturus sit, comperti nihil habemus, ac futurum speramus, vt priores huc veniant Imperatoriæ Maiestatis Oratores . Vtinam autem persuaderi posset Principibus istis Germaniæ, vt caput suum & Dominum suum sequerentur. Et sicut Imperatoria Maiestas, libenter se sacro Concilio huic submittit, atque deeretis illius parere se promptam ostendit. Idem facerent & illi, qui multò magis, quàm Cæsarea Maiestas, indigere Concilio videntur. Nam quod ad illam attinet, in sanctorum Patrum traditionibus facilè acquieuit , nec vlla de re vel minimum ambigit, quæ quidem ad fidem Catholicam pertinent. Inter Principes autem Germaniæ quot sunt schismata, quot sectæ quàm dissectæ, Serenitas Vestra non ignorat. Quam tenere memoria puto, quod libru exhibuerim Ducum Vinariensium, in quo nouem, & alium Ministrorum Mansfeldensium, in quo sectæ sunt vndecim condemnatæ. Quarum tamen vna est Catholica. Atque hæ sectæ ferè omnes non aliunde quàm à Luthero duxerunt originem. An nõ præstant, si qua secta condemnanda est, vt id publico totius Orbis Decreto fieret potius, quàm in aliquo Saxoniæ angulo . Lego quosdam rigidiores Lutheranos, cuius generis sunt Flaccus, Vigandus, Gallus Amsdorfius, Heshusius, & alij grauiter querentes, quod Confessio Augustana, quam ante XXX. hos annos, tanquam Dei verbum receperant, à Melanthone multis in locis mutata & deprauata sit. Cui etiam falsi crimen impingunt in ipsius Lutheri libris, plurimis in locis adulterandis , quos non alio loco, quàm quo Canonicam scripturã habere videntur, neque fas esse putant, vel iota vnum in illis mutari. Neque verò sine causa queri videntur. Nam contuli aliquot exemplaria Confessionis Augustanæ, & ita, sicut ipsi queruntur, rem habere comperi . Vidi etiam illam, quam Ihenæ typis excudendam curauit Flaccus, quæ videntur proximè accedere ad eam, quã Christianissimo Cæsari Carolo V. fœlicis recordationis Augustæ fuit oblata. Cum itaque de Confessionis etiam ipsius Augustanæ fide iam inter ipsos disceptatur, quam toties mutatam ac deprauatam esse non modo Zuuingliani siue Caluiniani, verùm & ipsi vociferantur veri Lutherani, & eam Cothurnum quendam appellant vtrique pediaptum, cum author istius Confessionis de præcipuo doctrinæ Christianæ capite, nimirum de præsentia Christi corporis in Eucharistia. non ab Ecclesia modò, verùm & ab ipso Magistro suo Luthero diuersum senserit, & ad impium Caluini dogma deflexerit, nónne satius foret, vt de hac ipsa Confessione, quid in ea rectè recipi possit, quid non, huic Oecumenico Concilio iudicandi potestas permitteretur quam vt vnius hominis arbitrio toties mutata, ipsis etiam Lutheranis ambigendi, deque ea disceptandi & altercandi materiam præberet. Mihi verò si cuiusquam alterius, certè Lutheranæ sectæ, vel maxime videtur interesse, suam vt doctrinam siue Confessionem huic Oecumenico Concilio dijudicandam permittat, quandoquidem non solum per Sacramentarios ea vehementer oppugnatur, ac propemodum expugnatur, verumetiam ipsorum Lutheranorum inter se mutuis dissidijs extinguitur. Vidi nuper libellum quendam Guilhelmi Clebitij sacramentarij aduersus Heshusium scriptum, cuius hæc est inscriptio: Victoria veritatis & ruina Papatus Saxonici, in quo Lutheranos ad Synodum & ad disputationem de præsentia vel absentia potius CHRISTI corporis & sanguinis in Eucharistiæ Sacramento prouocat, ac easdem illis leges præscribit, quas ipsi nobis Christianis præscribere consueuerunt . Quorsum autem res redijt per DEVM immortalem. Putauit Lutherus Papatum se Romanum euersurum qui 1500. annis in Ecclesia durauit, duraturus etiam ad finem sæculi (Et eum profecisse tamen aliquid in quibusdam locis negari non potest) Ecce autem ipsius Lutheri Papatum quiuix dum quadraginta annis in Saxonia durauit euersu prius esse non temerè Sacramentarij gloriantur, cum bona pars eorum, qui Lutheri fidem fuerunt amplexi, reiecta ea, Zuinglij siue Caluini doctrinam sit sequuta, ac plurimos in Germania videre liceat, qui de præsentia CHRISTI corporis in Eucharistia, non solum ab Ecclesia DEI, verùm ab ipsius etiam Lutheri sententia discesserint, multóque nunc latius Caluini doctrinam propagatam esse videmus, quàm fuit vnquam Lutherana . Quo facilius adduci deberent hi qui sunt Confessionis Augustanæ, vt quibus de rebus inter se disceptant, de his iudicium penes hoc Oecumenicum Concilium esse vellent: Et habituri hic essent æquiores Iudices opinione sua. Vidi nuper supplicatorios Flaccij libellos, quibus instat & vrget mirabiliter, vt in Germania Synodus habeatur, à qua tamen arceri vult primum Christianos omnes, quos per contumeliam, vt sibi videtur, Papistas, deinde Seruetianos, Suuenckfeldianos, Antinomos, Anabapistas, Sacramentarios, & Osiandrinos, neque cum alijs quàm cum Synergistis, Adiaphoristis , & maioristis sibi rem esse vult . Et cum hæc legerem, venit mihi in mentem verborum illorum , quæ me Serenitati vestræ ostendere anno superiore memini : sub hoc ipsum anni tempus, vbi Melanthon in libro quodam, quem inscripsit , Vtinam verè corpus doctrinæ Christianæ de Flacco , & Gallo iradmonitione

nitione ad Lectorem sic loquitur: Cum isto mirabilium hominum genere agi nihil potest, qui suo arbitrio damnant quidlibet, neque personis auditis, neque dijudicatis rebus. Cogunt Consilia quandò, & vbi ipsis placet, & vendicant sibi maiorem, magisque intolerabilem ac minus excusabilem authoritatem & potestatem, quàm Papa Romanus vnquam. Quæ quo tandem euasura videantur, cogitetur. In præfatione verò quæ præcedit, in Anarchiam quandam euasisse indicat. Nihil potuit à Melanthone verius dici, quàm quod istos intollerabilem & ineusabilem authoritatem ac potestatem arrogare sibi scribit, & nihilominus reperire quosdam licet, qui citiùs postremorum horum hominum scriptis parueriut, quàm eius quem propterea suo loco Deus vnum in Ecclesiam Pastorem constituit, vt eius ministerio, ne quæ schismata fierent prouideri, & vnitas in Ecclesia conseruari possit. An autem hoc non magis esset ex dignitate Principum, quem agnoscit Dominus S. Maiestas Imperatoria, quem alij potentissimi Reges & Principes agnoscunt, quicunque Christiani censeri volunt, vt ab eo potius inuitati ad Synodum non Germanicam vel Saxonicam, sed Oecumenicam venirent, & si quibus de rebus dubitant, ad illam potius, quàm ad nescio, quos alios referrent. Certè si Catholici dici & esse vellent, Catholicè potius, hoc est, in Orbis totius Christiani, quem Concilium Oecumenicum repræsentat, quam in aliquo Saxoniæ angulo priuatim de suorum dogmatum cõtrouersijs decerni velle deberẽt, ac minus cum eis duriter hic ageretur, quàm agere videntur Flaccus, Gallus, Vigandus, & alij id genus: minus etiam multi excluderentur. Esset præterea non magis cognoscendi, quàm ignoscendi locus, idque tollerabilioribus multò conditionibus, q̃ quas præceptoribus suis proponit Flaccus sæper. Seren. V. singulare quoddam erga Concilium Oecumenicum studium cognoui, quod præ cæteris vehementer expetere visa est. Quo maiore spe sum, facturam omnino Cels. Vestram Regiam, ac pro virili sua diligenter prouisuram, vt Concilium istud, quod breui tandem aperietur, aliquo cum fructu celebrari possit. Quod ita demum euenturum speramus, si qui plus cæteris eo indigent, ad illud venire non recusauerint. Id si qua ratione persuaderi illis possit, cum primis vtile futurum esset, & oportunum ad ea discidia tollenda, quæ sunt in Germania per quosdam homines plus nimio sibi placentes excitata. Qua in re si suam quoque operam Ser. V. nauauerit, & nomini suo laudem pariet sempiternam, & à Deo mercedem huius sui laboris amplissimam consequetur. Vt autem in eam curam incumberet, hortarer, orarem, & obsecrarem Cels. V. Regiam, nisi certò persuasum haberem, quod sua sponte propensior est ad eam rem, quàm vt cuiusque hortationibus opus habeat. Scripta iam hæc epistola, peruenit in manus meas libellus quidam Ioannis Spangenbergij hoc ipso anno Ihenæ impressus, cuius titulus hic est. Vera informatio de beneficijs, quæ Deus per D. Lutherum Germaniæ præsertim præstitit, & de turpi & insigni ingratitudine pro tantis beneficijs. Vbi interalia Lutheri beneficia, quæ Germaniæ contulit, numerat & hoc, quod Antichristum reuelauerit. Ac si nil aliud præter hoc feciſſet, vel hoc Solo nomine dignũ eum fuisse scribit, cui summus honos haberetur. In fine verò libelli Prophetias quasdam (sic enim vocat) Lutheri ex libris eius congessit, inter quas ponit & hanc, De fructibus reuelati Antichristi. Vetus verbum est & à multis Doctoribus repetitũ, Quod post reuelationem Antichristi, tam erunt homines feri, quod iam deinceps nollent Deum agnoscere, nec vllam illius rationem habere, sed iuxta suam quisque voluntatem faciet, quicquid diabolus & caro suaserit. Hoc tempus iam impletum esse videmus. Posteaquàm enim admirabili quadam & singulari Dei grãtia Antichristianismi siue Papatus horrenda mendacia ac doli, deceptionesq̃ manifestatæ sunt, incipiunt iam homines nil amplius credere, & posteaquàm à vinculis Papatus se liberos esse vident , volunt etiam esse liberi & soluti ab Euangelio & à præceptis Dei. Et volunt, vt deinceps rectum sit & iustum, quicquid vnicuique visum fuerit. Quàm cuperem vt hæc Protestantes Principes diligentius secum expenderent. Nam sicut olim per Caipham, sic & nunc per hunc Pseudoprophetam verisimè dictum id esse, nemo negare potest. qui modo rerũ hanc faciem videt, cum in Germania, tum & in alijs plærisque locis. Posteaquàm enim Papæ iugum excussum. & falsò quibusdam peruasum est, eum esse Antichristum, simul & Christi iugum excussum, & eo res, proh dolor, perducta est, quod qui diruperunt vincula Papatus, idem illi nec Euangelij, nec Dei præceptorum vinculis vllis aligari esse volunt: ac diruptorum vinculorum fructum hunc ferunt, vt iam deinceps nihil credant, & faciat quisque quod sibi videtur. Qua de re queritur etiam Hieronymus, Meneclius Superintendens Comitatus Mansfeldensis, in cuius libellum de Pastoribus incidi hoc ipso anno impressum Islebij, quam isti nouam Bethleem esse volunt: in cuius libelli præfatione sunt hæc verba : Posteaquàm per sanctum Euangelium à Papæ tyrannide & potestate liberati sunt, & assueuerunt omnes illius Constitutiones reijcere , progrediuntur vlterius , & volunt prorsus eandem consuetudinem in alijs quoque rebus omnibus, siue sint bonæ, siue sint malæ, retinere: volunt esse liberi, nec à quoquam prohiberi, quominus arbitratu suo viuant, haud aliter quàm si Euangelium esset talis doctrina, quæ vnicuique concedat potestatem faciendi, quod illi placet, quæ nullum ordinem, nec vllam disciplinam ferre possit. Quod si quis eis resistere fuerit ausus, eo veniunt audaciæ, vt non solum odia suscipiant erga suos Prædicatores, & eos contumelijs afficiant, verumetiam pro virili sua tyrannicè persequantur. Ac si quem volunt ordinem Prædicatores constituere, statim vim esse dicunt minimè Christianam, & nouationem quandam, & introductionem veteris Papatus, per quam Prædicatores propriam suam potestatem & dominationẽ in cõmissum sibi gregem stabilire velint. Qui si pergant vrgere executionẽ eorũ, quæ con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

constituerant, non solum conuitijs afficiuntur, verumetiam ad extremum expelluntur. Ex his colligere licet, quod à Cypriano scriptum legimus: Propterea à Sathanam infestatione sua Præpositum Ecclesiæ persequi præ cæteris, vt Gubernatore sublato, atrocius atq; violentius circa Ecclesiæ naufragia grassetur. Idque iam fieri vbicunque iugum Pontificis excussum est, non magis audire, quàm oculis cernere licet. Nam qui veterem Christianorum Papatum ferre noluerunt, hi nec nouum hunc Saxonicum sustinere iam possūt. Accusat autem Spangenbergius ingratitudinis nos Christianos, quos ipse Papistas vocat, qui Lutherum pro CHRISTO nunquàm agnouerunt, sed verum Antichristum fuisse non dubitant: non igitur nos accusat, verùm illos ipsos, qui Lutheri verbum, tanquàm Dei verbum quadraginta his & amplius annis adorarunt, Vittenbergenses potissimum, Lipsenses, & qui sunt sub Duce Vittembergensi. Illos grauiter accusat, quod acceptorum à Luthero beneficiorū immemores, ausi fuerint in X. vel XI. doctrinæ capitibus ab eius sententia, quam purum Dei verbum esse, persuasum habent, discedere, quodque his eum elogijs ornauerint, fuisse illum Philautum, hoc est, hominem sibi placentem, cui nil rectum visum sit, nisi quod ipse sentiebat, fuisse Philonicum & Eristicum, hoc est, vt ipsi Germanicè scribunt, Einen menschen/der alle zeit will recht haben/seinen menschen etwas gutes sein lassen/niemandt weichen willen/allein sein eigen eher suchen/vnd niemandt neben Jhm leiden vnd kennen / Fuisse Doctorem Hyperbolicum, qui nil nisi hyperbolas loqueretur aut scriberet. Qui ex culice faceret Elephantum. Qui diceret, 1000 vbi non essent quinque, fuisse Polypragmonicum & ardelionem quendam, qui se omnibus negotijs, etiam nil ad se pertinentibus, implicaret: fuisse ostentatorem ingenij, fuisse Storcum ein StorFopff, qui suo tantum iudicio vellet omnia fieri, & cæteros in tyrannica seruitute continere: fuisse somniatorem. Et nescio quæ alia, quæ ego non sine quadam animi mei voluptate legi. Quod si tale fuit discipulorum Lutheri de Luthero iudicium, & certum est, non deesse quosdam etiam Principes, qui Melanchthonis doctrinā sibi potius amplectendā esse putant, q̄ Lutheri, ac rectè ab eo factū existiment, q̄ non in omnibus cum Luthero consenserit, sed in quibusdam ad Christianos, in alijs verò nonnullis dogmatib. ad Zuuinglianos deflexerit, mirari satis non possum, quod Principes isti partim Melanthonis, partim Illyrici siue Spangenbergij iudicio, de doctrina Lutheri stare malunt, q̄ eā Oecumenico Concilio disceptandam permittere. Sic autem in eodem libello de eodem scribit Spangenbergius, vt eum exæquare Christo videatur, nec alio ferè loco quàm quo scripturas Canonicas, eius libros haberi velit. Accusant nos Idololatriæ. Potest autem esse maior & manifestior Idololatria, quàm sit hæc, Vnius alicuius hominis, neque doctrina excellenti, nec vlla vitæ sanctimonia præditi verbum, tanquam Dei verbum, recipere, & coram illo incuruari, ac si quis ab eo dissenserit, eum à cœtu suo siue ex Ecclesia sua, si modò hoc nomine cœtum hunc appellare fas est, eijcere. Optarem, vt memores essent, Protestantes eorum verborum, quibus in Propheticis & Apostolicis literis Idola fugere monentur. Et cum intelligant nil aliud esse, quàm mera quædam Idola Lutherū, Philippum, Flaccū Brentium, & id genus alios remis & velis, quod aiunt, illa fugerent, déque eo quæ doctrina verbū Dei censeri debeat, Ecclesiæ Catholicę qua Concil. Oecumenicū. representat, iudicio potius permitterent, quam vel Flacco, vel Brentio vel nescio quibus alijs Saxonicis ministris. Etiam extra Saxoniam leguntur & intelliguntur scripturæ & rectius ibi iudicari potest: quis sit germanus scripturæ sensus, vbi totus orbis conuenit in CHristi nomine, quam in paucorum conuenticulo. Quod Catholicum dogma censeri debet, in Ecclesia Catholica approbari oportet, quam frustra se credere in symbolo profitentur, qui malunt alicuius vnius hominis priuati, quàm illius sententiam sequi, sæpè iam periculum fecerunt: multa sunt inter eos colloquia, multa sunt habita conuenticula. Quid autem aliud fecerūt, quàm quod magis ex illis incerti, quàm fuerant antea, discesserunt, magis etiā inter se pugnantes. Huc itaque suos mittant potius Principes isti Protestantes, hic quæ doctrina cum verbo Dei consentiat, quæue cum illo pugnet, doceri velint. Nam sicut in Ministrorum suorum Conuenticulis, siue, vt ipsi vocant Colloquijs, iam experimento didicerunt, quod miscuit Deus in medio eorum spiritum vertiginis, vt errare faceret Ægyptum in omni opere suo, ita præsentem hic adesse spiritus sancti gratiam, cognoscent. Non erit hic Deus ille dissensionis, qui regnat in his locis, vbi suaue Christi iugum per ministrum suum Pontificem Ecclesiam gubernantis excussum est: Sed erit Deus pacis & dilectionis, qui per diuersitatem linguarum cunctarum Gentes in vnitate fidei congregabit. Vsurpat sibi illorum Conuenticula verba illa Christi. Vbicunq; duo vel tres &c. Sed præclarè sanctus ille Martyr Cyprianus, Corruptores, inquit, Euangelij atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prætereunt, partim memores, & partim subdolè corrūpentes: vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli vnius sententiam scindunt, Dominus enim cum discipulis suis vnanimitatē suaderet, & pacem: dico, inquit, vobis, quoniam si duo ex vobis conuenerint in terra, de omni re quamcunque petieritis, continget vobis à Patre meo, qui in cœlis est. Vbicunque fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ego cum illis sum, ostendens non multitudini sed vnanimitati deprecātium plurimū tribui. Si duobus ex vobis inquit, conenerit in terra, Vnanimitatem prius posuit in terra, concordiam pacis antè præmisit, vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesia & cum vniuersa fraternitate non conuenit. Quomodo possunt duo aut tres in nomine CHRISTI colligi, quos constat à CHRISTO & ab eius Euangelio sæperari. Non enim no-

Lutheri elogia.

nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt, & cum hæreses & schismata postmodum nata sint, dum Conuenticula sibi diuersa constituant, veritatis caput atque originem reliquerunt. Christus autem de Ecclesia loquitur, &c. Præclarè certè sanctus iste Martyr & Episcopus maximum esse signum iudicat, eos in Christi nomine nequaquam conuenire, quibus cum corpore ipsius Ecclesia & cum vniuersa fraternitate non conuenit, qui etiam ipsi dissident inter se, idque de præcipuis Christianæ Religionis dogmatibus. Hoc autem in loco quin conuentum sit in Christi nomine, nemo pius dubitare debet, quandoquidem hic est & erit per Dei gratiam vnanimitas: hic est & erit multitudinis credentium cor vnum & anima vna: hic est & erit ciuitas vnius labij & eorundem sermonum. Itaque si quis CHRISTVM hic præsentem ad futurum non credit, non credit illud quod inter articulos fidei nostræ quotidie dicimus, Credo sanctam Ecclesiam Catholicā, quā Cōciliū istud repræsentare dubium non est. Cum enim Ecclesia Christi sponsa sit, fieri non potest, vt sponsus illius CHRISTVS vnquam eam sua præsentia destituat, vt ope sua præsto illi non adsit, vt eam in errorem aliquem induci patiatur. Quamobrem præclarè de matre sua Ecclesia merebitur Seren. Vestra. si cum ipsa sua priuatim, tum & imperatoriæ Maiestatis Patris sui Christianissimi authoritate perficere conata fuerit, vt Principes isti Protestantes, huc suos mittere non grauentur, deque controuersijs istis ministrorum suorum hic iudicium fieri velint. Quod si perfectum opera Seren. Vestræ fuerit, nulla vnquam ætas de hac illius in Ecclesiam DEI meritorum laude conticesset. Tridenti XXIII. Decembr M. D. LXII.

Ferdinando Romanorum Imperatori. Epistola XXXXIIII.

Significat de Sancti Concilij initio et gratias agit, quod Oratores suos miserit



VOd Ecclesiæ suæ fœlix, faustum, & fortunatum Deus esse velit, ad XV. Calendar. Februarij Sacrum Concilium Oecumenicum vnanimi omniū consensu, iam tandem apertum est, & primæ Sessioni dies feria dictus V. post Dominicā Reminiscere, Quo die statim post apertū Cōciliū, ingressus est in Ciuitatē hanc Orator Vestrę Maiest. R.D. Quinque ecclesiensis Episcopus, cuius aduentus Reuerendiss. D. Legatis totique Episcoporū Concilio voluptatem incredibilem attulit, mihi verò præ cæteris, qui semper futurum pollicebar, vt Maiest. Vestra, quod se facturam promiserat, id primo quoque tempore præstaret. Quamobrem ingenti sum affectus lætitia, cum eum viderem, quæ magis etiam cumulata est, posteaquàm ille tātæ Maiest. Orator in ædes meas diuertere dignatus est. Quibus permultum ornamenti ex hoc eius ingressu accessisse sum interpretatus. Neque tenere me potui, quin per literas meas Maiestati Vest. gratularer. Quod verè primogenitum Ecclesiæ filium se declarauit, cum prima suos huc Oratores misit, per quos faueret se Concilio, testatum fecit Orbi vniuerso. Quāuis. n. R.D. Quinqecclesiensis Episcopus Drascouitius itineris difficultate impeditus, solēnibus cæremonijs interesse nō potuisset, tamē cum nonlongè abesset, ꝓ eo, ac si ꝑsens adesset, fuit habitus. Neq; defuit interea, qui ꝑsonā Vestræ Maiest magis etiā q̄ quiuis Orator repræsentaret filius Vestræ Maiest. Illust. Dux Mantuanus, qui & Processioni & Missæ Sacrificio, & cæremonijs omnibus præsens interfuit, adeò vt necipsa Maiest. Vestra abfuisse videatur: quādoquidem personam illius Illust. filius V. Maiest. sustinuit. Ego verò iterum atque iterum Vestræ Maiest. gratulor, ꝙ rebus ipsis ad iuuandam Christianam Remp. promptior prima omnium, sicuti ab illa fieri par fuit, suos huc Oratores miserit, & quidem tales Oratores, quorum pudere Maiest. Vestram non possit, qui ex dignitate & ex vsu V. Maiest. sint futuri. Nam certè nullis magis idoneis munus hoc mandari potuit. Bona spe sum, posteaquàm per latum hoc fuerit ad alios Reges & Principes Christianos, & apertum iam esse Concilium, & in eo præsentes adesse Vestræ Maiest. Oratores, quod semota quauis cunctatione, suos & ipsi mittent, & habebit Sacrum Concilium hoc, Christo nobis opem ferente, fœlicem progressum, exitum verò fœliciorem. Quin & hoc mihi persuadeo, curæ futurum esse Maiest. Vestræ, vt qui sunt illi subiecti Principes Protestantes, præsertim quorum gratia præcipuè Concilium istud celebratur, suos ipsi quoque celeriter huc ablegent, & in hac luce totius Orbis terrarum, quam in angulis nescio quibus de controuersijs religionis, quæ sunt inter illos maximæ, iudicari velint: Erit hic non cognoscendi magis, quàm ignoscendi locus, & æquiores habebunt multò iudices, quàm sint vel Flaccus & Gallus Adiaphoristis, vel his, qui pēdent à Flacco & Gallo, Adiaphoristæ. magis etiam ex dignitate Principum illorum futurum est, si ab Orbe toto Christiano controuersiæ, quæ sunt inter illos, iudicatæ fuerint, quàm si factum id sit â paucorum conuenticulo. Certè fides nostra Catholica vocatur, & est. Itaque si qua de re dubitatur, ad Ecclesiæ Catholicæ, quam Concilium Oecumenicum repræsentat, quàm ad paucorum Conuenticuli iudicium rectius confugitur. Sed ego Maiestatem Vestram, quam grauissimis Orbis totius negotijs vehementer occupatam esse scio, pluribus distinere nolo. Hoc tantum addam, dubitare non debere eos, quorum causa Concilium hoc potissimū est congregatum, qui non magis ab Ecclesia, q̄ ipsi à se inuicē dissident, aliud in hoc Sacro Concilio quæsitū non iri, q̄ salutē ipsorum. Et cū reliquæ Ecclesiæ, tū Germaniæ ꝑcipuè tranquillitatē. Quam ad rem, quicquid adferri poterit à me, operam

meam

Universidad de Deusto
Biblioteca

meam profiteor, nec mihi labores vlli tam sunt graues futuri, quos non alacri animo sum susceptur us, dum Germaniæ tranquillitati pro virili mea prospicere queam. Quod alijs etiam Reuerendiss. Dominis legatis non minori curæ futurum esse, certò persuasum habeo. Quotquot sunt in hoc sacro Concilio Patres congregati, facient procul dubio, vt se verè Patres, nec alia de re magis, quam de liberorũ suorum salute, sollicitos esse declarent: Quicquid etiam Maiest. Vestræ priuatim inseruire potero, paratum me semper & promptum offero, diem illum imprimis hilarem sumpturus, quo mihi Maiest. Vestræ gratiam aliquo obsequij seruitutisque meæ genere, demerendi potestas dabitur. Nec fide, studio, obseruantia erga Maiest. Vestram, cuiquam eorum cessurus sum, quos habet seruitores sibi addictissimos. Inter quos vt me quoque numerare velit, à Maiest. Vestra maiorem in modum peto. Deum verò supplex precor &c. Tridenti XX. Ianuaij M. D. LXII.

Petro Canisio Societatis Iesu Sacerdoti Concionatori Augustano. Epistola. XLV.

Admonet vt Principibus Germaniæ persuadeat, vt ad Concilium Oecumenicum veniant.

SYnodum iam tandem apertam, quod pijs votis prosequeris, non potest non esse pijs omnibus valdè gratum, atque vt id facere pergas, vna cum Societate tua hortarer te, nisi scirem, currenti, quod aiũt, calcar addere, non esse necessarium, cum præsertim legerim selectas preces, quas edi curasti cumprimis pias, quibus vehementer sum delectatus, ac exemplum vnum Illustrissimis Dominis & Collegis meis Legatis protuli, à quibus decretum est, vt nonnulla ex his excerpta in pubblicis Litanijs, quæ habebuntur hac instante Quadragesima, inserentur. Spes est in Deo, daturam hoc illam precibus piorum, vt per auxilium gratiæ ipsius, quod peccata nostra præpediunt, indulgentia propitiationis eius acceleret. Vtinam aũt quod boni omnes desiderant, videre, liceret hic præsentes non solum Germaniæ Præsules, verumetiã Protestantium Oratores, melior nobis spes affulgeret fœlicis progressus, & successus huius Concilij. Verum de benignitate Dei nobis & hoc pollicemur, quod eorum corda facile sit in hanc mentem impulsurus. Tuum erit, si quos habes tibi aliqua familiaritate coniunctos, vt eis persuadere coneris, quo minus difficulter laborem huc veniendi suscipiant, aut saltem aliquos loco suo, mittant. Habetis Coloniæ Societatem, habetis & Moguntiæ, fortassis autem & alijs quibusdam in locis. Si qui sunt in Societatib. his, qui nonnihil apud Episcopos gratia valẽt & authoritate, admone illos, vt omnem moueant lapidem, quo possint eos in hanc mentem impellere. Non ingratum autem accidit, ex literis tuis cognoscere, quod missuri sunt huc suos Electos Saxoniæ & Brandenburgens. ac nescio quis tertius. Deum precamur, vt veniant quocunque tandem animo illis venire decretum est. Etiam Saulus ad persequendam Ecclesiam profectus erat, factus est nihilominus Paulus, & ex persequutore Apostolus. Saul ad occidendum Regem Dauid festinabat, incidit in cuneum Prophetarum, prophetauit & ipse. Balaã ad maledicendũ populo Israel conductus venerat, quẽ cũm vidisset benedixit. Idẽ nũc Deus est qui fuit. æque potẽs æquè benignꝰ, & misericors vt fuit, nec est in eo. Fuit, aut erit, sed est tantum, Potest is auferre cor lapideum, & dare cor carneum: potest efficere qui conducti sunt ad maledicendum populo Dei, vt hi mutato proposito benedicant potius, & cum sit fons totius benignitatis, non magis potest, quam vult, modo nos Deum precemur in fide nihil hæsitantes. Etiam ex lapidibus suscitabit ille filios Abraham. Vtinam veniant, quocunque animo veniant, reperient hic viscera paternæ charitatis plena, super eorum capita carbones ignis congerentur, nec aliud nobis erit propositum, quam vt non vincamur à malo, sed vincamus in bono malum. Quod nos diuina misericordia consequuturos esse speramus, vestris præcipuè precibus adiutos, in quibus multum fiduciæ positum habemus. Quæ vulgò spargi scribis, mera sunt mendacia, nec ignoramus quo sint authore sparsa. Fortassis autem nec illud falsũm est, quod de Gallo illo scribis. Non desunt qui publicam tranquillitatem perturbatam cupiunt, sed dissipabit dominus consilium Architophel. Nos hic nõ paruam ex aduentu Cæsareꝫ Maiest. Oratorum consolationem accepimus, qui nobis Maiest. illius nomine promiserunt, facturam illam vt officio suo ne desit, ac modis omnibus prouisuram, vt summa cum quiete & tranquillitate sacrum Concilium istud celebrari possit. Quæ Germanica misisti, quoniam anteà legeram, in Latinam linguam translata, nunc legere non libuit. Ex Lutheranismo progressum videmus ad Caluinismum, qui vobis pariturus videtur Atheismum: Cum fuissem in Aula Cæsaris, renunciatum est mihi, quod Albertus quidam, quem ita grauiter oppugnat Heshusius, cum contra Christi corporis & sanguinis præsentiam in Eucharistiæ sacramento in Conuenticulo Brunsuicensi multa diceret, in hanc tandem blasphemiam prorupit: Quomodo potest esse in Sacramento hoc, caro & sanguis, cum nullam carnem ex Maria Virgine Christus susceperit. Sed haud aliter atque Sol per aquam nullo ex ea humore contracto, sic ille per vterum Virginis pertransiuit. Ecce quorsum tandem res prouenit? Negatur esse verum eo sensu, quem tot sæculis recepit Ecclesia, quod Christus dixit: Hoc est corpus meum, eadem audacia negari potest, quod Christi discipulus dixit, Verbum caro factum est, ſi præsertim fas erit vnicuique in exponendis Euangelij verbis, à communi sensu & cõsensu discedere. Et iam hoc factum ab Alberto cum Viennæ fuissem, audiui: Legi Petri Martyris libellum, quem nuper mihi misisti. In eo dum, quam asserit Brentius vbiquitatem Christi corporis oppugnat, quæ tamen vox Catholicis est ignota, audet aperte negare. Quod per clausum Virginis vterum Christus transiuerit, quod clauso monumento resurrexerit, quodq; disertissimis verbis scriptum est in Euangelio, eum clausis ianuis ad discipulos intrasse. Et intereà volunt vocari Euangelici, qui tam expressam Euangelij vocem negare non dubitant. Deus precandus est, vt fœlicem progressum & successum huius Concilij largiatur. Huc enim spectat Sathanas, vt omnem Christianam fidem prorsus euertat, nec hactenus ei conatus ipsius parùm fœliciter in plerisq; locis cessisse videntur. Sed respiciet aliquandò Deus oculis misericordiæ suæ sponsam suam Ecclesiam, nec eam procellis ac tempestatibus isti imminentibus obrui patietur. Quin potius ad tranquillitatis portum perducet, quod vt faciat, vtq; fœlicem huic Sacro Concilio successum concedat, tuis & aliorum piorum precibus, quas puras manus ad Deum leuando fundere, nunquam intermittis, effectum iri speramus. Fidant alij in curribus, & in equis, nos autem in nomine Domini, qui sperantes in se nunquam deserit. Quæso autem te vt de omnibus his, quæ fuerint acta in Conuentu Vlmensi, deq; cæteris rebus, quas nos scire nostra interesse putaueris, diligenter me reddat certiorem. Non mihi magis, quàm cæteris Illustrissimis Dominis meis Legatis, rem feceris multò gratissimam. Datum die X. Februarij. Anno Domini M. D. LXII.

Hyppolito Cardinali Ferrariensi Legato in Gallijs. Epist. XLVI.

Ostendit periculosum esse, nec permitti debere vt disputationes & decreta de religione alibi fiant, quàm in Concilio Oecumenico.

PRidem Illustrissimam Dominationem Vestram literis meis appellare cupiebam, sed ita fuit mens mea perturbata rumoribus istis, qui tristes admodùm huc adferebantur ex eo Regno, quod ita multis sæculis Christianissimum semper est habitum, vt nomen etiam Christianissimi in hunc vsque diem obtineat, vt vi doloris oppressus animum ad scribendum componere non potuerim. Sic enim renunciabatur hic, maiorem Regni istius partem à Christo defeciſſe, & pro Dei verbo Caluini verbum amplexum esse. Quæ res quantum animo meo cruciatum attulerit, nulla satis oratione consequi possum. Erat mihi mortis instar audire tam nobile Regnum, tot rebus præclarè gestis illustre, tanta quondam pietatis erga Deum, & in fide Catholica constantiæ singulari laude insigne, hoc infœlici sæculo nostro ita fœdè prolapsum omnem æstimationem tot sæculis collectam tam repentè perdidisse. Cæterùm posteaquàm venit huc Synogaliensis Episcopus, non mediocriter oratione sua me recreauit, cùm illo referente cognouissem, tolerabiliorem esse istius Regni statum, quàm hic à nonnullis dicebatur, & multis partibus plures inueniri, qui constanter Euangelium Christi tuentur, quàm qui se in aliud nescio quod cuiusuis potius, quàm Christi Euangelium transferri passi sunt. Narrauit is mihi multa de singulari Christianissimæ Reginæ pietate relligioneq;, quod sit in fide Catholica & Orthodoxa retinenda constans, quanto studio prouideat, ne quid pestiferę contagionis istius hauriant Serenissimi liberi sui, quàm ardenter etiam cupiat Regno populisq; suis prospectum, vt ab ea contagione salui, conseruari queant, nisi quod sine graui periculo durius aliquid statuere non posse videatur in eos, qui perturbationis huius sunt authores. Non paruam animo meo consolationem accepi, cùm hæc audissem, præcipuè cùm eadem Ostuneñ etiam Episcopus confirmaret, confirmarent & literæ, quas ab Illust. Dom. Vest. nudiustertiam accepimus, ex quibus in spem erecti sumus, minimè dubium futurum, vt Reguum istud oculis misericordiæ suæ Deus respiciat, ac tempestatibus his & procellis tacere ac obmutescere iussis, pristinam illi tranquillitatem restituat. Verùm intereà valdè nos perturbauit, quòd in eis literis adscriptum est ab Illust. Dom. Vest. cupere Reginam Christianiss. vt illa præsente & audiente, denuò disputationes ineantur cum hæreticis, quibus etiam vel interſit, vel præsit Illust. Dominat. Vest. Equidem obstupui cùm hæc legi audirem, nec satis mirari potui, quo modo venerit in mentem & Reginæ, cuius tanta pietas & relligio prædicaretur, talia postulare. An non satis erat semel Theodori Bezæ blasphemias audiuisse? cùm ille non minus longo interuallo disiunctum esse Christi corpus ab Eucharistiæ Sacramento, quàm cœlum distat à terra, diceret? Adeóne ferre potuerunt aures Christianissimę Reginæ tàm blasphemas voces, vt eas etiam iterari velit? Quas certè nec ipsi Lutherani, quamlibet sint ab Ecclesia Catholica alieni, sustinere possent. Quorum de Caluino deq; sectatoribus eius hæc est sententia, sceptro Magistratus eos coërcendos, non stylo disputatione esse refutandos. Legi quendam Caluini libellum, in quo grauiter queritur contra Ioachimum Vestphalum scribens. Cùm sæpè colloquia fuerint habita inter Christianos & Lutheranos, quòd semper ab illis exclusus fuerit, nec vnquam data sit ei potestas cum Lutheranis colloquendi. Proximo Septembri Mense fuit Alberstadij, si rectè memini Conuentus quidem Principum & Statuum Saxoniæ, in quo, qui Caluini doctrinam amplexi sunt, his omnibus aqua & igni interdictum est, non sine graui quadam interminatione, si quis in Saxoniæ Ciuitatibus receptum eis dedisset. Et quos ad Colloquium suum nõ admittunt, quibus aqua & igni interdicunt, ipsi etiam Lutherani, eorum blasphemias iterùm atque iterùm audire sustinebit ea Regina, quæ non Christiana, sed Christianissima vocatur. Scio non esse mearum partium, Illustrissimam Dominationem Vestram admonere, cuius prudẽtia maior est, quàm vt monitoris alicuius egeat, nequaquàm vt sit verisimi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

le, vt aliquid prudentia, grauitate, relligione{que} sua indignum committat, sed pro meo tamen erga illam studio, & obseruantia facere non potui, quin eam orarem & obsecrarem, vt non modò non præsit disputationibus (à quibus abstinebit sua sponte proculdubiò) verumetiam autor sit Christianissimæ Reginæ, quàm charum est illi nomen hoc, quod multis iam sæculis magna cum gloria sua retinent Galliarum Reges potentissimi, quàm chara est illi & fortunarum, & filiorum, & animæ suæ salus, tam diligenter caueat, ne deinceps impuris horum hominum blasphemijs aures suas accommodet, néue de præsentia Christi corporis & sanguinis, quam Sole clarioribus verbis in Euangelio confirmatam habemus, iterùm disputari permittat. Cùm fuissem in Aula Cæsaris, vidi scriptum quoddã de disputatione, quæ habita fuit Braunsuigi ante menses plus minus octo. In eo quidam Albertus Ardembergius, cùm contra præsentiam Christi corporis in Eucharistia multa diceret, ad confirmandam opinionem suam hæc verba scribitur protulisse: Quomodò potest in Eucharistia præsens adesse Christi caro & sanguis, cum Christus ex Maria Virgine nullam carnem assumpserit? sed haud aliter atq; Sol per aquas nullo ex eis humore contracto, sic ille per Virginis vterum transiuerit? Huc tandem ventum erat disputationibus istis, posteaquam negauit verum esse, quod dixit Christus accepto pane, Hoc est corpus meum, vt simul negaret verum esse quod dixit Christi discipulus, Verbum caro factum est. Et certè non video, cur maior discipulo, quàm ipsi Magistro fides haberi debeat? Et si licet contra sensum & consensum Ecclesiæ totius verba Magistri interpretari, cur non idem licet facere de verbis discipuli, quod etiam factum à priscis hæreticis esse scimus. Itaque Caluinismus hic breui nobis pariet Atheismum. Proximus his superioribus diebus legi Petri Martyris libellum, quem scripsit de duabus naturis in Christo contra Vbiquitatem Brentij ante duos vel tres menses Tiguri editum. In eo dum nihilo plus tribui vult Christi corpori, quàm cuiuis alij corpori glorificato, negat Christum per clausum Virginis vterum transiuisse, negat clauso monumento surrexisse, negat quod verbis diserti simis in Euangelio scriptum est, Clausis ianuis ad discipulos intrasse. Et eiusmodi blasphemias audiet Regina Christianissima, audiet negari quod ita manifestis verbis in Euangelio scriptum legimus, audiet sanctissimæ DEI genetricis MARIAE virginitatem in dubium vocari, audiet veritatem ipsam mendacij insimulari. Equidem non video, quomodò non dicam Christianissimi sed Christiani nomen tueri possit, cuius aures ab his tam impijs vocibus non abhorrent. Quamobrem quibuscunque potest rationibus Reginæ persuadere conetur, ne quid eorum consilijs locidet, qui sunt illi autores, vt non modò fieri permittat de præsentia CHRISTI corporis in Eucharistia disputationes, verumetiam ipsa illis intersit, aut præsit quod Paulus Apostolus ferre nunquàm potuisset, cuius quæ sit ea de re sententia Illustriss. Dominat. Vest. non ignorat. Huc illos remittat ad Sacrosanctum Concilium hoc Oecumenicum, qui cupiunt aliqua de re doceri, non autem seorsum ab Orbe Christiano ea in dubium vocari patiatur, de quibus qui dubitauit aliquando Berengarius, semel & iterùm errorem hunc suum reuocauit, & pridem hæresis eius est extincta, nisi quòd his annis propè quadraginta rursus est primò per Andræam Carolstadium, deinde per Zuinglium & alios quosdam in lucem reuocata. Scribit Illust. D. Vestra, propterea non exterminari manifestos Hereticos ex Gallijs, quòd periculum est, si tentatum id sit, ne Regnum illud in extremum discrimen adducatur. At ego vehementer metuo, ne non aliàs res magis acceleret Regni istius nobilissimi interitum, quàm quòd in Christi causa Principes ita conniuent: quòd hostes illius palàm in eo grassari, quòd veritatem oppugnari, quòd nomen ipsius impunè blasphemari permittant. Non patietur hoc inultum Deus: ac nisi fuerint functi Principes officio suo, statuet ipse de Principibus, quod erit iustitiæ consentaneum, nec iusti Iudicis officium in se requiri patietur. Non fouendo sed extinguendo Hæreses Regna seruantur. Quid autem aliud est, quàm fouere, non resistere cùm possis? Tantum esse populi zelum audio, vt statim sit eos ex omnibus Ciuitatibus profligaturus, dummodò per Edicta Principum non prohiberetur. Quamobrem instet, quæso, & vrgeat Illustrissima Dominatio Vestra, vt se Principes isti quales vocantur, tales esse factis declarent, neque cùm appellentur Christianissimi tam apertos Christianæ fidei hostes in Regno suo ferant, sed laudatissimorum parentum sanctorumq́ue maiorum suorum vestigia prosequuti, primo quoque tempore facessere eos è Regno iubeant, nec subiectos sibi populos pestilentibus isti doctrinis indies magis atque magis infici patiantur, cùm ingens periculum sit, si cunctati diutius fuerint, ne si maximè posteà subuenire cupiant, grauem illam cantilenam audire cogantur, Serò medicina paratur. Pertinebit hoc illis ad laudem & gloriam sui nominis propagandam, ad Regni salutem conseruandam, ad CHRISTI gratiam promerendam, qui tantò se magis facilem præstabit, in his omnibus, quæ ab illo petiuerint largiendis, quantò magis eos fortes fidei suæ defensores esse perspexerit. Hæc si vel magis liberè, vel minus considerate scripta sunt à me, dabit veniam Illustrissima Dominatio Vestra, scripta sunt certè optimo animo. Nam adductus studio meo & obseruantia erga Illustrissimam Dominationem Vestram, adductus iusto quodam zelo vindicandi Regni illius ab interitu, laborem hunc suscepi. Quem si gratum Illustrissimę Dominationi Vestræ fuisse cognouero, crebrioribus eam deinceps literis meis appellabo. Tridenti X. Februarij. Anno M. D. LXII.

Seba-

Sebastiano Regi Portugalliæ.
Epist. XLVII.

Ad gratulatorias respondet.

VEnit huc tandẽ Orator Maiestatis Vest. magnò cum desiderio pridẽ à nobis expectatus. Reddidit mihi literas tuas, tã humaniter & benignè scriptas, ipsa vt humanitas humanius nõ potuerit. Quale aũt est hoc? Quòd Rex tantus, me non modò de facie sibi nunquàm notum, verumetiam in his terris natum, quæ longissimo locorum interuallo sunt à Regno tuo disiunctæ, non solùm quem literis tuis appellans dignum duxisti, verumetiam & Cardinalitiam dignitatem, quam ad me nec opinantem Pientissimus Pontifex detulit, & Legati munus, quòd paulò pòst mihi mandauit, tam amanter mihi gratulatus es? Est autem ita, vt scribit Maiestas tua, quòd vtrunq; mihi præter expectationem meam accidit. Nec facturus eram quidquam libentius, quàm vt si qua ratione licitum id mihi fuisset, vtrunque recusarem. Sed cùm is mandaret, cui non parere, est Christianũ non esse, & ita mandaret, vt nulla recusandi potestas daretur, feci quod à Christi Vicario mihi fuit imperatum, ac maius onus humeris meis, quàm quòd ferre possent, imponi passus sum, illius auxilio fretus, cuius Vicario morem gerere necesse fuit. Quamuis autem causa nulla fuerit, cur gratulationem hanc tuam ad me mitteres, cùm plus oneris mihi, quàm honoris accessisse videatur, obscurè tamen ferre non possum, quòd vehementer ea re delectatus fuerim, tantum Regem, tam amanter munus vtrunque literis mihi suis gratulatum esse. Quo nomine plurimum etiam tibi me debere profiteor. Vtinam autem esset aliquid earum rerum in me, quas tu mihi ex abundantia quadam amoris in me tui, tam prolixè tribuis. Equidem non alium in vsum libentius eas conferrem, quàm vt primùm Ecclesiæ vtilitati pro eo vti munus hoc meum postulat, deinde Maiestatis tuæ dignitati pro virili mea inseruire possem. Cui vicissim gratulor, quòd simul vt audiuisti Concilium Oecumenicum indictum esse, in quo de ratione fidei Christianæ conseruandæ & extirpandarum hæreseon deliberatio suscipieretur, quamuis nemo sit Regum Christianorum longius ab hoc loco remotus, primus tamen omnium fuisti, qui tuos huc Episcopos mitteres, viros cùm doctrina tum pietate insignes, tuumq; studium cumprimis arderis adiuuandæ pro virili parte tua Reipub. Christianæ haud aliter testatum Orbi faceres vniuerso, atque tres illi Reges olim, qui ex remotissimis terræ finibus, ad Christum nuper natum, & in cunis adhuc vagientem eum adoraturi accurrerunt. Nec dubito, pientissime Rex, quin maiora sint apud Deum huic virtuti tuæ præmia posita, quàm vt ea mens humana vel cogitando assequi possit. Replebit is te longitudine dierum ac omni fœlicitatis genere cumulabit. Cumq; longissimo tempore beatus in terris fueris, cœlestis etiam illius beatitudinis compotem faciet. Quos verò mihi Maiestas tua commendat, eos in gratiam tuam omnibus humanitatis officijs prosequar lubens, ac quidquid erit, in quo illis gratificari queam, nullam eius rei occasionem prætermittam. Is enim sum, qui nihil magis cupio, quàm vt omni obsequij seruitutisq; meæ genere gratiam & beneuolentiam tuæ Maiestatis demereri mihi queam. Quamobrem inter eos me numeres licebit, quos habes tibi seruitores addictissimos, fide, studio, & obseruantia erga Maiestatem tuam concedam nemini. Quod superest Deum, etc. Tridenti XVI. Februarij. M. D. LXI.

Henrico Cardinali Portugallensi.
Epistola XLVIII.

Ad gratulatorias respondet.

MIhi verò dubium non est, quin perturbatissimus hic rerum in Ecclesia status magnum animo Celsitud. tuæ cruciatum adferat, de cuius minimè vulgari pietate quamplurima renunciata mihi fuerunt sæpiss. nec illud ambigo, quòd non alia magis in re curæ cogitationesq́ue tuæ consumuntur omnes, quàm vt ratio reperiri possit, qua rebus Ecclesiæ inclinatis subueniri queat, quæ aut in isto Concilio reperietur, aut certè nusquam alibi. Sed non defuturum esse Sancti Spiritus auxiliũ conatibus nostris certò persuasum habemus, cùm præsertim nihil & ipsi curæ, laboris, diligentiæ prætermissuri simus, vt quod nostri muneris est, id præstare queamus. Quid autem nos aliud quàm plantare possimus & rigare? Cæterùm incrementum præter solum Deum dare potest nemo. Quamobrem sedulò nobis auxilium eius erit implorandum, vt is sponsam suam Ecclesiam oculis misericordiæ suæ respiciat, ac impendentes illi tempestates & procellas tacere ac obmutescere faciat, & pristinam illi tranquillitatem restituat: tum Patribus qui præsentes & frequentes adsunt in hoc sacro Concilio Spiritum suum sanctum tribuat, cuius numine afflati salubria consilia, pro conseruanda Ecclesia sua, & extirpandis hæresibus inire queant. Neque verò dubito, quin & ipsa Celsitud. tua, pro sua pietate religioneq́ue singulari, quam in cœlum ferri sæpius audiui, prouisura sit, vt eiusmodi piorum precibus in vniuerso Portugalliæ Regno diuinum auxilium assiduè imploretur. Quod autem Celsitudo Tua Serenissimi Regis mentem eò impulerit, vt Oratorem suum virum tanta nobilitate tantaq́ue virtute præditum Ferdinandum Martineum Mascarenium huc mitteret, officium hoc illius laudare satis non possum. A me verò dabitur opera, vt ita me geram, quò

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm Orator ipse nullum in me amicissimi hominis officium requirere possit, tum Serenissimo Lusitaniæ Regi, ac tuæ simul Celsitud. ea omnia obsequia, seruitutémque præstem, quæcunque possunt ab addictissimo Maiestatis illius, simul & Celsitud. Tuæ seruitore præstari. Quod certò sibi de me persuadere potest. Quos autem tanto studio mihi commendat, eos præcipuè charos sum habiturus, ac quid quid illis officij præstare potero, nullam eius rei sum occasionem prætermissurus. Datum 16. Februarij.

Comensi Episcopo. Epist. XLIX.

Gratulatur de aduentu Oratorum Helueticorum ad Concilium.

CAtholicorum Heluetiorum pietas & religio singularis testatior est orbi vniuerso, quàm vt testimonio cuiusquam indigeat, sed ea tamen facta est illustrior, posteaquàm & ipsi suos ad S. Concilium hoc Oratores miserunt, per quos propensam voluntatem suam ostenderunt in his tuendis, quæcunque S. Concilij huius autoritate decreta fuerint. Est quidem hæc gens multis rebus fortiter gestis clarissima. Sed hoc tanto studio quod ostendit in veteri Catholica & Orthodoxa Religione tuenda & conseruanda, ad reliquas præclaras virtutes, quibus insignis semper est habita, non mediocris facta est accessio. Minimè vulgaris ea laus est, si quando manus cum hoste conserendæ sunt, fortem & inuictum animum ostendere, ac pluris existimationem, quàm vitam etiam ipsam facere. Sed si laudem is meretur, qui cum homine mortali fortiter congreditur, quanto magis ille prædicandus est, & omni laudis genere celebrandus, qui pari est animi robore præditus, quoties cum inuisibili illo hoste dimicandum est, qui non corporibus, quorum leuior est iactura, sed animis hominum insidias facit, & eis exitium sempiternum afferre conatur, dum hoc agit, vt eos doctrinis varijs abducat, & ab eo, per quem vocati sunt in gratiam in aliud cuiusuis potius, quàm Christi Euangelium transferat. Cuius insidijs, quod se circumueniri passi non sunt, sed fortiter hactenus restiterunt, tanto magis celebre nomen suum ad posteros transmittent. Quanto maiori versantur in periculo, cùm sint hominibus his ex omni parte circumsepti, à quibus frequenter illud audire cogantur. Mitte te deorsum, scriptum est enim, per Deum precamur, vt confirmet hoc in illis, quod operatus est, & hanc etiam eorum in tuenda constanter veteri Religione voluntatem perpetuam esse velit. Ipsis verò hoc nomine gratulamur, neq; dubitamus quin S. D. N. quæ est in fortissimam gentem hanc paterna beneuolentia, omnia sit illi officia prolixè præstaturus, quæcunque bonos filios ab amante sui patre expectare fas est. Nos quoq; quibuscunq; rebus propensam nostram illis gratificandi voluntatem declarare poterimus, nullam eius rei occasionem prudentes prætermittemus. Tridenti XX. Martij. M. D. LXII.

Maximiliano Regi Romanorum. Epistola L.

Gratulatur illi, quòd electus fuerit in Regem Romanorum.

SImul vt renunciatum est Maiestatem Vestram vnanimi omnium voluntate Regem Romanorum electum, ac mox etiam coronatum fuisse, maiore sum ex hoc nuncio, quàm facilè credi posset, gaudio cumulatus, quod quamuis commune mihi sit cum plurimis, quo maiore tamen semper obseruantia Maiestatem Vestram colui, hoc præ cæteris magis exultaui, cum audissem eum ad hoc dignitatis fastigium euectum esse, quo nullum habet Orbis Christianus omni virtutum genere magis expolitum, de cuius etiam in me gratia & clementia Regia tantum mihi persuadeo, nihil vt sit, quòd non de illa re sibi polliceri posse videar. Cæterùm huius mei tanti gaudij potissima causa fuit hæc, quod videbam his difficillimis temporibus, quibus vix fuerunt vnquam perturbatiora, de tali Rege & Imperij successore Deum Ecclesiæ suæ prouidisse, cui nihil futurũ sit antiquius, ea cura, qua publicæ totius Ecclesiæ tranquillitati, cuius miserabilem nunc statum videre licet, prospici queat, quod ex his colloquijs quæ crebra cum Maiestate Vestra habui Viennæ cùm essem, mihi non obscurè persicere licuit, quibus ardens studium suum in componendis Religionis hisce controuersijs ita declarauit, vt in certam spem veniam, te potissimum Deum elegisse, cuius ministerio motus istos sedaret, qui religionis ergo grauissimi sunt excitati. Quam spem magis etiam ea confirmarunt, quæ post meum à Maiestate Vestra discessum de illa prædicari audiui. Nam & Hungariæ Regni & Austriæ Statibus, cùm quædam peterent, quæ salua religione illis à Maiestate Vestra concedi non possent, quàm pium quamq; dignum Christiano & Catholico Rege responsum dederit, non sine magna animi mei voluptate accepi. Neq; verò verbis tantùm respondit, sicut à Rege Catholico responsum oportuit, verùm ipsis etiam factis quanti faceret, fidem Catholicam declarauit, cùm temporalis commodi, quod consequi poterat, nullam prorsus haberet rationem, sed maiores diuitias existimaret, si palàm fieret Orbi vniuerso, quòd nihil synceræ fidei anteponendum esse duceret. Sed nec hoc nobis obscurum est, cùm sollicitaretur à quibusdam, vt ne præstaret ea, quæ de more præstari consueuerunt à Regibus quo tempore coronantur,

tur, quòd vel hac sola in re, aliquod segregationis ab Ecclesia Dei & à S. Sede Apostolica documentum daret, quàm piè responderit, se maiorum suorum vestigijs, præcipuè verò sancti patrui & parentis incedere, & quem ritum Maiestates eorum amplexæ sunt, eum retinere velle. Ex his tam Christianè Catholicèq; gestis, qualis futura sit Maiestas Vestra, in progressu Imperij, quæ priusquàm illud assequeretur, non sine periculo fidem suam Catholicam aperte declarare minimè dubitauit, certiores capimus coniecturas, quam quibus falli posse videamur. Quamobrem Maiestati Vestrę tanquàm verè pio Christiano & Cathlico Regi Romanorum, qualis temporibus his perturbatissimis valdè nobis fuit necessarius, nouum hunc honorem etiam atque etiam vehementer gratulor, atque vt cùm ipsi Maiestati V. tum omnibus terris illius Imperio subiectis, quin & Ecclesiæ vniuersę fœlicem, faustum, & fortunatum Deus esse velit, quamlibet indignus Sacerdos, à diuina tamen Maiestate supplex peto. Cui quas maximas animus meus capere potest, ago gratias, quod afflictam sponsam suam Ecclesiam, in his tantis, quibus nunc miserè vexatur calamitatibus, oculis misericordiæ suæ respexerit, & ei de tali Aduocato prouiderit, qui non alia magis in re curas cogitationesq; suas omnes defixas est habiturus, quàm in salute illius procuranda, & malis quibus tam grauiter premitur, ab ea propulsandis. Tu verò pientissime Rex, quanto magis in hoc studium incubueris, tanto nomini tuo maiorem apud homines laudem, tanto gratiam etiam vberiorem apud Deum tibi comparabis. Qui sic demùm fœlicem tibi consiliorum tuorum omnium successum largietur, si viderit in Ecclesia sua, cuius tu nunc Aduocatum agis, tranquillanda, & eorum, qui priscam religionem nostram euersam cupiunt, conatibus refutandis, nihil abs te curæ, diligentiæ laboris esse prætermissum. Quam ad rem sicut voluntatem tibi promptam Deus concessit, sic parem etiam vt facultatem tribuat, nullo vnquam tempore misericordiam illius implorare supplicibus votis intermittam, teque in multos annos incolumem nobis conseruet. Tridenti XXIII. Decembris. Anno M. D. LXII.

Iulio Pflugio Episcopo Numburgensi. Epistola LI.

Hortatur vt ad Concilium veniat. & alijs quoq;, vt veniant, persuadere ne desinat.

POsterior epistola Dom. Vestræ prius est mihi reddita, cui seorsum etiam respondendum esse putaui. Hoc sibi certò persuadeat velim, quòd non minus optamus nos quoque, quàm illa, præsentis vt Vest. R. D. habere nobis potestatem liceat. Vtinam autem primo quoque tempore tollantur ea omnia impedimenta, quæ profectionem illius ad nos retardant. Cæterũ quò prolixior epistola posterior, hoc mihi fuit gratior in qua multa prudenter colligit, quæ quãuis à nobis quoque consideratа fuerint, non potuimus tamen, prudens hoc R. D. V. consilium non vehementer probare. Ac vellemus quidem pro eo, vt postulat officium nostrum Christianáque charitas, omnium saluti consultum, nec aliò curæ cogitationesq; nostræ referuntur, nec alia in re consumuntur omnes: sed si qui non recipiunt eam, quæ per S. Concilium hoc offertur, salutem ac tranquillitatem, & quouis doctrinæ vento circumlati, varijs ac peregrinis doctrinis abduci potius, quàm idipsum cum Ecclesia Dei sentire malint, quid aliud illis, quàm dolorem impartiri possumus? Nec interea Deum precari intermittemus, quò vultum eorum illuminet, vt in quibus tenebris versantur, tandem aliquando videre incipiant, ac ad mentem redeant saniorem. De remedijs autem acerbioribus, quæ subuenire videtur Dominat. Vest. in epistola sua, nihil prorsus à nobis cogitatur. Non alia quàm moderata consilia nobis amplecti certum est, cùm præsertim, qui sit Orbis Christiani status, non ignoremus. Quòd si non possint in viam reduci, qui discesserunt à nobis, saltem quibus rationibus hi retineri queant, qui per Dei gratiam nobiscum adhuc sunt, deliberatio suscipietur. Vtinã aũt videre liceat aliquando multitudinis credentium cor vnum, & animam vnam. Quam ad rem dubium non est, non parùm allaturum esse momenti, si vetus Ecclesiæ disciplina restitueretur, & ordo noster, qui merito suo à multis malè audit hoc tempore, qua parte vitiosus est, ad officium reuocetur. Sed quibus rationibus id prouideri possit, de his coràm loquentem D. Vestræ audire, quàm absentis literas mallem. Non minus nobis difficilis videtur Cleri informandi, quàm eos qui discesserunt à nobis in viam reducendi ratio. Tantò verò difficilior est hac de re nostra deliberatio, præsertim quòd ad Germaniæ Clerum attinet, quòd ex hac vniuersa, quæ cum primis nobilis est, & latissimè patet natione, nec vnus quidem hic adest Episcopus, cuius hac in re concilijs vti possemus. Quò magis aduolare primo quoque tempore cuperemus Dominat. Vest. quæ nobis esset instar multorum aliorum, & explicatius plæraque differet, quàm literis mandata sunt. Nos quidem in eam curam incumbimus, vt siue quæ ad dogmata, siue quæ ad reformationem pertinent, ea sic tractemus pro virili nostra, planum vt fiat omnibus, nos Orbis totius Christiani, quem Concilium hoc repræsentat, præcipuè verò Germanicæ nationi, cuius causa potissimùm est congregatum, saluti ac tranquillitati summmo studio prospectum voluisse. Verissimum est, quod scribit Domina. Vest. mores Cleri deprauatos initio causam schismati dedisse, sed nunquid sanctiores ideò sunt, qui discesserunt à nobis? Nota est vox illa Lutheri: Sunt nunc homines magis vindictæ cupidi

pidi, magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti, & indiscipl̃inati multóque deteriores, quàm fuerunt in Papatu. Quin & alio loco suos increpans, decies esse dicit Sodomitis peiores. Quamobrem schisma vel hæresis, non modò non eos reddidit sanctiores, si modò sanctus esse potest, qui Catholicus non est, verumetiam longé quàm fuerunt anteà, nequiores ipsius etiam Lutheri testimonio, nulla vt eis fuerit iusta causa propterea segregandi se, quòd mores Cleri deprauatos viderent. Quod ego tamen non eo scriptum velim, quasi morum corruptelas corrigi nolim, quin potius toto, quod aiunt, pectore in eam curam incumbimus, nec magis quicquam optamus, quàm vt habere possimus in Germania quoque, qui nostrum in ea re studium adiuuent, suaq; nobiscum consilia communicent. De Cæsarea verò Maiestate, cuius pietas singularis toti Orbi spectata satis est & probata, certam spem concipimus, illam officio suo minus defuturã, ac quanto maiore laude lenitatis excellit, tanto minore negotio perfecturam, vt cum ea quæ de dogmatibus, tum quæ de moribus constituta fuerint, executioni debitæ mandentur. Quam ad rem vicinitatem hanc illius non paruo nobis adiumento futuram speramus. Quod scribit Dom. Vest. Hes husium quoque Magdeburga pulsum esse, gauderem si Catholicus aliquis ei successisset. Sed si Caluinismus in illam quoque Ciuitatem, sicut in Bremam irrupit, mallem Hes husium videre pulsum non fuisse, qui præclarè contra Sacramentarios multa scripsit. Deum precor, vt in cordibus vestris per Spiritum suum sanctum charitatem infundat, per quam his, qui se gregauerunt se ad vnitatem Ecclesiæ, tandem aliquando redire liceat, quò fiat vnus Pastor, & vnum ouile, qui Vest. quoque Dom. ad nos primo quoque tempore perducat. Cuius videndi, suauissimosq; sermones cum ea miscendi, maiore, quàm facilè quisquam credere possit, desiderio teneor. Scripsit Nicolaus Gallus Censuras quasdam in Decreta S. Concilij huius, quæ sunt hactenus edita, in quo libello, sum ego non solùm α & ω, sed & αμ & ω. Nam & in prima facie primæ paginæ, & in medio, & in calce libri, eundem repetens cœcissimum, quem Schmidelinus, quem author Apologiæ Anglicanæ, quæ scribuntur à me sub cœlestium Prophetarum persona, mihi tribuit, meq; Suenckfeldianum quendam esse fingit. Sed nec Dom. Vest. parcitur. Nam vidi libellum quendam, nescio cuius Ioannis Pellicani, in quo non alia ferè, quàm Lutheri scriptorum authoritate sanam Dominat. Vest. Catholicamq; doctrinam refellere conatur. Cuius libros eodem loco, quo scripturam Canonicam habere videtur. Vix quidquam legi magis insulsum & ineptum. Sed nolo esse longior. Datum 21. Februarij. 1563. Tridenti.

In dogmatum dissensione, veritas nulla.

Verba Concilij ex Athanasio.

D. Christophoro Duci VVirtembergensi. Epistola LII.

Sequentem epistolam scripsit Hosius nomine Othonis Truchses Cardinalis Augustani, qui Tridentum cum liberis Maximiliani tum Regis Romanorum venerat, & in Hosij domum diuerterat.

REdditæ mihi sunt literæ Dilectionis Vestræ, simul & libelli contra sacrosanctum Missæ sacrificium scripti, quos cùm sim in itineris procinctu Serenissimi Romanorum Regis liberos, quod Vest. D. non ignorat, in Hispanias deducturus, hactenus legere mihi non vacauit. Quamobrem nec quod respondeam habeo ad ea quæ non legi, tantum hoc D. Vest. significandum putaui, nihilin hac S. Synodo noui de Missæ sacrificio constitutum esse, sed ea quæ patrum sunt, quæ ab ipsis Apostolis per longam Episcoporum & Sacerdotum successionem tradita accepimus, ea esse approbata. Neque satis mirari possum, cùm hoc sacrosanctum Missæ Sacrificium tot & scripturarum & sanctorum Patrum testimonijs, ita sit hoc nostro sæculo multorum doctissimorum grauissimorumq; virorum scriptis confirmatum, nullus vt in cuiusquam animo scrupulus residere debeat, nunc etiam ad eam rem Ecclesiæ Catholicæ, quam Concilium hoc Oecumenicum repræsentat, calculus accesserit, reperiri nihilominus qui contra sentire audeant. Nos verò qui nostræ in Symbolo S. Ecclesiam Catholicam nos credere profitemur, quod ab illa accepimus, quæ cùm sit columna & firmamẽtũ veritatis, errare nescit, in eo permanemus, nec eorum obtrectationibus mouemur quidquam, qui sic ab illa matre quondam sua filij desertores dissident, vt non minus à se inuicem, quàm ab illa dissidere videantur, vt eos in varias sectas mirabiliter inter se dissectas miserandum in modum dissectos cernere liceat. Quæ vel vna res facilè cuiuis documento esse potest, nullam ibi esse veritatem, vbi nulla est dogmatum consensio, quam in Ecclesia Catholica & fuisse semper, & esse & futurũ etiam deinceps certum est & indubitatum. Illi enim promissus est Spiritus Sanctus, qui doceat illam & suggerat illi, quæ sunt ad salutem necessaria, & maneat cum illa in æternum. Ab hac itaq; nos diuelli nunquã patiemur. Atq; vt Vestræ quoq; D. mentem hanc Deus donet, quo velit illam agnoscere, in qua sola veritas reperitur, misericordiam illius supplices imploramus. Interea verò schedam hanc D. V. mitto, atq; vt eam attentius legat, oro. Supplicamus tuæ humanitati, vt benignis auribus & sereno vultu nostros Legatos intuearis, neq; ad contumeliam mortuorum aliquid noui induci permittas, sed nos sinas in institutis decretisq; maiorum permanere, quos magno ingenio, prudentia, & Spiritu Sancto omnia fecisse asseuerauimus. Certè res nouæ, quas isti moliuntur, credentibus incredulitatẽ, incredulis credulitatem inducunt.

sunt. Quis igitur non approbauerit piam prudentiam Episcoporum Arimini congregatorum, qui tantum itineris laborem, tantaq; pericula maris sustinuerunt, vt Arrianicè sapientes ab Ecclesia detraherent, & partim traditiones integras conseruarent, sancta & Canonica Decreta facientes? Quisque enim eorum sibi persuadebat, si solueret aliquid ex Decretis Maiorum, occasionem se daturum posteris, vt quod ipsi egissent, rescinderetur. Quis autem, quæso, non vituperaret temeritatem Eudoxij & Acacij, qui honorem Patrum suorum, Ariomanitarum studio & gratiæ propinant & produnt? Quæ enim fides in eorum actis, si Decreta Maiorum suorum soluant? aut quomodo eos, quibus successêre, Patres suos appellabunt, quorum sententias ipsi culpant? Quid videlicet docebunt populos ab istis institutos? an Patres suos lapsos esse? aut quomodo ipsi veri apud discipulos suos habebuntur, quibus persuadent præceptoribus credendum non esse? Quibus porrò oculis intuebuntur monumenta Patrum suorum, quos ipsi hæreticos nominãt? Quòd si illi malè senserunt, & scriptis suis Orbem terrarum seduxerunt, cesset omninò eorum memoria, & scripta illorum abijciantur. Ita ergò vos ipsi, & eruite eorum reliquias ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & illos seductores fuisse, & vos parricidas esse. Certè B. Apostolus laudat Corinthios, quòd vbiq; sui memores essent, & quòd traditiones, quas tradidisset illis, retinerent. Isti igitur quum talia de suis antecessoribus cogitent, prorsus contraria ad populos non verebuntur dicere. Non laudamus vos, quod memores estis patrum, sed eo nomine potius vos commendamus, quòd eorum traditiones non retinetis. Superest, vt ipsi generis sui ignobilitatem culpent, & dicant se non ex pijs, sed ex hæreticis originem trahere. Istiusmodi enim verba ipsos loqui decet ad Arrianos, quibus vt anteà admonui, patrum honorem & suam salutem propinant, nec metuunt illud quod in Prouerbijs scriptum est: Mala soboles patrem execratur. Vos autem nihil tale cõmittite, neque improbitatem illorum, veritatem putate. Nam & ipsi in se mutuò insurgunt, & à patribus suis deficientes, non tuentur eandem sententiam, sed varijs & multiplicibus mutationibus iactantur: & aduersus Nicenam Synodum contendentes, multas Synodos instituerunt, in quarum singulis nouam semper fidem edentes, in nulla earum perdurare possunt, neque vnquam aliter facient: quoniam malè quærendo non inuenierunt sapientiam, quàm odere. Quid autem est in his Athanasij verbis, quòd non rectissimè quadret in eos, qui nostro hoc infœlici sæculo non alia de re magis laborant, quàm vt omnia, quæ Patrum sunt, euertant, quorum honorem sicut illi tunc Ariomanitarum, sic isti nunc Lutheromanitarum studio & gratiæ propinant & produnt. An autem & istis non verè dicere licebit. Si Patres nostri terrarum Orbem doctrina sua seduxerunt, si de Missæ sacrificio dissentes Idololatriam docuerunt. Si fuerunt Idololatræ progenitores aui etiam, ataui, & proaui, ac abaui nostri, ite ergo & eruite reliquias eorum ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & eos fuisse Idololatras, & vos parricidas esse. Præclarè verò monet in eadem epistola idem Athanasius. AEquum est vt benè de Patribus illis sentiamus, à quibus rectè viuendi instituta, & pietatis doctrinam accepimus, nisi volumus nos esse filios adulterinos declarare. Quales illi se manifestè declarant, qui Patrum traditiones respuunt, in eorum præceptis incedere nefas esse putant, & grauissimum illis Idololatriæ crimen impingere non verentur. Illis, inquam, quos certè constat, ex quo tempore semel se CHRISTO desponderunt, illi se perpetuò virginem castam exhibuisse, nec vnquàm varijs & peregrinis doctrinis abductos in aliud Euangelium transferri se passos fuisse. In alio verò libro cùm idem Athanasius ex Theognosto Dionysio Alexandrino & Origine probasset, Filium eiusdem esse cum Patre essentiæ. Ecce, inquit, Nos quidem ex Patribus & Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autem ô noui Iudæi & Caiphæ discipuli. Quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores? Demonstrarunt multi ex nostris ex plurimorum Patrum sententijs, Missam esse Sacrificium non solùm pro viuis, verumetiam pro mortuis. Quos autem isti produxerunt, qui contrarium affirmarent? In Chalcedonensi Concilio cùm Eutiches dixisset: Ego à Sanctis Patribus non didici de duabus naturis, ac subinde se de rebus eiusmodi solas inquirere scripturas vociferatus fuisset, tanquam sanctorum Patrum doctrinis & expositionibus firmiores, Reuerendissimi Episcopi clamauerunt. Ea quæ sunt Patrum teneantur. Ac in definitione quam fecerunt. Sequentes igitur Sãctos Patres, vnam & ipsum confiteri filium Dominum nostrum IESVM CHRISTVM consonanter omnes docemus, perfectum ipsum in Deitate, & perfectum in Humanitate. Quidam autem ex Episcopis in eodem Concilio congregatis, Eudoxius nomine præclaram dixit sententiam. Omnis, inquit, qui non consentit expositionibus Sanctorum Patrum, seipsum alienat ab omni Sacerdotali communione, & à CHRISTI præsentia. Itidem & in Niceno, & in Constantinopolitano, & in Ephesino Concilijs, cùm variè scripturas interpretati hæreticos, Patres viderent, ad suos Patres confugerunt, & eorum sententias sunt secuti. Quod si idem factum est in hoc Sacro Concilio Tridentino, si & ipsi in scripturis interpretandis, & in dogmatibus statuendis ea quæ Patrum sunt, sibi tuenda esse putauerunt, vt se legitimam eorum sobolem esse declararent, non modò nullam propterea reprehensionem, sed magnam potius laudem merentur. Considerentur autem illa verba diligenter, quæ de suo sæculo dixit Hilarius: Periculosum est tot nunc fides existere, quot voluntates, &c. Certè non minus hæc verè dici possunt de nostro hoc infœlici sæculo, quod pluribus demonstrari opus non est, cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

oculis ipsi nostris videamus, auribus hauriamus, ac manibus etiam ipsis contrectemus Reuera magnum periculum est, ne dum plures fiunt fidesad id cœperint esse, ne vlla sit. Fidibus nunc Iuditur in Germania, non fides vna retinetur, quandoquidem vix vlla est Ciuitas, quæ seorsum suam fidei Confessionem non proferat. Cupio Dominat. Vest. benè valere. Datum Tridenti, etc.

Iulio Pogiano. Epist. LIII.

Ad gratulatorias respondet.

CAuisum esse te, quòd in Cardinalium ordinem sum cooptatus, tanto minus mihi dubium est, quanto studium in me tuum certius mihi exploratum habeo: Sed quòd pace tua dictum esse velim, Eærni nostri Latiniq; iudicium magis probo, quorum alter ne literam quidem vnam scribendam esse duxit, qua mihi nouum honorem hunc gratularetur, alter ingenuè scripsit, neque licere, neque libere sibi, mihi gratulari. Putas autem tu, minus istos esse mei studiosos quàm te? Erras, si id existimas. Quamuis enim amari me abs te scio, non minus tamen ab illis amari me certò scio. Sed rectissimè indicarunt illi, causæ nihil esse, cur mihi gratularentur, quod grauius humeris meis iugum est impositum, quàm cui ferendo esse queam. Quid enim ex hoc onere potius, quàm honore mihi mandato, peruenit ad me, præter curas, sollicitudines, labores, vigilias, sumptus maiores, quàm quos queam sustinere, tum pericula multò grauissima. Quod cùm prudenter ab illis animaduersum esset, pro sua in me non mediocri beneuolentia, dolorem illum suum impartiendum mihi potius esse putauerunt, quàm vt lætitiam aliquam præferrent, & expecto à Eærno nostro literas, quibus me consoletur, simul ac labores istos & molestias, ad quas per Vicarium suum Christus me vocauit, forti animo perferendas cohortetur. Hoc si tu perinde vt illi tecum accuratius expendisses, non dubito, qui tuus est amor in me, quin stylum vertisses, & pro gratulatione, consolationem ad me scripsisses. Quod si facere te iam pudor prohibet, saltem hoc abs te fieri velim. Deum vt preceris, ad quos labores perferendos, ad quæ pericula adeunda me vocauit, vt fortem animũ suppeditet, ac vires conferat, quæ sustinendis illis pares esse queant: quo possit ex curis, vigiliis, laboribus nostris, quos ferre non recusamus, fructus tamen aliquis ad Ecclesiam Dei redundare, nihil est quod hoc tempore mihi gratius facere queas: vicissim à me ea expectes omnia licebit, quæcunque rectè possis ab eo, quem amantissimum esse tui scis, expectare. Non fallam opinionem de me tuam. Feceris autem mihi multò gratissimum, si quoties occasio dabitur hero tuo Illustrissimo, quem ego vnicè obseruo, me diligenter commendaueris.

Latino Latinio. Epist. LIIII.

Ad gratulatorias respondet, & ad Concilium inuitat.

QVod mihi nescio quàm Tribunitiam, vt scribis, quin & Imperatoriam dignitatem gratularis, næ tu scires, quantum ea secum adfert curarum, quantum laboris & molestiæ, quantum periculorum, vt interim de sumptibus taceam, dolorẽ mihi potius hoc nomine, quàm lætitiam aliquam impartires. Quamobrem nihil est, quòd hac quidem de causa mihi gratuleris, est magis quòd supplex Deum preceris, vt is rigantibus nobis & plantantibus, incrementum det conatusq; nostros adiuuet. Quem si propitium habuerimus, nihil est quod rectè sperare non possimus. Quæ te à Tridentino cœlo deterrent, etiam atque etiam vide, ne eadem illa eodem te cœlo prohibeant, in quod nos olim pernenturos speramus, quotquot piè Christũ colimus. Sed tu gaudijs illis proculdubiò perfrui cupis, molestias autem & labores, & pericula subire detrectas. At non ita nos scriptura docet. Nemo coronabitur, inquit, nisi qui legitimè certauerit. Tu certamen recusas, Insolem & puluerem prodire non vis, & interea tamen eadem, quæ pugnantes præmia expectas. Meminisse debes illius quod scriptum est: Qui animam amat suam, perdet eam. Non debemus vsque eò corporis huius esse studiosi, quod aliquandò tamen, volumus nolumus, nobis relinquendum est, vt non ea curemus potius, quæ ad animæ salutem pertinent. Vilis illius iactura esse debet, quoties id vel animæ nostræ, vel multorum salus mortalium flagitare videtur. Deindeverò si maximè simus illius conseruandi studiosi, nihil profecerimus diuino auxilio destituti, quod non solet his deesse, qui nullum periculum refugiunt, dum ipsius Ecclesiæ prodesse queant. Et corporis & animi salutem, & quicquid est fœlicitatis, siue sit ea terrena, siue cœlestis, solus ille largiri potest, sine quo verissimum est, quod scridsit Orator ille nobilis: πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐπὶ τῷ εἶναι ὁ θάνατος, κἂν οὐκ ἐγκαλῶ τις αὐτὸν καὶ εἴρξας τηρῇ. δεῖ δὴ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προσκαλουμένης ἐλπίδα φέρειν δὲ, ὅτι ἀνὸ θεὸς εἰδῶ γε νεύσῃ. nostri cætera, nam nunc mihi non succurrunt. Optarem tibi ineſſe fidem maiorem, nõ esses adeò de corpusculo tuo

Videatur Aeschinis Oratio Græca.

sollicitus, nec hanc de potestate diuina concipere opinionem, quasi non possit etiam Tridenti te incolumem seruare: non omnia in Medicorum iudicio posita, etiam absq; illis qui solus verus est Medicus, & verè sanat languores omnes & corporis & animi, cõseruare nos potest. Ego hac ætate mea in Iulij & Augusti caloribus, & ante triennium, & hoc ipso anno satis longum iter emensus sum, per saxa, per ignes, seruauit me nihilominus Deus, & seruabit quoad illi visum fuerit. Ac fieri potest, si me conclusissem intra domesticos parietes, quòd in grauius aliquod periculum incurrissem. Quamuis etiam, si valetudinis & vitæ discrimen sit adeundum, eius rei causa potius adeundum est, quod Christi Religionis causa, ad quam tuendam, si quid adferre possemus, etiamsi certa mors oppetenda esset, non modò recusandum, verumetiam expetendum nobis esse debet. Quid autem Sancti illi Apostoli & Martyres, quos tantoperè admiramur, quorum tanta cum veneratione memoriam celebramus, nunquid corpora sua non certò sæpè mortis discrimini obtulerunt, dum Christi nomen propagare student. Quem autem illis possumus cultum præstare gratiorem, quàm si fuerimus eorum exempla imitati? Tu verò mihi delicatus quidem esse martyr videris, qui nullius rei, quàm corporis tui conseruandi maiorem te gerere curam ostendis. Sed nolo pluribus, ne quid offendam aures tuas teneriores, quæ fortasse talibus audiendis parùm sunt assuetæ. Tu me solito tuo amore prosequere. Datum Romæ XV. Septembris. Anno M. D. LXI.

Latino Latinio. Epist. LV.

Iterum ad Concilium inuitat.

COnciones meæ (sic enim cohortationem meam ex optimo animo in te profectam vocare tibi libuit) quàm gratæ tibi fuerint, nescio. Verùm quantum illis profecerim, vehementer me pœnitet, multò plus profecisse videor scribens in Hispanias. Hæretis enim nihilominus Romę, nec ad commune incendium restinguendum accurritis, quod hac isthic commoratione rectius vos valetudini vestræ prospecturos persuasum habetis. Quasi verò vel non sit nobis alacri animo quodvis etiam vitæ periculum adeundum, quoties id Christi causa postulat, vel non possit vos seruare Christus, nisi Romæ, vbi æquè estis & & morbis & morti obnoxij: atque si nobiscum sub hoc Tridentino cœlo degeretis. Quin ego inter alias hanc esse non leuissimam causam puto, quamobrem isthic valetudine consulitemini, quòd vos loco non ferè mouetis, nec exercendo corpori quicquam tribuitis. Quodq; caput est ad illius fidem tuendam iussi non aduolatis, absq; quo nihil est, quod vel corporis, vel animi salutem vos cõsequi posse speretis, quin aliquid etiam grauius vobis est metuendum. Negas tibi quicquam esse cum Concilio. Quod si vel Bari degeres, vel in patria tua, vel non esses Abbas, aliquid fortasse diceres, nunc verò cui sis à consilijs, nouimus, nec illud ignoramus, te non modò non suadere, verùm deterrere potius, ne quod sibi munus mandatum est, eo fungatur, dum tui corporis, quàm Christi corporis maiorem curam geris. Neq; enim putare debes, hæc tibi soli à me scripta fuisse. Vis autem scire, cui alteri? Non audeo nominare, sed finge Scirletum esse, de quo cùm semel & iterum egerim cum Seripando Cardinale, vt vocaretur huc, iam id factum esse mihi respondit, quin etiam fidem illum dedisse, quòd sit omninò venturus. Quod hactenus tamen ab eo præstitum esse non video, & fortassis ea causa est, quòd eum graui morbo nunc affligi audio, à quo si liber esse vult, primo quoq; tempore accurrat hue ad Christi causam pro sua parte defendendã: alioqui illi metuendum est, ne in grauius etiam discrimen aliquod incurrat. Ex eo autem disces, quid sit illud κἂν σὺ εἰκίσκῳ. Nam ille tenet proculdubiò memoriæ, quid contra Æschinem scribens Orator ille nobilis dixerit. Pridem est quod legi, nec memini reliquorum, nec librum ad manum habeo, qui iamdudum ætate scriptoribus eius generis nuncium remisi. Sed reperiri tamen puto in medio orationis illius. Non omnia cœlo Romano tribuenda sunt, sed in illo spes & fiducia omnis est collocanda, qui cœli cœlorum Dominus est, qui potest & Romæ perdere, & extra Romam seruare. Sed nolo esse longior, suspicor enim, quod eiusmodi conciones tibi parùm gratæ sunt.

HENRICO DVCI BRAVNSVICENSI.

Significat de progresso Concilij, & de hæreticorum inter se contentionibus: ac eorundem de Luthero iudicijs: & quod Pont. Rom. & honorandus & audiendus sit, vt Ecclesiæ vnitas conseruetur.

ILLVSTRISSIMÈ Princeps, Dedit ad me non ita pridem Augustâ litteras Dominus Ludolphus Haluerius Illustritatis vestræ Vice cancellarius, quibus perhumaniter illius verbis me salutauit, simul à me petiuit, vt in quo statu res hic versentur, Illustritati vestræ perscriberẽ. Quod ego tanto maiore cum alacritate faciendum esse mihi putaui, quantò plures causæ sunt, quibus Illustritati vestræ me plurimũ esse deuinctũ profiteor. Inter quas est illa quidẽ minimè vulgaris quod cũ sororẽ Sereni ssimi Regis mei, sibi matrimonio iunctã habeat, non possum illam hoc nomine non plurimum obseruare. Sed est alia maior etiam, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd cùm inter eos vitam degat, qui doctrinis varijs & peregrinis abducti, in aliud nescio quod Euangelium se transferri passi sunt, cõstanter nihilominùs in eo permanet Illustritas vestra, quod à puero didicit, & se verè Catholicum & Orthodoxum Principem esse declarat. Quo nomine meritò colitur à pijs omnibus, & in oculis fertur. Ego verò quanti faciam hanc illius in fide Catholica constantiam, quanta in illam vel propter vnam hanc causam meæ voluntatis inclinatione propendeam, nulla satis oratione consequi possum. Itaque non solùm in hoc vulgari admodum officij genere lubens Illustritati vestræ gratificabor, verùm etiam si quod esse possit aliud obsequij seruitutis genus, quo magis animum erga illam meam testatum Illustritati vestræ facere possim, hoc certò de me sibi persuadeat, quòd nullum in me addictissimi seruitoris officium requiri vnquam patiar. Quamobrem de statu Concilij, quod hoc tempore scribam, aliud non est, quàm apertum idlesse XV. Calen. Februarij, quod Ecclesiæ suæ felix, faustum & fortunatum DEVS esse velit, & habitam esse primam sessionem ad IIII. Calend Martij: Alteri sessioni diem esse dictam, XVII. Calend. Iunij. Quot verò hic Oratores adsint & Episcopi, è scheda præsentibus inclusa Illustritas vestra cognoscet. Ac adferebantur huc gratissimi nobis rumores, etiam Illustrissimos Principes Electores Saxoniæ & Brandeburgensem, huc suos citò missuros, quibus vehementer fuimus exhilarati, nisi quòd ea de re certi nihil adhuc habemus. Deum autem precamur, vt & horum, & aliorum principum mentes in hanc voluntatem impellat, quò suos Oratores mittere ne recusent, cùm causam recusandi nullam habeant. Nec enim aliud nos cupimus vehementius, nec aliam ob rem tam frequentes in hanc Germaniæ ciuitatem conuenimus, quàm vt quod infirmum est, consolidare, quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, quod abiectum reducere, quod perierat, quærere possimus: non cum austeritate imperando, & potentia, sed in spiritu lenitatis omnes, qui voluerint instruendo, quò cognoscant, nihil à nobis præter salutem ipsorum quæsitum esse. Quem suæ discessionis à nobis fructum tulerint, non sine magno suo periculo multi iam in Germania dicerunt. Nam vt reliquas calamitates taceam, quibus per hos annos quadraginta grauiter afflicta fuit nobilissima hæc prouincia, quo auctore primùm ab Ecclesia Dei discessio facta est, is quemadmodum ipse Christum diuidere conatus est, sic & ipsum à suis quotidiana concisione diuidi videmus, vt vbicunq; doctrina ipsius recepta est, ibi tot fides, quot voluntates, tot esse doctrinas, quot mores, cernere licet. Et quemadmodum præclarus quidam Ecclesiæ Doctor scripsit, posteaquam ita fides scribi cœptæ sunt, vti volumus, aut ita vti volumus intelligi, tandem eò res redacta est, vt vbi excessum est ab ea fide, quæ sola est, dum plures fiunt, ad id cœperint esse, ne vlla sit. Quod etiam ipsimet queruntur non vno loco, qui segregauerunt semetipsos, ad atheismum tandem apud plerosq; ventum esse. Vidimus hic Ducum Vinariensium librum, quo nouem, vidimus alium ministrorum Mansfeldensium, quo sectæ sunt vndecim condemnatæ, quæ ferè omnes non aliundè, quàm à Lutheno duxerunt originem. Ex his duobus libris cognouimus, Ienenses & Mansfeldenses ministros, non magis à nobis Christianis, quos per contumeliam, vt ipsis videtur, papistas vocant, abhorrere, quàm à VVittembergensibus & Lipsensibus, quibus visum est in certis doctrinæ Christianæ capitibus, ab ipsis etiam Lutheri placitis non leuiter dissidere: nec illius sententiæ, quæ non alio loco, quàm quo Dei verbum à multis habetur, in omnibus subscribere. An autem non præstaret, si qua secta cõdemnanda est, vt id publicè totius orbis decreto fieret potius, q̃ in aliquo Saxoniæ angulo? Certè quod Catholicum esse debet, de eo nihil nisi in Ecclesia Catholica, quam Concilium Oecumenicum representat, statuere fas est: alioqui Catholicum dici non poterit. Non est VVirtembergensis fides, nostra, sed neque VVittembergensis, neq; Ienensis, neq; Tygurina, neq; Geneuensis: sed est & vocatur Catholica fides, nusquam vt aliquid statuere de ea liceat, nisi in eo Concilio, quod propterea vocatur Oecumenicum, quod ex vniuerso orbe Christiano conuocantur ad id omnes, quotquot se Christianos esse profitentur, vt quod oẽs tangit, ab omnibus approbetur. Vidimus & Flacci, & Galli, & Amsdorffij, & VVigandi, & Heshusij, & Matthæi cuiusdã iniquissimi, seditiosissimique iudicis, (qui sceptro Magistratus potiùs cõrcendus, quàm stylo refutandus esset) conuicia & maledicta: quibus grauissimis afficiunt non ministros tantùm, verũ & Principes Electores omnes, quamuis suppressis eorum nominibus: nec minus illos, quã nos, pro condemnatis habent, & eorum communione, consuetudineq; suis interdicunt. Legimus & Philippi Melanchonis, (qui miser, cùm ei Lutherus in plerisque non satisfaceret, iuit de virtute in virtutem, & ex Lutherano factus est ad extremum Caluinianus,) graues querimonias de hoc mirabilium hominum genere, qui suo arbitratu damnant quidlibet, neque personis auditis, neq; rebus diiudicatis, cum quibus nihil agi posse dicit. Cogunt, inquit Concilia, quando, & vbi ipsis placet, atque vendicant sibi maiorem, magis intolerabilem, & minùs excusabilem auctoritatem ac potestatem, quàm Papa Romanus vnquam. Quæ quo tandẽ euasura videantur, cogitetur, inquit. Paulò antè verò scribit, quòd in anarchiam euaserint. An autem id verum sit, scire melius possunt, quorum res oculis est subiecta. Quanquam & ego mihi videor animaduertisse quibusdam in locis, vbi suaue Christi iugum per ministrum suum Pontificem Ecclesiam gubernantis excussum est, etiã principum iugum non ferè tolerari. Vidimus & Clebitij quendam libellum, qui inscribitur, Victoria veritatis, & ruina papatus Saxonici, contra Heshusium scriptum, in quo Lutheranos ad synodum, & ad disputationem de præsentia vel absentia potiùs, vt ille sentit, Christi corporis & sanguinis in Eucharistiæ Sacramento prouocat, ac easdẽ illis leges præscribit, quas ipsi nobis Christianis præscribere consueuerunt. Quorsum autem res redijt per Deum immortalem. Putauit Lutherus euersurum se Papatum Romanum, qui mille quingentis annis in Ecclesia Dei durauit, duraturus etiam iuxta Christi promissum, ad finem

nem vsq; seculi: ecce autem ipsius Lutheri Papatum, quem vix dum annos quadraginta durasse constat in Saxonia, saluo Romano, iam euersum priùs esse non temerè Sacramentarij gloriantur, cùm bona pars eorum, qui Lutheri fidem fuerant amplexi, reiecta ea, Zuinglij siue Caluini doctrinam sit sequuta: Ac plurimos in Germania videre liceat, qui de præsentia Christi corporis in Eucharistia non solum ab Ecclesia Dei, verùm ab ipsius etiam Lutheri placitis discesserunt: multoque nunc latius Caluini doctrinam propagatam videre licet, quàm fuit vnquam Lutherana. Quo libentius adduci deberent hi, qui dici volunt Confessionis Augustanæ, vt quibus de rebus inter se disceptant, de his iudicium penes hoc Oecumenicum Concilium esse vellent. Et habituri hic essent æquiores iudices opinione sua. Vidimus Flacci supplicatorios quosdam libellos, quibus instat & vrget mirabiliter, vt in Germania, vel potius in Saxonia Synodus congregetur: à qua tamen arceri vult primum Christianos omnes, quos illi visum est vocare Papistas: deinde Seruetianos, Suenckfeldianos, Antinomos, Anabaptistas, & Osiandrinos: neque sibi cum alijs, quàm cum Synergistis, Maioristis, & Adiaphoristis rem esse vult, ac miras tragœdias excitat de Confessione Augustana, quam esse multis in locis mutatam ac deprauatam quiritatur: neque dubitat alicubi falsi crimen impingere Philippo, quòd non magis Confessionem Augustanam, quàm ipsos etiam Lutheri libros plurimis in locis adulterauit. Nec id sine causa. Nam contuli ego quoque aliquot exemplaria Confessionis Augustanæ, & ita se rem habere comperi: Nec vlla mihi visa est propiùs accedere ad eam, quæ fuit Augustæ oblata Christianissimo Imperatori Carolo, cuius memoria in benedictione est, quàm ea, quæ Flacci opera Ienæ typis est excusa, & extat in librorum Lutheri tomo quarto. Cùm itaq; de confessionis etiam ipsius Augustanæ fide inter istos disceptetur, quam toties mutatam & deprauatam esse, non modò Zuingliani siue Caluiniani, verùm & ipsi vociferantur veri Lutherani, qui cothurnum quendam eam appellant, vtrique pedi aptum, cum auctor ipsius, qui suis eam conscripsit manibus, & in alijs multis, & in eo, quod præcipuum est Christianæ doctrinæ caput, de præsentia Christi corporis & sanguinis in Eucharistia, non ab Ecclesia modò, verùm & à seipso, & à magistro suo Luthero diuersum sentiant, & cum Caluino consentiat, nónne satius foret, vt de hac Confessione, quid in ea rectè recipi posset, quid non, huic Oecumenico potiùs Concilio iudicandi potestatem isti permitterent, eique se subijcerent, quàm vt vnius hominis arbitrio toties mutata tantam ipsis etiam Luteranis de ea disceptandi & altercandi materiam præberet? Mihi verò si cuiusquam alterius, certè Lutheranæ sectæ vel maximè videtur interesse, doctrinam vt suam siue Confessionem huic Oecumenico Cõcilio diiudicandã permittat: quando quidem non solum per Sacramentarios ea nonnullis locis vehementer oppugnatur, ac propemodum expugnatur, verùm etiam ipsorum Lutheranorum inter se mutuis dissidijs extinguitur. Cuperet Flaccus hoc iudicium in Saxonia fieri: cur autem non ibi potiùs, vbi totus congregatur orbis Christianus? Scilicet, Saxonica fides condenda, & non Catholica potiùs nobis est retinenda. Certè magis ex vsu, magis etiam ex dignitate foret Principum istorum, vt cõtrouersias istas ministrorum suorum, eorum iudicio potiùs disceptandas permitterent, quos pro legitimis iudicibus agnoscunt: & Dominus eorum Cæsarea Maiestas, & quotquot sunt alij per orbem vniuersum Christiani & Orthodoxi Reges & Principes: quàm vt vel Flacco se, vel Gallo, vel qui sunt eiusdem farinæ, submitterent. Neq; dubitare debent, quin patres hos multò essent æquiores habituri, quàm illos, nescio quos. Esset hic non magis cognoscendi quam ignoscendi locus, idq; tolerabilioribus conditionibus, quàm quas præceptoribus suis proponit Flaccus. Et cùm in Symbolo profiteamur omnes, credere nos sanctam Ecclesiam Catholicam, nónne magis velle deberent Catholicam confessionem habere Principes isti, quàm vel Saxonicam, vel Augustanam, vel nescio quam aliam? Iam enim non modò prouinciæ, verum & ciuitates ferè singulæ, proprias & priuatas suas confessiones adferunt. Quæ de re vbi statui potest melius, quàm in hoc Oecumenico, quod Catholicam Ecclesiam repræsentat, Concilio? Quamobrem quod sua sponte facturam Illustritatem vestram non dubito, maiorem in modum ab illa peto, vt instare velit apud Principes istos Germaniæ, & eis persuadere, quos præsertim habet aliqua sibi propinquitate, familiaritateq; coniunctos, vt suos huc Oratores primo quoque tempore mittant. Audio, quòd non ita pridem Illustrissimi Domini Marchionis Brandeburgen. Electoris filia nupsit Illustritatis vestræ filio, quod illi matrimonium feliciter euenire cupio. Cùm autem is non alienus ab Ecclesia Catholica fit visus, promiserit etiam proximè superiori anno Nuncio Apostolico se suum huc Oratorem missurum, facilè perfecerit apud illum Illustritas vestra, auctoritate sua vt præstet, quod promisit. Scio non defuturos, qui dehortentur Illustritatem eius ne faciat, vel hâc solam ob causam, quòd à Pontifice Romano Concilium hoc est indictum, cuius iugum excussum ab omnibus cuperent: nec alia de re magis laborant, quàm vt nomen illius quàm maximè odiosum & inuisum reddant omnibus, quòd sublato gubernatore, facilius circa Ecclesiæ naufragium grassari se posse persuasum habent. Sed quis tandem est, qui posset, præter hunc, Oecumenicum Concilium conuocare? Nihil iam de eo dicam, quòd semper hæc fuerit Ecclesiastica regula, iam inde à mille trecentis & amplius annis, ne præter sententiam Romani pontificis Concilium vllum celebrare liceret. Fingamus licere, vt alius quisquam indicet. Quis erit ille, qui possit hoc præstare? Num Imperatoria Maiestas? Est quidem is Regum omnium, & Principum Excellentissimus, verùm nec à Gallis, nec ab Hispanis, nec ab Anglis, nec à Polonis, nec à multis alijs eo loco habetur, vt ei tanquam superiori, dicto audientes esse velint, qui Regnorum, horum & aliorum, gubernacula tenent. Contrà verò, Pontifici Romano libenter hunc honorem habent, & ipsa Maiestas Imperatoria, & omnes Reges & Principes, quotquot Catholici & Orthodoxi censeri

Mutata Confessio Augustana ab ipso Melanchthone.

Universidad de Deusto
Biblioteca

seri volunt, vt eum tanquam superiorem agnoscant, & ei debitam reuerentiam & obedientiam præstent, atque ab eo vocati, vel ipsi veniant ad Concilium, vel saltem suos Oratores mittant. Quod iam à plerisq; factum esse, ex ea, quam Illustritati vestræ mitto, scheda cognoscet. Cùm itaque vel ipsa luce sit clariùs, quòd Oecumenicum Concilium nemo possit alius congregare præter Pontificem, cùm suos ad illud Oratores Imperatoria Maiestas iam ablegauerit, qui subiecti sunt illi Germaniæ principes, cur id facere detrectent, quod ab Imperatore & Domino suo factum iam esse videnti? Nihil honori suo detrahi persuasum habet Maiestas Imperatoria, quin aliqua potiùs illum accessione cumulari credit, si gloriam hãc Deo det, vt quem illi visum est suum in terris Vicarium constituere, debitam ei reuerentiam tribuat. Et certè nulla res est, in qua piorum principum vel fides magis exerceatur, vel Christiana quædam humilitas, qua nihil Deo gratius est, clariùs eniteſcat, quàm cum non hoc ab illis attenditur, quis ille sit, quem in Petri Cathedra Deus collocauit: cùm fieri quandoque possit, vt eadem qua cæteri præditus infirmitate, nec vitæ prorsus inculpatæ, nec omnibus his rebus, quibus libentius homines honorem quendam & venerationem tribuunt, sit satis instructus: verùm id solùm spectatur, quòd Christi Vicarius, & Petri legitimus successor est: vt honos omnis non ad hominem, qui & infirmus est, & suis ipse sæpè vitijs non caret, verùm ad ipsum Deum referatur, per quem in ista Cathedra collocatus est. Nec in homine fiduciæ quicquam ponitur, quod qui facit, eum propheta maledictum esse dicit, sed in solo Domino, qui potest per quamlibet indignum peccatorem, contra spem etiam, & expectationem multorum, ea præstare, quæ maximum ipsius Ecclesiæ fructum adferre queant: quò sic perspicuum fiat omnibus, non id hominis virtute contigisse, verùm excelsi dextra factum esse. Quam itaque Deo gloriam dat Imperatoria Maiestas, & eius exemplo cæteri Reges & principes Christiani, cur eandem gloriam Deo non dent, etiam subiecti Maiestati illius Germaniæ principes, vt ipsi per ministrum suum pontificem ad Concilium eos vocanti pareant, & suos huc Oratores primo quoq; tempore mittant? Dicant illi quicquid volent, vnus vt Ecclesiæ præsit necesse est, si debet vnitas in ea retineri. Et quàm verum sit illud, quòd non aliunde schismata & hæreses obortæ sunt, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur, non iam in Cypriani tantum libris legimus, verùm etiam in his, quæ facta sunt in Germania, oculis ipsi nostris cernimus. Excussisse quidam sibi videntur iugum pontificis: quid autem ex eo consequutum est? Tot fides, quot voluntates: & pro vno Papa, multos iam esse nacti videntur. Nolo iam dicere de his, qui Caluini verbũ pro Dei verbo sunt amplexi, quemadmodum hi querantur de illis, qui Lutheri potiùs, quàm Caluini verbum tanquam Dei verbum adorare malũt, quòd non sustulerint, verùm ad se pertraxerint Papæ tyrannidem, pro q; ligneo iugo Papæ collo excusso, ferreum ab illis impositum sit? Nihil itaq; dicam de Sacramentarijs, quibus nihil est impurius: an autem ad eundem modum de se mutuò non queruntur Lutherani? Quàm grauiter ferat Philippus, quòd maiorem, magis q; intolerabilem & minùs excusabilem auctoritatem ac potestatem, quàm Papa Romanus vnquam, sibi vendicent Flaccus & Gallus, paulò antè commemorati. Nunc audiat illustritas vestra, quid vicissim de Philippo præceptore suo, quamuis suppresso illius nomine, scribat Gallus.

Papa propter quæ honorandus & obsequendus.

Est verò id muneris & officij mei, haud secùs atque illorum, vt veritati patrociner, & ei contradicentes reprehendam, qualescunq; demùm sint illi, etiamsi sit Angelus è cœlo. Adeoq; persuasum habeo, hoc ipso plus me eis honoris & beneficij deferre coram Deo, dum illos culpito, suorum errorum admoneo, atq; ad pœnitentiam eos inuito, quàm illos ipsos adulatores & palpones omnes, qui sua adulatione illos in erroribus confirmant, atq; in impœnitentia detinent. Ac verò persuasum habent eiusmodi se esse præceptores, vt ipsorum dictis omnibus necesse sit, fidem commodare discipulos? aut id genus sanctos, qui errare non possint? Atqui sanè nec apud Ethnicos quidem nouum isthuc est, vt interim discipulo diuinitùs veritas patefacta sit, atq; etiamnum patefieri possit præ illius præceptore, in qua etiam non dubitet à suo dissentire Magistro. Vnde illa nata est sententia, Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas. Atq; ante illos quidã insigni præditi sanctimonia erraũere, & in errorẽ alios induxẽre. Tum quoq; necesse est, Lutherũ itidẽ, vt sinant adhuc esse præceptorẽ & pceptorẽ omnium præceptorũ Christum, à quibus ipsi defecerunt, quemadmodum in hoc omnis nostra superior disputatio acquiescit: Quibus ipsimet iam præceptoribus sese opponunt, planeq; ingratos declarant pro veritate manifestata. Pergunt interim, mittuntq; in errorem, & mittuntur, idq; sub præceptorum titulo, perinde vt olim Iudæi sub legis, & Pontificij sub Ecclesiæ titulo. Atq; illi lepidam hanc & seriam collationem (à Doctore, tenebat tantummodò) accipiant, qui sic dicere solitus erat: est q; sanè salutaris oratio, quam operæpretium sit non ignorare modò Christianos pro sui fidã commonitione. Quemadmodum Iudæi, ait, clamabant, Templum Domini, Templum Domini, & papistæ hactenus clamitarunt, & neq; dum clamitare desinunt, Ecclesia, Ecclesia: ita nimirum etiam nostri iam crepitant Magistri & Scholastici VVittembergenses: neq; ex ipso fundamento quicquã norunt aliud, nisi præceptores, præceptores. Interim præceptoris Christi, cui testimonium reddit Deus, Hic est filius meus, ipsum audite: tum quoq; præceptoris Lutheri, cui & scripta & opera testimonium afferunt, diuinitùs illum ceu postremum vltimi temporis huius Eliam Ecclesiæ & doctrinæ reformandæ excitatum: horum, inquã, præceptorum tum Papistas, tum Adiaphoristas magna cepit obliui o.

Schisma & hæresis vnde.

Huc etiam illud pertinet, quòd nos nouos pontifices siue papas & Ecclesiæ reformatores criminantur. Atqui verò isthuc ipsum in illos equidem quadrare puto. Vt enim Romanus pon-

Pontifex id sibi arrogat, se errare non posse, se esse vniuersalem totius Ecclesiæ Episcopum, quicquid ipse dicat, & statuat, id valere oportere, & meras esse diuina oracula, de quibus nemini ambigere, nec cuiquam contradicere fas sit: idq; eò, quòd Cathedræ Petri ipse hæres sit, aut esse velit: haud aliter profectò VVittembergenses sese comparant, dum Lutheri & spiritus eius ex sede hæredes esse volũt: cuius tamen spiritus, vt iam cœptum est, tantundẽ propemodum apud illos residere videatur, quantum spiritus Petri Romæ apud Pontificẽ, Cardinales, Episcopos, & illorum gregem, &c.

Nec pauca eiusdem generis apud Flaccum & Amsdorfium reperire licet, nisi quòd omnia nunc in medium adferre, necesse non est. Hoc tantum ostendere volui, posteaquàm Papæ iugum excussum est in Germania, multos ibi natos esse Papas, & eos magis intolerabiles, si quid Philippo credimus, quàm fuit vllus vnquam Papa Romanus. Inde sunt istæ sectæ tam inter se mirabiliter dissectæ, dum quisque se pro Papa gerit, dum quisq; quod ipse docet, id tanquam Dei verbum ab omnibus adorari vult, vt iam tot habere Germania Deos videatur, quot habet nouæ doctrinæ magistros, dum vniuscuiusq; eorum verbum, tanquam Dei verbum & Christi recipit Euangelium (sic enim doctrinam suam appellari volunt.) Nec erit sectarum istarum finis vllus, nisi prius eò redeatur, vnde discessum est. Incidi nuper in libellum quendam Ioannis Spangenbergij, quem edidit anno proximo superiore, cuius inscriptio hæc est:

Vera ac narratio beneficiorum per D. Martinum Lutherum pie memoriæ præsertim Germaniæ diutius præstitorum, & detestandæ ingratitudinis erga eiusmodi ingentia beneficia & muera &c.

Inter alia Lutheri beneficia, numerat & hoc, quòd Antichristum reuelauerit. Quòd si nihil aliud fecisset, vel hoc solo nomine dignum eum fuisse scribit, cui summus honos haberetur. In fine verò libelli prophetias quasdam (sic enim vocat) ex libris Lutheri cõgerit, inter quas ponit & hanc de fructibus reuelati Antichristi. Vetus verbum est, & à multis doctoribus repetitum, quòd post reuelationẽ Antichristi tam erunt homines feri, quòd iam deinceps nollent Deum agnoscere, nec vllam illius rationem habere: sed iuxta suam quisq; volũtatem faciẽt, quicquid diabolus & caro suaserit. Hoc tempus iam impletum videmus. Posteaquàm enim admirabili quadam & singulari Dei gratia Antichristianismi, siue Papatus horrenda mendacia ac doli, deceptionesq; manifestatæ sunt, incipiunt iam homines nihil ampliùs credere: & posteaquàm à vinculis Papatus se liberos esse vident, volunt etiam esse liberi & soluti ab Euãgelio, & à præceptis Dei: & volunt vt deinceps rectum sit & iustũ, quicquid vnicuiq; visum fuerit.

Obsecro diligenter Illustritas vestra secum expendat hæc verba. Nec enim verius fuit, quod Caiphas olim dixit, quàm quod nunc hic pseudopropheta scribit. Quamuis enim falsò Papatum vocet Antichristianismum, cùm hic status, qui nunc est in multis Germaniæ locis, multò sit hoc nomine dignior: hoc tamen verissimum est, quòd posteaquàm Christi suaue iugum per Papam Ecclesiam suam gubernantis excussum, & ipsum Papam Antichristum esse falsò persuasum est plurimis, & Christi iugũ simul est excussum, ac eò res redacta (proh dolor) quòd qui diruperunt vincula Papatus, ijdem illi nec Euangelij, nec Dei præceptorum vinculis vllis alligati iam esse volunt: ac diruptorum vinculorum fructum hunc ferunt, vt iam deinceps nihil credant, & faciat quisq;, quod sibi videtur. Qua de re queritur etiam Hieronymus Menczelius, cuius libellum de pastoribus legi, eodem illo anno impressum Isleb ij, quam isti nouam Bethleem esse volunt, in qua nouus Christus natus sit, vel Antichristus potiùs. In cuius libri præfatione sunt hæc verba:

Posteaquàm per sanctum Euangelium à Papæ tyrannide, & potestate liberati sunt, & assueuerunt omnes illius constitutiones reijcere, progrediuntur vlterius, & volunt prorsus eandem consuetudinem in alijs quoque rebus omnibus, siue sint bonæ, siue malæ, retinere. Volunt esse liberi, nec à quoquam prohiberi, quominùs arbitratu suo viuant, haud aliter, quàm si Euangelium esset talis doctrina, quæ vnicuique concedat potestatem faciendi, quod illi placet, quæ nullum ordinem, nec vllam disciplinam ferre possit. Quod si quis eis resistere fuerit ausus, eò veniunt audaciæ, vt non solum odia suscipiant erga suos prædicatores, & eos contumelijs afficiãt, verum etiam pro virili sua tyrannicè persequantur. Ac si quẽ volunt ordinem prædicatores constituere, statim vim esse dicunt minimè Christianã, & nouationẽ quandam & introductionem veteris Papatus, per quam prædicatores propriam suam potestatem & dominationem in commissum sibi gregem stabilire velint. Qui si pergant vrgere exequutionem eorum, quæ constituerunt, non solùm conuicijs afficiuntur, verum etiam ad extremum expelluntur.

Neq; dissimilia queritur Heshusius in libello, quem & ipse de pastoribus scripsit. Videt igitur Illustritas vestra, quo loco sit Germaniæ status, posteaquàm ea multis in locis Papæ iugum excussit: quod commutatum, non excussum esse videtur, cùm alio cuiusuis potius, q; Christi, multò grauiore iugo, prematur. Accusat autem Spangenbergius in eo libello, ex quo paulò antè nonnulla produxi, non Christianos, quos ipse vocat Papistas, verùm illos ipsos accusat ingratitudinis q Lutheri verbum, tanquam Christi verbũ quadraginta his & ampliùs annis adorarunt, VVittembergenses potissimùm, Lipsenses, & qui sunt sub Duce VVirtembergensi. Hos igitur grauiter accusat, quòd acceptorum à Luthero beneficiorum immemores, ausi fuerint in decem aut vndecim doctrinæ capitibus ab ipsius doctrina, quã purum Dei verbum esse persuasum omnes habere cupit, discedere, quod q; his eum elogijs ornauerint.

Vocant eum philautum, id est, eiusmodi hominem, qui non nisi de se vno præclarè sentit, *Philautus, communiorum quadam vocc.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

serit, sibi vni plurimum tribuerit : cuique nihil arriserit, præterquam quod ipse dixisset, & fecisset. Appellant iterum philonicum & Eristicum, id est, hominem vsque adeò rixosum, vt semper suam tueatur sententiam tanquam æquam, nemini quicquam concedere, nulli cædere velit, suam duntaxat aucupetur gloriam, nec quenquam præter se ferre sustineat. Itémque Doctorem Hyperbolicum, puta, qui ex culice possit efficere camelum, qui mille iactitet, & vix quinque cogitet: effutiat quicquid in buccam venerit, flocci pendens, num vel verum, vel falsum sit quod dicit: denique, qui duplo plus asserat, quàm ipsa habeat rei veritas. Nuncupant etiam illum polypragmenicum, qui se procaciter, & petulanter negotijs omnibus immesceat, qui plura sibi expediēda sumat, quàm ipsius poscat prouincia, rebúsque quæ tamen nihil ad illum pertineant, sese ingerat. Tum quoque ingenij ostentatorem eum nominant, qui non nisi ingenij acumen præter neeessitatem ostentare, sesé que venditare voluerit . Sed & Stoicum, durum captionem, qui non nisi suo vixerit cerebro, atque alios tyrannica continuerit, & presserit seruitute . Denique somniatorem eum vocant , & proh dolor , miserandum in modum isthæc coquunt , atque permiscent & cetera.

Quod si discipulorum Lutheri tale de Luthero fuit iudicium, & certum est, non deesse quosdam etiam principes, qui Melanthonis doctrinam sibi potius amplectendam esse putant, quàm Lutheri : ac rectè ab eo factum existimant, quòd non in omnibus cum Luthero consenserit, sed in quibusdam ad nos Christianos , in alijs verò nonnullis dogmatibus ad Zuinglianos, siue Caluinianos deflexerit, vel hæc ipsa res calcar addere posset Germaniæ principibus, vt ne vel Melanthonis , vel Spangenbergij, vel Ilyrici iudicio de doctrina Lutheri stare, sed eam Oecumenico potius Concilio disceptandam permittere vellent. Sic enim & dissidia, quæ sunt inter ministros eorum, tolli facilius, & ipsi principes ad agnitionem veritatis redire celerius possent. Sic autem in eodem illo libello de Luthero scribit Spangenbergius, vt eum exæquare Christo videatur, nec alio ferè loco, quàm quo scripturas Canonicas, eius libros haberi velit. Accusant nos idololatriæ. Potéstne autem esse maior, ac manifestior idololatria, quàm sit hæc, vnius alicuius hominis verbum, in quo nec doctrina excellens, nec illa est vita sanctimonia, tanquam D E I verbum recipere, & coram illo incuruari, ac si quis ab eo discesserit, eum è cætu suo eijcere ? vtinam vellent isti Principes memores esse verborum , quibus in propheticis & Apostolicis literis idola fugere monentur, & cùm intelligant, nihil aliud esse, quàm mera quædam idola. Lutherum, Philippum, Flaccum, Brentium, remis, quod aiunt, & velis illa fugerent, déque eo, quæ doctrina Verbum D E I censeri debeat, penes Ecclesiam Catholicam, quam Concilium Oecumenicum repræsentat , iudicium esse mallent, quàm penes Flaccum, vel Brentium, vel nescio quos alios Saxonicos ministros. Etiam extra Saxoniam legunturᵒ & intelliguntur scripturæ, & rectius ibi iudicari potest , qui sit germanus scripturæ sensus, vbi totus orbis conuenit in Christi nomine, quàm in paucorum conuenticulo. Quod Catholicum dogma censeri debet , in Ecclesia Catholica debet approbari : quam frustra se credere in symbolo profitentur, qui malunt vnius alicuius priuati hominis, aut etiam paucorum in angulo aliquo conuenientium, ac diuersum ab illa statuentium, quàm illius sententiam sequi . Sæpè iam periculum fecerunt, multa sunt inter eos colloquia, multa sunt habita conuenticula . Quid autem aliud lucri fecerunt, quàm quod magis ex illis incerti, quàm fuerant anteà, discesserunt, magis etiam inter se pugnantes ? Huc itaque suos mittant potius principes : hic quæ doctrina cum verbo Dei consentiat, quæve cum illo pugnet, doceri velint. Nam sicut in ministrorum suorum conuenticulis, siue, vt ipsi vocant colloquijs, iam experimento didicerunt , quod miscuit D E V S in medio eorum spiritum vertiginis, vt errare facerent Ægyptum in omni opere suo : ita præsentem hic adesse Spiritus sancti gratiam, cognoscent. Non erit hic DEVS ille dissensionis, qui regnat in his locis, vbi suaue Christi iugum, per ministrum suum Pontificem Ecclesiam gubernantis, excussum est: sed erit Deus pacis & dilectionis, qui faciet vtraque vnum, & per diuersitatem linguarum cunctarum, gentes in vnitatem fidei congregabit . Quod ita eueniat, supplices misericordiam illius implorabimus . Hæc ego propterea pluribus illustritati vestræ scribenda putaui , vt si visum illi fuerit, communicet cum illustrissimo principe D. Ioachimo Electore Brandeburgensi, qui non alienus à nobis esse videtur: Quo nomine illustritatem illius plurimum obseruo: præcipuè cùm & ipse, serenissimi Regis & Domini mei sororem in matrimonio habeat, quam constanter in fide Catholica perseuerare, non sine magna animi mei voluptate audio . Sed quod ab ea defeciſſe, & in aliud nescio quod Euangelium translatus esse dicitur filius eius Illustrissimus Dominus Archiepiscopus Magdeburgensis, ingentem ex eo dolorem accipio, neque possum tamen adhuc animum inducere, vt credam factum id ab eo fuisse. Quæso Illustritatem vestram, vt, velit ea de re me certionem reddere , & apud quoscunque Germaniæ Principes aliquid auctoritate valet , præcipuè verò apud affinem suum Illustrissimum Dominum Marchionem Electorem efficere conetur, vt suos huc Oratores primo quoque tempore mittat . Nam quod ipsa factura sit hoc illustritas vestra, omni prorsus cunctatione semota, mihi quidem dubium non est . Præclarè merebitur de matre sua Ecclesia, si quam plurimos in eandem voluntatem impulerit, & cum apud hoēs laudem tum apud Deum ingentem ex eo gratiā consequetur. Qui vt Illust. V. pro Ecclesiæ suæ defensione, quàm diutissimè seruet incolumem & fœlicem, diuinam illius Maiestatem supplex oro, meque gratiæ illius commendo.

Datum Tridenti XXIIII. die Martij Anno Domini M.D.LXII.

Sigismun-

Sigismundo Regi Poloniæ, Nomine Legatorum S. Sedis Apostolicæ ex Concilio scripta. Epist. L VII.

Excusant se, quòd diutius aduentum eorum expectare non possint, quorum causa Concilium hoc fuit potissimum congregatum.

QVantoperè fuerit sacrum hoc Concilium piorum omnium votis expetitum, vt quibus nunc Ecclesia Dei tempestatibus & procellis iactatur, atq; agitatur, ex communi totius Orbis Consilio sedari pristinaq; tranquillitas Ecclesiæ restitui possit, Maiestas Vestra tanto minus ignorare debet, quanto maiore studio & ipsa in rem hanc incumbit, vt illud legitimè congregatum aliquando videre liceret. Et est quod patri illi misericordiarum, Deo ingentes agamus gratias, cuius immortali beneficio factum est, vt iam Concilium hoc & frequētius & celebrius habeamus, quam initio non sperare modò, verum etiam optare ausi fuissemus. Nullus est Catholicorum & Orthodoxorum Regum, qui suos huc Oratores non miserit. Quod idem à multis etiam Principibus factum est, nec sæculis aliquot vnum in locum aliquem tantus Patrum numerus conuenisse videtur, quantum in hàc Ciuitate congregatum nunc esse cernimus. Quo nomine iterum atq; iterum Dei benignitati gratias agimus, qui sponsam suam Ecclesiam oculis misericordiæ suæ respexit, & ei de tam salutari medicina prospexit. Sed intereà maiorem quàm dici queat, ex eo dolorem capimus, quòd plerosq; tam ingratos tantæ Dei gratiæ videmus, qui certè contristant Spiritum sanctum, & eius gratiæ contumeliam faciunt, dum vt medicinam hanc vltro sibi oblatam accipiant, nullis rationibus adduci possunt. Nec vlli magis eam renuunt, quàm quorū causa remedium hoc potissimum est inuentum. Non enim egent, qui sani sunt, Medico, sed qui malè habent. Non propter eos ex vniuerso terrarum Orbe, hunc in locum tam præstantes Medici conuenerunt, qui sanam Ecclesiæ doctrinam, sicut eam à Sanctis suis Maioribus sibi per manus traditam acceperunt, ita retinent, sed propter eos, qui posteaquàm semel ab ea deflexerunt, tanquàm paruuli fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ, & ab eo per quem vocati sunt in gratiam auersi, nunc in hoc, nunc in illud quiduis potius quàm Euangelium transferuntur. Quales in Regno quoq; Maiestatis Vestræ plurimos reperiri dolenter admodùm accepimus, de quibus etiamsi nullum Ecclesiæ Catholicæ iudicium intercederet, suo tamen ipsorum proprio iudicio sunt condemnati. Ipsi se inuicem à Synagogis suis eijciunt, ipsi se inuicem hæreticos pronunciant, ipsi se mutuò condemnant. Sicut ex eorum libellis, quos non paucos nobis videre licuit, cuius perspicuum esse potest, quibus pridem sopitas Arrianorum, Nestorianorum, Eutichianorum hæreses, & alias præterea multas, quas longum foret enumerando recensere, nunc tandem in Regno Maiestatis Vestræ resuscitatas, & ex orco reuocatas esse ipsimet apertè profitentur, vt suo ipso mutuò indicio tanquàm sorices pereant. Cuius etiam rei sibi conscij, quandoquidem & opera eorum mala sunt, & doctrina multò peior, non audent in lucem prodire, sitq; verissimum in illis, quod à veritate dictum est: Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Prouisum est illis de securitate, qualē optauerunt ipsi, qua nulla dari maior potuit, nihilominus ibi delitescunt in antris suis, nec prodire foras audent, seq; comedentes inuicem consumuntur ab inuicem. Quæ cùm ita se res habeat, videt Maiestas Vestra, nihil à S. D. N. prætermissum esse, quod ad medicinam istis hominibus faciendam pertinere iudicaret. Duo iam anni propemodum intercesserunt, cùm eis Sanctitas sua Legatos suos misit, Menses aliquot expectauimus, priusquàm Oratores Principum & Episcopi conuenirent. Annus autem est iam ferè, cùm inuocato Christi nomine Sacrum Concilium hoc aperuimus, in quo prosequendo lentè admodùm festinauimus, dum illos expectamus, quorum causa potissimum fuit congregatum. Sed cùm illi causæ suæ diffisi, quam habere se malam ipsi non ignorant, hactenus venire vocati recusauerint, testamur Maiestatem Vestram, quòd officio nostro functi sumus, & satis diu iam expectauimus, parati cuius rei causa conuenimus, quod infirmum fuit consolidare, quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, quod abiectum reducere, quod perierat quærere, non cum austeritate imperantes & cum potentia, sed in spiritum lenitatis quemlibet instruentes: parati sanæ scripturarum intelligentiæ lucem in his, de quibus nunc ambigitur, omnibus eam requirentibus afferre. Quæ quidem lux non est alibi, quàm in ea quæ firmamentum & columna veritatis est, Ecclesia, quam hic omnem ex vniuerso Orbe Christiano congregatam videre licet. Sed cùm ostendant isti, se magis tenebras diligere, quàm lucem, & eam vehementer refugiant, nec ex antris suis prodire velint, omneq; medicinæ genus respuant, iam nobis expectare diutius fas non est, verùm quoad eius facere poterimus, primo quoque tempore Sacrum Concilium hoc Deo consilia nostra gubernante ad optatum finem perducere conabimur. Quod vt aura sui fauoris Maiestas Vestra prosequi, & in his quæ decreta per illud fuerint, exequutioni debitæ mandandis obedientem se matris Ecclesiæ filium declarare velit, maiorem in modum ab illa petimus. Pertinebit hoc Maiestati Vestræ, cùm ad Regni sui tranquillitatem conseruandam, quod perturbata Religione stare diu non potest, tum ad Dei gratiam promerendam, qui non in hoc modò, verùm & in futuro sæculo Maiest. Vest. largietur ea suæ pietatis præmia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Quod superest, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christophoro Cardinali Tridentino.
Epistola LVIII.

Significat quomodo intelligat locum Gregorij Nazianzeni de Conciliis, & de Iure diuino.

EPistolam Gregorij Nazianzeni, quam ad me scriptam Illustriss. Dominat. Vestra misit, legi lubens, quamuis ea pridem à me lecta fuit. Brentius in suo scripto contra Petrũ à Soto profert locum hunc ex Nazianzeno, quo probare conatur, fruſtrà Concilia congregari, quòd nihil aliud præter inanes contentiones in illis videre liceat. Sed mihi videntur hæc Nazianzeni verba non de Synodis generalibus, sed de prouincialibus quibuſdam intelligi debere, quæ ferè fierent inſtar colloquiorum, qualia ſuperioribus annis in Germania vidimus, nec fructum vllum adferebant. Nam certum eſt, Gregorium Nazianzenum non interfuiſſe modò, verumetiam præfuiſſe propemodum Concilio Conſtantinopolitano primo, in quo multa ſunt ſalubria conſtituta, quodq; Symbolum in Eccleſia recitatur poſt lectum Euangelium, in illo Concilio creditur à Nazianzeno fuiſſe conſcriptum. Hæreticorum itaq; conuenticula, quæ crebra tum fuerunt, fugere ſe velle ſcribit Nazianzenus, non quòd Synodos, legitimas declinaret. Vbi de rebus controuerſis agitur, fieri non poteſt, quin exoriatur aliqua contentio, & eſt illud veriſſimum, quod à Philoſopho ſcriptum legimus, Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. fit enim illuſtrior veritas, cùm opponitur illi falſitas. Itaque nullum fuiſſe puto Concilium, in quo diſputatum in vtranque partem non fuerit de rebus, quæ vocabantur in quæſtionem. Quòd autem etiam de ijs contenditur, de quibus nemo nobis mouet litem, id mihi minus ferendum eſſe videtur. Nam ſi omnes omnium inter ſe Catholicorum controuerſias, quæ ſalua pace & vnitate Eccleſiæ ſuſtineri poſſunt, hic nobis dirimendas ſumpſerimus, longi ſubſellij res futura eſt, nec riſus & cachinnos hæreticorum effugiemus, quibus non alia res maiorem dare lætitiam poterit, quàm ſi, quod illis objicere ſolemus, mutuis ipſi inter nos diſſidijs laborauerimus. Verùm ſpes eſt in Deo, quod Ius diuinum, hoc eſt, charitatem infundet in cordibus noſtris per Spiritum ſuum Sanctum. Quod cùm erit factum illius benignitate, magis implere Ius diuinum, quàm diſputare de eo volemus. Modò ne deſit nobis verbum illud abbreuiatum. Ama quod eſt manifeſtiſſimi Iuris diuini, præſto ſtatim erit reſidentia perſonalis, neque quæremus, quo Iure teneamur. Sed ſiue per ſe, ſiue per Prophetas, ſiue per Apoſtolos, ſiue per Eccleſiam Deus id præceperit, libenter acquieſcemus. Delicata nimis hæc eſt, & moleſta obedientia, cùm præcipitur aliquid quærere. Quo Iure? Diſputare hoc eſt, quemadmodum præclarè quidam dixit ex Patribus. In aſtu cordis, non in auditu auris obedire, Ius diuinum eſt. Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit me ſpernit, Ius diuinum eſt, Si non audierit Eccleſiam, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Itaq; mihi quidem contra Ius diuinum peccare, ac Ethnicus & Publicanus eſſe videtur, quiſquis matrem Eccleſiam præcipientem non audit, etiamſi fortè non reperiatur in ſcripturis, quod illa præcipit. Nam ſi non audiendas nobis niſi ſcripturas, nec præter illas recipiendum eſſe quicquam putauerimus. Hæreticorum hoc eſt axioma, à quo & aures, & animi piorum omnium, ſemper debent abhorrere. Deus precandus eſt, vt infundat charitatem in cordibus noſtris, & nos præſtare potius faciat Ius diuinum, quàm diſputare. Quod ſupereſt, etc. Tridenti vltima Octob. Anno M. D. LXII.

Sigiſmundo Regi Poloniæ.
Epistola LIX.

Significat de profligatis Chriſti Regisq; Chriſtianiſſimi perduellibus hæreticis, &, vt Regno quoque ſuo in tempore prouideat, hortatur.

LÆtum Veſt. Maieſt. precor annum hunc ineuntem, lætum etiam illi nuncium adfero, de Chriſti, Chriſtianiſſimiq; Regis rebellibus fuſis, fugatis, & ad internecionẽ vſq; deletis, qui fidei quam Chriſto Deo, Regiq; ſuo dederant, violatæ, iuſtas pœnas luerunt. Optandum quidem erat, vt eò miſeri audaciæ atq; amentiæ progreſſi nunquam fuiſſent, neq; in viſcera ſua Regem ſæuire coëgiſſent, neq; tantam Chriſtiani ſanguinis profundendi cauſam dediſſent, ſed quandò ſic voluerunt, quandò Chriſto primùm, deinde, Regi ſuo bellum indixerũt, & ſicut fieri conſueuit ab his, qui fidei Chriſtianæ, Catholicæ, & Orthodoxæ nuncium remiſerunt. Regi quoq; ſuo fideles eſſe ſubditi deſierunt, factũ eſt, quod voluerunt, debitas perfidiæ pœnas Chriſtus ab illis exegit. Fuit hæc Regis Chriſtianiſſimi victoria non incruenta, multi viri nobiles ex vtraq; parte ceciderunt. Sed Catholici corpora tantum, Hugonoti ſimul & animas perdiderunt. Deum precor, vt ſimilem calamitatem à Regno Maieſtatis Veſt. procul arcere velit. Quòd ſi prouiſum in iſtis Comitijs non fuerit, ſi non erunt rationes inuẽtæ, quibus effici queat, vt ſit vnus Paſtor, vnum ouile in Regno Maieſt. Veſt. ſi permiſſum fuerit, vt ſibi prurientes auribus Magiſtros deligant, & arbitratu ſuo Paſtores & Doctores deſignent, quin & Iudices, quemadmodum id fieri audio, quid ſit ex eo ſecuturum, malo in cogitatione M. Veſt. relinquere, quàm in hoc ſcripto meo ponere. Eſt quod agat Deo gratias Maieſt. Veſt. quòd ſi quiſquam alius Regum & Principum Chriſtianorum, illa præ cæteris habet ſubditos fide erga ſuos Principes ſingulari præditos, de quibus nil vnquàm auditum eſt ſimile, nec audietur per Dei gratiam. Sed intereà tamen habet Maieſt. V. nunc in Regno ſuo, quales nunquam antea Regnum iſtud habuit, ſicut ab Orichouio verè vocantur Helueticos latrones, habet flabella ſeditionum, habet faces eorundem incendiorum quibus Gallia conflagrauit, habet eadem illa inſtrumenta, quibus nobiliſſimum ac florentiſſimum illud Regnum, in eas, quibus nunc premitur, calamitates & anguſtias eſt redactum. Quamobrem ſupplex à Maieſtate V. peto, per viſcera miſericordiæ Dei, quantum ſuorum, quantum ſuam ipſius ſalutem amat, expergiſcatur tandem aliquandò, ac recenti Galliarum exemplo commota, de Miniſtris iſtis Sathanæ, qui ex Heluetia, ex Gallia, ex Græcia, ex Mantua in Regnum Veſt. Maieſtatis, non ſine magna illius ignominia, tanquam in aſylum quoddam hæreticorum ſe contulerunt, de miniſtris iſtis Sathanæ, cuiuſcunque ſint nationis, ex Regno ſuo exterminandis, cogitationem ſuſcipiat, vel potiùs nulla mora interpoſita, quàm celerrimè eos inde injiciat. Quod ſi factum non fuerit, vehementer metuò, ne idem Regno Maieſtatis Veſt. quod procul abeſſe Deus velit, quod florentiſſimo quondam Galliæ Regno euenit. Sed ego mihi de illius prudentia & pietate, religioneq;, & ſtudio tranquillitatis in Regno conſeruandæ, meliora polliceor omnia, neq; Deum, quamlibet indignus Sacerdos, precari vnquam intermitto, quò Maieſtatem Veſtram in hanc mentem impellat, & Conſiliarijs, quos habet ad latus ſuum ſpiritum conſilij & fortitudinis largiatur, vt ea Maieſtati Veſtræ conſilia præbeant, quibus à ſimili periculo Regnum illius præſeruari poſſit. Tridenti. 29. Decemb. Anno M. D. LXII.

Guilhelmo Scirleto S. R. E. Bibliothecario.
Epistola LX.

Significat libros διαταξεῶν Clementis dignos eſſe, qui ab omnibus legantur.

DE libris διαταξεῶν Clementis ita te iudicare puto, dignos vt eſſe cenſeas, qui verſentur in manibus hominum. Nam etſi næuis aliquibus non careant, non tamen exiſtimo, quòd propterea tam aſper illarũ cenſor ſis futurus, vt eos perpetuò ſitu ſqualere, & ex manibus omnium excuſſos eſſe velis. Originem, Tertullianum, & eiuſdem generis nonnullos tales ab Eccleſia iudicatos eſſe ſcimus, vt hæreſios nota non caruerint, neq; tamen propterea pijs eorum lectione eſt interdictum. Cypriani Martyris maxima eſt in Eccleſia Dei authoritas, vnus tamen & ipſius error non leuiſſimus ita damnatus eſt ab Eccleſia, vt nihilominus extra errorem hunc ſumma ſcriptorum eius authoritas habeatur. Sed quotũquẽq; reponere licet ex priſcis illis Doctorib. quos Eccleſiæ Catholicæ lumina fuiſſe cõſtat, q non lapſus in aliquo fuerit aliqñ? Neq; tamen ideò eorũ libri reiecti ſunt. Solus fuit hoc æuo noſtro Clemens Romanus Pont., qui cũ & Epiſcopi Oſtienſis, & Franciſci Torrenſis opera pridem ardentiſſimis omnium votis expetitus, in lucẽ tandem aliquando prodiſſet, tam grauiter in eum animaduerſum eſt, vt prius carcere damnaretur, quàm ſitim noſtram explere, legendiſq; libris eius fructũ carpere poſſemus. Quantò fœlicior Clemens Alexandrinus, qui cum & ipſe paucis his annis in publicum prodierit, multaq; ſint in eius libris ſeueriore cenſura digna, licet eo tamen vti nemine prohibente. Itáne Romani Ponti ficis durior eſſe debet conditio, quàm illius Alexandrini Presbyteri. Memini me audire, quòd cum ſuperſtite Paulo III. primùm à Veneto quodam liber hic fuiſſet repertus, multis ab eo millibus æſtimabatur, nec eum in manus cuiuſquam peruenire voluerit, niſi maximis ſibi præmijs propoſitis. Nunc vltrò nobis datus luce prohibetur, & in carcerem, in quo tot ſæculis fuit, retruditur. Adeò verum eſt illud, quod prouerbio iactatur. Putere merces vltroneas. Ego verò vicem ſancti Põtificis huius doleo, cùm eius libros eſſe hos perſuaſum habeam. Niſi fortè ſecus tu iudicas, libenter enim ſicut in alijs rebus, ſicut & in his, meo iudicio tuum anteponuero. Quamobrem ſi germanos eſſe Clementis hos libros cenſes, etiáſi ſuos habeant nævos, da quæſo operam, vt eorum lectione nobis ne interdicatur, neve diutius tam tetro carcere Sanctus Pontifex clauſus maneat, quem omnium teri manibus Eccleſiæ intereſſe puto. Cum plurima ſint in eo, quæ ad confutandas noſtri temporis hæreſes non parùm allatura momenti videntur. Ac ingenuè tibi fatebor, quòd ſtatim, vt fuit liber hic typis excuſus, auidè à me lectus fuit, ita vt intra viginti quator horas totum illum abſoluerim, & ex eo pluſquàm viginti loca trãſcriberem, quibus librum Catholicæ noſtræ Confeſſionis augerem, quòd ea ad confutandos errores quoſdam hæreticorum noſtri temporis, cumprimis accommodata eſſe iudicarem. Eſt enim opus hoc noſtrum, tertium Antuerpiæ typis excuſum. Si quæ ſunt ab eo parùm commodè dicta, & quæ in alienum ſenſum torqueri poſſent, ſatis mihi ſcholijs vtriuſq; prouiſum videtur, & Epiſcopi Oſtienſis & Franciſci Torrenſis, ne quid offendi næuis his lector queat. Quamobrem ſi idem tuum eſt, quod meum de hoc libro iudicium, quæſo te, educà carcere Sanctum Pontificem hũc, nec eum diutius eo premi patiare. Et quantum apud Illuſt. Card. Alexandrinum authoritate vales, tantum contende & elabora, vt eo primo quoq; tempore potiri nobis liceat. Si verò ſecus de illo iudicas, ſicut paulò antè ſcripſi, libenter iudicio tuo ceſſero, nec vt verbum vllum hoc nomine cum quoquam commutes, poſtulo. Sed ego mihi nondum ſatis perſuadere poſſum, aliud de his libris tuum quoq; iudicium eſſe futurum. Quo maiore ſpe ſum, breui eum ex iſtis tenebris emerſurum, & quòd vehementer cupimus, in lucem eſſe proditurum. Dignus eſt Clemens, qui cum agatur clementius, etiamſi non omnia ſint in eius libris digna, quæ notentur aſteriſcis. Solæ ſunt ſcripturæ Canonicæ, quibus honos hic debeatur, vt nullum in eis errorem latere neceſſe ſit confiteri. Benè vale. Tridenti. 29. Iulij. 1567.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Herculi Duci Ferrariensi.
Epistola LXI.

Condolet de obitu Cardinalis Mantuani Legati, & de nefanda cæde Ducis Guisij.

RVera graue vulnus accepit Respublica Christiana, nec opinato casu hoc, vnius omnium præstantissimi Ducis Guisij, cuius crudelis hæc & scelerata cædes, non soli Regno Galliæ, verùm & reliquæ Christiani Orbis parti magnum attulisse detrimentum videtur, non ita pridem ingenti nos luctu affecit, Illustrissimi & Reuerendissimi D. Cardinalis Mantuani, qui fuit ingens huius sacri Concilij ornamentum, immatura mors, de quo verè dici potuit illud, Quod hic vir mitissimus in populo apparuit. Nam ad reliquas præclaras virtutes, quibus abundè à Deo fuit cumulatus, accessit & hoc, quod nihil eo mitius, nil fuit humanius, vt eum in oculis ferrent omnes. His duobus maximis viris orbatam esse Rempublicam Christianam difficillimis temporibus his, quibus eorum opera cumprimis esset necessaria, non possunt non dolore pij omnes. Ego præsertim, qui quamuis priorem illum de facie nũquam noui, tamen quod videbam Catholicæ fidei in Regno Galliarum restituendæ, secundum Deum in illo præsidium positum fuisse, non potui non vehementer illius tam subito casu perturbari. Alterius verò non minus repentinus interitus tantò mihi molestior accidit, quantò planius virtutes illius eximias & beneuolentiam in me singularem perspectam habebam. Sed quid faciendum nobis aliud restat, quàm vt cum illo viro sancto dicamus: Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit, Sit nomen Domini benedictum. Prouidebit ille nihilominus Ecclesiæ suæ, cum qua se futurum vsq; ad consummationem sæculi promisit, nec eã deseret vnquam. Si quid nobis dolendum est, nostra causa dolendũ est, qui sumus tam insignibus Orthodoxæ fidei ornamentis spoliati. Quod verò ad ipsos attinet, quandoquidem in fide Christi obdormierunt, & vterque, quamuis diuerso modo, illius propugnationem susceperit, ac illum tuendo mortem oppetijt, non est nobis ambigendum, quin multò nunc beatiore vita fruatur, posteaquàm laborum & periculorum suorum optatum fructum sunt consecuti. Quo lenius mortem eorum ipsa quoque ferre debet Excellentia Vestra, ne parum in illos pia esse videatur, si de suo potius incommodo dolorem, quàm de ipsorum ista tanta fœlicitate consolationem acceperit. Interea precandus nobis est Deus, vt lætiora deinceps noua nobis audire liceat. Quod superest, etc.

Alberto Duci Bauariæ. Epist. LXII.

Agit gratias, quod respondi curauerit libello ab hæreticis contra epistolam ad Ducem Brunsuicensem scripto, & de varietate Sectarum.

LÆtum & fœlicem hunc annum Illustrissimæ Dominationi Vestræ precor. Ex his quæ scripsit ad me Fridericus Staphylus, certior sum factus, D. V. negotium illi dedisse, vt curaret per aliquem Theologũ ei scripto responderi, quod à nescio quo confectum ante menses aliquot ad me miserat Dominat. Vest. quo refutare quidem conatur eas rationes, quibus ego scribens ad Illustrissimum Ducem Brunsuicensem adduci debere putabam, Principes Protestantes vt suos huc Oratores mitterent, & hic potius cognosci de dogmatibus, de quibus ipsimet inter se dimicant, cuperent, quàm in nescio quo Saxoniæ angulo, cùm quæ pertinent ad fidem Catholicam non sit fas, nisi ab Ecclesia, quam Concilium Oecumenicum repræsentat, definiri. Quod si quid in angulo statuitur, Catholica fides dici non possit. Plurimum hoc nomine me debere profiteor Dominationi Vestræ, quæ cùm intelligeret personæ meæ, quam hoc tempore sustineo, non esse, vt ipse nugis eiusmodi responderem, quarum authorem etiam ignorarem, prouideri nihilominus voluit, vt quisquis est ille, qui cùm se male agere, sibi sit conscius, odit lucem, nec edere nomen suum audet, insulso suo scripto responsum tamen per aliquem esse videat. Quod ego quamuis adhuc non legerim, nondum enim illius mihi copia facta est, non possum tamen, quin de hac tanta beneuolentia in me ingentes agam gratias Dominat. Vest. Quod si dabitur aliquando occasio, quanti vicissim Dominat. Vest. faciam, omni obsequij seruitutis q; meæ genere declarare non prætermittam. Certum est, quod isti qui nihil aliud volunt, quã protestari, si causæ suæ fiderent, lucem non refugerent, & si quas iustas exceptiones habere se putant, hic eas proferrent potius vbi ferè totus est Orbis Christianus congregatus, ac audirent quæ contradicerentur, vt sic tandem, quàm sunt eæ iustæ, cognosci possit. Legi nudiustertius libellum à Matthia Flacco Illyrico scriptum hoc ipso ineunte anno, sic enim est in fine libri editum, in quo narrat omnes eos, qui visi sunt Euangelici sanam q; doctrinam tueri, anno proximè superiore pulsos à Ducibus Vinarien sibus: alios verò quos ipsi Duces edito libro, quem ante duos annos legi, condemnarunt & proscripserunt, esse restitutos, longeq; nunc aliud Euangelium apud eos doceri, si modò sic appellare fas est, falsam doctrinam quàm quod anno superiore docebatur. Quid igitur per Deum immortalem? an-

annuas fides habent isti homines, & singulis annis aliam atq; aliam profitentur? Sed ita fieri necesse est, quandò in angulis de fide statuitur, quæ cùm Catholica sit esse debeat quicquid ad illam pertinet, non est fas de eo quicquam statui, nisi ab Ecclesia Catholica, vt sicut est vna Ecclesia, sic sit vna quoque fides, quæ temporibus variari non possit. Ego verò satis ingenium istorum hominum mirari non possum, qui sic suas tenebras diligunt, vt lucem oderint, ne manifestentur opera eorum. Ac Principum vicem doleo, quòd ita sunt suis istis prurientibus auribus magistris dediti, statim vt recipiant, tanquam verbum Dei, quicquid ab illis profertur, eùm tamen hoc verbum, cuiusuis potius quàm Dei, quotannis ab illis ipsis Magistris variari videamus. Qui non expectant etiam Ecclesiæ de se iudicium, sed ipsi mutuò se condemnant hæreseos, & quos anno superiori tanquam hæreticos eiecerunt, eos in eadem illa, quæ tum condemnata fuit sententia, permanentes, paulò post, tanquàm Euangelicos puriq; verbi Dei Doctores recipiunt & amplectunt ir. Mihi quidem videtur hoc esse fidibus ludere, non fidem vnam retinere. Quæ, cùm ego puer essem apud Grammaticos plurali numero carere dicebatur: nunc posteaquàm Grammaticos quoque, in Germania facti sunt Theologi, ipsam etiam nobis Grammaticam corruperunt, posteaquàm fides ita multas induxerunt. Deum precor, vt spiritum charitatis infundat in cordibus istorum, vt eò redeant vnde se diuiserunt, quandoquidem quem suæ diuisionis fructum tulerint suis ipsi iam cernunt oculis. Grauis illis videtur Papatus, cùm tamen Papa noster nunquam sibi sumpserit neque sit sumpturus, vt nouam aliquam fidem constituat, sed hoc tantum agit, summoq; studio laborat, vt quæ fuit à Christo & Apostolis eius tradita, ea pura & incontaminata in Ecclesia Dei possit retineri tempore sempiterno. Isti verò nescio qui quotannis nouam fidem constituunt, quodq; non sine causa quæstum aliquando Melanchtonem legimus, vendicant sibi maiorem magisq; intollerabilem, & minus excusabilem authoritatem & potestatem, quàm Papa Romanus vnquàm, dum annuas ac modò non menstruas fides arbitratu suo suis Principibus condunt. Quorum vt misereatur Deus, & illuminet vultum eorum, iterùm atque iterùm supplex Maiestatem illius precor. Oratores autem Dominat. Vestræ reditum cupidè hic expectamus. Quam Deus pro sui nominis gloria & Ecclesiæ vtilitate diu seruet incolumem & fœlicem, cuius me gratiæ commendo.

Francisco Cardinali Monferrati.
Epistola LXIII.

Condolet de morte Card. Mantuani Legati.

CVM Illustrissimo Domino Cardinale Mantuano, & animo & corpore verè Hercule qui Sacri Concilij huius Princeps Legatus fuit, proximis superioribus diebus orbati fuissemus, maiorem, quàm credi queat animo dolorem accepi, adeò vt sub illud ipsum etiam tempus, quo laudatissimus ille Princeps in extremo vitæ periculo versabatur, ipse quoque non solùm animi, verùm & corporis minimè leui morbo laborarem. Quæ res etiam in causa fuit, quod in eo officio præstando, quod D. V. me debere libenter agnosco, tardior aliquantò fuerim, sed inter alia quæ dolori meo non paruam leuationem attulerunt, fuit & hoc, quòd sic illum ex hac vita discessisse videbam, vt illud in eum rectè quadrare posset, quod à Sapiente dictum aliquando legimus. Mortuus est, & quasi non esset mortuus, reliquit enim similem sui. Reliquit enim te suæ probitatis morumq; suorum laudatissimorum viuam quandam imaginem. De quo certò nobis persuasum habemus, cùm ad eandem ætatem perueneris, futurum, vt non modò nihilo sis illo inferior. Verumetiã quãlibet excellentes illius virtutes superare coneris, tũ præsertim pietatis tuæ minimè vulgare documentum dederis, quandò non esse tibi expectandum putasti, dum ad eam ætatem peruenires, quæ minus iam apta laboribus esse videtur. Verùm ipsum florem iuuentutis tuæ Deo consecrasti, ac in Sacerdotum illius numerum cooptari voluisti. Ex his nuncijs, quid porrò de te polliceri nobis rectè possimus, non obscurè indicasti. Reuerà singulare quoddam hoc est exemplum. Principem eo natalium splendore, animum inducere potuisse, vt ætatem suam adhuc florentem DEO dicaret. Hæc itaque causa fuit, quamobrem, ego tanti viri mortem, qui virtutum suarum fama, totum ferè Christianum Orbem impleuit, minus mihi lugendam arbitrarer, quod illas ipsas virtutes, in te nepote suo reuixisse viderem, ac maius etiam indies incrementum sumpturas persuasum haberem. Itaque meus quidem dolor hac ratione fuit mitigatus, tuo verò mœrori consolationis aliquid vt adferam tanto minus esse necessarium iudico, quanto magis animi tui magnitudinem prædicari audio. Quæ tanta esse dicitur, vt non succumbere, sed imperare magis cum alijs animi affectionibus, tum dolori mœroríque prædiceris. Neque verò causa mœrendi vlla est, quandoquidem ita se patruus tuus in hac vita gessit, tantos pro Ecclesia DEI labores pertulit, tanta fuit in pauperes liberalitate, tanta in DEVM ipsum pietate, nihil vt nobis ambigendum sit, quin miseram hanc & calamitosam vitam, cum illa fœlici & beata commutauerit, magis vt gratulandum illi sit, tot laboribus tanta cum laude perfuncto, ac optata pridem requie potito, quàm vt lachrymis nobis & mœrore sit prosequendus. Itaque non agam pluribus. Sed cùm patruo tuo semper fuerim addictissimus, qui me multis etiam officijs & beneficijs est prosequutus, idem studium

& obseruantiam meam tibi quoque defero, ac obsequium seruitutémque meam non tibi modò, verumetiam familiæ tuæ uniuersæ perpetuò dico. Nec vnquàm Deum precari intermittam, vt te laudatissimi patrui tui virtutum imitatorem, quàm longissimo tempore seruet incolumem & fœlicem. Datum Tridenti.

Sigismundo Regi Poloniæ.
Epistola LXIIII.

Condolet de capta per Moschos arce Polocensi, & monet vt extirpatis hæresibus iram Dei placet.

ALLatum est huc triste nouũ de Polocensi M. Vest. arce capta, deq; magna sæuitia, qua crudelis ille Moschorum Tyrannus in homines Vestræ Maiestatis vsus fuerit. Quod vt falsum sit, Deum precamur. Sed vtcunque se res habet, (vtinam autem secus habeat) certum est, cùm alijs peccatis nostris, tum præcipuè discessione à fide & Ecclesia Catholica, grauiter offensum esse Deum, vt metuendum sit, ne graues à nobis propter hanc multorum à fide sua discessionem pœnas exigat, néve perdat etiam iustum cum impio. Fortassis aũt flagellũ iræ suæ Moschorum hunc Tyrannum esse vult, & eam exequutorem constituit Regni Statutorum, quæ sunt à Sanctis Maioribus Maiest. V. contra hæreticos sancita. Quod exequutoris munus cùm ad Maiestatem Vestram propriè pertineat, quæ sicut in alias Regni Constitutiones, sic & in hanc iurauit, seq; cum alijs & hanc esse conseruaturam, sanctè promisit, vellem vt ipsa potius eo fungeretur, quàm vt illius ista tam diuturna conniuentia offensus Deus, munus hoc alij mandaret. Quòd non eò scribo, quòd Maiestatem Vestram aliqua sæuitia vti velim in eos, qui discesserunt à Christo & ab Ecclesia eius, latius enim hoc malum grassatum est, maioresq; sumpsit vires, quam vt id sine magno aliquo periculo perficere posse videatur. Sed fortassis vel hoc solùm ad placandam impræsentiarum iram Dei suffecerit, si Sathanæ ministros impios ex castris suis siue exercitu suo (ac si fieri posset etiam ex Regno ditionibusq; suis vniuersis) eiecerit: & omnia sacra Christiano illo prisco ritu, quem à sanctis maioribus nostris per manus traditum accepimus, fieri procurauerit. Hoc enim certò persuasum habere debet, quandiu à Maiestate Vestra permissum fuerit, vt ad Beelzebub potiùs, quemadmodum his paucis annis factitari cœptũ est, quàm ad Christum maiorum nostrorum more confugiant homines, nullam esse spem, fore vt aliquid illi contra hostes fœliciter cedat. Sed si relinquendum Beelzebub, & more maiorum Christum adorandum procurauerit, certam in Dei misericordia fiduciam habeo collocatam, quòd cùm ille conuersos nos viderit, auertet iram suam à nobis, & optatam contra hostes nostros quamlibet eorum sit numerosus exercitus, nobis victoriam concedet. Quoniam verò Princeps huius à Christo & ab Ecclesia eius, defectionis fuit (in magno præsertim Ducatu Lithuaniæ) Illustrissimus D. Nicolaus Radzuuilius Palatinus Vilnensis, hoc imprimis contendet & elaborabit Maiest. V. vt eum omni lenitate ad Christi fidem, quam reliquit, reuocandum curet, vt reiecto Sathanismo, quem impia Caluini dogmata in terras Maiestatis V. inuexerunt, denuò priscam illam religionem amplectatur, & sicut Princeps fuit defectionis à Christo, sic exemplo suo Princeps etiam sit alijs reuersionis ad eundem. Quòd si perstiterit in impietate sua, per viscera misericordiæ Dei supplex oro & obtestor Maiestatem Vest. vt saltem in suis eum castris esse non permittat. Sed procul ab illis, & à se arceat, ac vel hac saltem ratione, iustam iram Dei placare studeat. Alioqui vehementer metuo, ne grauis nos Dei vindicta maneat, qui diutius hanc tantam impietatem, sustinere non posse videtur. Iam gladium suum vibrauit, iam arcum suum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Nisi conuersi fuerimus, actum est de nobis, quamlibet etiam fuerimus & à viris & ab armis, & à rebus omnibus bello necessarijs instructi: abijciendus & Sathanismus, redeundum est ad Christum, quem impiè multi negarunt in Regno ditionibusq; M. Vest. Quod si factum erit, sit quamlibet valida & potens manus hostium, certus sum de misericordia Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, quandoquidem etiam in paucis seruare potest, quod indubitatam Vestræ Maiestati victoriam concedet. Quem vt id faciat, magis pro infinita bonitate sua, quàm pro meritis nostris precari supplex, quamuis indignus Sacerdos, nunquã intermitto. Hæc pro fide mea, qua sum obstrictus Vestræ Maiestati, quin illi scriberem, tenere me non potui. Quæ vt in optimam partem accipiat, atq; locum huic meo consilio det, etiam atque etiam à Maiestate Vestra maiorem in modum peto. Agitur salus ipsius, salus Regni ipsius, salus Magni Ducatus Lithuaniæ, nec temporanea tantùm, verùm & sempiterna salus. Iterùm atq; iterùm Deum precor, vt hanc mentem inspiret Maiestati Vestræ, atq; vt illi diuturnam incolumitatem & optatam contra hostem victoriam concedat.

Alberto Duci Bauariæ,
Epist. LXV.

Hortatur vt ne quid hæreticorum importunitati concedat, sed in omnibus cum Ecclesiæ Dei decretis & placitis acquiescat.

Quem

QVem adolescentem suis mihi literis Celsi. Vest. commendauit, eum, sic illa iubente, lubens in meam familiaritatem recepi. Nihil enim est quod magis cupiam, quàm omni officij obsequij; q; mei genere voluntatem Celsitudinis Vestræ mihi magis indies atque magis demereri. Cuius rei quoties occasio data fuerit, eum diem comprimis hilarẽ sumam. Cæterùm est quod ego vicissim petam à Celsi. Vest. quòd nõ ad priuatas, vel meas, vel meorum alicuius, verùm ad publicas rationes, quin & ad existimationem, & ad salutem Vest. Celsitu. pertinere iudico. Renunciatur hic cùm quidam quibus rectè dici potest, Nec itis quid petatis, in proximis Comitijs Ingolstadiensibus, vehementer vrsissent, vt aliquam obtinere possent, vel religionis, vel saltem rituum ad religionem pertinentium nouationem, Celsitudinem Vestram illorum importunitate victam promisisse illis, si minus obtentus esset ante finem proximè insequentis mensis calicis vsus, vel à Concilio, vel à S. D. Nostro, quod ipsa eum esset concessura. Quod ego factum à Celsitu Vest. vt credam, adduci non possum, quandoquidem quæ sit illius pietas erga matrem Ecclesiam, quod studium Catholicæ Religionis retinendæ, non ignoro. Ac si maximè factum esset, tamen prosmissum eius generis non seruari præstaret, quàm impleri, cùm hoc in Celsitud. Vest. potestate non sit, quæ se proculdubiò deuotum & obedientem Ecclesiæ filium esse meminit, ac intra potius Ecclesiam quàm supra Ecclesiam esse cupit. Ne putet Celsitud. Vest. calicis vsum esse de quo potissimum agitur hoc tempore, quin vnus est ex præcipuis articulis fidei nostræ, de quo nunc agi videtur, quo nos credere Sanctam Ecclesiam Catholicam profitemur, quam quomodo se verè credere dicet, qui præscribere potius illi, quàm præscriptis parere voluerit? qui suum iudicium illius iudicio anteposuerit? qui si minus ab illius institutis ipse discesserit, alijs tamen imperio suo subiectis, ab eis discedendi potestatem fecerit? non desunt fortasse qui dicunt, Calicis vsum ex eorum esse genere, quæ Græci vocant ἀδιάφορα. Quorum vt vera sit hæc opinio, postea quam tamen eius vsum interdixit Ecclesia, iam deinceps inter Adiaphora censeri non debet, nec est fas Ecclesiæ filio de matris iudicio iudicare, multò minus diuersum aliquid ab eo quod ipsa decreuit statuere. Quod si negant, hoc interdictum Ecclesiæ fuisse perpetuum, & eam habere dicunt potestatem vel abrogandi decretum hoc, vel eos hac lege soluendi, quibus id expedire iudicauerit, ab eorũ sententia nos minimè dissentimus, verùm vt matris iudicium filius anteuertat, vt authoritate propria, vel se, vel suos hac lege soluat ipse, id ab ea reuerentia, quam parenti suæ sanctissimæ debet, cumprimis alienum esse ducimus. Expectet ille potius quid ipsa statuat & quicquid illud fuerit, non tanquàm ab hominibus, verùm tanquàm ab ipso Dei Spiritu profectum reuerenter & obedienter amplectatur: ac illud firmiter sibi persuadeat, quòd nunquàm sit Deus permissurus, vt quæ nihil aliud magis quàm salutem liberorum sitit mater Ecclesia, & quam à Spiritu sancto gubernari nemo pius dubitat, sit hoc illis negatura, quod certam & indubitatam salutem eis adferre posse videatur. Quoniam verò nondum satis est illud constitutum, plúsue detrimenti sit an emolumenti allatura ista calicis tantoperè à multis expetiti concessio, quin illud metuitur, ne maior aliqua sequatur ex eo rerum perturbatio, non debet molestè ferre deuotus & obediens Ecclesiæ filius, si tanta res accuratius expendatur, & minus de ea celeriter, quàm ipse vellet quicquam statuatur. Calicis vsus ab Ecclesia nunquam est condemnatus, quin illud potius decretum est, siue sub vna specie, siue sub duplici quis communicet, modò secundum ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ id faciat, quod proficit dignè communicantibus ad salutem. Sed interim condemnatus est eorum impius error, qui vel integrum Christum sub alterutra specie contineri negabant, vel ita calicis vsum ad æternam salutem necessarium, asseuerabant, vt illos tanquam diuini præcepti violati reos ab omni spe consequendæ salutis excluderent, qui altera tantum specie potirentur. Sacrilegos errores hos, non calicis vsum condemnauit Ecclesia, quando vt memoriam illorum omnem prorsus aboleret, à vini specie suos abstinere iussit. Nam quod ad ipsum calicis vsum attinet. Hoc certò sibi persuadeat Celsi. Vest. quod nihil esset in eo permittendo negotij futurum, nisi periculum subesset, nec alteruter ex his erroribus illo concedendo comprobari, simul & Sancti Patres nostri condemnari viderentur, qui tot sæculis, vt errores hos se detestari demonstrarent, receptæ primùm Ecclesiæ consuetudini, deinde lege lata confirmatæ parentes, & suo iudicio iudicium illius anteponentes, ab altera specie tanquam ad salutem minimè necessaria, sibi temperandum esse duxerunt. Quamobrem cùm qua de re agitur, ea tanti sint momenti, cùm non de calice permittendo, sed de sacrilego errore confirmando agi videatur, oro atq; obsecro Celsitudinem Vestram quanti suam suorum q; salutem & quidem sempiternam salutem facit, tanto studio prouidere velit, ne cùm anteactæ vitæ suæ tempus omne, summa eum laude pietatis, & in prisca religione constantiæ transegerit, nunc demùm committat aliquid, quò famam & existimationem tot annis collectam, & à sanctis maioribus suis ad se transmissam, ac in hunc vsq; diem integrè conseruatam, ita repentè perdidisse omnem, & extremam animæ suæ perniciem attulisse videatur. Ne putet Celsi. V. quoniam ipsa Catholi eo ritu viuere deliberatum habet, nec ab eo vnquã discedere constituit, si schisma suis permittat, immunem ab eodem crimine se futuram. Non minorem subditorum suorũ quàm suæ ipsius salutis rationem habere tenetur, & quicquid eius permissu peccatum ab illis fuerit, grauissimas huius peccati pœnas ab ipsa Deus exiget. Deinde verò, facilè quidem erit subiectis Celsitudini Vestræ populis mittere se deorsum, sed posteaquàm semel id facere cœperint, ne in imum præcipites ferantur, prouidere longè difficillimum fuerit. Fuerunt quidam auctores Religiosissimo Imperatori Carolo, vt nescio quo iure,

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

quandã Interim religionẽ terris Imperio ſuo ſubiectis permitteret, quis ex ea permiſſione fructus conſequutus fuerit, nemo ſcire melius poteſt, quàm ipſa Celſ. Veſtra. Nullus hac permiſſione factus eſt Catholicus ex Hæretico, ſed multi relicto Chriſtianiſmo Sathaniſmũ amplexi, & in varias ſectas mirabiliter inter ſe diſſectas miſerãdum in modum diſſecti ſunt. Peruentum eſt eò tandem, vt etiam Auguſtana Confeſſio permitteretur, & eodem propè loco, quo Chriſtiana poneretur. Quid autem? Num intra Confeſſionis huius limites poſteà ſe continuerunt ? Quin ea iam extincta prorſus eſt, ipſo etiam Luthero, & Brentio, proximis ſuperioribus diebus, quod non ignorat Celſitud. Veſt. per vicinos illius, ex ipſorum Eccleſijs eiectis atque publico decreto condemnatis : & eò ſunt audaciæ atque amentiæ miſeri progreſſi, vt mendacij veritatem arguere non dubitent, quæ cùm accepiſſet panem, Hoc eſt corpus meum. Cùm accepiſſet calicem dixit : Hic eſt ſanguis meus. Latè iam per Germaniam Sathaniſmus hic ſiue Caluiniſmus graſſatur, & paucæ ſuperſunt Auguſtanæ Confeſſionis reliquiæ. Si verò iam eò proruperunt quidam audaciæ, vt mendacij veritatem inſimulare non dubitent, Putatne Celſitud. Veſt. pluris eos facturos diſcipulum veritatis dicentem: Verbum caro factum eſt, & non æquè fidem illi detracturos? Cùm ſi ratio conſulatur humana, non minus illa difficulter conſequi poſſit, quomodo verbum caro fieri, quàm quomodò ex pane Chriſti corpus confici queat, neque ſit fide dignior diſcipulus veritatis, quàm ipſa veritas. Tenet proculdubiò memoria Cel. Veſt. quod vix dum duo anni inceſſerunt, cùm in conuẽticulo quodam Braunſuigi habito, quidam Albertus Ardembergius, negare volens Chriſti corporis veritatem in Euchariſtia, eò eſt impudentiæ progreſſus, vt negaret Chriſtum è virgine carnem vnquàm ſumpſiſſe, ſed ſicut ſol per aquam nullo ex illa humore contracto, ſic illum per Virginis vterum pertranſiuiſſe. Ecce quo tandem iſti proruperunt : ab alijs humanitas, ab alijs (ſicut in eo, quem proximè contra Petrum Martyrem edidit libro teſtatur Brentius) diuinitas Chriſti negatur. Nec ſubitò peruentum eſt ad hanc extremam impietatem, ſed per gradus quoſdam. Initium diſceden di ab Eccleſia Dei ſumptum eſt à calice. Et poſteaquàm ſemel homines cœperunt mittere ſe deorſum, nulla ratione contineri poterant, quominus in imum vſq; præcipites ferrentur. Quàm vereor Illuſtriſſime Princeps, ne quod cùm alibi, tùm in vicinia ſua videt euenire, poſtquàm in calicis vſu quidam ab Eccleſia Dei, quæ Chriſti corpus eſt, ſe diſiungendi ſumpſerunt exordium, ne idem in Veſtræ quoq; Celſ. terris eueniat, vt & in illis magno animi cruciatu, non ita multò poſt prophanata templa, euerſas aras, conculcata ſacramenta, ſacerdotium extinctum ſacrificium abrogatum, Chriſtum ipſum in ordinem coactum videamus. Principium, aiunt, facti dimidium. Nihil eſt difficilius, quàm initium diſceſſionis facere, quod poſteaquam ſemel factum eſt, nihil eſt difficilius, quàm finem illius inuenire. Documento tibi ſint Illuſtriſſime Princeps vicini tui, caſus illorũ te admoneat, plus erit in retinendis hominibus tuis negotij, poſteaquàm ſemel mittere ſe deorſum cœperint, quàm in eo ne ſe mittant deorſum, prohibendi. Fidei noſtræ fundamentum hoc eſt, Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam: id ſi conuulſum ſemel fuerit, actum iam eſt: ruant omnia neceſſe eſt. Si ſemel hoc aliquis in animum induxerit, vt quod ipſi ſibi videtur, id verius & rectius eſſe credat, certoq; ſtatuat, quàm quòd in vnum locum aliquem congregatæ, quæ columna eſt & firmamentum veritatis, Eccleſiæ videtur vniuerſæ, poſteaquàm id de vna aliqua re ſtatuere ſibi permiſerit, quis impediet quo minus eadem prorſus audacia, idem de cæteris quoq; ſtatuat omnibus, & Eccleſiæ matris iudicio contempto, ſpiritusq; ſancti decretis conculcatis, quem Concilijs legitimè præeſſe certum eſt & indubitatum, percuſſus amentia & cœcitate, in profundum errorum omnium præceps feratur. Obſecro te per viſcera miſericordiæ Dei, Princeps pientiſſime, diligenter vt ab inſidijs Sathanæ tibi caueas, ac non modò te deorſum ipſe non mittas illo incitãte, verùm ne illis id facere permittas, quorum ſalus à Deo tuæ fidei commendata eſt atq; cõcredita, pro quorum animabus cum ad iuſtum Iudicis tribunal vocatus fueris, olim exactam es rationem redditurus. Noli contriſtare Spiritũ ſanctũ, permitte matri tuæ Eccleſiæ, quam ab illo gubernari ſcis, quam etiam nullius rei magis, quàm liberorum ſuorũ ſalutis auarum eſſe perſuaſum habere debes prius vt excutiat ſingula, prius vt rationes omnes accuratius expendat, quibus impellũtur ad petendum hi, qui petunt, ne fortè dum pharmacum dare vult ægrotis, venenum illis incauta propinet. Saluti potius ægrotantium conſulendum, quàm eorum voluntati mos eſt gerendus. Nam & noxia non rarò, qui morbis grauioribus laborant, expetere videtur, quæ negantur ſæpè ſalubrius, quàm conceduntur. Non vult mortem liberorum ſuorum pia mater Eccleſia, quin ea nihil cupit ardentius, quàm vt eorum ſaluti & incolumitati conſulere queat. Cui ſi quandò conſultum fore iudicauerit, his quæ petuntur concedendis, minimè grauatim liberorum ſuorum deſiderio ſatisfaciet. Verùm ita fortaſſis affecti nunc ſunt, vt ſine graui periculo concedi, quod petunt hoc tempore, non poſſit. Poſteaquàm verò ſublata pericula viderit, & errores extinctos, nihil eorum prætermittet, quę ad procurandam & conſeruandam liberorum ſuorum ſalutem iudicauerit pertinere. Nihil eſt in mora periculi. Maius adeò diſcrimen impendere videtur, ſi tanta de re præpropere fuerit aliquid conſtitutum. Sed ego, ſicut initio ſcripſi, non poſſum animum inducere, vt credam Celſ. Veſtrã vel cogitaſſe id vnquam, quod paſſim nunc à multis iactatur. Eſt autem illud veriſſimum, quod ſcripſit ille quamuis Ethnicus: Res eſt ſolliciti plena timoris amor. Quò magis amo, colo, & obſeruo Celſ. V. propter ſingularem pietatem, & in fide Catholica conſtantiam, quę ſicut lilium inter ſpinas, ſic inter alios Germaniæ Principes verſari nũc videtur: hoc minus contemnendos eſſe duxi rumores hos, qui falsò, vt opinor, de illa ſparguntur. Qui ſic iam increbuerunt, vt etiam ad Pontificis aures peruenirent. Qui pro paterna ſua beneuolentia proq; ſingulari cura & ſollicitudine, qua ſaluti Celſ. V. proſpectum cupit, ſuum iſthuc Nuncium

cium hac ipſa de cauſa mittit, virum non magis doctrina, quàm pietate inſignem. Is cùm ſit hac ipſa de re cum Celſitud. Veſtra pluribus acturus, nihil eſt cur longior eſſe velim. Hoc tantùm ab illa peto, vt quæ ſcribuntur à me quo ſcripta ſunt animo, accipiat, cùm nonnihilò profecta ſint, quàm ex ſummo ſtudio meo tuendæ ſalutis & exiſtimationis Celſitud. Veſt. Neque enim mea mihi, quàm ipſius Celſitud. Veſt. ſalus & exiſtimatio charior eſt, & antiquior. Itaque cùm allatum id primùm huc fuiſſet, haud aliter ſum perculſus, quàm ſi quis meæ ipſius vitæ certum diſcrimen impendere mihi renunciaſſet. Deum ſupplex indignus Sacerdos precari nunquam intermitto, quò cuſtodiat Celſitud. Veſt. in omnibus vijs ſuis, vt in manibus portet eam, ne fortè ad lapidem offendat pedem ſuum, vt ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulare faciat, & conculcare leonem & draconem. Denique vt lõgitudine dierũ repleat eam, & oſtendat illi ſalutare ſuum. Quod nuſquàm alibi reperiet, q̃ in ipſius Chriſti, qui ſalutare noſtrũ eſt, vna, corpore, ſancta, Catholica, Apoſtolica Eccleſia, Clament illi quantum volunt, Ecce hic Chriſtus, ecce illic, nuſquàm alibi Chriſtus, nuſquam alibi ſalutare noſtrũ, q̃ in Eccleſia Catholica, in illa Chriſti corpus & ſanguis ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraq; ſpecie ſumitur ad ſalutem, extra illam Chriſti corpus & ſanguis ſiue ſub vna ſiue ſub vtraq; ſpecie ſumitur ad mortem ſempiternũ. Itaq; non in eo ſita ſalus eſt, ſub ſumas Euchariſtiam, aut ſub vtraque, ſed in eo potius, ſi à CHRISTI corporis compage, vna ſpecie à Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ vnitate diuelli te non patiare, nec in vſu Sacramenti Euchariſtiæ, ſed in præciſione vitiũ eſt, quã petere videntur, qui cõtra ſenſum & cõſenſum Eccleſiæ Calicis vſum ab eo petunt, qui nullam habet eius concedẽdi poteſtatem. Atq; hic eſt ſcopulus, ad quem ne impingat Celſitud. Veſt. etiam atque etiam cauendum illi cenſeo. Cui me ſeruitutemq; meam diligenter commendo, quam illi promptam ſemper & paratam defero. Datum Tridenti. M. D. LXIII.

Ferdinandus Electus Romanorum Imperator. Stanislao Hoſio Cardinali S. Concilij Legato Apoſtolico.
Epiſtola LXVI.

Agit gratias quod de rebus Concilij factus ſit ab eo certior.

LIS ex aliorum quoque Nuncijs ac literis intelleximus (quod & nos Eccleſiæ Dei fœlix, fauſtum, & fortunatum eſſe precamur) die XVIII. proximè elapſi menſis Ianuarij, S. Oecumenicum Concilium vnanimi omnium conſenſu apertum eſſe, & primæ Seſſioni diem dictam feriam quintam poſt Reminiſcere, longè tamen gratiſſimum nobis accidit, idipſum ex literis P. Veſt. Reuerendiſſimæ cognouiſſe, quando quidem P. Veſt. Reuerendiſſima non obiter, aut leui tantùm calamo rem geſtam attigit, ſed vniuerſum illum Sacrum actum ita nobis deſcripſit, vt vel inde piam eius mentem & præclarum in rem Chriſtianam ſtudium optimamq; erga nos voluntatem manifeſtiſſimè perſpicere potu ſſemus, ſi ea nobis non anteà pridem P. Veſt. Reuerendiſſimæ, tum quotidianis aegrat ſiimis colloquijs & conuerſatioibus, tum primis monumẽtis literarijs in lucem pro defenſione & propagatione & Orthodoxæ Religionis noſtræ editis, (vt quidem eſt cumulatiſſimè) ſatis cognita & comprobata foret. Et licet nobis & Imperatori Chriſtiano pro eo vt debuit, magnam voluptatem attulit, hoc auſpicatum Concilij initium & expectatio fœlicis progreſſus fœlicioriſq; exitus, quem ſuauiſſimæ literæ Reuerendiſſimæ P. Veſt. nobis polliceri videntur, tamen ex integerrimo illo iudicio Reuerendiſſimæ P. Veſtræ quo operam noſtram tantoperè commendat, non vulgarem etiam lætitiam percepimus. Itaquè P. Veſt. Reuerendiſſimæ hoc nomine gratias habemus, ac viciſſim beneuolè & vehementer congratulamur, eidem planè perſuaſum eſſe cupientes, nos qui nihil magis quærimus, nec ardentiori voto à Deo Optimo Max. quidquam contendimus, quàm vt Eccleſiæ ſuæ optatam vnitatem & pacem concedat in promouendo hoc ſacro Concilio, deinceps etiam nihil eorum neglecturos, quæ nobis pro ratione muneris noſtri Cæſarei incumbere aut cum vtilitate Reip. Chriſtianæ per nos præſtari poſſe videbuntur. Et cum his R. P. Veſtram rectè valere deſideramus. Datum in arce noſtra Regia. Pragæ, die 8. Menſis Februarij. Anno Domini, 1562. Regnorum noſtrorum Romani 32. aliorum 36.

D. Sebaſtianus Dei gratia Portugalliæ Algarbiorumq; Rex, Stanislao Hoſio Cardinali Legato.
Epiſtola LXVII.

Gratulatur dignitatem Cardinali & munus Legationis.

NOTVM mihi antea fuerat tuum nomen ex tuis, aduerſus veteris Catholicæq; diſciplinæ depravatores, lucubrationibus : quarum eruditionem, candorem, elegantiam, & ſynceram imprimis pietatem audiebam, & eruditorum ſermonibus, & piorum ſuffragijs admodum commendari. Videbam feruens illud tuum in aſſerenda CHRISTIanæ Religionis integritate, ſtudium, & abſentem licèt faciéque ignotum, amabam te plurimum. Cùm verò Legati mei ROMAE apud Sanctiſſ. Pontificem agentis literis

Universidad de Deusto
Biblioteca

literis factus sum certior, te in Sacrum Illustrissimorum Cardinalium Collegium fuisse cooptatum, & vltrò tibi à Sanctissimo Pontif. delatum Sacræ purpuræ honorem, quem tu quidem pro tua modestia minimè fortasse expectabas, sed tua virtus & susceptorum pro Catholica religione in Poloniæ florentissimo Regno laborum assiduitas constantiáque iamdudum tibi debitum testabatur. Mirifica sanè voluptate sum affectus, & Christianæ Reipublicæ sum gratulatus; ad cuius administrandæ curam nouæ istius ab optimo Pontifice oblatæ dignitatis ornamento vocabaris. Vbi verò Collegam te additum cæteris in S. Concilio Legatis Pontificijs cognoui, non potui non admirari Sanctissimi Pontificis singularem sapientiam, qui ne quid S. Concilij splendori deesse videretur, te illi cum cæteris Legatis præfecit, qui cùm omnibus virtutibus sint cumulati, & in administranda Republica diu multumq; versati, te tamen socio atque adiutore libentissimè vtentur. Neque verò dubito, quin cùm tu me tui adeò studiosum intellexeris, & meum Legatum, & nostrorum Regnorum Antistites, etiamsi eos tibi minimè commendassem, fueris omni officiorum genere ornaturus, quod vt (interposita mea commendatione) facias cumulatius, à te amanter peto. Reuerend. in Christo Pater, quem vt fratrem charissimum habeo, Christus Iesus te Ecclesiæ suæ diu sospitem & incolumem conseruet. Olyssiponę 3. Calend. Octob. Anno M. D. LXI.

Hieronymus Osorius Episcopus Syluensis, Stanislao Hosio Cardinali Oecumenicæ Synodi Legato Apostolico. Epistola LXVIII.

De Haereticorum malitia & ignorantia & scripto Haddoni Angli haretici contra se edito.

LIteras quas ad me 14. die mensis Aprilis dedisti, quinto die Iulij Mensis accepi, quibus incredibili gaudeo cumulari potuissem, nisi mihi multa nunciarent, quæ magis erant lachrymis atq; luctu, quàm lætitiæ signis accipienda. Dicis te mirari, vbi literæ meæ annum latuerint, antequàm in manus tuas peruenirent, ego verò gratiam illis habeo, q; anno vertente è latibulis tandem emerserint, illud indignè patior, reliquas, quas scripseram, tenebris, vt video, sempiternis latuisse. Dabo tamen operam, vt aliarum literarum celebritate, earum, quæ periere, iacturam resarciã. In eo verò quod mihi de prouincia gratularis, equidem fateor in summis Dei beneficijs esse referendum, quòd vulgò Lutheri nomen ad sceleris tantùm detestationem frequenter in his oris vsurpatur (cùm enim scelestissimum hominem appellare volunt, Lutherum nominant) vis autè ipsius Lutheranæ pestis ignoratur. Itaq; etsi mihi certamen cũ adulteris, cũ hominib⁹ audacibus, & facinorosis, qui mihi graues molestias exhibent, institutum est, tamen cùm recordor neminem comparere, quem Lutherus aut Caluinus infecerit, summas Christo gratias mihi pro tam immortali beneficio semper agendas statuo, aliter ingrati animi crimen effugere non licebit. Si aliquis pietatis sensus resideret in hominibus, si flagitia & scelera non multis mentem eripuissent, si ratio non fuisset consuetudine diuturna immanitatis efferata, cuiuis facillimum fuisset, hominum perditorum amentiam argumento conuincere. Quid enim homines miseros in fraudem impellit? Morum castimonia? At omnes nouæ Religionis auctores, sunt in libidinem nimis propensi. Mansuetudo? At iam inauditis sæuitiæ & immanitatis exemplis, simulationem mansuetudinis amiserunt. Eruditione atque sanctarum literarum disciplinis? At Philosophiam odio persequuntur, Dialecticam aspernantur, literas sanctas ignorant, confusè & perturbatè loquuntur, conuiciorum procacitate, & gladiorum licentia errorem pestiferum & turbulentum communiunt. Et tamen adeò sunt impudentes, vt Euangelium à se in pristinum splendorem restitutum esse glorientur. Id scilicet Euangelium sancit, vt fides respuatur, vt leges negligantur, vt iura omnia proculcentur, vt insidiæ in Principes comparentur, vt Respublicæ intestina seditione lacerentur. Si non aliud argumentum pestiferi erroris extaret, tribus tamen indicijs, quilibet homo mediocri iudicio præditus eorum furorem animaduerteret. Primum est eorum intestina discordia, alterum Rerumpublicarum confusio, tertium flagitiorum in dies amplificatio. Neque enim Euangelium discordias serit, nec Respublicas perturbat, neque flagitiorum licentiam largitur. Cùm semel prolapsa mentiendi libido præcipitat, nunquam in vno loco resistit. Quocirca minimè admiror sepultas Arrij reliquias in vitam reuocari, & Anabaptistarum impiam sectam ab hominibus audacissimis instaurari, qui tandem eò progrediuntur, vt Deum tollere de mundo conentur. Sed quo magis hominum furor inualescit, eò maiores gratias Christo agendas existimo, qui in tam turbidis tempestatibus, te magistrum sapientissimum in Ecclesiæ istius gubernacula collocauit, vt contra fluctus atque procellas, contra pyratarum omnium immanitatem, CHRISTI nauim incolumem conseruares. Quamuis enim multos furor exagitet, multò tamen plures, vt confido, erunt, qui monitis & institutis, & diuinæ virtutis exemplis, quæ in te mirabiliter elucent, ab impietate deterriti, vitam ad veræ pietatis normam dirigant. Et quò plures in hoc vitæ cursu labores exceperis, eò in futura vita gloriam amplio-

pliorem consequere. Haddonus contra me styli mucronem exacuit, stingnam vibrat, ingenij vim totam, vt audeo profundit. Sed ego hominis leuis, & infantis, & furiosi conatus irrideo. Conuicia quibus homines isti pugnant, facillimè contemno. Quin etiam Christo Domino meo gratias ago, si pro nomine illius contumelias aliquando pertulero. Quod homines Societatis Iesu illuc peruenerint, & quod tibi operam strenuè nauent, merificè letor. Sunt enim summis virtutibus exculti, & acriter in studium probitatis incitati, & multum ad pestiferas opiniones euellendas idonei. Ego verò Pater amplissime, cùm me nomen virtutis tuæ amplissimum ad te obseruandum, & miro amore diligendum in principio vehementer allexisset, tum beneficijs in me tuis sic ardenter excitatus sum, vt miras in animo meo amoris accessiones fieri sentiam. Quare nunquam pro te & pro tuæ Ecclesiæ salute & incolumitate precari vt admones, desistam. A me quamuis multis laboribus & negotijs distineor multa scripta sunt, quibus nescio quando in lucem prodire licebit. Sed quicquid editum fuerit, ad te continuò deferetur. Christus optimus max. Amplitudinem tuam diutissimè conseruet. Lagis. XXVII. mensis Iulij Anno M. D. LX.

Dux & Gubernatores Reip. Genuen. Stan. Hos. Card. Epistola. LXIX.

Excusant se, quod tardius dignitatem Cardinal. gratulentur, & agunt gratias de officijs in Oratorem collatis.

ADmirabantur antea laudum tuarum omnium excellentiam, existimabamus q; id, q; erat summa tua virtute, summáque doctrina, nihil excellentius, nihil fieri posse præstantius: eò accedebat pietatis erga Deum, qua te flagrare, præclara illa tua monumenta testantur, præclara imprimis & perillustris opinio, quò fiebat, vt nihil esset tantum, quod quidem in te collatum, non à te ipso ornari posse videretur, cui rei argumento esse potuit. Quod cum singularis te prudentia Pij Pont. Max. in Cardinalium Collegium cooptasset, nósque & splendor tuus & cõsuetudo etiã hortarentur, vt quam voluptatem de tua dignitate maximè ceperamus, eam tibi litteris declararemus, officiũ negligere honorificentius visum fuerit, quam de persoluto virtuti tuæ præmio gratulari. Nuper verò cum de Bartholomeo Fliſco, qui rationes nostras apud Cæsarem procurabat, ornatissimo viro, nobisque in primis probato, singularia tua studia alacrémque erga nos animum perspexerimus, nos in dubium ipsius oratio reuocauit, vtrum admirabilis doctrina humanitati, an humanitas doctrinæ concederet, ac suspicati fuimus, cum te natura ad omnes partes benè audiendi finxerit, animi tui magnitudinem non tulisse, vt ab natura ipsa plus haberet, quàm tu tua industria quæsiuisses: iã vide, quàm sæpe fiat, vt incommodum vtilitas assequatur. Nos si negemus, à controuersia Finariensi satis magnam molestiam hausisse: prudentiam ostentemus potius, quàm verum ingenuè fateamur. ita multa quæ à Iure abhorrent, præter opinionem nostram acciderunt: ijdem nos, ne ingrati esse velimus, magnam ipsi controuersiæ gratiam habeamus, quæ quidem effecerit, vt tua causa non solùm velle, sed debere etiam omnia fateremur quod, quidem eò libentius faciendum nobis fuerit, quod præter id, quod nobis est commune cum multis, vt doctrinam, virtutem vitæ tuæ sanctitatem admiremur, hoc iam habemus ab humanitate tua, quod nos ornet, atque ad nos ipsos propriè referatur, quanti enim illud est. Card. Hosium, at quem virum? à quo nimirum Christiana Resp. ob diuinam scientiam pendet omnino, sentire ita de nobis honorificè nósque vltrò officijs, atque humanitate lacessere? tanti est, vt in eo penè sitam existimationem nostram arbitremur, postulare iam rerum ordo videretur, vt pro singulari officio tuo, singulares tibi gratias ageremus. Sed tua cum animi altitudo, tum verò dignitas ab hac nos mente deterrent, neque enim tu vel in dando beneficio gratiam, vel in accipiendo commodum spectas, vel officio fungendo spem, non officium ipsum sequeris. Id igitur faciemus, quod nostrum est, vt magnitudinem officij tui, si non referenda, at habenda saltem gratia, sustineamus. Vale Calend. Iul. M. D. LXI.

Pio Quarto Pontifici Maximo. Epistola. LXX.

Gratulatur de S. Concilio ad pridem optatum finem fœliciter perducto, & petit facultatem ad Ecclesiam suam Varmien. redeundi.

POst oscula pedum beatorum. Quod fœlix faustum, & fortunatum Deus esse velit, cum ipsi S. Vestræ, tum Ecclesiæ suæ vniuersæ, cuius Vestra Sanctitas CHristi vicem in terris gerens, Pastorem & Rectorem agit vigilantissimum, iam tandem Sacrum Concilium hoc, ad pridem optatum finem perduci videtur. Quo nomine S. Vest. plurimum gratulor. Cui enim Quintus ab eo Pontifex numeretis, qui primus hoc in loco S. Concilium hoc indixit, præ cæteris te Deus elegit, per quem extremam huic operi suo manum imponeret. Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV CHristi, pater misericordiarum, & Deus totius cõsolationis, qui consolatur nos in laboribus nostris: cuius benignitate factum est, vt in diebus nostris expetitum ab omnibus Concilij finem iam tandem propè nobis videre liceat. Huius misericordiam supplex imploro, talem vt istius Concilij largiatur exitũ, ex quo sperato & optato tantorum laborum fructus cõsequi &

Universidad de Deusto
Biblioteca

varijs tempestatibus atque procellis grauiter admodum iactatam & agitatam Ecclesiæ nauem, ad pridem desideratum tranquillitatis portum perductam videre queamus. Quoniam verò post operam hanc vniuersæ Ecclesiæ corpori præstitam, cogitandum cuique erit, vt suo quoque priuatim sibi concredito gregi non desit, & illius saluti præsens prospiciat, suumque ministerium impleat, me tanto maior eius rei sollicitudo premit, quanto & longius absum à grege meo, & quanto magis eum in grauissimis quibusque periculis versari video. Sextus iam annus agitur, cum illum à Paulo IIII. Pont. fœlicis record. vocatus reliqui corporali præsentia mea destitutum. Quam cum is à me vehementer expetat, & cum nuper etiam non solum à Clero meo vel à grege mihi commisso, verumetiam ab omnibus terrarum Prussiæ Consiliarijs in Comitijs Torunensibus congregatis literas acceperim, quibus vt primo quoque tempore ad terras illas accedam, & officium illis meum præstem, ingenti studio à me cõtendunt, huic vocationi deesse non posse videor. Quãobrem ad beatos S. V. pedes, venerabundus procido, atque ab ea supplex peto, protestatem hanc mihi concedere velit, simul vt quod breui futurum speramus, & optamus, Concilium hoc fuerit fœliciter absolutum, vt ad gregem meum, qui tantoperè expetit meam præsentiam, hinc mihi recta proficisci liceat. Quid S. V. debeam, non ignoro, nec deest ardens desiderium illam visendi, illius beatos pedes exosculandi, illi pro tantis beneficijs, quibus me pro bonitate sua magis, quam pro meritis vllis meis cumulauit, si non eas, quas debeo, saltem quas possum gratias agendi, quoniam tamen rationes meæ non ferunt, sed quid dico rationes meæ, absit vt meas vnquam rationes tanti faciam, vt illas vel officio, quod S. Vest. debeo, vel publicis rationibus anteponendas putem. Cum itaque non meæ priuatæ, sed Ecclesiæ meæ terrarúmque Prussiæ publicæ rationes non ferant, quarum & Episcopus sum & Cõsiliarius, vt absim ab illis diutius, iterum atque iterum supplex à S. V. peto, hanc vt veniam concedere mihi dignetur, quo semota quauis cunctatione, liceat mihi S. Decreto, quod proximo superiore mense Iulio latum est, peracto S. Concilio hoc, satisfacere. Quam fidem Deo primum, deinde verò Vestræ quoque S. quæ vicarium illius in terris agit, præstiterim annis his aliquot, quibus me quam libet indignum Legatione pro se fungi S. V. voluit, quos labores sustinuerim in his quæ vel ad fidem Catholicam tuendam, vel ad V. S. Sanctæque sedis Apostolicæ dignitatem propagandam pertinere videbantur, ex aliorum sermonibus, quam ex meis literis V. S. cognoscere malo. Ingenio me non abundare fateor, sed neque prudentia, neque doctrina tantum valere, quantum hoc munus, quod mihi mandatum est à S. V. requirere videbatur: Sed interea nemini concedo, maiore vt fide studio, voluntatéque promptiore, quæ debeat omnia præstare, fuerit paratus, quam ego. minora tamen sunt omnia. Quin si multò plura fecissem, nec in vlla re muneri meo defuissem, fuissent nihilominus omnia minora summis meritis & beneficijs in me S. V. Nec quicquam aliud, quàm seruum me fuisse inutilem profiteor, quin etiam esse me agnosco. Cum igitur pro tantis beneficijs pares illi gratias agere me non posse videam, ad illum confugio, apud quem copiosa merces est, atque ab illo supplex peto, vt quod à me debetur, neque persolui potest, ipse retribuat, ac S. V. pro singulari Ecclesiæ suæ consolatione quam longissimo tempore seruet incolumem, illius consilia gubernet omnia, & eorum semper fœlicem progressum & exitum largiatur. Ego verò quamlibet magno locorum interuallo diiunctus à S. V. fuero, semper tamen animo sum coniunctissimus futurus, nec illius tantorum beneficiorum memoriam vnquam ex animo meo aboleri patiar. Quam fidem, quod studium, quam obseruantiam erga se meam S. V. paucis annis, quibus opera mea vti dignata est, perspectam & probatam habuit, eandem deinceps etiam, quod spiritus hos reget artus, quin & maiorem, si fieri possit, perspiciet, quoties id vel Catholicæ fidei professio, vel S. Sedis Apostolicæ propugnatio postulare visa fuerint. Nullum est tantum discrimen, quod non alacriter subire, nulla tanta difficultas, quam non constanter perferre, nullum tantum certamen, cui non intrepidè me prius offerre sim paratus, etiamsi eundem illum gustare me calicem oporteat, quem amarissimum ante nos biberunt saluatoris nostri Domini Iesu Christi Martyres, illo vires suppeditante, non modo non mihi fugiendum, verum etiam expetendum esse prius putabo quàm officium hac in parte meum ab aliquo requiri patiar. Hoc sibi de me S. V. certò polliceri potest. Non quod viribus ipse meis confidam, quæ quàm sint imbecilles, non sum nescius, sed quod summam in Dei misericordia spem & fiduciam collocatam habeo, quod sicut voluntatem dedit mihi promptam, sic & facultatem suppeditabit, quo possim & facere & pati omnia, quæcunque pro sui nominis gloria, pro Ecclesiæ vtilitate, pro S. Sedis Apostolicæ dignitate, facere & pati visum fuerit necessarium. Datum Tridenti. XVIII. Nouembr. M. D. LXIII.

Pius PP. IIII. Pont. Max. Epistola LXXI.

Dilecto filio nostro Stan. S. R. E. Presb. Card. Varmien vocato in S. Concilio Trident. Apostolicæ sedis de latere Legato.

Agit gratias de nauata in Concilio opera & facultatem ad Ecclesiam Varmien. abeundi concedit.

DIlecte fili. Salutem & Apostolicam benedictionem. Vehementer optatum nobis fuit, vt post impositum superno fauore finem sacro isto Concilio ad nos redires, vt te, quem inter fratres nostros eximiè diligimus, complecteremur, & tibi coram gratias ageremus pro tantis laboribus, quos in ipso Concilio nostræ & Apostolicæ sedis Legatus suscepisti: Ea te vultus & animi lætitia

lætitia, fili, fuimus excepturi, quam singularis erga te amor noster postulat, eas verò gratias acturi, quæ tantæ tuæ erga Deum pietati, tantæ erga sedem Apostolicam deuotioni ac fidei, tanto denique studio, curæ, diligentiæ, in commisso tibi Legationis officio adhibitæ debetur. Nec verò mediocrem fructum percepturi fuimus ex præsentia tua in hoc seruitutis Apostolicæ munere, quod sicut Domino placuit, nobis licet immerentibus, & tanto oneri imparibus, commissum fuit, obeundo ac sustinendo, quin opera & consilij tui auxilium tanto nobis oportunius futurum fuit, quanto maiora animi virtutumque dona bonorum omnium largitor Deus in te contulit. Sed quando Ecclesia tua, à qua diu abfuisti primum à fœlic. record. Paulo IIII. prædecessore nostro euocatus, deinde à nobis ad Concilium missus, tantoperè reditum tuum efflagitat, tantóque desiderio & studio flagras, commisso tibi gregi præsens officium, ac pastoralem sollicitudinem præstandi, præsti & omni laude dignæ voluntati morem quin geramus, facere non possumus, scientes quantoperè gregi tuo his tam miseris periculosisque temporibus excubiæ tuæ salutares futuræ sint, quantóque vsui futura sit excellens authoritas & doctrina tua, tam insigni probitate ac religione cõiuncta, non solum ad continendos in fide Catholica bonos & deuotos Ecclesiæ filios, qui in illis partibus sunt, sed etiam ad multos, qui hæreticorum fraudibus abducti sunt, supernæ misericordiæ auxilio, ad vnitatem Ecclesiæ & Orthodoxæ veritatem fidei reducendos. Quamobrem humilibus tuis precibus inclinati, cum peractum Concilium fuerit, discedendi tibi potestatem concedimus: & quoniam te complecti præsentem non possumus, absentem animo & cogitatione complectimur, gratias tibi debitas agentes, Quod tanta cura, fide, dilgentia, officio tibi commisso functus es, vt nobis & fratribus nostris cumulatissimè satisfeceris, bonorum verò omnium remuneratorem Deum orantes, vt pro tuis erga Religionem Catholicam, & vniuersalem Ecclesiam meritis, ac pro singulari erga nos & hanc sanctam fidem deuotione præmia tibi talibus propolita meritis tribuat, & ad Ecclesiam tuam redeuntem, atque in ea residentem gratia & protectione sua perpetuò custodiat. Deferentes autem tibi omnia quæ à nobis proficisci possunt, ad tuum & ipsius Ecclesiæ commodum, eáque præstare summo animi studio parati, rogamus charitatem tuam delectissime fili, vt pijs precibus tuis diuinæ Maiestati nos assiduè commendes. Datum Romæ. 4. Decemb. M. D. LXIII. Pont. IIII.

Ioanni Francisco Card. Commendono. Epistola. LXXII.

Laudat quod legendis priscis Doctoribus dat operã, & suum peccatum confitetur, quòd multum temporis impendat legendis hæreticorum nænijs cognoscendis.

NAudo consilium R. D. Vestræ, quod in priscis Doctoribus legendis, bonas horas collocare mauult, quàm easdem perdere libros hæreticorum legendo. Certum est, quod illorum lectione multum homo cpoficit, non solum in doctrina, verum & in pietate. Non dubito autem, quin Athanasium quoque legerit. Sed quoniam quædam sunt in eo maximè ad hæc nostra tempora accõmodata, quæso ne grauetur legere, quæ scripsit de synodis Arimini & Seleuciæ celebratis, & ad solitariã vitam agentes. Sat scio, quod eorum lectione multum recreabitur, & adiuuabitur. Ego verò peccatum meum confiteor, quod multum temporis impendo in legendis hæreticorum nænijs, quacunque tandem lingua scriptæ sint. Nam & Trinitariorũ & Suermerorũ siue Sacramentariorum altercationes in Regno legi, & fatebor hoc quoque, quod non molestè fero has inter eos tantas contentiones excitatas esse. Nam fore puto, vt cùm viderint homines, quem sit finem hæc ab Ecclesia Dei discessio cõsequuta, redire paulatim ad eam incipient. Quod etiam in terra Craccouiensi factũ â nõ paucis audio nos audio tantũ, verũ & lego in libello cõsolatorio cuiusdam Suermeri siue Sacramentarij, cui nomen est Sylulo: qui multos ad Papatũ redijsse queritur propter hanc Trinitariorum sectam. Itaque non mediocrem ex eo dolorem capio, quod audio pium & sanctum decretum Regiæ Maiest. de pellendis ex Regno saltem externis ministris in Conuentu Parczouien. auctore R. D. V. lato ad paucorum quorundam instantiam, esse nuper abrogatum, vel saltem ita declaratum, vt nolint illud pertinere, præterquàm ad Solos Trinitarios: Quasi verò Suermeri siue sacramentarij, quin & Luthreani, quos tamẽ esse iam paucos in Regno dicitur, non æquè sint hæretici atque Trinitarij. Quid hoc est aliud, quàm hæreses alias omnes approbare: quandoquidem sola Trinitariorum est, quæ damnatur & profligatur. Hoc laborare video sacramentarios, vt maius robur acquirere possint, cum non habuerint, quibus cum pugnent, Trinitarios, vt sic minore suo periculo cum Papistis manus conferre possint. Vtinam autem efficere queat, R. D. V. vt aut nulli pellerentur hæretici, aut omnes. Melius est enim, quod ipsi mordeant inuicem & comedant, atque ita consumantur ab inuicem, quam vt, si alterutris maiora aliqua vis erit facta, conspirent inter se, factóque sinceretismo, tanto maioribus viribus oppugnent nos. Missæ sunt mihi nuper Craccouia quædam Ochini lucubratiunculæ, inter quas vna est Regiæ Maiestati dicata: Quo pacto tractandi, & quando occidendi sint hæretici: Quemadmodum ait hominem ad Dei imaginem creatum, si innocens & sanctus est, interficere, summæ crudelitatis est: ita eiusdem ne dicam maioris crudelitatis est, impium hominem, si mortem meritus, est non interficere. Magnam crudelitatem esse censet Ochi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus, quod à Regia Maiestate non interficiuntur hæretici: qualis est ipse, & omnes alij, qui discesserunt à nobis. Saltem hunc audiret Maiestas eius, ac si nollet interficere, quod nec nos optamus, exigeret è Regno suo saltem externos istos Sathanæ ministros. vix mihi quic quam in vita mea legisse videor pernicioſius his, quæ scribuntur ab hoc Ochino: qui tantum vno peccatillo videtur laborare: neque enim credit in DEVM. Fingit se defendere in multis doctrinam Ecclesiæ, & intereà prævaricatorem agit nequissimum. Nam fortissima quæque argumenta tribuit aduersario, & simulat se velle defendere sententiam Catholicam de adoranda Trinitate, deque nonnullis alijs, atque ita posteà discedit, vt victus esse videatur. Omnes priscas hæreses ex orco reuocat, præcipuè contra sanctissimam Trinitatem. Quam se credere fingit, vt si quis velit eum hæresios condemnare, dicere possit, se defendisse Catholicam sententiam, neque potuisse melius. Quod etiam in præfatione libelli scribit, quem domino Palatino Vilnensi dicauit. DEVS misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos, conuertat nos & auertat iram suam à nobis. Nam si vnquam antea, nunc opus est illius misericordia, & præsenti auxilio. Datum Heilspergæ. XIIX. Nouembr. Anno M. D. LXIV.

Carolo Cardi. Boromæo Archiepisc. Mediolanensi.
Epistola LXXIII.

Perscribit sermonem cum Rege habitum, de non tolerandis in Regno hæreticis, de progressu & diuersitate hæreticarum opinionum.

FVi per sesqui horã in oppido Lomzensi cum Regia Maiest. Poloniæ, Cui cũ & incolumem valetudinẽ essem gratulatus, & quæ debentur à me obsequia detulissem, vicissim illius Maiestas longa oratione mihi quoque reditum incolumem, & dignitatem hanc sic est gratulata, magnam vt ex ea re capere voluptatem ostenderit. Posteà semotis arbitris pluribus, egi cum illius Maiestate de grauissimis periculis Regno illius incumbentibus, operam illi meam in propulsandis illis pro virili mea detuli, paratum me esse ostendi, vitam etiam cum sanguine profundere, dummodo morte mea salus Regni repræsentari posset. Vidisse me dixi edictum contra hæreticos scriptum. Verum quod soli ferè Trinitarij comprehendantur hoc edicto, mihi probari non posse. Hoc enim à Sacramentarijs agi, ipsorum vt secta vigeat à qua cum alienatos esse multos intelligant, & in dies etiam alienare plures propter exortam hanc Trinitariorum sectam, aut extinctam illam cupiunt, aut in suas partes pertractam, quo sic viribus coniunctis magis formidabiles Catholicis esse queant. Quamobrem aut omnes hæreticos ex Regno simul exterminandos, aut si ferendi sunt aliqui, ferendos esse censui Trinitarios quoque, quo sic mutuis dissidijs ipsi potius ab inuicem consumerentur, quàm vniti plus aliquid Catholicis negotij exhiberent. Cupere me simul vt omnes expellerentur ministri saltem. Nam si Nobiles essent Ministris destituti, per quos varijs & peregrinis doctrinis abducuntur, non magno negotio paulò post eos ad officium sanitatémque reduci posse. Petebam itaque ne vel huius, vel illius sectæ fieret in Edicto Regio mentio, sed simul eijcerentur omnes illi Ministri, quicunque non essent ab Ordinarijs Episcopis instituti, ne si vna aliqua sola secta condemnaretur, approbari cæteræ viderentur. Quoniã verò satis illud perspiciebam, difficulter id obtineri posse, vt omnes Ministri simul ex Regno eijcerentur. Ac si plurima ea de re edicta scriberentur, exequutioni tamen mandata nõ iri, dixi Maiest. illius, me cupere quidem omnes eijci, si difficulter hoc præstari posset, non improbari mihi consilium hoc illius Maiest. quod externos tantum expelli vellet, siue hi essent Germani vel Heluetij, siue Galli, siue Itali, Nam non solum Catholicos, verum & ipsos hæreticos queri, quod Regnũ illius Maiest. factum sit asylum improbissimorum quorundam hominum, etiam eorum qui Christum Deum esse negant, quosque ipsi expellunt Geneua, & ex alijs quibusdam Ciuitatibus Heluetiæ eis in hoc Regno non solum receptũ, verũ etiã honores magnos haberi, nõ sine magna & Maiest. illius, & Regni totius infamia. Legisse me, quæ scribunt ea de re ministri Tigurini, tum & Heidelbergen. quæ sunt à Caluino quoque & à Simlero quodam hac ipsa de re typis edita. Pudere me vehementer quoties & lego & audio Regnũ hoc, quod sexcentis annis iam Catholicum semper fuit & Orthodoxum: nec vllialij vera pietate erga Deum & religione colenda cessit, nunc demũ ita traduci per vniuersum Orbem Christianum, quasi factum sit asylum impurissimorũ quorumque hæreticorum: pertinere hoc etiã ad ipsius Maiest. infamiam. Sed nec illud me ignorare, quod maximè laborent sacramentarij Geneuenses, Tigurini, Heidelbergenses, & qui sunt etiam in hoc Regno viri nobiles aliquot, vt eijciantur Trinitarij, quasi propter illos tantum Regnum hoc infame sit, cum non maiorem illi pariant infamiam & sacramentarij & Lutherani, & quicunque tandem alij. Quamobrem nihil posse statui melius, quam vt omnes externi Ministri Ecclesiarum cuiuscunque tandem sectæ sint, exceptis sacerdotibus Catholicis proscribantur & exterminentur ex omnibus terris Maiestatis eius. Sic futurum vt nulla videatur approbari, sed ex æquo condemnentur omnes. Apud me nullum esse discrimen inter Lutheranos, Zuinglianos, & Trinitarios omnes ex patre Diabolo prognatos, nec vnum alio meliorem esse. Inter alia dixi & hoc Maiest. eius, me legisse quæ Trinitarij scribunt: simul etiam quæ sacramentarij contra illos. Reperisse me in quodam Trinitariorum libello quandam admonitionem ad ministros, Tigurinos & Caluinum. Hortantur eos, vt respiciant diligentius ea quæ Dominus illis nondum aperuit. Non dederat, inquiunt

inquiunt, omnia Luthero plura dedit, posteà Zuinglio, & post eum alijs, Dat & nunc cui vult, Non vno centenario annorum Antichristus suum Regnum stabiliuit, omnia capita fidei corrupit, & fundamentum illæsum ab illo putaremus. Fundamentum appellant doctrinam de Trinitate. Sed hoc eorum argumentum sic à Tigurinis Ministris refellitur, vt neget vniuersam Christianam fidem in Papatu tam esse corruptam, quam illis videtur. Nam si sic sentiendum est, aiunt, reijciendæ erũt sacræ literæ, reijciendum symbolum Apostolicum & Nicænum: hæc enim in suis Ecclesijs legunt & canunt Papistæ. Cæterùm omnes hæreses, quemadmodum etiam à Cypriano scriptum legimus, non aliunde natas esse docui, quam ex eo quod vni sacerdoti, qui Vicarium in terris agit CHRISTI, non obtemperatur, & ab illo per summum sacrilegium se præcidunt homines seipsos amãtes, & priuato sui quã publico totius Ecclesiæ iudicio plus tribuentes. Iam inde ab initio cum per Lutherum seditiones has in Ecclesia Dei Sathanas excitasset, non eum alio spectasse, quàm ad hanc Trinitariorum hæresim statuendam, nisi quòd initio non putauit ab his ordiendum, quæ statim vt audita fuissent, horrorem animis hominum incussissent. Quorum tanta fuit aliquando pietas, tantus in religione tuenda Zelus, vt si quis vel de sacrificio, vel de sacramentis, de veritate CHRISTI corporis in Eucharistia vel minimum ambigere fuisset ausus, statim in eum manus iniecturi, & Vulcano tradituri fuerint. Itaque facilius minor éque negotio se quamuis impia dogmata posse mentibus hominum instillare putauit, si prius à quibusdam in speciem leuioribus esset exorsus, quale est, Calix & Coniugium sacerdotum, quæ talia iudicantur, nihil vt in illis impietatis esse videatur, etiamsi priuata sibi quis authoritate ea vsurpet. Sed Sathanam hoc maximè spectare, vt assuescat homines in exponenda scriptura suum sensum Ecclesiæ sensui & consensui anteponere, Quod vbi quis ausus fuerit, in vno aliquo scripturæ loco facere, iam impediri non poterit, quominus idem in omnibus etiam alijs audeat. Verbi gratia. Audit quis ita scripturam hanc interpretari, Bibite ex hoc omnes, quasi præceptum sit omnibus à CHRISTO, etiam laicis, vt bibant ex calice, nec aliter salus eis esse liceat, quod in hoc sensu clara sit & perspicua, mox audebit ille idem etiam hanc scripturam, Pater maior est me, sic interpretari, quasi non sit æqualis Patri Filius, & creatura tantum sit, non autem Deus. Quo sensu non minus clara visa est etiam hoc nostro infœlici sæculo hæc scriptura nonnullis, quàm videtur quibusdam illa, Bibite ex hoc omnes. Quamobrem si quis errare non vult, Ecclesiam ducem eum sequi debere, non autem sui cordis visiones, cum scriptum sit, Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Obijciunt Sacramentarij Trinitarijs, vetustatem, Concilia, Patres, quod non sit ab illis temere discedendum. Sed respondetur à Trinitarijs, Cauete vobis à Gabaonitis qui imponebant populo Dei lautis vestibus, & immundo pane &c. Sub nomine Dei nostri se venire dicebant, & impositum esse ab eis populo Dei scriptura dicit, quòd non consulerent os Iehouæ. Non imponant nobis Patres, Vetustatem, Concilia. Vetusti sunt enim isti panni, quos primo vos laceratis in alijs articulis fidei. Vnus sit magister noster CHRISTVS, os Iehouæ consulendum, non hominum. Sunt etiam hic plærique Gabaonitæ, qui vobis imponunt, amicos se profitentur, & nihil aliud interea optant, quam vt populum Dei ad Ægyptum reducant varijs modis ex Confessione Augustana, Quod vobis posteà Dominus patefaciet. Sic agunt cum Trinitarijs sacramentarij, opponunt illis Patres, vetustatem, Concilia, sed respondent illi: Vetustos esse hos pannos, quos ipsi primo laceraverunt in alijs articulis fidei. Nec ineptè respondere videntur. Nam reuera si licet hos vetustos pannos, Patres, vetustatem, Concilia in vno aliquo fidei articulo lacerare. quis prohibere poterit, quo minus idem liceat & in alijs. Mihi responsum hoc Trinitariorum valdè probari dixi, quamuis eorum doctrinam impiam iudicem. Sed aptius certè respondere non potuerunt. Nam hoc est, hæreticorum esse, & inde manat omnis impietas, cùm à Patribus, à Concilijs, à vetustate disceditur, cùm isti vetusti panni lacerantur. Hæc & alia plæraque in eandem sententiam dixi. Et audiuit me Maiestas illius magna cum attentione. Sibi quoque dixit idem visum fuisse, vt omnes potius externi Ministri, qui templa occuparunt, proscriberentur Edicto Maiestatis eius, quam soli Trinitarij. Nam expedire, vt habeant suos etiam alios aduersarios Sacramentarij præter Catholicos, Cum bellum hæreticorum pax sit Ecclesiæ. Itaque sic edictum illud conscriptum iri. De libertate Ecclesiastica non fuit tum locus agendi cum Regia Maiest. pluribus, sed agi cũ procancelliario voluit, quod etiam factum est à me, verùm non ita magno fructu, quod ille rescindi posse negaret, quæ semel essent in Comitijs constituta. Deindè verò, si maximè secus esset scriptum aliquid, & correctum illud, q; ibi decretum fuerat, nihil inde Clero lucri accessurum. Se verò magna ignominia affectum iri, si compertum foret, secus aliquid, postea scriptum esse, quàm constitutum in comitijs fuerat. Egi etiam cum illius Maiestate de his, quæ per me fuerunt acta in oppido meo Braunspergen, Nam sparsus erat rumor Dantisci, & alibi, quod ego magna vi & & austeritate vsus fuerim, Quod confiscare bona Ciuium voluerim, cum tamen ab ea cogitatione longissimè abfuerim. Itaque quibus rationibus cum illis egerim, commemoraui, Nulla me vi vsum esse, verùm persuasionibus tantum, quibus illi tandem locum dederint, esse quidem ita, quod illis apertè renunciauerim, si quis communione Sacramentorum cum reliquis in oppido meo Catholicis vti nollet, nec eodem quo illi ritu Sacram Eucharistiam percepisset, futurum vt omnes pij meo interdicto vicissim ab eorum communione abstinerent, nec vel cibum cum illis caperent, Vna cum capitulo meo vt ibi locum vllum habeant, aut vlla commertia exerceant. Quam ipsi sen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentiam de se tulissent, eam me esse confirmaturum. Separarent se in communione sacramentorum, essent in omnibus separati, nec quicquam haberent commune cum subditis meis, Appagerent se ex oppido hoc meo, & ad quemcunque alium Dominum se reciperent. Itaque dixi nihil in eos noui statui, sed quam ipsi de se tulerunt sententiam, vt essent extra communionem eam, confirmaui. Nisi quod non opus erat, præterquam in vnum & alterum eam sententiam ferre. Probauit Maiestas illius factum hoc meum. Mihi hæc ratio, inquit, plurimum probatur, prius vt homines doceantur, quam aliquid in eos durius consulatur. Et vellem vt ferret synodus Prouincialis, ad quam vocarentur etiam Secretarij, atque omnes rationes inirentur, quibus de sententia sua deduci, & ad vnitatem Ecclesiæ possent aggregari. Tum ego. Absit, inquam Serenissime Rex, vt synodus talis habeatur. Nam ego nunquam cuperem illi interesse. De fide nihil statuendum est, nisi in Oecumenicis Concilijs, quale nostris temporibus indictum Tridenti fuit, ac viginti ferè totos annos durauit, nequeta-men quisquam hæreticorum ad illud vnquam venire voluit. Catholicam Ecclesiam Concilium Oecumenicum repræsentat. Quamobrem in eo, non autem in aliquo Prouinciali, vel Nationali Concilio de his, quæ pertinent ad fidem Catholicam, statui debet. Nos profitemur in symbolo credere, nos Ecclesiam Catholicam, non Polonam, non Lithuanam, non Germanam. Velle autem seorsum aliquid in aliqua Prouinciali synodo statuere, quid aliud esset, quàm hunc articulum fidei tollere, Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, & loco illius dicere, Credo non sanctam Ecclesiam Polonam? Quando autem finis erit disputandi, si quæ toties in Concilijs Oecumenicis decreta iam sunt, ea nihil ominus in controuersiam vocari debent? Hoc potius agendum est ab his, qui summa cum potestate versantur, vt quæ decreta sunt in Concilijs, exequutioni mandari possint. Quærebat ex me Maiestas eius, Quid causæ est, Quod nullos Protestantes miserunt ad Concilium? Respondi, Me nullam aliam videre, nisi quod causæ suæ non fidebant, seque do non ad singulas etiam Ciuitates maiores missi fuerunt à Pontifice Nuncij, quorum etiam vnus hic præsens adest. Quale responsum tulerint proculdubio Maiestas Vest. non ignorat. Deinde datus illis erat saluus conductus, qualem ipsi cupiebant: nec erat quod vllum periculum reformidarent. Sed notum est illud, Qui male agit, odit lucem, cùm essent sibi conscij suæ peruersæ doctrinæ, nec eam se tueri posse scirent, non ausi sunt in lucem prodire. Quærebat ex me, quas tamen illi causas adferebant, Cur venire nollent, aut suos mittere? Consuetas illas, inquam, Quod non esset ab Imperatore Concilium indictum, quasi verò sint omnia Regna Imperatori subiecta, vt ipse possit Concilium indicere, aut quasi ad illum hæc indictio pertineat, cum tamen ipse Imperator libenter agnoscat Pontificem, tanquam superiorem, & iure hoc indicendi Concilium vltrò cedat. Mirum est, inquam, quod isti homines tam sunt arrogantes, vt quorum iudicio se subijcere vident Imperatorem suum, ab eis iudicari de doctrina sua nolint. Fuisse & alias quasdam ab illis causas adductas, sed eas friuolas. Deinde legisse me libellum cuiusdã sacramẽtarij, qui inscribitur, Victoria veritatis & ruina Papatus Saxonici, in quo gloriatur, quædam Lutheri, qui se Papam fecit in Germania, suæ Confessionis Augustanæ dogmata iam esse proculcata. In eo libello præscribuntur à sacramentarijs eædem leges Lutheranis, quas Lutherani scribunt Christianis, quos vocant Papistas. Nam sicut Lutherani nolunt habere Episcopos Iudices, quod eos actores esse dicant: sic & Sacramentarij primam hanc ponunt legem, Superintẽdentes Lutherani volunt absolui ipsos (Catholicos Episcopos intelligit) à iureiurando, quo sunt obstricti Pontifici: Sic & sacramentarij statuunt hanc alteram legem, Superintendentes & Doctores Lutherani laxentur à iuramento quod præstiterunt, in noua quatuor Euangelia, in malè intellectam Augustanam Confessionẽ in Apologiam, in Articulos Smalcaldicos, in agendas Ecclesiasticas. Tertiam ponunt legem, solum Dei verbum sit Iudex, quod etiam in ore semper est Lutheranis: Quartam, Tot numero sint Lutherani, quot Zuingliani, & habeant paria decisiua suffragia. Quintam, Detur vtrique parti saluus conductus, Sextam, Aboleantur omnes illegitimæ: condemnationes, quæ à tempore Lutheri ad hunc vsque diem contra Tigurinos latæ sunt. Quod idem fieri cupiunt Lutherani, de condemnationibus, contra se latis. Septimam, Si componi partes non possint, transactio instituatur Passauiensis, & addunt coronidis loco, quod nobis volumus fieri, etiam alijs facere debemus. Sic dixi, Quas leges dant Christianis Lutherani, vicissim easdem illis præscribunt Sacramentarij, quas tamen Lutherani non recipiunt. Multus mihi fuit sermo de eo, Quod Episcopos Iudices recusarent, quòd solum Dei verbum Iudicem esse vellent, cum tamen, qui iudicium proferre debet, eum voce vti oporteat, quod scriptum DEI verbum facere non potest. Videat autem, dixi, Maiestas Vestra quale sit hoc, si quis dicat, Nolo quod me Rex vel ab eo Iudices instituti iudicent, sed iudicent me statuta siue leges Regni, illas audiam. Poterit ne statuta siue Leges proferre sententiam, quæ audiatur & cognoscatur, cùm has ipsas leges pro suo quisq; commodo interpretetur, nisi id fiat voce illius, penes quem est eius rei potestas. Cum præclarè scriptum sit à quodam Ethnico, Quod lex est mutus Magistratus, Magistratus verò lex loquens. Oportet igitur à Magistratu sententiam proferri. Tum Rex, Certè perquam simile est hoc. Nam experior, quod etiam nunc vnusquisque vult interpretari statuta Re-

Regni iuxta sensum suum. Sed est necesse, vt penes Magistratum sit earum interpretatio, & quem ille protulerit, is esse legis sensus iudicetur. Ita est, inquam. Absurdissimum est igitur, quod isti tantoperè contendunt, Solum vt DEI verbum vt sit Iudex, eum hoc ipsum Dei verbum pro se quisque trahat, vt necessariò illud ab illis quibus hæc à DEO potestas est concessa, explicari & definiri oporteat. Cùm scriptum sit, Labia Sacerdotis custodiunt sententiam, & ex ore eius legem requirent. Hæc ferè per tempus illud cum Regia Maiestate egi. Datum Heilspergæ. XV. Iunij. Anno M. D. LXIIII.

Pio V. Pontifici Maximo. Epistola LXXIIII.

Gratulatur illi Summi Pontificatus dignitatem.

BEnedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui posteaquam viam vniuersæ carnis ingressus est Pius IIII. Pontifex, cuius memoria sit in benedictione, nos modicum contristatos & orphanos relictos celeriùs opinione nostra consolari, de tali Pastore nobis prouidere dignatus est, qualem præsens hoc sæculum requirere videbatur, vt rectè possimus illud vsurpare, quod est in prouerbio, DEVM ex improuiso nobis apparuisse: nam à Domino factum est istud, cùm non ex hominibus, neque per homines, verùm per DEI Spiritum hæc facta sit electio. Quis enim piorum non vehementer trepidabat? quis non erat animo cumprimis anxio & sollicito? cum quo tempore maximè Pastoris indigebamus, & Imperij & Regni huius Comitijs instantibus eripere nobis eum, & ad se vocare visum fuit, tetræ quædam tenebræ cœcæque nubes & procellæ impendere videbantur, sub quod tempus cùm esset gubernator sublatus, quid aliud quàm terribile naufragium ab omnibus expectabatur, cum præsertim non rarò factum esse meminissent, vt in longum extraherentur ea Comitia, quæ fuerunt eligendis Pontificibus instituta. Quod si nunc etiam accidisset, neque citra moram aliquam longiorem vnus ille fuisset à DEO constitutus, per quem ei visum est, vnitatem in Ecclesia conseruare, quis erat qui non metueret, summam esse rerum omnium confusionem secuturam. Ecce autem in hac tanta piorum omnium trepidatione subito discussa caligine noua lux affulsit, ac derepente nobis apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri DOMINI IESV CHRISTI, qui quamuis aliud peccata nostra merebantur, eorum tamen immemor, memor autem infinitæ misericordiæ suæ, de tali nobis Pontifice prospexit, qualé his tam perturbatis temporibus optare magis quàm spere licebat, qui ad eum proximè accederet, qui cœlis excelsior factus est, vt cuius vicem in terris gerit, eius exemplum sibi proponeret imitandum, eiusque sanctis vestigijs incedere conaretur, omnia prius & facere & pati paratus, quàm vt quidquam de ea cura, labore, diligentia prætermitteret, qua cupit eius gregis incolumitati prospectum, quem non corruptibili auro & argento, sed precioso sanguine suo redemptum CHRISTVS ipse fidei suæ concredidit, quem non doctrina magis, quam exemplo pascere, nec illi docendo tantùm, verùm & viuendo præire promptus & paratus foret, cùm hac vtraque re sic excellat, vix vt statuere quisquam possit, doctior ne sit an sanctior. Ego verò DEO, cuius hoc solius beneficium est, immortales ago gratias, quod nos oculis misericordiæ suæ respexit, ac talem nobis Pontificem de cœlo misserit. Vestræ verò Sanctitati tam excelsum locum hunc, quo nullus in terris sublimior est, gratularer, nisi certò scirem, quòd eum refugiendum semper esse potius, quàm appetendum iudicauit, cùm non minus oneris in eo, quàm honoris esse perspectum haberet. Quid enim ex eo Sanctitas Vestra consecuta est, quàm curas, sollicitudines, labores, & molestias, quibus nunc multo grauioribus premitur, quàm vnquàm antea, dum omnia sua, quin & salutem ipsam Ecclesiæ quam gubernandam suscepit saluti postponenda putat. Quamobrem ipsi potius gratulabor Ecclesiæ, cui tam benignè DEVS prospectum esse voluit, quem supplex precor, vt confirmet hoc quod operatus est, & quam spem de Sanctitate Vestra pij conceperunt omnes, eam stabilem & ratam esse velit, simul conseruet ac viuificet Sanctitatem Vestram, promisisque sui memor, aduersus eam portas Inferi præualere non permittat, quin illud præstet potius, vt videamus, illa clauum rectè tenente, subuersam Babylonem, in qua tanta est linguarum & opinionum confusio, ædificatam autem vel restauratam potius Ciuitatem Hierusalem, cuius participatio in idipsum, vt congregatis dispersionibus Israël, vnus facti grex, vnum sub eo, qui sub aspectũm non cadit CHRISTO Pastore, Pastorem & Episcopum animarum agnoscentes, vno ore vnanimes glorificemus omnes DEVM, & Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, qui nobis tantam hanc dedit fœlicitatem. Supplex autem à Sanctitate Vestra peto, partem vt aliquam curarum, quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

distrahitur, in hanc quoque prouinciam deriuare velit, quam Sathanæ fraudibus in summum periculum adductam, magnocum animorum nostrorum cruciatu cernimus, nec vllam eius tuendæ rationem inuenire possumus. Quamobrem ad te leuamus oculos nostros, tuam fidem imploramus, à te præsens auxilium rebus nostris in summum discrimé adductis expectamus. Quoniam verò videor epistolæ modũ excessisse, ne peccem in publica commoda, cum non ignorem quam sanctæ, quam graues sunt occupationes tuæ, scribendi finem hic faciam, si prius hoc supplex à S. Vestra petiero, vt me quoque sui semper studiosissimum, obseruandissimúmque inter eos numerare velit, quos habet sibi seruitores addictissimos, cum quod summi DEI summum beneficium agnosco, sic erga S. Vestram, sanctámque sedem istam semper affectus fuerim ac nunc etiam sum, vt si quæ necessitas id postularet, vitam etiam meam cum sanguine pro illius dignitate profundere, illo ipso summo Deo opitulante non sim dubitaturus. Commendarem etiam S. Vestræ eum, qui has illi literas redditurus est, cuius opera complures annos apud sanctam sedem hanc sum vsus, nisi me quominus id facere audeam. Maiestatis reuerentia deterreret. Quoniam verò quæ sit illius humanitas exploratum habeo, non dubito quin sua sponte factura sit, vt etiam nemine commendante, meritorum illius rationem habeat. Quod superest, iterum Deum precor, vt hunc tantum honorem cum ipsi S. Vestræ, tum Ecclesiæ vniuersæ faustum, fœlicem, & fortunatum esse velit, atque S. V. in eo quam diutissime seruet incolumem, & indies maiore cumulo fœlicitatis augeat. Dat. Heilsperæ 1. Mar. 1566.

Pius PP. V. Cardinali. Varmiensi.
Epistola. LXXV.

Respondet ad gratulationem.

DIlecte fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Quantoperè gauisus sis, posteaquàm certior factus fuisti Apostolicæ sedis Regimen ad nos delatum fuisse, cognouimus ex tuis literis. Sed nobis multò plus tribuis quam possimus agnoscere. Nos enim infirmo admodum nauigio in altitudinem maris turbulentissimi deuenimus. Sed tamen quia illius vocationi paruimus, qui ventis & mari imperat, superno ipsius auxilio freti, conabimur commissum nobis officium, quanta maxima poterimus diligentia, sustinere, nec vllis laboribus parcemus. Vtinam cæteris in rebus tuæ de nobis expectationi respondere possimus. Quod ad istud quidem Regimem attinet, certum habemus te, qui tam præclarum & honorabile membrum es huius sanctæ sedis pro tuo singulari diuini honoris Zelo fidelem & vtilem admodum nobis adiutorem paratum esse, & diligentia tua sollicitudinem nostram, cuius in partem vocatus es, nobis esse non parua ex parte leuaturum. Quod vt de te nobis pollicemur, ita te confidere volumus, non prætermissuros nos vllum officium ipsi Regno opportunũ, quod à nobis in hac sancta sede constitutis proficisci possit. Erga te verò ea voluntate sumus, qua pro tua spectatissima integritate, & innocentia, ac magnis in religionem Catholicam meritis esse debemus. Deus te pro nobis orantem, delectissime fili, incolumem custodiat. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 20. Aprilis. M. D. LXVI. Pont. nostri anno primo.

Regi Poloniæ Sigismundo Augusto.
Epistola LXXVI.

Rogat vt iniuriam Christi, Eucharistiæ Sacramento illatam à quodam hæretico, Regia sua potestate vindicet.

REdibile non est, quanto fuerim dolore vel stupore potius affectus cum allatum ad nos fuisset, huc audaciæ atque amentiæ quendam esse prolapsum, vt omni Dei vel saltem Vestræ Maiestatis metu proiecto, sacerdotem sacratissimum Christi corpus & sanguinem suis manibus gestantem fuste contundere, & prætium redemptionis nostræ conculcare non dubitaret, idque in ea Ciuitate, vbi præsens aderat Maiestas V. & modo non spectator, huius tam atrocis facinoris fuit, vna cum præcipua ferè Senatus & Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ parte. Quis tantam hanc Orthodoxorum calamitatem satis deplorare possit? quod cum liceat in Regno Maiestatis V. Lutheranis, Zuinglianis, Picardis, Trinitarijs, qui apud me omnes eodem loco sunt, nec vnos alijs meliores esse iudico: liceat, inquam, blasphemis hominibus istis etiam in ijs locis, vbi cum Regno suo vniuerso præsens adest Maiestas Vest. nemine prorsus interpellante, execranda sua sacrilegia potius, quàm sacra exercere, & impium verbum suum pro expresso DEI verbo quod ex æquo sibi vendicant omnes, imperitæ multitudini venditare, non sine graui peccato cum Vestræ Maiestatis, tum senatus vniuersi, præcipuè verò Episcoporum, qui lateri illius proximè assident, ad quos proximè pertinet, hæc authoritate M. V. prohibere. Cum hæc omnia liceant impijs istis, quæ lachrymæ sufficere possunt ad deplorandũ quod pijs hominib. Catholicã & Orthodoxã fidẽ profitentibus, sub Christiano, Catholico Orthodoxo Rege nõ itidẽ licet sua sacra suasq; cæremonias, quas à sanctis maioribus suis per

per manus traditas acceperunt, pari saltem si non maiore libertate exercere? quibus nihil aliud, quam non erubescere se Euangelium, atque in sola CHRISTI cruce se gloriari profitentur, dum verum corpus illud & sanguinem, quod pro nobis fuit in Cruce immolatum per omnes vicos & plateas circumferunt, & illud palam ostentant, vt non se pudere CHRISTI pro nobis crucifixi, sed in eo spem suam omnem defixam habere, in eo & de eo gloriari, illum solum se scire, illum solum prædicare testatum faciant vniuersis. Sub Turcis, quod non sine magno animi mei dolore profero, quamlibet immanes sint hostes Christianæ fidei, melior est Christianorum conditio. Licet sub Turcis sua sacra suasque cæremonias, nemine prorsus interpellante, Christianis peragere, quod iam per impios quosdam in terris Vestræ Maiestatis licitum deinceps fore non videtur, si non debita fuerit animaduersio consequuta, de qua nihil hactenus audiuimus. Cum fuissem in Aula Cæsaræa Maiestatis, audire me memini, Quod in Ciuitate Quinque Ecclesiẽ. quam nostra memoria Turcarum Tyrãnus occupauit, templum quoddam itidem vt in nonnullis Vestræ Maiestatis Ciuitatibus, partim à Zuuinglianis siue Lutheranis, partim à Christianis possidetur, ita vt ex æquo in illo CHRISTVS & Belial colatur, quod quemadmodum rectè fieri possit, ego non intelligo, cum nulla sit conuentio CHRISTI & Belial. Accidit in eo templo, quod vnus ex Lutheranis non percussit ille quidem sacerdotem, quod modo non in oculis Maiestatis Vestræ factum est, sed eripuit tamen sacram Eucharistiam ex manibus illius, & in terram proiectam conculcauit. Delatum est ad Præfectum eius Ciuitatis statim nomen illius, qui tantum scelus patrauerat, qui re cognita nulla prorsus mora interposita è vestigio supplicium de eo sumi iussit. Hæc fecit ille, qui CHRISTVM non agnoscebat. Nil tale factum adhuc à Maiestate Vestra accepimus. Supplex oro Maiestatem Vestram & obsecro per Dominum IESVM CHRISTVM pro nobis crucifixum & mortuum, cuius sacratissimum corpus & sanguinem tanta contumelia affectum, cuius ministrum illud suis manibus portantem, per summum scelus & impietatem, ita grauiter mulctatum modo non suis ipsa videt oculis, talem se præstet in hac CHRISTI iniuria vlciscenda, vt omnes intelligant Christiani Maiestatem Vestram Catholici & Orthodoxi Regis officio minimè defuisse. Nam si res hæc ita abierit, iam deinceps adempta Christianis erit, Non sacra suasque cærimonias exercendi libera facultas, nisi forte simile quid euenerit, quale scimus in Gallijs nuper accidisse, vbi suam hanc libertatem armis Christiani contra Caluinianos vendicarunt, & qui iustus est Iudex DEVS, secundum suos sententiam protulit, causam Euangelium suum defendentium approbauit, & optatum eius victoriam concessit, vt iam Caluiniana secta, qua vix vlla magis est impia, etiamsi pari gradu sunt omnes apud me, ex cunctis Regni illius partibus propemodum sit propulsata. Solum est Regnum Maiestatis Vestræ, quod iam etiam ab ipsis Hæreticis, asylum Hæreticorum appellatur. Ego verò vehementer metuo, quamuis meliora mihi polliceor, si non fuerit ille Zelus in Maiestate Vestra, quem esse oportet in Christiano, Catholico, & Orthodoxo Rege, ne celerius opinione multorum huius quoque Patriæ interitum videamus. Deum precor, vt misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos, conuertat nos, & auertat iram suam à nobis. Heilsperg æ 1565.

Francisco Torrensi Theologo.
Epistola. LXXVII.

Expostulat quod vetustos sacros authores premat apud se, nec in lucem ad communem omnium vtilitatem emittat.

COnsilium tuum de ratione confutandi Centuriatorum istorum nugas mihi probatur. Cæterum quod in litteris tuis legi, si scribere aggrediemur, minimè probatur. An dubitatis adhuc? Non est hoc hominis Hispani, vel tam paruo animo esse vt non audeat, vel tam laboris esse fugientem, vt graue iudicet, prouinciam hanc minus difficilem, quam initio possit videri, suscipere. Incipe, dimidium facti, qui benè cæpit, habet. Non deerit causam suam tuenti DEVS. Quod verò scribis materiam te tantum suppeditare velle, ceu ligna, lapides, cæmenta, quærendos autem esse fabros architectos, qui suo loco quæque collocent, ac opus perficiant, melior faber & architectas esse non potest, quàm ille ipse qui materiam suppeditauerit. Nam habebit eam magis sibi parentem, & quando semel tecum versibus agere cœpi, fiet illud quod scriptum est à Poeta, verbaque præuisam rem non inuita sequentur. Scilicet ab alio suppeditanda res, ab alio verba quærenda sunt? Quod gratam nostri memoriam retines, gaudeo. Quod autem carcerem aliquandò me tibi minitatum esse scribis, memoria non teneo. Non est in hominibus Polonis tanta seueritas. Hispanorum ea magis est propria. Nos enim nescio quomodo natura sumus frigidiores, quo fit vt minus etiam ingenio polleamus: at vestra gente nihil est feruentius, nihil est calidius: quod etiam vestræ disputationes indicant, quæ tanto cum calore fiunt, vt vel Solo verborum vestrorum impetu, facilè si quis Paulò timidior est, eum prosternatis. Quid aliquando mihi Salmeronus optauerit, in memoriam tibi reuocarem, nisi te meminisse persuasum haberem. Duas vncias habere me cupiebat eius quæ est in te: nolo reliqua, abundaturum te nihil ominus. Itaque nihil est qd mihi de carceribus obijcias. Verùm hoc interea verum est, q qui premunt bonos authores illos

illos priscos & sanctos viros, ex quorum lectione plurimum ad homines Catholicos fructus redundare posset: ij si mihi peccatum hoc suum confiterentur, eos non prius absoluerem, quàm bona fide promisissent, se non amplius viros illos tam sanctos, tã tetro carcere pressuros, verùm primo quoque tempore in lucem emissuros. Habemus etiam inuito te Clementem, habemus Dorotheum, Hispanum tuum Pacianum, Basilij XXIIII. orationes, opera cuiusdam Poloni nostri benè latinè loquentis anteà nunquam editas, Anastasij, nonnulla, quamuis ea quæ citas in libris tuis de Residentia non habemus. Cyrillum Alexandrinum, & Chrysostomum in Esaiam, plæráque etiam B. Ephrem, quæ prius edita non fuerunt, in quibus desideramus ea, quæ citas de dogmaticis caracteribus, quæ quod ita crudeliter premas, molestissimè ferimus. Theodoretum & in psalmos, & in Hieremiam, & in Minores Prophetas, cuius etiam opera omnia simul excussa in horas expectamus, vt interea taceam de Marco Heremita, de Marco exercitore, deque Hesychio Præsbytero, de Maximo, de Theodoro, deque nonnullis alijs, qui nunc memoriæ meæ non occurrunt, quos omnes habemus inuito te: & eos (quod dicere pudet) illa præclara, scilicet Basilæa nobis ex magna parte suppeditauit, quanto vestro cum honore, tuum facio iudicium. Habemus & Cyrillum Hierosolymitanum inuito te. Nam si nobis expectandum fuisset, dum ex Calabria peruenirent ad te, quanta luce caruissemus hactenus, quantum nobis lucri decessisset. fortassis autem hoc exemplar quod habes, situ corrumpetur prius, quàm aliud ex Calabria tibi afferatur. Ex sixti libro de castitate præclarè multa citantur abs te. Cur autem hic liber non est adiunctus illis de Virginitate, quos non ita pridem Paulus Manutius edidit? Sed nolo pluribus, ne putes etiam absentem litigare me tecum velle. Nam ita te pro peccato hoc tuo satisfacturum spero, vt breui optimos quosque & vetustissimos authores, qui per te tanto tempore tetro carcere clausi fuerunt, in lucem opera tua prodijsse videamus. At vide quomodo peccatum hoc tuum sit vltus Deus. Sicut premuntur à te priscorum libri, ita tuæ quoque pressæ fuerunt literæ. Nam quas ad me edisti XXII. Septembris, non sunt mihi redditæ, nisi XIIII. Cal. April. Itaque si quid passus es frigoris proxima superiore hyeme, peccati tui est pœna. Scio quod his proximis mensibus calesces plus satis, nec tibi pellibus opus erit. Verum hoc scias velim, si non prodierint interea in lucem illi præclari libri, quos habes reconditos, futurum etiam si terque quaterque misero pelles vt similiter lateant sicut libri tui. Ego tamen mittendi occasionem non prætermittam. Orechouius iam latinè scribere desijt, vulgari lingua tractat omnia. De fœmina tamen, quã sibi coniunctam habet, vt vxor esse legittima decernatur, laborare non desinit. Sed minus erit, quod speret nunc, quam sub Pio Quarto. Mihi quidem hæc tempora talem Pontificem requirere videbantur, ac quod magis mireris, etiam in Comitijs nostris Petricouiensis, cũ fuissem anno proximo superiore, non defuere magni quidam viri, qui talem Pontificem Ecclesiæ dari cuperent. Quos capis labores in defendendis Anathematismis, ij non potuerint imprimis Deo, deinde pijs etiam omnibus non esse gratissimi. Magno cum desiderio perfectum opus hoc expectamus, quanquam etiam cum Catholicis tibi pugna futura est. Nam Callus quidam Claudius Ensspengerus tuam de cœlibatu sententiam oppugnat, & me suæ fauere scribit, cum tamen ego Thomæ Aquinatis verbis productis in eius sententiam magis propendere videar, etiamsi nihil in vtramcũque partem definiam. Quæ verò quidam assuerint in libris meis, qui sunt impressi Lutetiæ, cum Tridenti fueris, tenere te memoria non dubito. Benè vale. Deum pro nobis diligenter precator: Nam is est huius Regni status, vt nisi nobis ille ἀπο μυχανης vt aiunt, apparuerit, celerius opinione multorum interitura sint omnia, quò magis angimur, quòd nondum adesse Nuncium Apostolicum videamus, qui nos authoritate consilioque suo iuuare posset. Vale Anno Domini. M. D. LXVI. Heilspergæ.

Iacobo Vchanskij Archiepisc. Gnesnensi. Epistola. LXXVIII.

Monet vt ne solos tantum Trideistas ex Regno proscribi patiatur, sed simul omnes hæreticos, quocunque nomine vocentur.

QVod Confessionistæ tanto studio suam hæresim confirmatam cupiunt, nil miror. Sed si qui sunt, qui studium hoc eorum adiuuant, & hi Catholici videri volunt, mirari satis non possum. Itáne Trideistæ potius & Anabaptistæ iudicabuntur hæretici, reliquos verò nihilo meliores Lutheristas & Caluinistas (hos enim nomine Confessionistarum censeri puto) tanquam assertores & Iudices Euangelij, purique Dei verbi propagatores habebimus? Ego verò non dubitanter dixero, magis esse laborandum de profligandis duabus istis sectis, quæ primæ fuerunt, quam de posterioribus reliquis, quas nobis illæ procrearunt. Nam vnde nobis isti Trideistæ & Anabaptistæ? An non ex Lutheristis & Caluinistis? Itáne sobolem tantum extinctam, parentes autem superstites esse volumus? quasi verò non possent hi parentes æque malam ac deteriorem etiam sobolem procreare? Est Græcorum prouerbium, stultum esse, qui patre cæso liberis pepercit. Fortassis autem non minus stultus dici possit, qui liberis cæsis, patri pepercit. Primi

Primi docuerunt hi Deum negare, posteaquàm & Sacerdotium & Sacrificium sustulerũt, quod vbi non est, certum est ibi Deum nullum esse. Nam propriè diuinitati debita seruitus (quemadmodum ab Augustino legimus adnotatum) Sacrificium est: Et in lege naturæ & in lege scripta semper pios homines Deum sacrificijs agnouisse coluisseq; legimus, & hic erat vnus cultus, qui discrimen inter Deũ & homines faciebat. Nam alij cultus hominibus exhiberi sine repræhensione poterant, sacrificium autem nemo præstitit, nisi vel vero Deo, vel quem falsò Deum ipse iudicarat. Quod cum sublatum sit ab istis Confessionistis (hoc nanque nomine significare vult Lutheristas & Caluinistas) quid aliud quam Deus nobis est ab illis ablatus? Et hos nos omnis impietatis Magistros ferendos, solos autem eorum discipulos exterminandos esse putabimus? Sed iam eos maiores radices egisse dicunt, quàm vt extirpari possint. Si res ita habet, aut auferantur omnes, aut eijciantur omnes. Melius est quod ipsi mordentes & comedentes inuicem, consumantur ab inuicem, quàm, vt alteri profligatis aduersarijs, contra CHristum & eius corpus Ecclesiam tanto maioribus viribus insurgant. Audio quòd propter has hæreticorum contentiones & in maiori & minori Polonia multi iam ad CHRISTVM & eius corpus Ecclesiam sunt reuersi. Et hoc est quod malè habet Sathanam. Sic enim facilius oppressum iri CHRISTVM existimat, si nulla fuerit inter hæreticos, qui membra sua sunt, dissensio. Sed fallitur. Nunquam enim hoc inter illos bellum conquiescet. Legi nuper colloquium, quod habitum est Maulbruni, præsidentibus doctissimis scilicet S. Theologiæ Magistris Palatino Rheni Principe Electore, & Christophero Duce Virtembergensi. Tot inuicè hæreles tam fœdas obiecerunt, vt horror me quidam legentem corripuerit. Ad extremum de Cœlo disputatione inita etiam ipsum perdiderunt, neque præter Infernum sibi quicquam reliquum fecerunt. Inter alia sic ibi Caluinistam quendam dicentem legi. Licuit, inquit, vobis ab vniuersa Papæ doctrina discedere, & eam erroris condemnare, cur & nobis à Luthero diuersum sentire non liceat? Eodem autem argumenti genere Trideistæ quoque contra Caluinistas vtuntur, & rectè meo quidem iudicio. Cur enim non liceat & illis, quod licuit Luthero, quod licuit Caluino & Zuinglio, cum plus aliquid sibi Deum reuelasse glorientur. Deum, inquam huius sæculi, per quem sicut Lutheri & Caluini, sic eorum quoque mentes excæcatas videmus. Quare nulla ratione probare possum, vt hæreticorum vnum tantum, vel duo genera profligentur: aut omnes profligarentur, aut omnes tolerentur. Volunt habere linguam vnam, veniant ad Ecclesiam, sicut monet Augustinus, vbi in diuersitate linguarum carnis vna est lingua in fide cordis. Hæc inculcet, quæso, Regiæ Maiestati, & ei reducat in memoriam quæ tractaui cum illa de ratione concordiæ iuxta consilium Athanasij & Augustini, quod illi descriptum obtuli. Formulam vtramque vidi. Sed quale est hoc per Deum immortalem, quod Hæretici & hi priuati homines, ad quos nulla de re iudicium pertinet, proponunt formulas Catholicis, idque præsente Rege Catholico & Orthodoxo. Male de illo existimare videntur, quem nos nostrum, hoc est, Christianum & Catholicum esse certò persuasum habemus. Video quòd habet locum apud vos illud quod est in prouerbio, sursum deorsum. Et hæc est fides Lutherana, si quis eam duobus verbis describere velit. Sed nec illa Catholicorum formula mihi satisfacit. Si non potest aliud obtineri, magis mihi satisfaceret tale quid quale scriptum est in Conuentu Parcouiensi. Si propterea putant solos Trideistas & Anabaptistas extinguendos, quod quidam ex Trideistis aut Anabaptistis dixisse fertur, Regem vnum duntaxat habemus, & hunc crucifixum. Lutheri doctrina hæc est, qui docuit, nullum esse Pontificem, neque sacerdotem nisi Christum, qui semetipsum obtulit pro nobis hostiam in ara crucis. Sicut autem sacerdos, sic & Rex est Christus. Quare si nullus est Pontifex aut sacerdos nisi Christus, certè neque Rex est vllus nisi Christus pro nobis crucifixus. Cur igitur damnantur qui Lutheri doctrinã profitentur, cũ illius author, p Deo colatur, & eius verbũ Dei verbũ vocetur. Illũ prius condemnari oportebat, deinde in discipulos eius Trideistas & Anabaptistas animaduerti. Periculosum esse video, cum Reges terræ tanti faciant Maiestatem suam, vt Maiestatem diuinam negligant, & eam impunè blasphemari non magis per Trideistas quam per Lutheristas permittant, & absque illa, Maiestatem suam saluam conseruari possè persuasum habent. Prius Dei, deinde suam quoque Maiest. intactam conseruare conarentur. Nã illa sublata, nulla terreni Regis erit Maiest. quemadmodũ ferè videmus vbi ferunt Principes impunè CHRISTVM negari, quod ibi sursum deorsum feruntur omnia. Non Trideistæ, nec Anabaptistæ fuerunt, qui primum Nobilitatem in Germania, deinde pientissimum Cæsarem Carolum extinctum cupiebant, & qui contra Regem suum in Gallia parricidialia arma sumpserunt. Lutheristæ fuerunt & Caluinistæ. Si posset hoc impetrari, vt exterminarentur omnes Ministri, per quos hæreses cuiusque generis inductæ sunt, etiamsi nulla fieret in illos, qui corrupti sunt ab eis, animaduersio, multum nos profecisse putarem. Sed non dubito, quin iam ibi sit Nuncius Apostolicus. Is præsens multo melius consilium dare poterit, quàm à me absente scribi queat. Heilspergæ XXI. Iunij. M. D. LXVI.

Lutherana fides, sursum deorsum.

Ioanni Demetrio Solikouuskii Regio Secretario. Epistola. LXXIX.

Expostulat quod Heilspergam ad festa Pentecostes celebranda non veneris, & monet ne erubescat vocari Papista, cum hoc sit cum primis gloriosum.

Ostenderas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stenderat mihi D.Vestra spem, se festa Pentecostes nobiscum celebraturũ potius,quàm in terra aliena, in qua non benè cantatur canticum Domini:Cæterùm quid in causa fuerit nescio, quod mutauerit sententiam.Suspicaretur alius,qui D.V. non ita benè nosset,vt ego,quod in duas partes claudicet. Sed absit,vt mihi vnquam hoc de illa cogitare in mentem veniat : Sed solet Aula sic Deum colere,ne diabolum offendat, apud quam Adiaphoron est,intra an extra Catholicam Ecclesiam Deus colatur,sicut etiam nunc apud multos Lutheristas credere vel non credere, sit verum nec ne, quod CHristus dixit.Hoc est corpus meum,adiaphoron est, Nam qui nunc sedem illã obtinet Philippus Melanthon,in qua fuit aliquando Saxonicus Papatus à Sathana fundatus,quem nunc euersum esse gloriantur Sacramentarij,negat condemnandos & eijciendos ex Ecclesiæ suæ societate Sacramentarios,etiamsi mendacij Christum,qui veritas est,arguant . Et videntur hoc Iure facere.Prior enim illum arguit falsitatis primus ille si Dijs placet, Papa Saxonicus Lutherus,cum non dicit,sicut Christus loquitur, Hoc est corpus meum, sed hic panis est corpus meum.Vnde sumpserunt argumentum Sacramentarij, si panis,ergo non corpus. Ita quæ prima sunt fidei Christianæ dogmata,si neget vnus, aiat alius,nunc Adiaphoron censetur,ac licet fortasse reperire non neminem,qui censeat & hoc ἀδιάφορον credere. Natura ne sit Christus,an adoptione Deus & Dei filius. Sic multò maximam partem mortalium inter Adiaphoristas numerari videmus. Sed vellem tamen quorum errores non probat,vt eorum communionem,sacris præsertim in rebus,defugere, & apertè se Christianũ, hoc est,Papistam esse profiteretur . Neque enim hoc ignominiosum putari debet,si quis legitimæ potestati,quæ à Deo est,se subiectum agnoscat. Ego verò cumprimis gloriosum esse puto,si quis me Papistam vocet & Registam. Videtur enim laudare me, quod eam fidem,quam debeò,potestati sublimiori præsto.Sed neque Ducistam, aut Consulistam appellari quenquam pudere debet,qui vel Duci,vel Ciuili Magistratui subditus est. Nullum autem turpe magis & ignominiosum nomen,homini Christiano tribui potest, quàm si vocetur,& sit vel Lutherista vel Caluinista,vel Blandratista, vel gentilista.Quamobrẽ titulo Papistæ gloriari D.Vestram cupio, & eorum qui Saxonico vel gehen . potius,quàm Romano Papæ credere & obedire malunt,communionem in rebus præsertim sacris defugere.Heilsperg.XVIII.Maij.1567.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ.
Epistola. LXXX.

Petit vt causam Christi contra Elbingen. defendat à bello contra Moschum abstineat, nisi prius iram Dei placauerit hæresibus extirpatis.

Vod Maiest. Vestra facturam se promittit,simul vt ab ijs tantis occupationibus liberior fuerit, se causam, quæ mihi est cum hædis meis Elbingeñ,cogniturum,non paruam ex ijs literis Maiest. Vestræ consolationem accepi. Sed cuperem tamen ad rem aliquando verba conferri,cùm non videam,cur alijs causis cognoscendis vacare magis debeat Maiest. Vestra, quàm ijs qubius illius brachium contra violatores diuinorum Iurium imploratur. Primum quærite Regnum Dei, dicit scriptura, & cætera adijcientur vobis. Nunc nos, & cæteratantum quærimus, de regno Dei vel nullam,vel certè per exiguam sollicitudinem gerere videmur. Vehementer metuo, ne desinat ipse quoque Deus pro nobis esse sollicitus. Verum ego bona spe sum,facturam tãdem aliquando Maiest. Vest. vt re præstet,quod verbis mihi toties promittit:neq; commissuram,vt in eã opinionẽ hoes veniant,q; quid fiat de causa Christi,deque religione,nihil ad se pertinere putet . Quam si prorsus euerti passa fuerit,sicut iã ex magna parte factũ videmus,nõ est q; existimet,euersa Christi Regno, suum Regnum stare posse diutius. Nã si Deus pro nobis,dixit ille,quis contra nos? Si verò erit Deus cõtra nos,quis erit ,p nobis? Ego verò metuo,ne flagellũ iræ Dei sit ille ipse,contra quem bellum suscipere nunc Maiest. Vest. dicitur. Et erit Maiestati Vest. valdè durum contra stimulum calcitrare. Mitto Maiest. Vest. quæ mihi scripta sunt ex Lithuania de Nuncijs illius Tyranni , quales erga quendam Lutheristam vel Caluinistam se gesserint. Quamuis autem non dubitem,quin pridem hæc sint ad Maiest. Vest. perlata, tamen in hoc eadem illi noua mittenda putaui,vt videret etiam barbaros homines istorum blasphemias ferre non posse,quos apud nos augeri cernimus & honestari. Quid autem putat Maist. Vestra,non istos facile contempturos,omnem illius bellicum apparatum, quum grauiter peccatis nostris Deum offensum. & prorsus à nobis auersum videant. In quo cùm illi spem suam collocatã habeant,etiam si schismatici sint, minus tamen à Christi fide aberrantes,quàm ex nostris multi,valdè metuo,ne de nobis dictum sit.Gens absque consilio est,& sine prudentia. Vtinam saperent & intelligerent,& nouissima prouiderent. Quomodo persequebatur,vnus mille & duo fugarent decem millia? Nónne ideo,quia Deus suus vendidit eos,& Dominus conclusit illos? néve quod in Leuitico scriptum est,sicut in schẽda Maiest. V. videbit,de nobis impleatur. Audio quod in ijs Comitijs Maiest. V. maiora, quàm proximis superioribus,tẽporibus pietatis erga Deũ suæ, religiónisque documenta dederit & exempla: quæ res non mediocrem animo meo consolationem attulit . Sed hæc Sigismundò quidem satis essent, verùm à Rege Sigismundo plus aliquid requiritur. Is enim non suam salutem,sed & eorum,quos Imperio suo subiectos habet,fidem & religionẽ exemplo

exemplo sancti sui patris maiorumque suorum integram & inuiolatam Deo præstare dignetur,Cum non solum, pro se , verum & pro illis rationem se redditurum certè scire debet. Si verò tales erunt præfecturis etiam ac dignitatibus aucti & honestati, quid respondsurus est,cum ab eo ratio villicationis suæ exigetur? Ego verò M. V. hortor & moneo,supplex etiam oro,si se, Regnúmque suum, & adiunctas illi terras saluas esse vult , vt ab hoc bello sibi temperet,quin illud pace cõmutet quali|quali. Aliquid retinere satius fuerit,quã & suam,& Regni salutem in Summum discrimen,irato nobis Deo,adducere. Quem ego supplex precari non intermitto,vt misereatur nostri: Illuminet vultum suum super nos, conuertat nos,& auertat iram suam à nobis. Vehementer enim terrent me comminationes illæ,quæ sunt in Leuitico,quæ mihi quasi propriè contra nos factæ videntur. Iterum atque iterum Deũ precor,vt misereatur nostri. 5.Iulij Heilspergæ.

Benedicto Herbesto. Epistola LXXXI.

Ostendit eam vitæ rationem esse potiorem,quæ proximi vtilitatem maximè procurat.

Si par esset omnium Pastorum in grege curando diligentia,quantam esse Vestræ Fraternitatis audio:quæ re magis quam nomine Pastorem agit,nihil foret,quod nostram quisque negligentiam accusaret: Liceat autem & mihi Homericum illud carmen vsurpare ὡς οὐ τῶς φύγε ἔρκος ὀδόντων .Itáne dum aliorum salutem curamus, nostram negligamus ? Hoc à quouis dictum potius vel scriptum oportuit,quàm qui non prospicit aliorum saluti,nec alius maiorem curam suæ salutis gerit , quàm qui de proximorum salute sollicitus est. An illius non meminit,quod scriptum est , Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte , & operit multitudinem peccatorum . Quamlibet sit aliquis peccator,mihi tamen diuinæ misericordiæ obtinendæ propinquior videtur,si curam proximorum salutis gerat , & eos conuertere studeat, quam qui vel sanctissimus videri possit,si nulla eorum sollicitudine tangatur . Nam illius multitudinem peccatorum charitas operit : huius autem,quæ sanctitas esse possit absque charitate,non video. Quamobrem & ab his vocibus deinceps abstineat , & quæcunque cogitationes ab officio charitatis abducere possit,eas à Dei spiritu meminè proficisci certò persuasum habeat,nec vocationem suam vnquam deserat,ac spes est in Deo ; quod idem Vvarscheuicius quoque sit facturus . Nam in vos duos Ciuitas Posnauien. inclinata recumbit,vos pro suis Pastoribus agnoscit,& à vobis in tanta verbi Dei fame deseri sine magno vestro periculo non potest. Vos videte,quam sitis Deo rationem reddituri, si gregem hunc à Christo vobis commendatum,quemadmodum cœpistis saluaris doctrinæ papulo reficere non perrexeritis. In Catechismo Romano quid possit offendere , non video. Nam quod Christus ad dexteram Patris sedeat, & interpellet pro nobis, quod habemus cum aduocatum apud Patrem, quod apparet vultui Dei pro nobis, verba sunt scripturæ, quæ neminem debent offendere . De modo verò quo pro nobis interpellat,nihil in Catechismo traditur. Sed ego dedi negotium Stanislao Rescio meo,vt ipse quædam è sanctis Patribus describeret loca,in quibus modus, quo pro nobis interpellat Christus,ostenditur. Sed nec in Sacramenti definitione,quod sit sacræ rei signum,sed non qualecunque,verùm efficax, quid requiri possit video : cum sit Augustini,nec eâ quicquam sit vulgatius. Nihil autem tutius est,quam extra publicam viam non deflectere, quamuis nihil prohibeat quo minus varijs modis definire Sacramentum liceat,cum non eodem etiam semper modo accipiatur. Libellum contra Picardos mihi Rescius non reddidit, sed benè tamen collocatus est,quod sciebat me & habuisse & legisse totum anteà. Si quisquam aliorum ,quos edidit Fraternitas V. hic mihi maximè fuit probatus . Studium hoc illius in refellendis Hæreticorum erroribus nemo pius laudare non potest. Postillæ conscribendæ quod natuat operam,laudo, desideratur à multis. Vellem autem eam à theologis Craccouien. prius legi & expendi,quam typis mandaretur. De facultate legendi libros hæreticos curæ mihi futurum est. Heilspergæ.3.Augusti.

Pius PP. IIII. Ferdinando Electo Romanorum Imperatori
Epistola. LXXXII.

Monet vt Regi Poloniæ scribat,vt Regia sua authoritate suum & Cardinalis Varmien. honorem & dignitatem contra malevolos & inuidos tueatur.

Harissime in Christo fili noster. Salutem & cæt. Allatum est ad nos non paucos esse in Poloniæ Regno,quos dil. filij nostri Stanislai in amplissimum S. R. E. Cardinalium ordinem cooptatio valde offenderit,quos etiam suspicio est,in proximo Regni Poloniæ Procerum Conuentu id molituros , vt eum fructibus & reditibus Ecclesiæ Varmien. cuius perpetuam administrationem illi commisimus, spolient,quibus ablatis dignitatem suam tueri minimè posset . Non possumus satis mirari adeò iniquos esse,vt talis viri virtutem & meritorum rationem à nobis habitam fuisse,moleste ferant, nec honorem, quem hæc S. Sedes ipsorum nationi habuit, agnoscant. Vnde gratiarum actiones ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lectauissemus, ab eis dignitate tam benè meriti Prælati obtrectari, & huius S. Sedis auctoritatem attentari videmus. Sed satis intelligimus, quinam isti obtrectatores sint, si enim Catholici essent, & sanctam hanc Sedem ea, qua debent deuotione, prosequerentur: honoratum ab ea fuisse Prælatum de Religione Catholica ita meritum lætarentur, & paternum nostrum erga nationem suam amorem agnoscerent. Omninò confidimus Charissimum in Christo filium nostrum Regem Poloniæ Illust. generum tuum, causam Card. Varmien. tú prosequo erga Card. adeo Maiest. suæ deuotum amore, tum pro Sedis Apostolicæ reuerétia acrit de ensurum esse, nec quicquam illi iniuriæ fieri permissurum. Sed tamen quia hæc res tum ipsius Gardinalis causa, tum etiam quod de nostro, & huius Sedis honore, & auctoritate agitur, maximæ nobis curæ est, hortandam in Domino duximus & rogandam Maiestatem tuam, vt ad ipsum Regem Poloniæ, quàm diligentissimè hac de re scribat, eum hortans, vt maleuolorum hominum consilijs, siue per Conuentum Regni, siue per Capitulum quidpiam tentarit, regia auctoritate resistat, honoremq; eiusdem Cardin. & nostrum tueatur. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die XX. Maij. M. D. LXI. Anno secundo.

Pius Papa IIII. Sigismundo Augusto Regi Poloniæ Illust. Epistola LXXXIII.

Vt existimationem Cardinalis Hosij aduersus obtrectatores tueatur.

CHarissime in Christo fili noster, &c. Certiores facti sumus prouectionem dilecti filij nostri Stanislai in sacrum S.R.E. Cardinalium ordinem multis in isto Regno displicuisse: nec defuturos in proximo Regni Procerum Conuentu, qui illi obtrectent, & negotium faccessant. Quod sanè si accideret, vt talis Prælatus absens, insciensq; propter suas præstantissimas virtutes, summamq; doctrinam, & maxima in Religionem Catholicam merita, à nobis ingenti studio totius Cardinalium Collegij & omnium bonorum approbatione, ad eum honorem vocatus, de Ecclesiæ suæ fructibus & reditibus & tuendæ dignitatis suæ præsidijs, indubium vocaretur, non possemus non & vehementer mirari, & ferre admodum grauiter & molestè. Qua in re maiorem etiam nobis, & huic S. Sedi iniuriam, quàm ipsi fieri arbitraremur: quasi aut non licuerit nobis communis vtilitatis totius Ecclesiæ causa, tam graui eius, ac tam turbulento tempore, illum in partem sollicitudinis nostræ vocare, aut ipse, qui tam eximia erga B. Petri Apostolorum Principis Sedem deuotione semper fuit, cæterosq; omnes in eiusdem obedientia, & fide studuit continere, nobis in hoc loco à Domino constitutis non parere debuerit. Quamobrem his rumoribus & nuncijs commoti, Maiestatem tuam, quam eius dignitatis amplificatione ipsam, vt decuit, ex animo gauisam esse scimus, & honorem in eo prouehendo sibi & Regno suo habitum grato animo agnouisse intelleximus, vehementer hortandam duximus & rogandam, vt pro tua erga Maiestatem Apostolicam reuerentia ac pietate, causam ipsius Varmiensis Celsitudini tuæ tantoperè deuoti & tuæ gloriæ studiosi, quam tamen potius nostram ipsorum causam esse existimauimus aduersus obtectatores eius, ac potius nostros & Sedis Apostolicæ acriter tuearis, atq; defendas, cùm si quid ob eam causam detrimenti, quod abśit pateretur, non id modò in nos, & sacrum Cardinalium Collegium, sed in sacrosanctam etiam Oecumenicam Synodum, ad quam cùm ex Transalpinis nationibus nostrum, & Sedis Apostolicæ Legatum elegimus, & constituimus, contumeliosum, ac ne tibi quidem honestum futurum sit. Datum Romæ apud S. Petrum, &c. die 20. Maij. 1561. Anno secundo.

Pius PP. IIII. Ioanni Pizerembskij Archiepiscopo Gnesnen. Epistola LXXXIIII.

Hortatur vt dignitatem & existimationem Cardinalis Hosij pro sua in Sedem Apostolicam deuotione constanter defendat.

VEnerabilis frater salutem &c. Ad aures nostras peruenit, multos isthic esse, qui prouectionem dilecti filij nostri Stanislai in sacrum Ecclesiæ Romanæ Cardinalium ordinem molestè tulerint, eiq; maleuolentia impulsi, negotium facessere parati sint in proximo Regni Procerum Conuentu, qui quidem non huius modò sacrosanctæ Sedis auctoritatem despicere: sed & patriæ suæ, & Regni istius honorem parui pendere, se ostendunt, nec maiorē in nos & Sedem Apostolicā, quam in nationem suam, maleuolentiā declarant. Nos eum (qua modestia est) talem honorē minimè ambientē, atq; etiam absentē, & inscientē, in id Collegium summo venerabiliū S.R.E. Card. studio cooptauimus, non modò propter præterita ipsius in Ecclesiam & Religionem Catholicam merita, sed quia talis viri consilium & operam illa virtute, illo religionis studio, tam excellenti doctrina, & magno prætereà rerum vsu præditi, maximo nobis, & vniuersali Ecclesiæ vsui tam graui Ecclesiæ tempore futurum esse prospeximus. Qua in re honorem quoq; quem habuimus maximū Regno & Nationi isti, eum illum inter paucos exterarum nationum Cardinalem creauimus, solum verò ex omnibus Transalpinis Prælatis ad Sacram Oecumenicam Synodum, nostrum & Sedis Apostolicæ de latere Legatum constituimus, parum grato animo agnosci dolemus. Quid verò commodius? quid vtilius Regno isti esse potest, quàm habere Se-

nissimum Regem, & Nationem istam talem virum, tam Regiæ Maiestati deuotum, tam patriæ suæ amantem in sacro Cardinalium Collegio? & in sacro Concilio Generali Legatum? qui optimè nouit Ecclesiarum omnium nationis suæ mala, quęq; vt oportuna eis remedia adhibeantur, diligenter operam daturus sit. Dilectionem autem tuam, quæ, vt scimus, ipsum Varmiensem fraternè diligit, & lætatam eius honore esse, & pium nostrum consilium perspexisse, certum habemus, eius causam aduersus obtrectatores ipsius & huius S. Sedis, constanter defensurum esse minimè dubitamus. Quod cùm faciet, non eius modò, & huius S. Sedis, sed istius & nationis honori inseruiet. Nobis verò qui in Varmiensis causa, nostram ipsorum, & Sedis huius dignitatem, & auctoritatem attentari intelligimus, gratissimum faciet. Itaq; vt summo studio hanc causam si quis oppugnare ausus fuerit, pro tua in S. Apostolicam deuotione, fideq; defendas, fraternitatem tuam hortamur, idq; ita petimus, vt studiosius nihil abs te petere possimus. Datum Romæ apud S. Petrum die XX. Maij. M. D. LXI. Anno secundo.

Antonius Cardinalis Puteus Sigismundo Augusto Regi Poloniæ. Epistola. LXXXV.

Significat de Hosij Cardinalis promotione, de doctrina, meritis, & pietate singulari, & de Legatione ad Concilium Oecumenicum, &, vt absentiam eius à Regno moleste ferat, petit.

ETsi ego de summa Maiestatis tuæ clementia, optimaq; erga bonos voluntate, præclarè semper sensi, quòd in subleuandis, atq; ornandis viris probis, qui mos laudatissimorum Regum proprius est, propensissimam Maiestatem tuam antehac semper fuisse acceperam: facit tamen & amicissimi hominis, & totius Reipub. Christianæ causa, salus, & dignitas, vt ad egregiam Maiestatis tuæ voluntatem incitandam atq; inflammandam aliquid mihi scribendum esse putem. Inter spectatæ virtutis singularisq; eruditionis viros à Maiestate tua suorum maiorum exemplo ad Ecclesiarum regendarum munus electos, Stanislai Hosij virtus & probitas ita elucet, itaq; ante aliquot annos non modò vicinas Prouincias, sed remotissimas etiam regiones peruagata est, vt quemadmodum quattuor Summorum Pontificum, ita etiam plurimorum Principum virorum animos ad ipsum mira benevolentia complectendum facilè adduxit. Quare factum est, vt cuius opera, exigua Ecclesia Varmiensis, permagnos fructus ferret, ab eo vniuersa Christi Ecclesia in summo discrimine posita, opem atq; præsidium pro suo Iure postularet. Euocauit Paulus III. hominem (quod Maiestas tua optimè nouit) ægrè ab Ecclesia sua, atq; à grege curando diuelli se patientem: paruit tamen, vt par erat, Pontificis præcepto, cùm Maiestati tuæ profectionis suæ causam probatam esse cognouisset. Auxit hic apud nos præsentia sua opinionem, ita vt cognita summi viri probitate, atque modestia, imprimisq; sacrarum rerum cognitione, cum non vulgari latinè dicendi scribendiq; facultate coniuncta, vnum Hosium in summo hoc Christianæ Religionis discrimine à Deo Ecclesiæ suæ datum, plærique omnes interpretarentur, cuius virtute cum non mediocri multorum vtilitate Respub. vti hoc tempore oportunissimè posset. Quare cùm primùm Summo Pontifici Pio IIII. Ecclesiæ vniuersæ cure commissa est, nihil prius aut antiquius visum est, quàm vt ad conuocādam Synodum Christianorum Principum animos accenderet, atq; ad rem perficiendam Hosium Legatum ad Cæsarem mitteret, cuius optima fidē & industria sperauit pijssimi Principis studium, & voluntatem ad tantam rem aggrediendam facilè sibi adiunctum iri. In ea igitur Legatione egregiam operam Ecclesiæ Dei nauantem Hosium Summus Pontifex in Cardinalium Collegium, vniuerso Senatu adprobante, adlegit. Eum autem gradum tantum abest vt vnquam ambiuerit Hosius, vt me deprecatore aliquandò apud Paulum IIII. sit vsus, ne in nostrum ordinem adscriberetur. Hæc ego vt gesta sunt volui Maiestati tuæ commemorare, vt planè intelligerent, nihil cupisse vehementius, nihil postulasse, atq; etiam efflagitasse ardentius Hosium, quàm vt ipsi ad Ecclesiam suam curandam redeundi facultas aliquando concederetur. Videbat enim fore, vt (si quid ipsi ad pristinam dignitatem noui splendoris accederet) multorum animi, qui rebus nouandis student, eam occasionem cupidè arriperent, vt se, si possent prorsus, euerterent, vel certè vt Maiestati Tuæ animum atq; egregiam illam pristinam voluntatem ab ipso alienarent. Ego verò nunquam mihi persuadere potui, tantam inueniri hominis impudentiam, tantam improbitatem, quæ in opprimendo viro innocentissimo, de Catholica religione optimè merito, apud Maiestatem tuam plus posset, quàm in eodem tuendo bonorum omnium studia, quamq; constans eiusdem Maiestatis in ornando & diligendo vetere cliente suo iudicium atque propositum. Quæ meratio etiam impulit, vt sperarem, vt quemadmodum florentissimo Poloniæ regno magnum decus accessisset, propter honorem Hosio à Summo Pont. tributum, ita Hosio quoq; à Maiestatis Tuæ liberalitate multa ornamenta adderentur, vt testatum omnibus post se relinqueret, in subleuandis ornādisq; optimis viris, cùm Regni primùm sui, tum totius Christianæ Reip. causa, non benignam modò operam, sed regias etiam opes liberaliter posuisse. Quod si nondum factum est, Maiestatem tuam etiam atq; etiam rogo vehementer, vt veterem clientem suum virum optimum, eiusdemq; ita studiosum & cupidum, vt nihil supra, hoc maximè tempore complecti sua benignitate ac liberalitate velit, neq; patiatur viro minimè ambitioso oblatum à Summo Pontif. honorem Card. detrimenti quicquam afferre, etiamsi quid esset aduersus eum vel consuetudine Regni, vel aliqua constitutione omni-

cautum. Ea enim in Reip. tẽpora incidimus, vt multa pro rerum necessitate mutanda, multa etiam adinuenienda sint noua remedia, ad noua subinde mala exorientia propulsanda. Hosij opera in Concilio celebrando, quàm vtilis Ecclesiæ vniuersæ sit futura, Maiestas tua videt, est enim vir non modò in scripturis sacris, sed etiam in omnibus de religione controuersijs exercitatissimus. Quare si Reip. totius causa à Varmiensi Ecclesia aliquantisper abesse coactus erit, Maiestatem tuam obsecro, ne patiatur eam rem Hosio fraudi esse: si enim præsens nunc Ecclesiam suam curaret, vt publicam omnium salutem iuuare sua opera & consilio posset, non dubito quin Maiestas tua æquum esse statueret, vt à Varmiensi Ecclesia ad vniuersæ Ecclesiæ vtilitatem & pacem procurandam adduceretur. Quum autem publicæ salutis ratio in Concilio Oecumenico satis erit cõstituta, redibit Hosius libentissimè ad Ecclesiam suam, non modò quia id sibi oneris impositum à Deo religiosissimè sustinere pro virili nititur, sed etiam quia Maiestati tuæ gratissimum obsequium se præsturũ intelligit, cui quia plurimum debet, ideò summo quoq; studio dat operam, vt fidem & gratum animum suum probet in eo præsertim munere obeundo, in quo se scit à Deo propter ouium sibi commissarum salutem positum esse. Quare (ne sim longior) Maiestatem tuam supplex oro atq; obsecro, vt veterem clientem suum complectatur. Petit id ab eo Summus Pontifex, petit vniuersus amplissimus ordo, petit atq; contendit summis precibus Respublica Christiana, quorum omnium obsecrationes, & preces pro ea pietate, quam Deo & cõmuni omnium saluti debet Maiestas tua, non dubito quin benignissimè sit exauditura. Valeat eadem fœlicissimè, & me sibi deditissimum beneuolentia sua non indignum esse existimet. Romæ XV. Calend. Junij. M. D. LXI.

Carolus Cardinalis Boromæus, Sigismundo Augusto Regi Poloniæ. Epistola LXXXVI.

Eiusdem argumenti vt præcedentes de Cardinale Hosio.

NON dubito quin R. D. C. Varmiẽsi, dignitas, vt omnibus bonis, sic Maiestati Vestræ iucundissima fuerit, me tamen commouent nonnullorum sermones, qui ita dictitant, quòd Cardinalatum acceperit sibi à Pontifice Max. delatum, periculum esse, ne de illius fortunis, durius aliquid à Maiest. Vest. decernatur, quod mihi quidem non credibile videtur, Maiestatem Vest. velle eum damno multari, quem Pontifex honore auxerit, cùm ipsius R. D. Varmiẽsi. meritis adductus, tum etiam putans ob eam rem gratiam à Maiest. Vest. se initurum. Dicent fortassis illi, qui Varmiẽsi. apud Maiestatẽ Vest. criminari conantur, non debuisse illum Cardinalatum accipere, nisi prius Maiest. Vest. sententiam exquisisset: ille verò cùm cuperet, id facere non potuit: nam Pontificis voluntati atq; imperio parere coactus est. Pontifex enim sic illi edixit, vt parendi necessitatem imponeret. Præterea quid erat, cur Cardinalatum accipere cunctaretur, vt Maiest. V. voluntatem cognosceret, nam ea quidem illi iam satis nota erat, siquidem Maiest. Vest. non modò permittente, sed etiam libente. Nuncius erat Pontificis. num igitur existimaret Maiestatem Vestram nolle se honorem accipere ab eo, cuius vellet negotia gerere? Hæc spero Maiestatem V. pro sua prudentia considerantem, de Reuerendissimi D. Varmiẽsi. facto ita iudicaturam, vt statuat nullam esse causam, quare illi succenseat, atq; vt alia omittam, profectò Maiestati V. lætandum est, ex eiusdem Maiestatis V. Regno in Collegium Cardinalium peruenisse hominem vnum omnium dignissimum Cardinalatu, cuius opera atq; auctoritas Maiest. V. rationibus cùm plurimum prodesse, tùm maximum certè ornamentum poterit afferre, ac nec illud quidem Maiestatem Vest. præterit, clarissimum esse Varmien. nomen, eiusq; volumina extare valdè multa, quibus ille rectas de religione opiniones confirmat, falsas conuellit. Is talis si Cardinalatum repudiasset, quantum sermonis dedisset ijs, qui S. Sedis Apostolicæ dignitatem diminutam cupiũt, quod si accidisset, M. V. summo dolori fuisset, propter veterem erga Pontificem beneuolentiam, & in ipsam S. Sedem Apostolicam obseruantiam. Quare oro Maiestatem V. vt æquum se iudicem Varmiensi præbeat, præsertim in huiusmodi causa, quæ tota ad Pontificis existimationem pertinet. Vt autem hæc ad illam scriberem, non solùm ea ratio me adhortata est, quòd Reuerendissimũ Dominũ Varmiẽsi. summoperè, diligo sed etiã multò magis, quòd in hac re officium meum neq; id mediocre agi arbitrabar, cùm quidem ego is essem, cuius fide illa vteretur, quemq; patronum, quod mihi amplissimum duco Romæ in suis ac sui Regni negotijs haberet. Quod si his literis eam volũtatem, quam Maiestas V. antea habuit erga Varmien. vel retinuero vel recuperauero, summo beneficio me ab illa affectum existimabo. Valeat Maiestas Vest. eamq; Deus Opt. Max. omnibus bonis cumulet. Romæ IX. Calend. Iunij 1561.

Iulio Poggiano. S.P. Epistola LXXXVII.

De religione in Polonia valdè labefactata, de sua ad eam iuuandam voluntate, & de Nuncio Commendono.

Quas

QVas ad me dedisti literas XI. Cal. Januarij, redditæ mihi fuerunt Aprili Mense, qui simul cum eo qui fuit consecutus, varijs negotijs ita me distractum tenuit, vt illis respondere non vacauerit. Nam & in oppido meo Braunspergeñ. reducendis quibusdam ad viam, qui non nihil aberrauerant, & ante, & post festa Paschalia, plurimum à me fuit laboratum. Inde posteà vocatus à Sereniss. Rege meo, Lomsium fui profectus. Vbi breui tempore commoratus, ad Comitia Marieburgensia me contuli, ex quibus ad Ecclesiam meam reuersus, non sine magna animi mei voluptate, Commendonum nostrum in ea excepi, cuius etiam nunc iucundissima consuetudine fruor. Nam inde eum ad hunc residentiæ meæ locum perduxi. Habes igitur causas iustas opinor, quamobrem serius tuis ad me literis responderim. Quæ quàm gratæ mihi acciderint, verbis explicare vix possum. Semper enim amaui te plurimùm, propter multa præclara Dei munera, quibus affatim es illius benignitate cumulatus. Quò magis fui gauisus, cùm literas tuas accepissem, tui vicissim amoris in me testes locupletes. Quibus multa mihi quidem tribuuntur abs te, sed qui mutuam nostram amicitiam perspectam habent, vereor, ne tuum istud de me testimonium beneuolentiæ magis esse quàm iudicij sint interpretaturi. Quod ego quoq; nõ aliter iudico. Quod autem & ipse scribis expetiuisse te, & ab alijs nostri studiosis vehementer fuisse requisitã præsentiam isthic meam, Crede mihi, quòd nec ego tam fui ferreus, vt hoc ipsum non multò maximo studio expeterem. Nihil ardẽtius cupiebam, quàm vt coram Sereniss. Pont. gratam meam voluntatem testarer de tantis honoribus & beneficijs, quibus me immerentem affecit, & Ampliss. Card. & in his illum præcipuè, in cuius nunc te familiaritate esse audio, reuerenter salutarem, ac tanto maiora studij & obseruantiæ erga illos meæ documenta præsens darem, quantò præclaram eorum erga me voluntatem habeo magis exploratam, deinde verò te quoq; tuiq; similes alios, viros pios & doctos complecterer. Sed quam tu causam in literis tuis commemoras, ea me sola retardauit, quo minus huic maiori meo, quàm vestro desiderio satisfacerem. Semper enim ego re præstandam esse potius residentiam (liceat enim per te hoc mihi verbo vti) iudicaui, cùm plurimus de ea sermo incidisset, quàm vt verbis ea de re disceptaretur. Itaq; non me deterruit ab hoc instituto meo, vel patrum, vel Diœcesis huius meæ status perturbatissimus, grauissimaq; pericula, quæ ceruicibus nostris impendere tunc quoq; videbam, nunc verò magis etiam oculis ipse meis cerno, quin potiùs quò maior exorta est tempestas, hoc minus decere me putaui: quãdoquidem & me cuiusdam nauiculæ gubernatorem Deus esse voluit quamlibet imperitum, vt in hoc tanto discrimine muneri meo defuisse viderer. Sat scio rem eò iam loci perductam esse, nihil vt sit in humanis præsidijs spei collocandum: sed quantò certius id exploratum habeo, tanto maiore cum fiducia misericordiam illius imploro, qui potest imperare ventis & mari, & iubere vt taceant & obmutescant. Solet enim ille tunc maximè virtutem suam ostendere, cùm de viribus humanis maximè desperatur. Quòd si non aliter salus periclitantibus præsentari posset, quàm si funeribus illis obruendus, istis objiserer, ipse tantum de illius clementia mihi polliceor, quòd hanc etiam ad rem promptum & alacrem animum esset mihi largiturus. Daret ille quod iuberet, iuberet deinde quicquid veller, haud aliter illius auxilio fretus ad ea obeunda, quæ mortalium animis maximum terrorem adferunt, futurus essem paratus, quàm alij solent ad epulas accessuri. Quod enim esse mihi posset suauius epulum, quàm similem illi calicem gustare pro CHRISTI nomine, quem prior ipse pro nobis ideò gustare voluit, quamlibet amarus videretur, vt ad idem præstandum suo nos exemplo inuitaret? Reuerà nunc ad eadem illa tempora ventum est, de quibus à Paulo fuit scriptum: Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat, cùm ad idem opus vocati videantur, ad quod illo tempore vocabantur, de quibus hæc scripsit Apostolus. Quamuis ego nec Episcopatũ, nec alios honores vllos expetiui vnquam, sed quoniam sic Deo visum est, vt essem hoc loco, precor illius clementiam, vt vires mihi suppeditet, quòpossim eo munere, ad quod me vocare dignatus est, ad ipsius nominis gloriam & Ecclesiæ vtilitatem perfrui. Cæterùm in magnis curis & molestijs, quibus hic afficior, credibile non est, quantam ex Commendoni nostri præsentia consolationem capiam, de quo in patriam nostram Nuntio mittendo quantoperè laborauerim, statim vt ad Ecclesiæ gubernacula Pontifex hic noster accessit, proculdubiò tenes memoria. Sed parùm propitio nobis Deo factum est, vt hoc tanto bono priuaremur, cùm non deessent isthic, neq; desint etiam nunc, qui magis hominum quorundam cupidorum & ambitiosorum commodis, quàm Regnorum, ad quæ mittuntur, saluti prospectum cupiant. Quæ res vt alijs terris nonnullis, ita patriæ quoq; meæ, plus attulit detrimenti, quàm credi facilè queat. Itaq; plus est incommodatum his terris per triennium illud, quo Commendonus noster, cui decreta iam Legatio fuerat magna cum Pontificis voluntate, fuit ab ea reiectus, quàm vt quod neglectum est, ne dicam corruptum, sarciri vel sanari facilè possit. Est is adhuc apud me, ac eius consuetudine diutius frui cuperem, fuitq; nobis propositum, minimè hic esse ociosis, sed de Dantiscanis, deq; hædis meis Elbingensibus ad officium reuocandis laborare, nisi q; hęc nostra consilia pestis perturbauit, quæ grassari Dantisci dicitur. Quærimus nihilominus rationes omnes, quibus si minus collapsæ, iam certè labãti apud nos Ecclesiæ succurri, & eam fulcire liceat, ac sustentare. Tu & ipse Deum precaberis, vt hæc nostra consilia secundet, & pijs omnibus, vt idẽ faciant, auctor eris, præcipuè verò Patri Laynes S. Societatis Iesu Generali, quẽ rogabis meo nomine, vt vnà cum Societate sua Deum sedulò deprecetur, quò vehementer afflictam in his terris Ecclesiam suam, oculis misericordiæ suæ respicere, & quæ grauissima ceruicibus nostris impendere mala videntur, procul ab ea propulsare, non pro

nostris meritis, sed pro sua bonitate velit: vt misereatur nostri, conuertat nos, & auertat iram suam à nobis. Vide autem quàm sit amor minimè verecundus. Nam quasi ius aliquod habeam imperandi, sic tibi mando, vt facias. Sed cùm ex meo in te animo, tuum vicissim in me metior, in optimam id partem accipies, ac de me tibi vicissim polliceberis, nihil esse, quod non tua causa libentissimè sim facturus.

Patri Alfonso Salmerono Societatis Iesu Theologo. Epistola LXXXVIII.

Gratulatur quòd ex Concilio Tridentino ad suos incolumis redierit.

PRimùm tibi gratulor, quòd veneris in Regnum tuum, illud Regnũ, quod non sicut alia, sed κατ' ἐξοχὴν Regnum dicitur, sicut Poëta, Virgilius: Orator, Tullius: Philosophus, Aristoteles. In quo tu regnare mirabiliter diceris, dum non tam corpora, quàm animos hominum tibi subiectos habes. Quodq; magis mirum est, sic in eo regnas, vt Regni sui te consortem esse Rex tuus, non modò non molestè ferat, verumetiam gaudeat. Precor tibi Regnum hoc diuturnum, simul vt post illud benè administratum, iusto cum exercitu, multis millibus comitatus, ad Regnum peruenire queas sempiternum, & in eo mercedem laborum tuorum consequaris. Deinde verò, quòd ὁδὸς πορικὸν mihi tuum describis, gratum est. Quod autem in illud culpam confers, si fortè parùm officiosus, si mirus in scribendo, saltem in salutando fuisti. Tu videris, quam iusta sit hæc excusatio. Si Venetijs aliquandiu degebas, etiamsi quotidiè verbum Dei prædicabas, non dubito tamen, quin aliquando corpus etiam refeceris & in publicum prodieris. Polonum etiam aliquem videris, cui nil aliud saltem hoc dicere potueris, Saluta Cardinalem Hosium verbis meis. Hoc quibuscunq; tandè, quamlibet arduis negotijs tuis, nil prorsus attulisset impedimenti. Sed ego mihi gaudeo, quòd cùm minus inter politos homines versèr, ciuilitate tamen hominè illum tam expolitum superauerim, & prior ei salutem saltem dixerim. Et Venetijs, & Romę tibi rem fœliciter cessisse gratulor. De Nepote meo, tuum istud, ne sit beneuolentiæ magis, quàm iudicij testimonium, non possum non metuere, sed verumtamen vt sit, vehementer opto. Quòd conatus meos in quodam oppido meo contra calicem petentes mihi non infœliciter cecidisse gratularis, non iniusta mihi causa gratulandi esse videtur. Nam est illud primarium oppidum meum, in quo si quid secus euenisset, magnam in ditione mea rerum omnium perturbationem ea res attulisset. De nouis mecum communicatis ago gratias. Faxit Deus, vt Viretum ad officium sanitatemq; reductum esse videamus, sed huc allatũ fuit, per Hugonotos Aureliam iterùm captam esse, quod mihi verisimile non fit, cùm Nonis Augusti literas acceperim ex Vrbe, quibus nihil tale significatur. Nuper à nostris 5000. Moschorum cœsa sunt. Obsidetur etiam Castrum illud, quod ante sesquiannum fuerat à Moschis interceptum, pestis etiam circumquaq; grassatur. Si tibi graue est, crebro me salutare, saltẽ hoc ne fit, quæso, graue, crebriorem in orationibus & sacrificijs mei memoriam facere, quibus me diligenter commendo. Datum Heilspergæ 25. Septemb. 1564.

Hieronymo Osorio Algarbiorum Episcopo. Epistola. LXXXIX.

Respondet literis, & gratulatur, quòd Diœcesin immunem ab hæreticis pestehabeat, sibiq; certamen cum Hæreticis esse significat.

VAs ad me dedisti literas 20. Nouemb. Anni 1566. vbi per tòtum annũ latuerint, satis mirari non possum. Nec enim redditæ mihi sunt, nisi post annum iam transactum. Quo minus mirari debes, si tardius illis respondeo. Quòd autem aliarum quoq; literarum, quas ad me dederis, meminisli, nullas accepisse me recordor, posteaquàm Tridento discessi, quæ mihi res non paruæ fuit admirationi: cùm præsertim ab Andradio nostro non vnas habuerim. Vellem deinceps in transmittendis ad me literis, opera Ioannis Peleæ vtereris, cui procul dubio curæ futurum est, vt & fideliter, & celeriter ad me perferantur. Quam autem diuturnioris tui silentij causam adfers, ea non paruam animo meo molestiam attulit, cùm te semper in cõlumi frui valetudine cupiam, quò maiore cum fructu posses Ecclesię Dei inseruire: quæ si multos tui similes Pastores haberet, minus nunc laboraret. Vehementer autem tibi gratulor, quòd quam gentem tu moderandam susceperisti, non est à studio veræ Religionis auersa, neq; pestiferis disciplinis infecta, nec ab Ecclesiæ consensu distracta. Quàm vellem, vt meæ quoq; Diœceseos idem esset status; cum primis esse me fœlicem iudicarem: verùm, proh dolor, quos mihi moderandos Deus commisit, ij se moderatoris egere non putant: ipsi sibi sunt Pastores & Episcopi, ipsi sibi sunt Concilia, ipsi sibi sunt etiam Summi Pontifices: ligant, soluunt arbitratu suo, ac eò sunt cœcitatis & amentiæ prolapsi, totum vt Orbem Christianum erroris condemnare sint paratiores, quàm vt suum aliquem errorem agnoscant. Homines fuisse dicunt priscos sanctos Patres, errare potuisse, quin & errasse: quasi verò non homines etiam fuerint Lutherus & Caluinus, & si quæ sunt alia hæreticorum portenta: nisi quòd sicut illi Dei spiritu, sic illi Sathanæ spiritu pleni fuerunt, & sunt ex magna parte rudes homines, qui nec rationi, nec auctoritati loci ferè quidquam dant. Itaq; non

non alijs in locis Episcopum mihi agere licet, quàm vbi sum Dominus, vt vulgò loquũtur, temporalis. Effeci tamen, Deo gratiam suam suppeditante, proximis superioribus mensibus, vt reciperetur Dei verbum in Regia quadam ciuitate, quæ primaria est Diœcesis huius meæ, quo misi quosdam è Societate Iesu, qui iam quintum ibi mensem commorantur non sine fructu. Pridem id conabar, sed perficere nõ potui, donec brachio Regiæ Maiestatis eos recipere sunt coacti, quæ bis iam eò suos Commissarios misit. Monasterium nihilominus occupauit Antichristi satelles, quem ipsi vocant Superintendentem, mei verò Parrochialem obtinent. Ad illum fit maior concursus, quãdoquidem totus illi adhæret Magistratus. Sed neq; Christi minister ab auditoribus est destitutus. Nunc eò proficiscor ipse. Faxit Deus, vt aliquem laboris huius mei fructum capere queam. Quos miseram isthuc è Societate Iesu, magnas persecutiones passi sunt, lapidibus etiam aliquandò petiti: sed vicêre tandem patientia sua, magisq; tuto iam esse loco videntur. Ac mei quidem hœdi ministros à me Confessionis Augustanæ dari sibi petunt, à qua se discessuros negant. In Polonia verò deteriore loco res esse videntur. Arriana secta, quin & Anabaptistica, maiores indies vires sumit, & qui cæteris Nobilitate præstant, ex magna parte præstant ijdem & impietate. Deum precor, vt misereatur nostri, simul & vestris precibus, & sacrificijs adiuuari nos peto. Datum Heilspergæ. 2. Aprilis. 1568.

Ioanni Demetrio Solikovvskij Regio Secretario. Epistola XC.

Significat de Merlini hæretici ferocitate, de conuitijs in se iactatis, & de Sebastiani Sathanæ præconis blasphemia, & deplorat quod nemo eorum audaciam coërceat.

GRatæ mihi fuerunt literæ D. V. quibus me certiorem reddit, quomodo Legatio vestra fuerit accepta: tum quæ verbis meis egerit cum Regia Maiest. Metuebam ego quoq;, ne causa cum hœdis meis Elbingẽsi. eum, quem videmus, exitum cõsequeretur. Hoc enim illis persuasum est, & vt persuasum sit, suis viribus laborant, quòd non sit hæc seria voluntas Regiæ M. vt sathanæ minister expellatur. Quòd si vellet Regia M. vno verbo perficere posset, vt nulla perfidia, sed vna tãtùm fides esset in Regno Poloniæ, & adiunctis illi terris, cùm quidquid est est extra vnam fidem, non fides, sed perfidia sit, eam facilè tolleret, si palàm omnibus faceret, se Christianum esse Regem, & quicunq; velit alterius esse fidei, nullos vt ab illius M. vel honores, vel præfecturas, vel officia expectáret. Si semel hoc publicè faceret M. illius, iam ex multorum animis omnis esset sublata dubitatio, & intra paucos annos videremus in Polonia & in Prussia terram vnius labij & eorundem sermonum. Vno ore glorificaremus omnes Deum Patrum nostrorum. Nunc Gedanenses & Elbingenses aliud & sibi & alijs de Maiestate eius persuadent, quin & rumorem hunc spargunt, quòd in proximis Comitijs reiectura sit fidem Christianam, & illius loco perfidiam Augustanã receptura: ita fit, vt illius in causa Religionis mandatorum ratio nulla prorsus habeatur. Vicinus meus Merlinus indies ferocior & insolentior fieri dicitur. nihil aliud quàm Diabolos subinde crepat, & die verdampten vnd laußigen Papisten. Cuidam etiam auctor fuit, vt de Traditionibus ingens volumen scriberet, in quo vix vlla est pagina, quæ plurimis maledictis & probris me non afficiat. Subinde me sceleratum, impium, diabolicum appellat, carnalem etiam, cùm sit ipse magis fortasse carnalis, vtitur etiam his verbis in quodã loco: Quid hie nunc dicet Stanislaus ille non Osius, sed ἀνόσιος & πόνηρος, Episcopus VVarmiens. der in der Belle, si non conuertatur, wirdt in Ewigkeit warm bleiben. Nescio quid in hunc bonũ virum peccauerim, qui mihi linguis omnibus maledicit, Græca, Latina, Germanica. Sed facit hoc Merlini iussu, qui præfatus etiam est in hunc librum, & vt eum edat hortatur. Sed hæc ego risu prosequor magis, quàm vt aliquam ex ea re molestiam capiam, cùm ab hæreticis vituperari, laudari sit. Interea non cessant homines seditiosi pacificos Iesuitas lapidibus petere. Vehementer metuo, ne prius ex illis aliquis occidatur, quàm aliquid à nobis in quenquam statuatur. Sub Turcarum Tyranno maior est Christum confitendi libertas. Bone Deus, in quæ tempora me seruasti? Viuitur absq; lege, absq; Rege, absq; Sacerdotio, absq; Sacrificio, absq; Deo, nec est quisquam, qui summam impietatem, & horrendas blasphemias coërceat. Sebastianus ille Sathanæ præco, contra sacrosanctum Missæ sacrificium quæ non euomit? Ausus est publicè dicere Per Sacerdotem in altari prolatis verbis quibusdam, Diabolum eleuari & ab adstantibus adorari. Hoc nec Lutherus, quamlibet impius, ausus fuit vnquàm affirmare, qui Christum in Missa denuò crucifigi docuit & occidi. Cui querar? Si non est potestas in terris, quæ prohibere possit aut velit, est in cœlo Deus. Ecce autem dum hæc scribo, significatur mihi, quòd glorientur hœdi mei, Iesuitis annuam tantum facultatem Euangelij Christi Elbingæ prædicandi, concessam esse. Volunt autem, vt anni sit exordium, non à prima Dominica Aduentus, sed ab eo tempore, quo primùm Rector prædicare cœpit, cùm lapidibns ab illis peteretur. Sed ego tamen puto, quòd permissuri sitis, vt saltem ad primam Dominicam Aduentus Elbingæ Christus annuncietur. Sic dementatur populus sparsis eiusmodi fabulis, quamuis fieri potest, vt aliquis in Aula dixerit, ad consolandos hœdos meos, vt essent bono animo, neq; enim diutius quàm vno anno Iesuitas Elbingæ duraturos. Datum Heilspergæ 25. Septemb. 1568.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sigismundus Augustus Poloniæ Rex Stanislao Hosio Cardinali. Epistola. XCI.

Respondet ad literas de Elbingen. audacia & facinore scriptas, seq; officio suo Regio satisfacturum ostendit.

QVÆ proximè acta sunt Elbingæ in templis illius ciuitatis, partim ex literis P. Vestræ, partim ex sermone Reuerendi Vicecancellarij Regni nostri intelleximus, remq; ipsam pro eo ac debuimus, grauiter sanè tulimus. Non dubitamus enim hac tanta & tam impia temeritate, non solùm diuinam Maiestatem, quod tamen omnium maximi facimus, offensam esse, non solùm contemptam Reuerend. P. Vestræ auctoritatem, verumetiam nostram ipsius dignitatem regiam esse violatam. Cui quidem, quo magis necessitatem diuinitus impositam esse videmus, tum diutnæ ipsius Maiestatis atque gloriæ conseruandæ, tum omnis tam sacri, quàm polytici ordinis in Regno nostro tuendi atque defendendi, hoc magis dolemus hæc omnia vno eodémque tempore in illa ciuitate tantoperè labefactata esse. Sic enim iudicamus, offensa diuina Maiestate, à qua profluxit dignitas ipsa nostra Regia, spreta etiam & neglecta P. Vestræ iurisdictione, quæ cùm ex nostra primùm nominatione promanasset, fuit postea autoritate Sãctæ Sedis Apostolicæ, cui nos studium & obsequium nostrum libenter dicauimus, confirmata, ipsam quoque dignitatem nostram, offensam & spretam ac neglectam esse. Atque etiam hoc magis, quòd ei ipsi temeritati prætexi isthic scribit Paternitas Vestra, auctoritatem quarundam literarum nostrarum VVarschouien. quas nos, cum omnia nobiscum illorum Comitiorum Acta in memoriam reuocauimus non possumus meminisse, volentibus, aut etiam scientibus nobis vnquàm emanasse. Quamobrem etsi non ignoramus, qua animaduersione res ipsa tanta, & ad tantarum rerum violationem instituta, dignissima esse videatur, tamen hoc tempore pro bonitate ac moderatione naturæ ingenijq; nostri, simúlque pro singulari spe & opinione nostra, quam de illius Ciuitatis Magistratu conceptam in animo nostro habemus, fore vt in eo, in quo Paternitatem Vestram offenderunt, abundè illi deinceps satisfaciant, cõmisimus Generoso Ioãni Koska Castellano Gedanen. totius istius negotij procurationem, nonnulláque addidimus, quæ interim occupationes nostræ permittere videbantur, vti ex illius literis, quas Paternit. Vestræ mittimus, cognoscí poterit. Confidimus profectò illos imperata, præsertim tám æqua & salutaria facturos esse. In quo si nos fortè, quod non arbitramur, spes nostra fefellerit, alia remedia ex communi Iure & legibus desumpta, adhibere profectò non prætermittemus, in eo; ne dubitet Paternitas Vestra: & Deo Optimo Maximo & Paternitati Vestræ, & officio etiam nostro satisfaciemus. Atque hæc quidem Patern. Vestræ ex itinere iam nostro, ad bellum profecturi, scribebamus, à quo nos bello sæpius per literas Pater. Vestræ auocatos & retractos fuisse meminimus. Et profectò pro eo vti, nunquam fundendi Christiani sanguinis cupidi fuimus, sed omnia consilia nostra ad pacem, quod maximè licuit direximus: ita ab hoc quoque bello, si nobis per hostium iniquitatem atque insolentiam, & per nostram prætereà dignitatem licitum fuisset, facilè abstinuissemus. Verùm tanta fuit earum conditionum, quæ nobis ab hostium Legatis ad pacem proponebantur, iniquitas atque indignitas, vt non obscuro nobis indicio essent, nul lam eos pacem ex animo velle, studium modò eius simulare, reuerà sanguinem nostrorum & dominationem atq; tyrannidem in plurimas ditiones nostras appetere, quod quidem vix victo à victore tolerandum videretur. Itaque cùm à bello abstinere propter & dignitatem nostram, & populorum nostrorum salutem atque libertatem non possemus, necessitate magis quàm vlla voluntate nostra, ad consilium huius belli deducti sumus, quod consilium in Dei nomine, quem iustitiæ & moderationi nostræ non esse defuturum planè confidimus, exequi cupientes, iter hoc suscepimus, & ad bellum proficiscimur. Postulamus autem à Paternitate Vest. vt institutum hoc nostrum adprobet, & precibus suis suorúmque omnium Domino Deo, qui omnium bellorum æquus & summus est arbiter, etiam atque etiam commendet, & benè valeat. Datum Trabis XXVI. Septemb. M. D. LXVII. Regni nostri XXXVIII.

Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, Proconsulibus & Consulibus Ciuitatis suæ Elbingen. Epist. XCII.

Iubet vt Sebastianum factiosum ministrum hæreticum eijciant.

SPECTABILES & famati fideles dilecti. Detulit ad nos cum magno dolore suo Reuerendissimus in CHRISTO Pater, Dominus Cardinalis Episcopus VVarmiens. in cuius Diœcesi ipsæ quoque Fraternitates Vest. continentur, positum isthic esse & constitutum per Fraternit. Vestras in Ciuitate nostra quendam ministrum Sebastianum Negengorgel, qui occupato Concionatoris loco apud Fratern. Vestras (quod ipsum, quoniam præter authoritatẽ R. Domini Cardinalis factum est, vitio sanè vacare non potest, cùm ex eo quidem loco ad concordiam potius & pacem, quam Christus salutis

salutis nostræ Dux & author pro peculiari nobis quodam & proprio Religionis nostræ ac professionis Christianæ symbolo reliquit, populum vocare deberet) nihil penè aliud quàm conuitia in Episcopos & reliquos magni nominis magnæq; authoritatis viros, atq; adeò in summos ipsos Christianitatis præsides iacere, & conciones seditiosas ad excitandos modò tumultus populares comparatas habere solet. Ita quidem vt non Dei, sed Sathanæ minister prorsus esse videatur: Cùm aũt ea res voluntati primũ Domini & Dei nostri Iesu Christi aduersetur, aduersetur etiã officio eorum qui rectè & cũ fructu sacris Concionib. præesse volunt, aduersetur moribus & institutis non solum Ecclesiarum, sed etiam Ciuitatum benè constitutarum, & postremò aduersetur authoritati ac dignitati nostræ Regiæ, quibus Respub. pacis, concordiæ, tranquillitatis publicæ, curam demandauit: Idcirco mandamus seriò F. Vestris, omni interposita authoritate nostra, vt hunc istum factiosum hominem, & ad concitandas in pacatis Ciuitatibus seditiones ac turbas natum, quamprimùm facessere isthinc iubeant, inq; loca eiusmodi, ne quem deinceps factiosum aut turbulentum hominem sufficiant, qui aut seditionem in Ciuitate concitet, aut in Episcopos, aut Ecclesiarum proceres inuehatur. Quos sanè Episcopos cùm nos ipsi eo loco habeamus, vt ijs & salutem animæ nostræ committere, & eos consilij ac Senatus Regni participes facere non dubitemus, quantò magis F. Vestris faciendum est, vt ipsis in Ciuitate ista suus ac debitus honos, sua ac debita dignitas conseruetur tecta ac munita ab eiusmodi seditiosorum & turbulentorum hominum maledicentia: quam quoniam procul omninò abesse volumus, idcircò iterum atq; iterum F. Vestris mandamus, ne hunc istum hominem factiosum de quo loquimur, intra vrbem istam diutius esse patiantur, sub grauissima indignatione nostra, si secus, quàm volumus, fecerint. Datum Knissini 26. April. Anno 1568. Regni verò nostri 39.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ. Epistola. XCIII.

Rogat ne Elbingen. precibus & contentioni loci quidquam det, & quid respondere debeat, si Confusionis Augustanæ liberum usum petierint.

AVdio quod profecti, sunt ad S.M.V. Elbingen. fortassis vt ea rescindi curent, quæ sanctè per illam nuper fuerunt constituta. Sed ego mihi tantum de pietate, deq; constantia Maiestatis Vestræ polliceor, nunquàm vt eam commissuram existimem, vt persuasionibus eorum loci quidquam det. Mirum est autem, quòd ita suæ ipsorum saluti inuident. Quid enim aliud à me, quàm salus eorum quæritur? Non habent atrociorem hostem, quàm sunt ipsi sibi: volunt se perditos, cùm ego seruatos cupiam. Nam in perfidia quomodo saluari possunt? Quidquid autem est extra vnam fidem, nõ fides sed perfidia est. Aut igitur perfidi fuerunt maiores eorum & nostri iam inde à 300. annis, quibus Euangelium Christi receptum est in Prussia, aut hi perfidi sunt, quorum peruersam doctrinã sequuntur, quod ego verius esse nil dubito. Per me quod sit iter ad Christum in Bethleem natum illis ostenditur, illi contrà malunt ad Antichristum Islebij natum, cuius verbum, quæ est horrenda Idololatria, vocant verbum Dei, sicut alij Zuinglij, siue Caluini verbum, alij Gregorij nescio cuius, & multorum similium (sunt enim iam infiniti) vocant ipsissimum Dei verbum, & Euangelium Christi. Videt Maiestas Vestra, quorsum res perducta sit. Putant miseri, cum petunt Augustanam Confessionem, se petere Dei verbum. At Andræas Osiander, qui nihilo fuit in doctrina Philippo Melanchtone inferior, vocat illam Philippi verbum, & monet suos, ne mittant VVittembergam liberos, quòd ibi coguntur abiurare Dei verbum, & iurare in verba Philippi. Itidem æquè doctus vir Tilemanus Heshusius, Magdeburgenses diligenter hortatur, ne suos liberos mittant VVittembergam, quòd Augustana Confessio tota sit ibi corrupta. Et est hoc omnibus manifestum, quòd qui scripsit eam Philippus Melanchton, in præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus ab ea discessit, & factus est in illis Christianus siue Papista, in dogmate verò de Eucharistia Caluinista. Si petunt aliquam fidem nouã, cur petunt eam, quæ est in terris Imperij, & nõ potius quæ est in Regno Maiestatis Vestræ, ne videantur ab illo esse disiuncti? Multo est absolutior fides Gregoriana quàm Augustana. Nam illa tectum tantùm Papatus, quemadmodum Tigurina parietes, hæc verò fundamentum ipsum euertit. Quid opus est multis ambagibus? Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, simul potius euertant Papatum, hoc est, Christianismum omnem, quandoquidem verissimè dixit ille. quòd ad hoc cœperunt esse multæ fides, ne vlla sit, ac tantundem habet Maiestas Vestra potestatis ad Gregorianam, quantum ad Augustanam perfidiam concedendam. Annus iam sextus decimus agitur, quòd de illis CHRISTO lucrifaciendis laboro. Quantum autem profecerim adhuc, me vehementer pœnitet. Sæpè illis denunciaui, si qua de re dubitaret eorum aliquis, vt ad me veniret, me fore paratum instruere quenque in spiritu lenitatis. Sed non ferè quisquam ex illis est, præcipuè qui Magistratu funguntur, qui se non esse doctiorem existimet, quàm non solùm Episcopum suum, verumetiam ECCLESIAM vniuersam. Supplex à Maiestate Vestra peto, cùm ad illam venerint, vt eos ad me remittere dignetur: vt à legitimo Pastore suo se doceri patiantur. Exhibeant mihi præclaram istam Confusionem AVGVSTANAM: ego ex ipsorum libris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

libris, quantis ea scateat erroribus, ostendam. Nam nec ex Lutheranis desunt, qui vocant eam Cothurnum vtrique pedi aptum, fonsque caputque malorum omnium (quæ nuncin Germanijs & in Gallijs videmus & ingemiscimus) non est alia quam Augustana Confessio. Quamobrem illam primum omnium extirpandam curet Maiestas Vestra, si vult Regni sui tranquillitatem conseruare. Quanquam vt eijciatur sathanæ minister, quem alunt Elbingenses, ego nunc non instо: tantum hoc instо, & supplex peto, liceat Euangelium CHRISTI ministris eius in Ciuitate Maiestatis Vestræ prædicare: liceat eam fidem profiteri, cuius esse Maiestatem Vestram, certò persuasum habemus: liceat sub Rege Christiano, Catholico, & Orthodoxo, quod etiam sub Turcarum Tyranno licere scimus. De ministro Sathanæ postea videbimus, dummodo nihil interea contra DEVM isthic obtineant, quod vt cauere Maiestas Vestra velit, etiam atque etiam maiorem in modum peto. Datum Heilsperg æ 82. Iannuarij 1568.

Antonio Cardinali Amulio.
Epist. XCIIII.

Respondet ad consolatorias de morte Ioannis Hosij Nepotis, qui Romæ obierat, & de suis scriptis, déque vita Ecclesiastico-rum in melius emendanda.

AGnosco singularem beneuolentiam in me tuam, qui de morte Nepotis mei, quem reuera charum habui, me tam amanter consolaris. Verum quo fuit mihi charior, hoc minus dolore debeo, quod sit ad meliorem vitam translatus. Nam hæc nostra, tot & tantis plena est calamitatibus, vt non frustra celebrari sententiam illius à multis videam, qui dixit, Optimum esse, non nasci, vel natum, citò mori, cum in ea tempora inciderimus, quæ summam animis nostris perturbationem adferunt. Sit nomen Domini benedictum. Confessionis nostræ librum, tanti viri iudicio probari, gaudeo: cuius conscribendi laborem non alia mente suscepimus, quam vt nostris hominibus: quibus cum patria nobis cōmunis est, quos doctrinis varijs, & peregrinis abduci videbamus, aliquid prodesse possemus, ad eos à diuersis erroribus reuocandos. Itaque sicut quidam olim dixit, Tarentinis tantum & Consentinis se scripsisse, sic & nos Polonis & Lithuanis hæc scripseramus. Vt autem viris etiam tanta prudentia, tam excellenti doctrina iudicioque præditis probarentur, vix optare, nedum sperare nobis in mentem venit: verum in hoc singulare DEI beneficium agnoscimus, quòd auidius etiam ab alijs, quam ab his, in quorum gratiam scriptus est, librum hunc nostrum non sine quadam approbatione, neque sine fructu legi videmus. Est autem ita, sicut prudenter animaduersum est à te. Quod mores nostri corrupti, præcipua causa fuerunt harum tot sectarum, quibus miserandum in modum dissectam nunc Ecclesiam esse cernimus: nec mihi videtur adeò magnus esse labor in Ecclesiæ dogmatibus adstruendis, & peruersis hæreticorum opinionibus refutandis, cum simplex sit veritatis oratio: Sed cum ad mores nostros ventum est, ex quibus fidem illi nostram, quamuis malè, metiuntur (cum ex fide persona, non ex persona fides censenda veniat) fateor me non inuenire, quod respondere possim. Nam sicut in ipsorum erroribus refellendis nostra, sic in moribus nostris arguendis ipsorum est veritas, quam factis non verbis refutatam à nobis oporteret: nec video quid ea de re scribi possit, quòd non multò melius iam inde à multis sæculis, atque adeo ex illo ipso tempore, quo sanctorum Patriarcharum & Prophetarum libri primum in lucem prodierunt, conscriptum fuerit, sed est vnus magister noster, qui Cathedram habet in cœlo, qui nisi docuerit intus, frustra foris lingua perstrepit humana, frustra calamus etiam ad scribendum sumitur. Quamobrem ille rogandus est, vt his animarum nostrarum morbis, quibus grauiter admodum laboramus, medicinam aliquam faciat. Nam incassum plantauerimus, incassum rigauerimus, incassum omnem laborem sumpserimus, si non ipse dederit incrementum, qui solus potest ex publicano Euangelistam, ex persecutore Apostolum, ex latrone ciuem facere Paradisi. Cum fuissem Trideti, memini quendam ad me venire, qui diceret: Non aliam ob causam ad Concilium se venisse, quam vt ratio posset inueniri, qua corrupti mores Ecclesiæ emendarentur. Nam de reducendis in viam hæreticis, nullam sibi spem subesse. Cui repōdi, Mihi non minus difficile prius illud, quam posterius hoc videri, præsertim in Germania ac exempla protuli, quibus demonstrare sum conatus, nihil difficilius præstari posse, quam vt collapsi mores isti restituerentur, quòd me tuendum sit, ne reperiantur etiam inter Catholicos, qui citius ad castra Christi perduellium defecturi sint, quam vt quædam in suis moribus emendari patiantur. Ita nunc est hominum vita dissoluta, vix vt vlla disciplina ferri posse videatur. Quamobrem DEVS præcandus est, vt ipse faciat, vt faciamus, & in suis iustificationibus ambulemus. Vtinam autem tales multos hoc nostrum sæculum haberet, qualem esse te, multorum ad nos sermone perfertur, quos Euangelij non puderet, qui per se munus ipsi suum obirent. qui quod audiunt, id esse contenderent: nunc audimus quidem omnes Episcopi: sed quotusquisque est, qui non erubescat Euangelium, quem sui muneris huius non pudeat. qui suo ministerio fungatur ipse, præsertim in his terris ad Septemtrionem vergentibus, in quibus non maius est hyemis, quam pietatis frigus. Reditus quidem Ecclesiarum, vt ad nos integri perueniant, nihil curæ diligentiæque prætermittimus: vt autem peru

peruigilemus pro animabus eorum, quorum cura nobis est concredita, tanquam rationem pro illis reddituri, non ita multum ad nos pertinere putamus. Quamobrem supplici voce precandus est Deus, vt Ecclesiæ suæ multos tui similes det Episcopos, Quod si fecerit ille pro sua misericordia, breui repurgatam illam à sordibus istis videbimus, propter quas multis factі sumus odor mortis in mortem. Quod superest, vitam tibi diuturnam precor & eam incolumem, quo maiorem in vinea Domini fructum adferre queas: De me verò ea tibi promittas omnia, quæ de homine tui studiosissimo, deque seruitore tibi addictissimo. Non fallam opinionem hanc tuam. Datum Heilsperg. XIIX. Ianuar. M. D. LXV.

Antonio Cardinali Amulio.
Epistola. XCV.

Tractat de sententia Gregorij Nysseni, de libris veterum, Patrum, Romæ imprimendis, de centuryis hæreticorum, refutandis, de Synodo Francofordiana, & de impurissima ministrorum verbi Diaboli vita.

PAuli Manutij typis excudi lucubratiunculas nostras, & quidem Romæ, diligenter etiam in id opus incumbi, iubens admodum ex literis Illustrissimæ D.V. cognoui, Cui magnam hoc nomine debeo gratiam, quandoquidem id illius opera potissimum est effectum, vt labores nostri, tanti fierent. De sententia quadam Gregorij Nisseni, vbi de oblatione in Cœna agitur, magnam audio fuisse disceptationem: Ferenda ne esset, an auferenda ex libro. Video quod medium quiddam estis secuti. Nam nec ferre, nec auferre voluistis integram, sed priore particula posita reliquum omne, quod sequebatur, & quod ad rem faciebat maximè, sustulistis. Ego verò nihil dubito, quin magno iudicio factum id sit, cui cœdo non inuitus. Sed, quod bona cum venia scriptum velim, vehementer metuo, ne plus nimium suis affectionibus quisquam indulserit. Necenim defuerunt in Sac. Concilio Tridentino, qui grauiter oblationem in nouissima Cœna factam oppugnarent, quod haud scio, an vnquam antea pari contentione factum sit, atque hoc infœlici nostro primum à Luthero, deinde à reliquis sectatoribus illius: quamuis & Petrobrusiani & Henriciani, Bernardi sæculo, non dissimile quiddam tentasse videntur, & qui post hos Missæ sacrificium oppugnarunt. Quibus itaque visum non fuerat, vt aliquid in Concilio Tridentino statueretur, de oblatione per Christum in cœna facta. quos non ita multos fuisse constat, sententiam hanc Gregorij Nysseni, cuius authoritate se valde premi videbant, grauiter oppugnarunt. Verum ex altera parte, fuere multò plures Patres excellenti doctrina pietatéque præditi, qui fortiter eam defenderunt: quorum etiam tandem obtinuit sententia, quam ego tanto veriorem esse persuasum habeo, quod synodi totius consensu fuit approbata. Sed nec illud ambigo, si nullum affectum, sed sanum aliquis intellectum afferat horum Gregorij Nysseni verborum, nihil in eis repræhendi rectè posse, cum nullus in eis error ab his depræhensus fuerit, qui doctrinā de oblatione in Cœna factam tuebantur, Hieronymi opera isthic excudi pridem acceperam, quorum bonam partem iam esse perfectam gaudeo. Est certè dignum hoc opus, quod in vrbe, quæ caput Orbis est, cui tam præclarum ille tribuit elogium integritatis fidei conseruatæ, Pauli Manutij typis imprimatur. Atque vtinam in id studium incubuissent ante XXXX. hos annos Pontifices, non vidissemus tot venena pro antidotis propinari, atque tot ita grauibus incommodis Ecclesiam Dei vexari. Verum Hæreticorum incredibili quadam diligentia, nostra verò plus quàm supina, nec vnquam satis deploranda neglientia, factum est, vt hoc essent loco rationes Ecclesiæ, quo nunc eas esse, maximo cum animorum nostrorum dolore cernimus. Satisne quisquam calamitatem hanc nostram deflere possit, quod quicquid est, Catholicorum & Orthodoxorum veterum scriptorum eos, antequam in hanc tam piam mentem verè Pium Pontificem hunc nostrū, Deus impulisset non ex ea Vrbe, vbi Cathedræ semper Apostolicæ viguit Principatus, cuius fides Pauli testimonio laudata semper & illibata permāsit, nec ex alia quapiam Catholica Ciuitate, verùm ab Hæreticis & his Sacramētarijs, à nescio qua Basilæa mirandū & miserandū in modum corruptos & deprauatos hactenus petere necesse, habuimus: Sæpè cum in Vrbe essem, nostrā hanc infœlicitatem deploraui, idque tanto magis, quod acciderat, vt cum à Bibliopolis emere vellem, quatuor præcipuorum Ecclesiæ Doctorum opera, negaret Bibliopola licere sibi vendere, quod Edicto Pontificis cautum esset, ne faceret. Hic ego liberius fortasse, quàm illa tempora ferebant, sed iusto, sicut mihi visum erat, dolore percitus. Quid est hoc, inquam. Itáne conceduntur hæreticis arma, quibus Ecclesiam oppugnare possint? Catholicis contra, qui pro virili sua, tueri illam ac defendere sunt parati, auferuntur? Cur in eam potius curam non incumbimus, vt qui libri sunt hæreticorum opera deprauati, correctos eos & emendatos recudendos curemus, quò sic non destituantur suis etiam armis Catholici. Vidisse me, cum corrupta moneta prohiberetur, quod non defuerit alia, qua liceret nihilominus necessaria sibi quemque comparare. Nunc autem omnis moneta prorsus interdicitur, nec alia melior excuditur. ac prohibetur, ne cum sanctis illis Patribus à quibus recta fide imbuti, & ad omnem pietatē sumus instructi,

commercij

Universidad de Deusto
Biblioteca

commercij quicquam habeamus. Has ex me voces plures tum audiuerunt, etiam ex Collegio, in quod vterque nostrum posteà fuit cooptatus, quas certè iustus quidam dolor extorserat. Nam vnde nobis natæ sunt Centuriæ, quarum Illust. D. V. suis in literis meminit, quàm ex eo, quòd & in edendis, & in euoluendis priscorum Patrum libris, tantum studij posuerunt hæretici, cùm à nobis, qui per Dei gratiam Catholici sumus, prorsus negligi viderentur. Multos cernere licuit proximis superioribus annis, qui præter Thomam aut Scotum vix alium quenquam authorem legerent, quodq; magis dolendum est, ne sacra quidem Biblia, quæ diligentius euoluerent, digna iudicarunt. Et credat Illustrissima D. V. non esse contemnendum laborem hunc Hæreticorum, in istis Centurijs conscribendis. Cum enim viderent ad confirmandam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, cuius membra sumus, vno omnium fortissimo argumento nos niti, quòd per ordinem sibi succedentium Episcoporum & Sacerdotum, ad nos nobis per manus tradita peruenerit, primùm successionem hanc vehementer oppugnarunt, quod non ad certas personas, aut certa loca, sed ad Euangelium, & ad Dei verbũ, Ecclesiã alligatam esse dicerẽt. Posteaq̃ verò, nõ succedere sibi cõmentũ hoc suum viderent, hanc viã ingressi sunt, vt editis Centuriarũ libris, ad se, nõ ad nos pertinere, veræ doctrinæ successionẽ hanc, imperitioribus psuadere conarẽtur. Quos certũ est nõ mediocriter impelli per hunc modũ, vt vel deficiãt ab Ecclesiæ sana doctrina, vel postq̃ semel defecerunt, tantò magis obfirmatis animis, in errore suo persistant. Verùm interea quò vehemẽtius oppugnatur veritas, hoc min⁹ expugnari potest, quin ea tãtò clarior & illustrior efficitur. Labor hic hæreticorum non maiorem ipsis, & eorũ sectatoribus, quàm Catholicis & Orthodoxis fructum attulisse videtur. Nam ex eo contrarium eius, quod ipsi docere conantur, liquidò demonstrari potest. Quod ipse quoque facere me posse diuino fultus auxilio sperarem, nisi & ætas & valetudo mea affecta, ab hoc tam graui labore suscipiendo me deterreret. Octo iam Centurias eorum vidi, & magna ex parte legi, nonam in horas expecto: nec me legisse pœnitet. cùm in eis multò plura repererim ad sanam Ecclesiæ doctrinam, quam nos profitemur, confirmandam, quàm ad ipsorum errores tuẽdos pertinentia. In octaua Centuria pluribus tractant de cultu imaginum, & hoc agunt, vt septimam Synodum sub Constantino & Irene Nicææ habitam, tanquam falsò vniuersalem appellatam reijciant, & eam, quæ paulò ante sub Constantino Copronimo celebrata per posteriorem hanc fuerat cõdemnata, Oecumenicam fuisse doceant. Quam ad rem abutuntur etiam autoritate Synodi, quæ fuit Francofurti, regnante Carolo Magno congregata, per quam abrogatam esse volunt Septimam illam, quam nos pro vniuersali agnoscimus, vtcunque fuerit, imaginum vsus in ea retentus. Quam Synodum Francofurdien. nondũ vidi, præterquàm ita vt scripta est à Centuriatoribus. Cæterùm vidi quoddam opus sub Caroli Magni nomine contra Synodum illam Nicænam, sed magis etiam contra Constantinopolitanam, quæ septimam se dici voluit, conscriptum, cùm Tridenti fuissem, & cùm publicè prostaret emi, quod vt esse Caroli credam, adduci non possum. Non dubito, quin liber hic in multorum versetur manibus, quò maius operæpretium vos isthic facturos esse censerem, si rei veritatem diligentius inuestigandam, & de Synodo illa verum iudicium conscribendum curaretis: quam habitam fuisse scio, quòd autem ita sit habita, sicut ab istis Centuriatoribus in eorum libro insertam vidi, non puto. Temporis illius historiam, quod ad Synodum hanc attinet, non satis cognitam habeo, sed vidi Chronicon quoddam Abbatis Vrspergensis, qui vixit ante annos plus minus 300. vbi meminit Synodi magnæ Francofurti collectæ, in qua Adriani Papæ Legati adfuerunt, & est in ea Fœlicis hæresis condemnata. Mox addit hæc verba: Synodus etiam, quæ ante paucos annos in Constantinopoli congregata sub Irene & Constantino filio eius, septima & vniuersalis ab illis appellata, vt nec septima, nec aliquid diceretur, quasi superuacua, ab omnibus abdicata est. Blondus Franckoforti nullam facit mentionem, sed in Franconiam scribit fuisse missos Cleophilaccium & Stephanum Episcopos ad Carolum ab Adriano Pontifice, qui Germanorum Francorumq; Synodum congregaret, in qua hæresim Fœlicianam, & Synodũ de Imaginibus deponendis, quam Græci falsò septimam appellabant, condemnarunt. De Synodo Nicæna secunda verbo non meminit. Nec mihi fit verisimile, cùm ad Synodum Nicænam secundã suos Legatos Pontifex Adrianus miserit, quorum sententiam de veneratione Imaginum Episcopi, qui tum fuerant congregati, sunt secuti. Quod idem Pontifex Franckofurtum alijs Legatis missis, ab illis paucis admodùm annis interiectis diuersum aliquid eadem de re statui permiserit. Mitto autem Illust. D. V. ex illius Caroli opere, de quo paulò antè meminì cap. 6. lib. 1. descripta quædam, ex quibus cognoscet, quàm præclarè de Sede Apostolica, deq; illius authoritate sentiat Carolus. Quod si facit ex animo, quo iure Synodum abrogari vult? cui præfuerunt illius ipsius Pontificis Legati, sub quo Synodus Francofurdiensis congregata dicitur. Mitto prætereà schedam iuxta quam in cap. 23. Confessionis nostræ, vbi materia hæc obiter tractatur, quædam correcta cuperem, quamuis metuo, ne post festum, quod aiunt, veniat, neq; propterea tamen mississe nocebit. Porrò, quòd quorundam diuersas opiniones recenset, de eo, num respondendum sit nécne: nec defuisse scribit, qui diceret, nihil pensi habendum esse, meam etiam ea de re sententiam requirit, vehementer cuperem, is vt esset rerum nostrarum status, vt hos tantos hæreticorum labores, in segregandis, quos pretioso sanguine suo Christus congregauit, pro nihilo ducere liceret. Sed quorsum res perducta sit, dum nihil isti non faciunt, vt segregent, contrà pensi nihil habemus non opus est pluribus me scribere, cùm etiã tacente me satis res ipsa loquatur. Modò non edita voce clamat hoc Germania, Gallia, Anglia, Vngaria, Polonia, Boëmia, Suetia, Dania, nullam Ecclesiæ maiorem perniciem adferri potuisse, quam tantam istam hæreticorũ in illa diffecanda diligentiam, nostram autẽ adeò supinam in eius vnitate retinenda negligentiam. Quod est enim Regnum ex his, in quo doctrina Christianæ Religionis & fidei non sit mirabiliter multas in sectas dissecta, cuius rei quam aliam esse causam dicemus, nisi quod eorum apud multos obtinuit sententia, qui censebant, Pensi nihil habendum esse. Quid autem est facilius, quam vincere non repugnantes, cùm Deus, vt est in prouerbio facientes adiuuet, Quamobrem non contemnendum, sed imitandum potius duxerim hoc hæreticorum tantum studium, vt quod illi faciunt pro suis falsis dogmatibus adstruendis, idem à nobis fieret, pro sana Ecclesia doctrina tuenda & confirmanda. Neque tamen ex professo scribendum aliquid contra Centurias istas censerem, sed operam dandam potius, vt aut ijs vijs, & rationibus, quas Centuriatores isti persecuti sunt, aut alijs potioribus, quæ proculdubio viris ingenio, iudicio, doctrinaque præstantibus, quales plurimos Vrbs habet, defuturæ non sunt, veritas omnibus patefieri, falsitas autem istorum à nostris aliud agentibus in lucem proferri possit. Verbi gratia. Tractatur in 1111 Capite de doctrina: sit ea doctrina iustificationis, quæ fuerit illius sæculi Patrum de ea sententia, traderetur, & quod illi næuum esse dicunt, præclaram id illius temporis Ecclesię formam esse doceretur. Si quid autem ab vno aliquo scriptum foret, quod secus intelligi posset, id aut commoda interpretatione leniretur, aut post tantum etiam posteriorum sæculorum consensum pro næuo duceretur. Sed ego sum ineptus, qui sus, quod aiunt, Mineruam doceam, & noctuas Athenas mitto: verum hucineptiarum humanitas me tua perduxit, dum à me, qui consilij sum inops, consilium sibi dari postulat. Quæ de Calice meminit, deque cælibatu, quid scripserim Georgio nostro, cum essem in Comitijs Petricouiensibus, memoria non teneo: verùm hoc scio, quod Quinque Ecclesiensis Episcopus Cæsareæ Maiestatis ad summum Regem meum Orator, coram pluribus palam confessus est, vehementer se pœnitere, quod cum esset in Concilio Tridentino, tanto studio contendisset, vt Calicis vsus Laicis concederetur. Nam ex ista concessione non solum nullum fructum, verum etiam plurimum detrimenti terras illas accepisse, quod non semel etiam audiuit ex eo, testis omni maior exceptione, q S.D.N. Legatum apud nos agit, Illustrissimus D. Cardinalis Comendonus. Ego Deo gratias ago, cuius hoc solius beneficium agnosco, nec satis vnquam prædicare queo, quod hac proxima superiore Quadragesima minus mihi negotij Calix exhibuerit, quàm ea quæ præcessit. De cælibatu verò quid scribam? Vehementer metuo ne si permissæ fuerint Sacerdotibus vxores, eundem quem ex Calicis permissione fructum consequamur. Nec enim video, quod eorum, qui segregauerunt seipsos, vt ipsi vocant, coniugia castiora sint, quam quorundam nostrorum sacerdotum cælibatus, cum non multò pauciores apud eos adulteros, quam apud nos Concubinarios reperire licet: Qui mihi finitimus est Dux, quem præcipuum habet verbi nescio cuius, hoc scio, quod nõ verbi Dei ministrum, is duas habet superstites vxores, nec tamen hæc eum res quicquam impedit, quo minus quod ille prædicat Euangelium, Deique verbum esse censeatur. Habuit alius non ita pridem tres in opido Regio iurisdictioni meæ subiecto, quod me tamen Episcopum iam non agnoscit. Adeo hoc est apud istos vsitatum, vt simul vt visum eorum alicui fuerit, abijciant vnam, & aliam sibi fœminam iungant, ac tertiam etiam vt pro crimine non habeatur, ac modo non in laude ponatur. Quin & à stupro non abstinent, sicut recens exemplum in oppido Legnicensi, quod est in Silesia, cuiusdam coniugati Ministri, videre licuit. Quod autem à me sibi consilium dari postulat, quosnam libros potissimum excudendos esse censeam, id mihi mirum accidit. Quod enim ego consilium ea de re præstare possum in ijs propemodum extremis Orbis Christiani partibus. Habet istic Cornucopiæ quoddam, ex quo rectè petere potest omnia, Illustrissimũ Cardinalem Scirlętum, habet Franciscum quoque Torrensem, duos librorum helluones (si modo mihi fas est hoc vti nomine) ij suggerere possunt, qui libri potissimum edendi sint. Citat in libris suis Torrensis quædam B. Ephrem præclara opuscula, quæ cum tribus in locis typis mandata sint, alia eius multa scripta, in nullo tamẽ illorum exemplo mihi videre licuit. Citat & Sixtum de castitate, qui rectè poterat adiungi reliquis libris, quos nuper de Virginitate non paucos Manutius edidit: tum & Magnetem & Anastium, & alios multos, quos insontes in carcere clausos tenet. viderit ipse qua conscientia. Non semel audiuit ex me cum essemus Tridenti: Quod si Confessor illius essem, non prius eum absoluerem, quàm stipulata manu promisisset, se non diutius tam præclaros authores in carcere clausos retenturum, sed in lucem aliquando tandem emissurum. Cum ijs agat Illust. D. V. aut si qui sunt horum similes. Sed ego longior sum, quam initio proposueram. Fecit autem hoc singulare studium erga te meum. Nam cum amari me videam abs te, quandoquidem proprium est amoris, vt coniungat: aliter autem, propter tantum locorum interuallum, id præstari non potuit, saltem per has literas meas, vt aliquanto diutius tibi coniunctus essem laboraui. Quo ad enim illis legendis operam dederis, à me disiunctus esse non poteris. Porrò de me rectè tibi pollicere licebit, quòd nullum habeas tibi coniunctiorem, & qui te magis amat atque obseruat. Datum Heilspergæ M. D. LXV.

Pius Papa V. Stanislao Hosio Cardinali.
Epistola XCVI.

Hortatur vt pernicioſis hæreticorum conatibus obsistat, & alios Regni Episcopos suis cohortationibus ad idem studium excitet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dilecte fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Quia hæreticorum morem nouimus: & odium, quo Ecclesiam Catholicam & Ecclesiasticum ordinem insectantur, non dubitamus eorum fautores, in Comitijs istius Regni molituros, quicquid poterunt aduersus Religionẽ orthodoxã. Itaq; pro officij nostri munere cohortandos & admonẽdos duximus Venerab. fratres Archiepiscopos. Gnesnen. & singulos Regni Episcopos: vt tali tẽpore officij sui memores, vna mẽte aduersarijs sese opponant: eorũq; pnicios conatibus constanter obsistant. Hac te hortatione non egere scimus. Nouimus enim perpetuum & singularem tuum Zelum diuini honoris. In memoria habemus maxima tua erga Religionem Catholicam merita. Itaque confidimus non modo non expectaturum te hortationem nostram: Sed tuis ipsum cohortationibus excitaturum eosdem Episcopos, ad præstandum fideliter Deo, & patriæ, & gregibus sibi commissis officium suum: & laicis Catholicis, ijsdem Comitijs de more interfuturis, causam Religionis diligentissimè commendaturum: omnibus denique officijs cum Serenissimo Rege, & alijs functurum: qua pietate erga Deum tua, & fide, ac deuotione erga sedem Apostolicam cuius insigne atque honorabile membrum es. Interea verò nos non sine maxima animi solicitudine exitum ipsorum Comitiorum expectabimus: quæ nos solicitudo cogit, licet hortatione te non egere nos scire dixerimus, tamen non modò hortari te: sed etiam obtestari: vt omni studio, cura, & diligentia hæreticorum consilijs occurras: & ad Religionem Catholicam tuendam, ita incumbas: vt exemplo tuo Catholicis omnibus animos augeas. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII. Martij. M.D.LXVI. Pont. nostri Anno primo.

Ioannes Kotkiewicz Capitt. Samogitiæ Stan. Hosio Cardinali. Epistola XCVII.

Respondet ad literas exhortatorias.

Redditæ sunt mihi literæ Pietatis Vestræ Reuerendissimæ 22. Iunij, quæ cum nomine occasionis mihi oblatæ, ad coëundam colendamque sanctè amicitiam cum R. Pietate. Vestra fuerant perquam gratissimæ, tum eo magis, quod datum est mihi videre, veluti in speculo candoris, ingenuitatis, vereque Christiani animi specimen cumulatæ in te virtutis pietatisque eximiæ, quam me reddere Ecclesiæ Romanæ percupis. Non minus aut post lectas literas, perlecta quoque parte voluminis ad me missi, tantæ eruditionis ingenijque magnitudinem admiratus, mihi patriæque nostræ gratulabar, tantum virum, Orbisque Christiani non postremum lumen, è nostris Lithuanicis tenebris exoratum toti mundo lucere: Non minus oblectarunt me litteræ datæ ad Dominum Rotundum nostrum, ex quibus non solum iactæ amicitiæ fundamenta, sed in dies auctæ cupere te. Quam mihi lucubrationes tuæ placuerint, quoque animo acceperim literas ad me datas, an etiam aliqua spes de me ad Ecclesiam reuertendi esset, intellexi. Primo igitur loco excusatum me velim esse P. V. vt qui non socordia aliqua, sed obrutus penè negocijs, munis amicus noster Dominus Rotundus optimus testis est, me in hac mole negociorum manicis tractatibus, qui sæpius ineptiores cum sint, facilè te concipere non dubito, quantograuibus leuissimæ mutationes eo me perduxerunt, vt semimortuus vix animam trahẽs, colicis & calculi doloribus implicitus, in patriam reuerterer}. Quamobrem non dubito Pietatem Vestram hac mea vera excusatione contentum fore. Quantum ad librum attinet mihi missum, quem vt lubens vidi, sic lubentius legi, lubentissime plæraque de Iustificationis articulo elegantissime explicata, & sufficienter in omnibus docteque probata hausi: ita vt si singula hisce correspondebunt, Regis Agrippæ verbis vtendum mihi erit, Paule in parte mihi persuades, vt Christianus sim. Nõ solũ ea omnia quæ legi elegantissimè scripta, sed mihi si authoritate scripturæ magis rationibus producta plurimo consensu Ecclesiarum Doctorúmque sententijs suffulcira cum sint, facile non mihi, qui præter arma nihil aliud melius tractare sciam, sed doctissimo cuique satisfaciunt. Legam igitur atque relegam librum, cupiens ex animo mentem eam à Deo mihi dari, vt quæ sunt lucis potius quam tenebrarum, Christiano amplecti possim animo. Hoc tamen volo vt de me scias, me esse plusquam pertesum tot nouitate rerum, tantisque crebris mutationibus in hac (quam vocant) Euangelica religione, ita vt tandem desperare videar, eos posse habere aliqua in parte dona Spiritus sancti. Lutheri enim dogma plusquam crudum est, & nisi carnibus licet vtendis sibi apud scripturę vulgũ fidẽ facere vix credo aliqid forè, nihil rationi esse cõsentaneum, facile quisque palpabit. Caluinus Geneuensisque Ecclesia subtilius res diuinas tractat, formam tamen Ecclesiæ antiquam non videtur retinere in obedientia & disciplina quadam stricta. Orationes & ieiunia exercendo non videtur à doctrina Apostolica discrepare, cui ego ob has causas ex parte deditus sum. Reliquæ verò Euangelicæ sectę hoc nomen Euangelij à quatuor Euangelistis accepisse videntur, sed forsan à Iuda Iscariotis si

tis, si quod eius euangelium extat, vt qui CHRISTVM contemnant, eius mortem, resurrectionem ad salutem nobis nil contulisse dicant, æternitatem eius negent, natumque ex MARIA muliere & Ioseph naturaliter, ex DEO verò tantum communicatione diuinitatis euiusdam, impudenter affirmant. Proinde hæc gradatio religionis cum quò longius prouoluitur, eò fœdioribus irridetur erroribus, nullum dubium mihi in eo faciunt, nec Ecclesiam, nec verbum DEI, nec veritatis quicquam penes eiusmodi monstra esse. Sed cum longo vsu imbutus esse mihi videar huiusce opinionibus, quæ mihi sæpius ante oculos positæ videntur, summæ rationes, quibus illi transubstantiationem negare, oblationemque fieri iterum CHRISTI secundum ordinem Melchisedech non posse, firmiter contendunt. Rogo dignetur Pietas Vestra genuinum sensum eius rei mihi perscribere. hoc enim vnum est, cui maximè hæsitans inhæream, veritus ne quid Capharnaiticum in eo committam, tum quod amplius offerri posse Apostolus apertè neget. Ea in re si mihi dabitur tantum Pietatis Vestræ, vt non tædium sibi ducat hunc scrupulum mei causa discutere, deque meliori forma opinionem meam flectere, faciat non solum dignum tanta eruditione, qua est præditus, officium, & beneuolentiæ suæ in me euidentissimum dabit signum. quod si ita fœliciter (de quo minimè dubito) vt iam explicitus his quæstionibus pacato animo in eo figere possim & officio Cardinalis Ecclesiæ, & amicitiæ vinculi eruditionisque eximiæ suæ non minimum signum erga me demonstrabit. &c.

Ioanni Kotkiewicz Capitanio Samogitiæ. Epistola. XCVIII.

Iterum adhortatur vt ad Ecclesiam redeat primo quoque tempore, & ad eius literas respondet.

QVOD D. Vestra serius literis meis respondit, excusatione opus non fuit. Nam cum diuersa sit illius professio, quandoquidem, non sine magna sui nominis gloria bellicas res administrat, etiamsi multò serius respondisset, non eram tamen id nisi in optimam partem accepturus. Libenter, quod res est, fatebor, me nunquam à Dominatione Vestra, quam rei militaris potius, quàm literarum scientia præditam esse, persuasum habebam, tam Latinè & eleganter scriptam epistolam expectasse, addam, & tam humaniter, neque facilè credere animum induxissem, quod eam ipsa scripserit, cum qui sunt excelso loco, aliorum opera in scribendis literis vti soleant, nisi Rotundus noster in suis ad me literis affirmasset, quod Epistolam hanc absque Theseo, quod aiunt, ipsa Dominatio Vestra confecerit: ex qua fuit mihi pergratum cognoscere, quod & literas & lucubrationes nostras cumprimis gratas sibi accidisse declarauit: quò libentius faciam, vt erebrioribus etiam literis deinceps Dominationem Vestram appellem. Fuit autem & illud cognitu periucundum, quod Lutheri dogmata tanquam crudum, & neque scripturis, neque rationi consentaneum se detestari profitetur Gestiebam lætitia cum hæc legerem, sed ea non leuiter contaminata est, simul vt paulò post eam ex Parte, Caluini dogmati deditam esse cognoui, quem longius, quàm Lutherum, in impietate progressum esse constat. Nam & ipsam veritatem de veritate sui corporis & sanguinis in Eucharistia dicentem, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, arguere mendacij veritus non est, cùm nullum esse possit magis expressum & dilucidum DEI verbum, quàm sit hoc. Quin & ijs, quos meritò Dominatio Vestra detestatur quorum eò processit impietas, vt & Sanctam Trinitatem blasphemarent, & CHRISTVM esse DEVM negarent, ansam erroris dedisse Caluinus creditur: de quo narratur, quod in disputatione Bernensi & synodo Lausanensi symbolum Athanasij sublato cachinno deriserit, ac nunquam ab Ecclesia legitima receptum fuisse contenderit, præcipuè verò versus illos reiecerit, Alia persona Patris, alia Filij, Item sicut anima rationalis & caro, &c. Primum etiam & vltimum versiculos falsi arguerit. Et in Confessione Geneuatun. quam à se dictatam in synodo Lausanensi protulerat, astutè fugerit personarum Trinitatem dicere, quin etiam illud cum Athanasiano symbolo, CHRISTVS DEVS est ex substantia Patris ante secula genitus, nunquam confiteri voluerit, licet frequenter vrgeretur, sed ijs verbis suam sententiam exprimere maluerit: In vna DEI essentia Patrem cum verbo ac spiritu sancto agnoscimus. Qui loquendi modus ab insigni quodam Hæretico Paulo Samosateno, profectus esse videtur. Cumque verbum esse fateretur à Patre, & ex Patre, noluit tamen confiteri, CHRISTVM esse DEVM de DEO, aut esse DEVM ex substantia Patris, sed CHRISTVM dicebat semper à seipso extitisse, quasi duo sint primi, quorum vnus non sit ab altero. Et in suis Institutionibus reijcit hunc articulum Apostolici symboli, quo CHRISTVS ad inferos descendisse creditur, ac Patres è Limbo liberasse. Tametsi, inquit, hæc fabula magnos authores habet, nihil tamen quam fabula est. Offendit etiam eum Trinitatis nomen: & cum duas ad Polonos Epistolas scripserit, quibus eosdem illos reprehendit, quos merito Dominatio Vestra tantoperè detestatur, non dubitauit illud asserere. Quod hæc precandi formula qua vtitur Ecclesia, Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis, sibi non placeret, quod Barbariem saperet: & obijcitur hoc illi à Triadoclastis, deque eo, quod secum quasi faciat, gloriari videntur. Quamobrẽ cum talis doctrina Caluini sit, dolenter admodum accepi, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

ei se ex parte deditum esse, D. Vestra scribit. Nam quod persuasum est D. Vestræ, sanctio-
res esse Lutheranis eos qui Caluinum sequuntur, ipsius hac de re iudicium Caluini profe-
ram, qui suorum improbitatem deplorans, posteaquàm eos cum omnium mortalium,
sceleratissimis facinorosissimisque comparauit, negat se satis idonea reperire potuisse hu-
mana verba, quibus vel explicare suorum discipulorum scelera, vel ea pro dignitate casti-
gare posset: malos genios appellat humanam formam indutos: addit & hoc, Quod nec in
Romana Ecclesia tam tetra monstra reperiantur, quam inuenire licet in præclaris suis Ec-
clesijs ad Apostolicam simplicitatem reuocatis. Cui magis credendum est, quam
ipsi Magistro, de suis discipulis testimonium ferenti? Fallitur itaque si quis pu-
tat sanctiores esse, qui discesserunt à nobis, quam simus nos. Legi Dialogos
insignis hæretici cuiusdam Ochini, qui proculdubio saltem de nomine non est igno-
tus D. Vestræ. Versatus est is apud Heluetios longo tempore. Inducit in Dialogo, quen-
dam narrantem, quod quæsierit omnes reformatas Christi Ecclesias eo consilio, vt in
omnium sanctissima perfectissimáque sedem sibi caperet, sed vsu venisse sibi, quod colum-
bæ illi à Noë missæ, quæ nusquam nacta locum, vbi pedem figeret, in arcam reuersa est:
Sic & se reuerti domum in Hungariam, vbi constituat intaminatam Ecclesiam. Cui respon
det Occhinus: quærere ab omni vitio purgatam Ecclesiam, nihil aliud est, quàm cœlum in
terra quærere. Ex his Occhini verbis facilè cuiuis colligere licet, quod nihilo sint reform-
matiores Ecclesiæ, quibus Caluinus præfuit, quàm nos: Et reuera cœlum in terra quærit,
qui quærit Ecclesiam absque macula, & absque ruga. Quis autem est, qui superbiam Calui-
ni grauius insectetur, quam idem ille Occhinus, qui inter alios etiam Dialogum quen-
dam edidit contra sectam terrenorum Deorum siue Paparum, qui suum verbum, tan-
quam Dei verbum, adorari volunt, quos futuros multo sceleratiores & crudeliores asse-
rit, quàm vnquam fuerint Papæ Romani. Tale fuit Occhini iudicium de Geneuen. Tigu-
rinóque Papatu. Quamobrem si qui secus informant D. Vestram, nihil aliud quàm fucum
illi faciunt. Ac potest sibi certò persuadere, quod sicut illorum, quorum blasphemias exe-
cratur, sic & Caluini Euangelium non à quatuor Euangelistis, verùm à Iuda Iscariote pro-
fectum est. Quid est autem, cur inter Euangelicos, quàm inter Christianos D. Vestra cen-
seri malit? An extra Christum, Euangelium aliquod esse potest? Quid est Euangelium?
Læta annunciatio. Potest autem extra Christum esse læta vlla annunciatio? Sempiterni
væ, & æternæ mortis annunciatio extra Christum esse potest. Quamobrem per Christum
oro D. Vestram, ne velit fastidire nomen illud, quod est super omne nomen, in quo solo
nos fieri saluos, quod solum præ nobis ferre, de quo solo maiorum nostrorum exemplo,
gloriari nos oportet. Reijciat nomen hoc Euangelici: quodque ex quo tempore semel
Euangelium Christi recepit Lithuania, fortiti sunt omnes in Christum credentes, Chri-
stianus potius quam Euangelicus dici & esse malit. Memor sit libertatis, qua semel nos
Christus liberauit omnes, qui Christianorum nomine censemur, ne velit iterum iugo ser-
uitutis contineri, ne velit effici seruus hominum. Homo est Lutherus, Homo est Calui-
nus, quorum alterutrius opinionem cum sequitur, quid aliud quàm hominis opinionem
sequitur? Atqui mendacem omnem hominem esse, digito Dei scriptum est, nec sic se mor-
talium alicui velit addicere, vt præ eo, quod ille senserit, totius Ecclesiæ, quæ firmamen-
tum est & columna veritatis, sensum & consensum posthabendum esse putet: ne verbum
hominis, quod nunc, pro dolor, à multis fit, appellatione verbi Dei dignetur. Nam quæ po-
test esse maior & magis Germana, quâ sit hæc Idololatria? Fugiat Idola, fugiat idola per Deu
immortalem. Non est Deus Caluinus, nō est Deus Lutherus, aut quicunque tandem alius
ex his, qui multò crudelius mysticum Christi corpus Ecclesiam, pro quo viuum & verum
suum corpus in mortem ille tradidit, tractauerunt, quam illi ipsi, qui CHristum in cru-
cem egerunt. Tunc enim venerunt impij milites, & non fregerunt crura Christi, nec os
ex eo comminuerunt. Nunc venerunt isti speciem pietatis habentes, virtutem autem ei-
us abnegantes, & diruperunt, ac in multas partes conciderunt totum Christi corpus, v-
nam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Per quos igitur tam nefarium sce-
lus patratum esse videt, non modò quod ab illis scribitur verbum esse Dei sibi persuade-
ri non patiatur, verumetiam eorum consuetudinem velis quod aiunt, remisque fugiat,
ac quid in symbolo, quod Apostolorum dicitur quotidiè profiteatur, diligenter secum
reputet. Profitetur .n. se credere sanctã Catholicã Ecclesiã. Huic igitur suæ professioni fa-
ctis respondeat. Fugiat, fugiat de medio Babylonis, in qua tantam linguarum diuisionem,
& tam horrendam dogmatum & rerum omnium confusionem videt, & ad Ciuitatem
Hierusalem, cuius participatio in idipsum, se conferat: sic enim à sana scripturarum intel-
ligentiæ luce, nunquam deseretur. Non temerè factum esse putet: quod Apostolici spiritu
sancto pleni maluerunt in symbolo suo ponere, Credo sanctam Ecclesiam, quàm Credo
sancta Biblia, vel sanctum Euangelium. Num illi nos Biblia credere noluerunt? Abfit. Sed
cum haberi posse viderent Biblia extra Ecclesiam, de quibus ludæos gloriatos, quorum
testimonijs diabolum, & eius membra schismaticos & hæreticos ita frequenter vsos, &
nunc etiam vti videmus, propterea statuerunt, vt nos Ecclesiam credere profiteremur,
quò sic & ipsos Bibliorum libros non alios, quam quos ab illa traditos accepimus, pro Ca-
nonicis haberemus, & eorum intelligentiam non aliunde, quàm ab ipsa peteremus, nec
in illis interpretandis, priuatum nostrum vel cuiuscunque tandem alterius, qui falli po-
test, sed Ecclesiæ, quæ nescit errare, spiritum sequeremur, extra quam pelles haberi siue
chartæ possunt, atramentum haberi potest, literæ siue characteres, quibus perscrip-
tum est Euangelium, haberi possunt, cæterùm ipsum Euangelium, hoc est, sanus illius in-
tel-

In symbolo cur non Biblia, sed Ecclesiã Catholicam nos credere profitemur.

tellectus, extra Ecclesiam haberi non potest. In ea sunt Biblia, in ea est Euangelium, in ea
est sanus intellectus Euangelij, quin ipsa potius viuum est Euangelium scriptum non atra-
mento, sed spiritu sancto, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hanc
Ducem & Magistram sequatur. Sic futurum est, vt Germanum Euangelij sensum assequa-
tur, nec à via veritatis vnquam aberret. Quòd verò negat se posse tam scitò de prauis opi-
nionibus dimoueri, quibus imbuta semel fuit, atque de transubstantiatione, deque obla-
tione secundum ordinem Melchisedech, sensum vt illi meum perscribam, à me postulat,
hoc eam scire volo, quod cum hac de re, tum de alijs ad fidem pertinentibus sensus meus
alius non est, quàm qui totius est Ecclesiæ Catholicæ, quin & illud præcari DEVM sæpè
soleo, prius vt mihi sensum omnem adimat, & me rudissimum omnium esse velit, quam
vt meo sensui tantum tribuat, vt eum Ecclesiæ sensui & consensui anteponendum esse
putem. Quamobrem qui sit Ecclesiæ sensus ea de re, si quãdo mihi per ocium licuerit, D.
Vestræ lubens perscribam. Sed prius ab ea legi cuperem ea quæ sunt in lucubrationibus
nostris his ipsis de rebus tractata, deinde certior fieri, qua in re satis illi factum non sit, quo
celerius, cùm id cognouero, Deo adiuuante scrupulus omnis illi eximi queat. Datum
Heilspergæ XXX. Octobr. M. D. LXVII.

Andreæ Opalenskij Castellano Premetensi. Epistola. XCVIIII.

Gratulatur in fide Christiana constantiam. & vt de aliorum quoquè conuersione laboret hortatur.

Credibile non est, quantam ex ea re voluptatem capiam, quod grãa
tiores indies ad nos rumores adferuntur de magno quodam Zelo,
quo Domin. Vest. fertur in tuenda fide Catholica. Qualem vtinam
in alijs etiam vel mei saltem ordinis videre liceret, minus nunc Re-
ligio laboraret. Verum, prò dolor, magis indies atque magis refri-
gescit Christiana pietas. Quod si quos viros Catholicos ex hac vita
migrasse contingat, non eis ferè succedunt alij, quàm Hæretici. quo
maior erit Iaus D. Vest. maiorem etiam à Deo suæ constantiæ mer-
cedem expectabit, si quemadmodum cœpit, ad finem vsque perse-
uerauerit. Quod facturam illam adiutam Dei gratia nihil dubito. Neque tamen existima-
re velit D. Vest. quod satis officio suo functa sit, si seipsam vni viro Christo, cui desponsa
est per Baptismum virginem castam exhibuerit. Hoc etiam præterea laborare debet, vt
idem ab alijs quoque, quibus amicitia familiaritatéque iuncta est, fieri procuret. Ac si qui
fortè sunt humanum aliquid passi, & hæreticorum se fornicationibus polluerunt; & in ali-
ud Euangelium doctrinis varijs & peregrinis abducti se transferri paterentur, eos ad
sponsum suum Christum reducere conetur. Neque dicat hoc ad vocationem suam non
pertinere, verùm Ecclesiasticum muneris esse, quin eius memor sit potius, quod scriptum
est, Vnicuique mandauit Deus de proximo suo: & quod apud Iacobum legimus, Fratres
mei, si quis è vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui
conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet
multitudinem peccatorum: Quod ego non magis Ecclesiasticis, quam eiusdem ordinis,
cuius est D. V. viris dictum esse puto. Fit etiam non rarò, quod familiarium inter se cohor-
tationes maiorem aliquando fructum pariunt, quam eorum quorum obtemperare mo-
nitis meritò deberet. Ita peccatis nostris exigentibus hoc ipso nomine, quòd Episcopi di-
cimur, non audimur ferè. Si quos deploratos viderit, quandoquidem ij subuersi sunt, &
suo ipsorum iudicio condemnati, cum eis vt agat, non suadeo: Sed sunt aliqui vacillantes,
eos per Dom. Vestr. confirmari cuperem. Inter quos fortassis esse videtur D. Andræas Co-
mes à Gorka, quem tamen iam nostrum, hoc est, Catholicum esse factum, à quibusdam
fide dignis audiui. Quo nomine gratularer illi, si quid certò compertum haberem.
Est vt audio, vir grauis & prudens, non vulgari ingenio iudicióque præditus, quominus
eum decere videtur, vt quouis doctrinæ vento, palearum instar, ex area dominica se de-
turbari patiatur, cùm præsertim vxorem etiam habeat piam & Catholicam fœminam,
quæ fratrem habet, cuius ego similes esse cuperem nos omnes, qui sumus eiusdem cum
eo vocationis & ordinis. Illius si consilia sequetur, non errabit: Est enim vir & pietate
& doctrina præstans. Et cùm in Sacro Concilio Tridentino Regiæ Maiestatis Oratorem
ageret, ita se gessit, vt omnium iudicio valdè probatus inde discederet. Verùm de hoc
satis. Affinibus quoque suis præcipuè debet operam hanc Domin. Vestr. nauare, cumpri-
mis autem suæ coniugis fratribus, qui cum ab Ecclesia nomen ducant, nihil eis posset ad
existimationem turpius accidere, quam si, à qua nomen ducunt, ab ea discessisse videren-
tur. Sunt adolescentes adhuc, quo magis indigent aliquo, cuius consilijs gubernentur.
Quem autem habere possunt, vel fideliorem, vel prudentiorem, quàm sit Dominatio Ve-
stra: Quamobrem si, quod non puto, quis eorum fortasse vacillauerit, hortetur eum eti-
am atque etiam, vt sui nominis meminerit, vt sicut vocatur, sic velit esse Koscielecki;
nec vnquam se ab Ecclesia diuelli patiatur, etiamsi millies ei dicat, scriptum est enim.
Iam enim & hoc è scripturis probare quidam conantur, CHRISTVM non esse DEVM.
quem librum typis excussum, & anno proximo superiore editum ipse legi non sine ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gno quodam horrore. Vocant CHRISTVM Papisticum qui sit æternus DEVS Patri consubstantialis, & ei per omnia æqualis, suum verò dicunt in tempore natum ex virgine Maria pauperem. Qui ministros etiam habet pauperes, cùm illo Papisticus dies sit, & habeat ministros diuites Imperatores, Reges, Episcopos, Prælatos, atque tot scripturas proferunt, quibus probent, CHRISTVM non esse DEVM, Quod necij qui sunt Augustanæ, nec ij qui sunt Tigurinæ aut Geneuensis Confessionis, ad suos errores tuendos produxerunt vnquam. Neque temerè factum esse putent, quod in Apostolorum symbolo Spiritus Sanctus, Credo sanctam Ecclesiam, poni maluerit, quàm, Credo sancta Biblia, aut, sanctum Euangelium, non quod sanctis Biblijs credi noluerit: Absit enim hoc, sed cùm extra Ecclesiam haberi Biblia possint, de quibus IVDÆOS gloriatos, quorum testimonijs diabolum & eius membra schismaticos & hæreticos vsos esse legimus, & nunc etiam vti videmus. Non alios libros pro Canonicis haberi voluit, quàm quos Ecclesia tales habendos iudicauit, & eorum intelligentiam non aliunde, quàm ab Ecclesia petere debere, nec in illis interpretandis priuatũ, nostrũ vel cuiuscunq; tandẽ alterius, qui falli potest, sed Ecclesiæ, quæ nescit errare, sensum sequendum esse, extra quam pelles haberi siue chartæ possunt, atramentum haberi potest, literæ siue characteres, quibus Bibliorum libri quibus Euangelium perscriptum est, haberi possunt: cæterùm ipsum Euangelium, hoc est, sanus illius intellectus, extra Ecclesiam haberi non potest. In ea sunt Biblia, in ea Euangelium, in ea est sanus intellectus Euangelij, quin ipsa potius viuum est Euangelium scriptum non atramento, sed Spiritu Sancto: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hanc igitur à qua nomen ducunt Ecclesiam Ducem & Magistram sequantur, nec à suis maioribus, quos vt generis nobilitate, sic & pietate Religioneque cumprimis illustres fuisse constat, degenerent. Vtinam verò tales nunc Senatores haberemus multos, quales fuerunt duo illa lumina Regni, pater & patruus eorum ante triennium in CHRISTO defuncti: plus etiam oneris aliquid imponere D. Vest. vellem, nisi vererer, ne quam illi molestiam adferam. Sed facit amor meus erga D. Vest. vt nihil tale mihi metuendum existimem. Quamobrem tenere me non possum, quin plus etiam aliquid ab illa petam. Est inter Senatores Regni vir quidam insignis, cuius & prudentiam, & libertatem & grauitatem in sentẽtijs dicendis, morum etiam affabilitatem, & probitatem singularem ab omnibus audio prædicari, quem & ego semper feci plurimi, propter has, & multas alias excellentes animi dotes, quibus affatim à Deo est cumulatus: tum & propter patruum eius, quem patronum & benefactorem meum agnosco, quem sicut alijs virtutibus nepos hic eius ad viuum exprimit, vehementer optarem, vt similiter in his quæ pertinent ad religionem ab illo pientissimo Craccouiensi Episcopo non discreparet: verùm prò dolor, inter vacillantes & hic esse dicitur: Nam quod ab Ecclesia prorsus defecerit, vt credam adduci nulla ratione possum. Maior est enim illius probitas, quàm vt hæc in eum suspicio cadere queat. Sed offendunt eum fortasse vitia nostra. Vellem autem eum illud meminisse, quòd cœlum in terra quærit, qui quærit Ecclesiam ab omni vitio repurgatam: Ecclesia sine macula & ruga triumphantium est in cœlis, non autem in hac lachrymarum valle militantium. Quamobrem si quando dabitur occasio, quæso, velit & illum confirmare, atque vt pastrui similes esse malit, quàm nescio quorum aliorum sic inter se varijs opinionibus diffidentium. Dicitur in nescio quam Confessionem Augustanam inclinare, Quæ cuius modi sit ignoratur. nam & ipsi Lutherani queruntur illam scatere corruptelis. Qui Philippum etiam extra Confessionem hanc esse pronunciarunt, & eum è suo cœtu eiecerunt, cùm tamen ipse suis eam se digitis conscripsisse glorietur. Vocant eam ipsi Lutherani Cothurnum vtrique pediaptum, quæ non magis Lutheranum, quàm Caluinianum de Sacramento Eucharistiæ dogma confirmare videatur. Querũtur in præcipuis quibusdam doctrinæ capitibus ad Christianos, quos Papistas vocant, in hoc verò de Eucharistia ad Caluinianos Philippum defecisse. Qualis igitur est ista Confusio plus quàm Babylonica. Vna fides, vnum baptisma, dicit Paulus. Quicquid est extra vnam fidem (ait quidam) ex vetustis Patribus non fides, sed perfidia est. Quamobrem hortatur eum, vt acquiescat in vna fide, quæ & nostra, & parentum, auorum, proauorum nostrorum, quin & ipsorum etiam Apostolorum vna semper fuit & eadem. Nunc ad hoc esse multæ fides cœperunt, ne vlla sit, quòd iam rem peruenisse propè videmus, & ingemiscimus. Sed ego longior sum quàm initio cogitabam. Itaque neque de D. Abrahamo Zbaskij quicquam scribam, in quo & ipse, quamuis exigui temporis mihi cum eo consuetudo fuit, non sine quadam admiratione multa perspexi Dei dona. Quod is inter vacillantes sit, non credo, multò minus inter animales illos homines, qui palam segregauerunt seipsos. Verum hoc in genere D.V. oro atque obsecro, Quotquot vacillare viderit, vt eos confirmet, si non potest aliud, saltem hoc illis persuadere conetur, vt in Ecclesiæ gremio tantisper se contineant, dum, qui discesserunt ab Ecclesia, prius inter se de dogmatibus consentiant. Datum Heilspergæ. 3. Febr. M. D. LXVIII.

Stanislao Karnkovvskij Episcopo Cuiauiensi. Epistola C.

Ostendit aut omnes sectas esse ex regno pellendas, aut omnes ferendas. Significat etiam de Synagonistis à Beza in Poloniam missis.

EST quod agat Reuerenda Dominatio vestra DEO gratias pro tot beneficijs, quibus ab eo se tam illustribus affectam esse profitetur. Nam reuera par fœlicitas memoria nostra vix vlli mortalium contigisse videtur. Vt enim honoris illi non immerenti delatus sit, tamen & hæc ipsa merita, quibus ille debebatur, DEI solius dona sunt. Cæterùm illud silentio præterire non possum, quod missus est mihi libellus quidam de supplicio Gentilis. Pluribus verbis præfatur in eo Pater ille, scilicet Sanctus Theodorus Beza, quo nihil ætas nostra vidit impurius. Inter alia notat me, quòd ego Maiestatem Regiam de coërcendis blasphemijs cogitantem à rectis consilijs pro viribus auocare sim conatus: quod mihi falsò tribuit. Nunquàm enim id à me factum est, quin auctor fui Regiæ Maiestati ipsius, vt omnium hæreticorum ex æquo, non autem vnius aut alterius sectæ blasphemias coërceret. Metuebam enim si tantum vna vel altera secta profligãda foret, ne tanto plus virium reliquis accederet, & earum toleratio, speciem tacitæ cuiusdam approbationis habere videretur. Quamobrem satius fore ducebam, si minus profligari possent omnes, vt ferrentur omnes, quòd mordentes & comedentes inuicem consumerentur ab inuicem. Scitum enim est illud, Quod bellum Hæreticorum pax est Ecclesiæ. Quanto magis autem hæreticis displicere Concilium hoc meum intelligo, tanto minus illius me pœnitet. Quamobrem in ea sententia sum adhuc, prius vt coërceantur blasphemiæ Lutheristarum & Caluinistarum: deinde qui sunt ex illis prognati, séque dociles eorum discipulos præstiterunt, ac aliquanto plus profecerunt (nec enim omnia DEVS prioribus illis reuelauerat) Trideistarum & Anabaptistarum. Si verò priores ferendos putat Maiestas Regia, ferat etiam eorum Sobolem, ne videatur illos Canonizare velle, tanquam DEI verbum sit eorum doctrina, cui contradicere, vel eam condemnare, fas non sit. Hortatur fax illa seditionis Theodorus Beza Maiestatem Regiam, & obtestatur, vt coërceat blasphemias istas Trideistarum & Anabaptistarum: monet idem & Principem Transyluanum, & Regni Proceres, vt nescio quos Trecios, Lascios, Sarnicios, quos Pastores vocat, vt in curam hanc toto, quod aiunt, pectore incumbant, quibus etiam scribit, se submittere Synagonistas, in quos ego primum exemplum aliquod edi vellem à Maiestate Regia. Neque satis mirari possum, quòd Lutheristas & Caluinistas iam Hæreticos minimè iudicari video, sed solos Trideistas & Anabaptistas. An propterea quod ij magis ad seditionem nati videntur? At ego video, qui fœdus Schmalcaldicum inierunt, & contra pientissimum Carolum Imperatorem arma parricidialia sumpserunt, qui nunc etiam in Gallijs, superstite Rege suo, cui fidei subiectionique iusiurandum præstiterunt, Regem alium elegerunt, Et sicut antea cathedram contra cathedram constituerant, sic nunc soliũ contra soliũ, sceptrum contra sceptrũ erexerunt, eos non Trideistas nec Anabaptistas, verum Lutheristas & Caluinistas esse. Quamobrem hoc prius Maiestas illius coërceat, qui Patres sunt, qui sunt fónsque capútque malorum omnium: deinde minus erit cum illius prole negotij: cum .n. tenerior hæc adhuc sit, minus difficulter domari poterit. Sed quàm est infœlix Princeps hic noster, cui falsa pro veris persuadentur. Nam scribit ex Aula mihi quidem: Anabaptistas esse, qui contra Regem suum in Gallijs arma mouerunt, & credit hoc Maiestas Regia, cum tamen ipso sit sole clarius & manifestius, eos esse Caluinistas, qui nunc in summo precio habentur, & primas propemodum in Senatu Regio sedes occupant. Quis autem dedit hanc potestatem Bezæ, Synagonistas, vt mittat in Poloniam? Credibile non est, quantum hæc tanta licentia & audacia animo meo cruciatum adferat. Si tale quid in istos Regia Maiestas statueret, qualia facta scimus de Serueto Genuæ, vel Bernæ nuper de Gentili, sempiternam nomini suo laudem compararet. Sed nec illud latere volo Domin. Vestr. quòd cùm anno superiori fuissent missi Regiomontem Commissarij Regiæ Maiestatis, vbi Conuentus quidam habebatur, nescio qua potestate præsentibus illis duo creati sunt, qui præessent Sambiensi & Pomesaniensi Ecclesiæ, qui iam non Superintendentes, verùm Episcopi vocarentur. Quod cùm ad aures meas peruenisset, magnam animo meo molestiam attulit: Quamuis autem D. Commissarij nihil mecum ea de re communicarant: Scripsi tamen ad D. Solikovvskij, vt prouideret, ne consentientibus Regiæ Maiestatis Commissarijs tale quid fieret. Scripsi etiam in Aulam semel atque iterum, sed electi sunt nihilominus duo, noménque sibi vendicant Episcoporum. Negant id suo consensu factum esse Commissarij, sed factum est nihilominus. Nunc alter ex illis Ioachimus Merle, qui propter seditionem Regiomonte pulsus erat, ante annos plus minus XIIII. Brunsuiga vocatus venit, ac Euangelicas quasdam veritates attulit, quæ mihi non parum inuidiæ conflarunt, de quibus coram plura Dominus Valentinus Kuczkorkij referet: nec eo contentus, virulentum quendam libellum edidit Regiomonti, quo suis interdicit, ne quàm cum Christianis, quos Papistas vocat, consuetudinem habeat, D. Ioannis exemplo, qui cum Cerintho nihil commune habere voluit: præcipuè verò remis, quod aiunt, velisque Societatem IESV fugiant, nec suos liberos in disciplinam eis tradant, de quibus etiam fabellam quandam narrat. Videtur ad seditionem hic homo natus, & est Illyricianæ factionis, vnus ex rigidis Lutheranis, quos iam nec ipsi ferre possunt in suis ditionibus molliores Lutherani. Quantum hic homo incendium sit concitaturus in his terris, quandoquidem in primo statim ingressu virus hoc suum effudit, facile Dominatio Vestra pro sua prudentia conijcere potest: Scripsi ad vtrumque Ducem, & seniorem, & iuniorem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& graniter cum illis ex postulaui. Responsum adhuc non accepi, sed ea de re pluraper D. Kuczborski. Nunc ea tantum obiter significandaputaui. Datum Heilspergæ. XXIIII. Febr. M. D. LXVIII.

Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, Proconsulibus & Consulibus Ciuitatis suæ Elbingen.
Epistola. CI.

Mandat iterum, vt ne Sebastianum ministrum, seditionis materiam, in Ciuitate alant.

DEtulit ad nos rursus cum magno dolore suo Reuerendissimus in Christo Pater, Dominus Cardinalis & Episcopus Varmiensis, in cuius Diœcesi, ipsæ quoque Fraternitates Vestræ continentur, positum isthic esse & constitutum per Fraternitates Vestras, in Ciuitate nostra quendam Ministrum Sebastianum Neogergium, qui occupato Concionatoris loco apud Fraternitates vest. quod ipsum, quoniam præter autoritatem Reuerendissimi Domini Cardinalis factum est, vitio sane vacare non potest. Cum ex eo quidem loco ad concordiam potius & pacem, quam CHristus salutis nostræ Dux & author propeculiari nobis quodam & proprio Religionis nostræ ac professionis Christianæ symbolo reliquit, populum vocare deberet, nihil penè aliud quàm conuicia in Episcopos, & reliquos magni nominis, magnæque authoritatis viros, atque adeò in summos ipsos Christianitatis præsides, iacere, & conciones seditiosas ad excitandos modò tumultus populares, comparatas habere solet. Cum autem ea res voluntati primum Domini & Dei nostri Iesu Christi aduersetur, aduersetur etiam officio eorum, qui rectè & cum fructu sacris concionibus præesse volunt, aduersetur moribus & institutis non solum Ecclesiarum, sed etiam Ciuitatum benè constitutarum, & postremò aduersetur authoritati ac dignitati nostræ Regiæ, quibus Respublica pacis, concordiæ, tranquillitatis publicæ curam demandauit. Idcircò commisimus Generosis Ioanni Kostka de Stembergk Castell. Gedanensi, & Ioanni Demetrio Solikovvskij Secretario nostris, vt Fraternitates vestras nomine nostro admonerent diligenter ac serió, omni authoritate nostra interposita mandarent, prouideant Fraternitates vestræ pro officijs suis, ne quam materiam seditionis intestinæ his præsertim periculosis temporibus, intus in Ciuitate alant. Imprimis autem, vt hanc istũ factiosum hominem, qui sub specie sacrarum concionum, seditionem in Ciuitate excitat, qui nostræ, id autem est, Catholicæ Religioni, odium atque inuidiam conflat, qui legitimæ in Ecclesia Dei potestati, cui nos quoque ipsi, item & cæteri Reges & Principes Christiani, secundum Deum volentes ac libentes paremus, non solum aduersatur, sed etiam maledicit. Hunc talem quamprimum ex Ciuitate ista Fraternitatis Vestræ facessere iubeant, sub grauissima indignatione nostra, si secus, quam volumus, fecerint. Et sub pœna viginti millium Hungarorum aureorum, dimidiam partem Fisco nostro, & reliquam Ecclesiæ Varmien. irremissibiliter soluenda. Quemadmodum de his & alijs rebus ex Castellano & Secretario prædictis Fraternitates Vestræ cognoscent. Datum Grodnæ XVI. Iunij Anno M. D. LXVIII. Regni nostri Anno XXXIX.

Hieronymo S.R.E. Cardinali Clareuallensi.
Epistola CII.

Gratulatur illi Cardinalitiam dignitatem.

LOngo iam tempore non audiebantur ex Christianissimo Galliarum Regno, nisi tristissima quæque. nam & arma parricidialia contra Regem ac Dominum suum à subditis, qui fidem illi suam iureiurando obstrinxerant, esse sumpta, & in longum bellum trahi, quod citò confectum iri sperabatur, & parum æquis ac honestis ad extremum piorum conditionibus pacem esse factam renunciabatur, quæ non minorem animis multorum, quàm ipsum bellum, perturbationem attulit. Ecce autem inter hæc tam tristia: cum primis lætus aduenit nuntius, qui te S. D. N. iudicio, quo nihil potest esse limatius, in Senatorum totius Orbis Christiani numerum relatum esse diceret. Quem autem ornauit prudentissimus vniuscuiusque meritorum æstimator, hic quando te ornauit? Literas ornauit sacras, præsertim virtutem, ornauit pietatem & Sanctimoniam, ornauit quæ in te ornando spectasse sola, & alijs ostendere voluisse videtur, Qua ratione viam ad summos honores munire sibi deberent. Sat scio quæ est animi tui modestia, quod in hac præsertim tanta rerum omnium perturbatione, nulla de re minus, quam de hoc honore cogitabas. Verùm tantò maior est S.D.N. & tua laus, quòd ille nihil aliud in te ornando spectauit, præter multa præclara Dei munera, quibus affatim es ab illo cumulatus, & tu sola virtute tua ambiente tantum hũc honorem es consecutus, Quem tibi gratularer, nisi scirem, plus ex eo laboris & molestiæ, quam voluptatis ad te peruenisse. Nam

Nam quanto sublimiore loco positus es, tanto plus curarum & sollicitudinis accessit. Quãobrem Ecclesiæ potius gratulabor, quam ego cumprimis fœlicem iudicarem, si multos tui similes haberet in Orbis Christiani senatum cooptatos. Inprimis autem gratulor Christianissimo quondam etiam florentissimo Regno vestro, Quod si vnquam antea, nunc maximè talium virorum subsidijs, qualem esse te persuasum habemus, indigere videtur. Deum precor, vt cum tibi, tum Ecclesiæ vniuersæ, præsertim verò Christianissimo Regno vestro fœliciter honorem hunc tuum euenire velit, in quo si quid valebunt consilia tua, non dubito, quin sint illius rationes multò meliori statu futuræ. Quoniam verò, cum essemus Tridenti, summa fuit inter nos animorum coniunctio, cum essem vnus ex his, qui tuas excellentes virtutes admirabantur, confido non modò nihil decessurum de tua in me beneuolentia, posteaquàm auctus es, & honestatus hac tanta dignitate verum accessurum potius aliquid. Nec enim animum in me tuum, nisi de meo in te metiri possum: cùm eiusdem ordinis factissimus eadem nos mutua beneuolentia prosequi debemus. Hoc tibi de me certò persuadere potes, quod neminem habes, qui te pluris faciat, quam ego. qua quidem in re ne illi, à quo te plurimi fieri scio, Illustrissimo & Amplissimo Cardinali Lotharingo facilè cesserim, quem ego maximam voluptatem, non tamen, quam sit mea, maiorem, ex hac tua prouectione cepisse non dubito. Quæso autem te, si quæ dabitur occasio, vt me illi diligenter commendare velis. Sum enim vnus ex his, quos habet sibi seruitores addictissimos, nec aliud precor Deum diligentius, quàm vt fœlices illi consiliorum omnium progressus & exitus tribuat. Datum Heilsperg. VIII. Iunij M. D. LXVIII.

Antonio Carafæ S.R.E. Cardinali.
Epistola CIII.

Gratulatur illi dignitatem Cardinalem.

QVM, ex qua disciplina prodieris, mecum reputo, in Sanctissimi Pontificis illius familiaritate versatus, quem verè descripsisse videtur, qui regulam virtutis, & rectè doctrinæ normam eum fuisse dixit, non potui non lætari plurimum, quod te talem virum in Cardinalium Collegium cooptatum audiui, quod multò illustrius factum te Collega, nec parum ex ea re ornamenti ad ordinem nostrum accessisse video. Mihi quidem Romæ cum fuissem nulla tecum familiaritas intercessit. Sed ni fallor videor mihi vidisse te Scirleto nostro, quem singularis virtus & excellens doctrina ad idem honoris fastigium ante paucos annos euexit, familiariter vtentem, & subinde ad illum, tanquam ad oraculum quoddam, si qua de re dubitabas in Græcis literis, recurrentem. Cum igitur ex tali tanti Pontificis disciplina prodieris, tali tantóque præceptore tam familiariter vsus fueris, nihil mirum est, si talis euasisti, qualem te videre nunc & admirari licet. Cum præsertim etiam reliquum vitæ tuæ tempus omne non alijs in rebus, quàm in sacrarum literarum studijs consumpsisse videaris. Indicat hoc Theodoretus per te Latinus factus, vt eum elegantius Græcè scripsisse non putem, quem ego magna cum voluptate neque minore fructu legi. Quamobrem honorem hunc tantum ex animo tibi gratulor, neque tibi magis, quam Ecclesiæ vniuersæ, ad quam plurimum ex te & ornamenti, & emolumenti redundaturũ certò persuasum habeo. Neque satis laudare possum Sanctissimi Domini Nostri iudicium, quem ad amplissimum totius Orbis Christiani Senatum viros exiguos numero, sed quorum est viuida virtus asciuisse video, Abbatem Clareuallensem familiariter noui, quo non puto, quod habeat Gallia vel doctrina, vel omni genere virtutis virum excellentiorem: quamobrẽ ex te, & ex illo coniecturam capio, quales etiam sint reliqui duo, qui mihi neque nomine, neque de facie noti hactenus fuerunt. Sed hoc mihi tamen certò persuadeo, quod summus Pontifex hic noster vnicuiusque meritorum prudentissimus æstimator, ex præcipuis totius Orbis Christiani nationibus iuxta S. Concilij Tridentini sanctiones, quatuor elegerit, quos Cardinales creauit. In quibus singulis quatuor, hæ simul omnes virtutes præcipuè inessent, quas quibusdam Cardinales vocare visum est, vt planum faceret omnibus in illis augendis & honestãdis, nihil aliud se, quam quatuor virtutes has spectasse. Seruet Deus Pontificem hunc in multos annos, qui tales ad suum Consilium accersit, quos dubium non est, non alio, quam ad Ecclesiæ salutem omnia consilia sua collaturos: seruet etiam electos ab illo Deus, vel à Deo potius per illum, ac diuturnam eis incolumitatẽ, rerumque omnium prosperitatem largiatur. Quod superest, hoc tibi certò de me persuadere potes, quod de homine tui studiosissimo tibique addictissimo, neque dubito quin eadem tu me quoque sis beneuolentia prosequuturus. Datum Heilspergæ X. Iunij M. D. LXVIII.

Stanislao Carncouio. Episcopo Vladislauien.
Epistola CIIII.

De Burgimagistrorum insolentia quæritur: de puniendis Hæreticis hæreticorum exempla proponit, & decompositione Sectarum.

Mihi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mihi quidem nō possunt nisi vehementer probari: quæ sunt hactenus acta per R.D. Vest. ad eos Christo lucrifaciendos, qui se per summū sacrilegium ab illius corpore seperarunt. Quod si qui superioribus annis ad eiusdem Ecclesiæ gubernacula sedebant, par studium hac in re nauassent, minus curæ, solicitudinis & laboris R.D.V. reliquissent: fortassis & mihi. Nam quicquid est malorum in Elbingen si ciuitate q̄ iurisdictioni meę Ecclesiasticę subiecta esse deberet, non aliūde adillā quàm à Dantiscana manauit, quæ multis annis Episcopo caruisse videtur, q̄ nōnunq̄ etiā ipsi questi sunt Dantiscani. Verū de præteritis consilium non est. Nihil autem est eo verius quod scribit R. D. Vestra, miseram nunc Episcoporum esse conditionem. De vi queruntur, qui vim adferunt ipsi, qui templa violant, sacerdotes & pastores legitimos ex illis eij ciunt, sacra vasa diripiunt, prouentus etiam Ecclesiarum omnes auferunt. Illi ipsi vim adferri sibi vociferantur, quando legittimi pastores, vt per vim ablata restituantur, laborant. Deinde verò non iam doceri volunt oues à pastore: Sed pastori docendi formam præscribere: quod mihi fit ab hædis meis Elbingensibus. Persuadet sibi Burgimagister, se plus in scripturis intelligere, quàm non solum Episcopus eius ciuitatis intelligat, verumetiam tota Catholica Ecclesia. Posteaquàm verò iugum Episcoporum excusserunt, Regiam quoque maiestatem non pluris faciunt. A nemine cogi, sed ipsi cogere volunt omnes. Nec magis Episcopo, quàm ipsi Regiæ Maiestati parere detrectant. Et hanc vocant libertatem, non agnoscere potestatem vllam: quod cuique visum est, id impunè facere: quam cuique visum est fidem, vel perfidiam potius, amplecti. Si quis quærat malorum horum caussam, in scripturis reperiet: In diebus illis non erat Rex in Israël, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat, hoc credebat. Vellet modò Regia Maiestas, alius esset statim rerum status in Polonia & in Prussia: & saluis omnium iuribus & libertatibus, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO præstarentur: Vno ore vnanimes honorificemus omnes DEVM & patrem Domini nostri IESV CHRISTI. Sicut vnus DEVS, sic vna fides esset, vnus etiam pastor & vnum ouile. Quæ per D. Vestram acta sunt in sua Diœcesi, valdè probo. Sed non plus eam profecisse quàm me, cùm non dissimili ratione cum hœdis meis Elbingensibus egissem, doleo. Maior est istorum hominum pertinacia, quàm vt sanæ doctrinæ loci quicquam dare velit. Alijs remedijs opus est: quæ quòd non probentur illi D. * mirari satis non possum: cùm quod ille colit idolum Geneuense, siue quis illud Ioannem Caluinum, siue successorem eius Theodorum Bezam esse dicat, vterque libellos ediderit de Hæreticis à ciuili Magistratu puniendis, & iure gladij coërcendis: neque scripserint modò, verùm exemplo quoque docuerint, id ita faciendum esse. Nam quid in Michaelem Seruetum statuerit Caluinus, orbi testatum est vniuerso, nec minus & illud notum, quod factum de Gentili nostro fuerit apud Heluetios: qui cùm articulos quosdam disputandos in publicis locis affigi fecisset, primùm in carcerē coniectus, nec ita multò post Bernæ supplicio capitis affectus est. Itaq̄ nō ab illo D. * sed à fratre eius rectius hæc scribi potuerunt, qui cū Serueti sui, Gentilis discipulus esse dicatur, verè potest cū suis condiscipulis queri, quod Caluinistæ non scripturarum rationibus, verum articulis & fasciculis rem agunt cōtra suæ sectæ magistros. Vt interim illud silentio prætereā, quod veri Lutheristæ non stylo, sed sceptro Magistratus, Caluinistas refutādos esse docent, nec vsquā in suis terris receptū illis dant. Tā illis abominānda Caluinistarū secta videtur. Mirū est aūt, q̄ licet Caluinianis, q̄ licet Lutheranis, nō idē licere debere Christianis. Cupiebā et ego cū hœdis meis colloqui priuatim de ista præclara Confes. August. quam tanto studio expetunt: sed colloquiū detractarunt, necaliud mihi responderunt ferè, quàm, sic volumus. Quem aūt sibi Superintēdentē elegerunt: Hominē indoctū, vt audio: sed interea benè loquacē, & ad cōmouendos animos & exitandā seditionem cumprimis idoneū. Eum quidā ex pueris meis alloquutus erat, vt me conueniret, & responsum hoc ab eo tulit, sibi nil esse mecum negotij. Tum puer: Non agnoscis, inquit, Episcopum tuum? Non abillo sum vocatus, ait, sed à Magistratu, qui mihi cathedram concessit in Monasterio. Puer verò meus: Quid si docerēs, inquit, illū, fortassis ei pſuadere posses, vt eandē quā tu doctrinā sequeretur. Nō patietur inquit, ille se doceri. Quod ad iurisdictionem nostram attinet, suspensam aut sublatam nescio. Sed si quid eiusmodi, quo iure quáue iniuria statutum est, contra nobiles tantum, vt non exerceretur, statutum esse puto: quod R.D. V. scire melius potest. Quanquam illi non spiritualem nostram, sed Regiam iurisdictionem sublatam cupiunt: & sicut, omnes Papæ, sic & Reges esse volunt omnes: vt simus sine lege, sine rege, sine sacerdotio, sine Deo. Hic est scopus ad quem collimat Sathanas. Nam quæ est Iurisdictio nostra: cognoscere de doctrina, & excludere impios à communione piorum. Hoc etiam ipsa fatetur Augustana Confessio. At ipsi se iampridem excluserunt à nobis, quos impios esse persuasum habent: nec vnquam sibi vel vinum vel cereuisiam sapere melius dicūt, quam cū Censuris Ecclesiasticis innodati sunt. Quamobrem vt excommunicemus illos, hoc est, vt sententiam quam ipsi contra se tulerunt confirmemus, facile tulerint. Sed vt penes Regem aliqua sit authoritas & potestas quò liceat illi iuxta Regni Constitutiones contra tales procedere, egregij iusti iurium & libertatum defensores, ferre non possunt. Excussimus, aiunt, Pontificum iugum: excutiamus & Regis. Neque enim est in scripturis magis fundata Regum, quàm Pontificum iurisdictio. Sic in Germ. sic in Gallia, sic in Scotia, factū hoc in fœlici nostro sæculo videmus. Quòd si vult Regia M. vt idē fiat in Polonia, qs ego sū q̄ possim, phibere? Fatētur hoc etiā ipsi Hæretici q̄ res ad Anarchiā euadere velle videatur. Tā ego nollē Regē nollē habere Tyrānū, quam quisquam alius. Sed si mihi forent Reges atq̄ Tyranni ferendi, qui, quod fieri, prō dolor, videmus, non magis humana quàm diuina iura conculcarent omnia, mallē vnū.

Intrcà

Interea tamen quod ab exercenda Iurisdictione sua spirituali cogitat abstinere, dum comitiæ prius absoluantur, non improbo. Quis enim vsus illius exercendæ fuerit, si nulla est exequutio speranda? De Trideismo quoque eijciendo, non video cur magis laboret, quā de sectis alijs extirpandis: quin illius ego sententiam valdè probo, qui dixit: Bellum Hæreticorum pax est Ecclesiæ. Mordeant & commedant inuicem, vt tanto citius consumantur ab inuicem. De Augustana Confessione præcipuam esse velim R. D. Vest. curam. Nam sicut Orthodoxa doctrina de sanctissima Trinitate, fundamentū est Papatus, hoc est, Ecclesiæ Christianæ: Sic fundamentum sathanatus, hoc est, Conuentus malignantium, est præclara ista Augustana Confessio. Quamobrem vt hoc fundamentum subrui possit, omnes nobis machinæ sunt adhibendæ: quo saluo, saluæ manebunt omnes aliæ Hæreses, quālibet hæ sint horrendæ. Si licuit Luthero vel Philippo, quem esse conditorem aiunt Augustanæ Confessionis, ab orbis totius Christiani Papatu secessionem facere, & aliam nouam quandam fidem comminisci, quam Verbum Dei vocarunt: cur non licuerit idem Zuuinglio, cur nō Suuenckfel. Seruetо, Gregorio nostro, quorū doctrina æquè potest Verbū Dei vocari atq̄ Lutheri vel Philippi. Bucerus cùm insolenter admodū & imperiosè rē gerere Lutherum vidisset, qui doctrinā suam, tanquam Dei Verbum & Euangelium adorari, nec ab ea quenquam discrepare vellet, in hæc verba prorupit aliquando: Si exigit, ne quis vlla in re à se dissentiat, probet se esse Deum. Ego verò scripsi Regiæ Maiestati, si vellet nouam fidem concedere meis hædis Elbingensibus, vt illis permitteret Gregoriam potius. Nam frustra fieri per plura, quod potest fieri per pauciora. Nam ad illam peruenietur ad extremum. Et habere Maiestatem illius tantundem potestatis ad Gregorianam vel Mahumetanam, quantum ad Augustanam Confessionem concedendam. Deinde, satius me iudicare, vt habeant aliquam Confessionem in Polonia natam, quàm in Germania. Ne magis ad imperij terras, quàm ad Regnum Poloniæ pertinere videantur: ac posse nos illud è symbolo delere: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, & illius loco scribere, Credo non sanctam Polonam Ecclesiam. Fore nobis id gloriosius, quandoquidem eò perducta res est, vt gloriosum videatur à CHRISTO discedere, & ab eius corpore seperari. Sat scio, quòd secus quibusdam, etiam Ordinis nostri viris, visum fuit in Comizijs Lublinensibus, nimirum vt duæ tantum sectæ proscriberentur, Lutherismus autem & Caluinismus canonisaretur. Quod autem scribit D. Vestra de admissione nescio qua Comitiorum viuendi & credendi suo arbitratu: meminerunt etiam Elbingenses, in scripto suo, quod mihi transmiserunt, eius rei. Sed ego de admissione hac nihil hactenus certi cognoscere potui. Quæso R.D. Vestram, qualis ea fuerit, clarius explicare mihi velit. Quod vt Gedanenses in viam veritatis reuocet, laboraturam se scribit, valdè fuit gratum ex literis R. D, Vestræ cognoscere. Posteriorem illam rationem amplectendam potius esse putarem, quæ si non successerit, erit locus actioni, quam eis intentare cogitet. Torunij quid factum sit, cùm ibi præsens adfuissem in Comitijs nostris, non dubito, quin D. Vestra ex D. Krzycouio, qui tum Oratorem ad nos Regiæ Maiestatis agebat, cognouerit. Nunc aliter negotium cessisse gaudeo. Magna est Burgimagistrorum istorum insolentia, qui se pro Papis gerunt, quā nō solum Christiani, verùm nec ipsi ferre iam possunt Lutherani. Quod Szymacouio suo dederit in mandatis, vt negotiū contra hædos meos Elbingenses non minus diligenter curet, quàm si R. D. Vestræ proprium esset, magnam habeo gratiam. Sum adhuc intra spem & metum. Duos eò pueros miseram: sub Maij Mensis finem vnum, postridie Pentecostes alterum, quem non iussi diutius, quàm viginti quatuor horas expectare. Is reuersus est absque mandatis, & vnam aut alteram epistolam attulit. scripsit mihi quidam, quòd cùm Regem petiuisset, responsum hoc tulerit: Non esse quicquam temerè faciendum, nec repentè eijciendum, sed paulatim inde amouendum, ne seditio aliqua oriatur. Quando venturum sit istud paulatim, nescio. Sed maluissem prius illud mandatum de superintendente eijciendo non fuisse missum. Scribitur autem & hoc à quodam, quòd mandata pœnalia dabuntur, sed vtrum illis parituri sunt Elbingenses, vehementer dubitatur. Fortassis alia mandata Clefeldius attulit, qui cùm reuersus ex aula, per oppida mea proficisceretur absente me, gloriatus in singulis oppidis fuisse dicitur, quòd omnia confecisset ex animi sententia. Si volet D. Vestræ puer expectare, quicquid allatum erit per eum, scribam, nisi quòd is vehementer vrget celerem expeditionem. Merlinus in vicinia, ne maiores etiam nobis turbas det, metuo. Nam est vnus ex rigidis Lutheranis: qui iam nec in Germania ferè tolerantur. Subinde magno clamore detonat in Papistas. Hi sunt illius flosculi: Sanctissimi Diaboli Nostri Papæ: Dominus noster diabolus Papa: quemadmodum ex libello, quem R. D. Vestræ mitto, cognoscet vberius. Mitto simul & instructionis eius partem, quæ pertinet ad Merlinum, quæ data fuit D. Solicouio, primum soli, ante Pascha, deinde cum D. Castellano Gedanensi in exequijs, postremò nunc addito tertio Collega Domino Palatino. Mitto literarum exemplum ad Regentes scriptarum, quæ tamen illis redditæ non sunt. Sic non minus literis onustus ad D. Vestram redibit puer illius, quam ad me venit. Mitto prætereà libellum sub nomine Ducis post mortem illius editum, de duorum Episcoporum electione Sambiensis & Pomesamensis. Actum fuit cum Regentibus nomine Maiestatis Regiæ, ne nomen Episcoporum electis à se tribuerent: ecce autem simul vt iusta funebria peracta sunt defuncti Domini Ducis, Merlinus in honorem Regiæ Maiestatis libellum hunc edendum curauit, qui qualis sit, ipsa D. Vestra secum expendat. In hunc vsque diem detinui puerum hunc D. Vestræ, vt scire possem, quidnam esset à me profectum in aula. Opto D.V. benè valere &c. Datum ex Castro meo Heilsperg. die S. Ioannis Baptistæ, Anno 1568.

Stanislao

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stanislao Carncouio Episcopo Vvladislauiensi. Epistola CV.

Significat de libro Theodori Bezæ, & Synagonistis ab illo in Poloniam missis, & vt in eos exempla ediçuret, hortatur.

EST quod agat R. D. Vestra Deo gratias pro tot beneficijs, quibus ab eo se tam illustribus affectam esse profitetur. Nam reuera par felicitas memoria nostra vix vlli mortalium contigisse videtur. Vt enim honoris illi non immerenti delatus sit, tamen & hæc ipsa merita, quibus ipse debebatur, Dei solius dona sunt. Quæ verò quatuor horarum spacio confecta fuisse scribit, rara sunt & præclara. Superest vt vnanimes Diuinám maiestatem precemur, vt ea diuturna esse velit & stabilia. Cæterùm illud silentio præterire non possum, quòd missus est mihi libellus quidam de supplicio Gentilis. Pluribus verbis præfatur in eo pater ille sanctus Theodorus Beza, quo nihil ætas hæc nostra vidit impurius. Inter alia notat me, quòd ego Maiestatem Regiam de coercendis blasphemijs cogitantem à rectis consilijs pro viribus auocare sim conatus. Quod mihi falsò tribuit. Nunquam enim id à me factum est: quin auctor fui Regiæ Maiestati, vt omnium Hæreticorum ex æquo, non autem vnius aut alterius sectæ blasphemias coerceret. Metuebam enim si tum vna vel altera secta profligaretur, ne tanto plus virium reliquis accederet, & earum toleratio, speciem tacitæ cuiusdam approbationis habere videretur. Quamobrem satius fore ducebam, si minus profligari possent omnes, vt ferrentur omnes, quò mordentes & comedentes inuicem, consumerentur ab inuicem. Scitum enim est illud: quòd bellum Hæreticorum pax est Ecclesiæ. Quantò magis autem Hæreticis displicere consilium hoc meum intelligo, tanto minus illius me pœnitet. Quamobrem in ea sententia fui adhuc, prius vt coerceantur blasphemiæ Lutheristarum & Caluinistarum, deinde qui sunt ex illis prognati, seque dociles eorum discipulos præstiterunt, ac aliquantò plus profecerunt (nec enim omnia Deus prioribus illis reuelauerat) Trideistarum & Anabaptistarum. Si verò priores ferendos putat Maiestas Regia, ferat etiam eorum sobolem, ne videatur illos canonisare velle, tanquam Dei verbum sit eorum doctrina, cui contradicere vel eam condemnare fas non sit. Hortatur fax illa seditionis Theodorus Beza Maiestatem Regiam & obtestatur, vt coerceat blasphemias istas Trideistarum, & Anabaptistarum: monet idé & Principem Transyluanum, & Regni Proceres, & nescio quos Trecios, Laficios, Sarnicios, quos Pastores vocat, vt in curam hanc toto pectore, quod aiunt, incumbant: quibus etiam scribit se submittere Synagonistas: in quos ego primùm exemplum aliquod edi vellem à maiestate Regia. Neque satis mirari possum, quod Lutheristas & Caluinistas iam Hæreticos minimè iudicari[s] video, sed solos Trideistas & Anabaptistas. An propterea quòd ij magis ad seditionem nati videntur? At ego video, qui fœdus Smalcaldicum inierunt, & contra pientissimum Carolum Imperatorem arma parricidialia sumpserunt, qui nunc etiam in Gallijs superstite Rege suo, cui fidei subiectionisque suæ ius iurandum præstiterunt, Regem alium elegerunt, & sicut antea cathedram contra cathedram constituerant, sic nunc solium contra solium, sceptrum contra sceptrum erexerunt, Eos non Trideistas & Anabaptistas, verùm Lutheristas & Caluinistas esse. Quamobrem hos prius Maiestas illius coerceat, qui patres sunt, qui sunt fons que caputque malorum omnium: deinde minus erit cum eorum prole negotij: cum enim tenerior hæc adhuc sit, minus difficulter domari poterit, Quis autem dedit hanc potestatem Bezæ, Synagogistas vt mittat in Posoniam? Credibile nō est, quantum hæc tanta licentia & audacia animo meo cruciatum ad ferat. Si tale quid in istos Regia Maiestas statueret, qualia facta scimus de Serueto Genuæ, vel Bernæ nuper de Gentili, sempiternam nomini suo laudem compararet. Nunc Ioachimus Merle, qui propter seditionem Regiomonte pulsus erat, ante annos plus minus quatuordecim, Brunsuigā vocatus venit, ac Euangelicas quasdam veritates attulit, quæ mihi non parum inuidiæ conflarunt. De quibus coram plura D. Valentinus Kuckorius referet. Nec eo contentus, virulentum quendam libellum edidit Regiomonti, quo suis interdicit, ne quam cum Christianis, quos Papistas vocat, consuetudinem habeant, proposito diui Ioannis exemplo, qui cum Cerynthō nihil habere commune voluit. Præcipuè verò remis, quod aiunt, velisque Societatem Iesu fugiant, nec suos liberos in disciplinam eis tradant, de quibus etiam fabellam quandam narrat. Videtur ad seditionem hic homo natus: & est Illyricanæ factionis, vnus ex rigidis Lutheranis, quos iam nec ipsi ferre possunt in suis ditionibus molliores Lutherani. Quantum hic homo incendium concitaturus sit in his terris, quandoquidem in primo statim ingressu virus hoc suum effudit, facilè R. D. Vestra pro sua prudentia, conijcere potest. Scripsi ad vtrunque Ducem & Seniorem & Iuniorem, & graiter cum illis expostulaui. Responsum ad huc non accepi, Sed ea de re plura per D. Kuborscium. Nunc ea tantum obiter significanda putaui. Quod super est, &c. Datum ex Castro meo Heilsperg. 24. Febr. Anno M. D. LXVII I.

Venceslao Medico Regio Canonico Plocensi. Epistola. CVI.

Hortatur vt non minorem tuendæ Religionis apud Regem, quam curandi corporis curam gerat. Et de Elbingen. Ministri insolentia.

Quod

QVOD rarius, quàm vellem, ad me D. V. scribat, minus molestè fero cùm eam occupatam esse multis curandis non difficulter credam, Verùm hoc quale est, quòd se familiaritate Regiæ Maiestatis modestissimè vti scribit: atq; solùm de his, quæ ad eam pertinent, interdùm etiam ea, quæ spectant ad Religionis conseruationem, sed paucis conferre. An ad eam Religionis conseruatio quàm valetudinis minus pertinet? An æquè D. V. non agit Sacerdotem, qui Medicus est animæ, atq; Physicum, qui Medicus est corporis? An de salute animæ minor debet esse cura Sacerdoti, quàm Physico de corporis incolumitate? Sed fit non rarò, quòd qui magno cum ardore tuendæ religionis ad Aulam veniunt, cùm in ea fuerint aliquandiu commorati, paulatim refrigescunt, & fiunt lalouij, hoc est, marces, non pingues Catholici, quin & plerisq; idem contingit, quod Petro cùm in Aulam veniisset. Verùm absit, vt ego de D. Vest. tale quid suspicer, de cuius constantia tuendæq; Religionis ardore, meliora mihi polliceor omnia. Quam omninò facturam existimo, vt de salute animæ non paucioribus verbis agat, quàm de salute corporis, quod etiam posterioribus literis se fecisse declarat, & non rarò satis ardenter fecisse dicitur proximus antecessor illius D. Petrus Posnanien. Quod scribit se responsum accepisse, paulatim amouendum esse, quem Burgimagister Elbingæ Apostopum creauit: Vellem scire quandò veniet istud, paulatim: Nunc vigesimus annus agitur, quo sum Episcopus renunciatus, adhuc istud paulatim expecto, nec quando sit venturum scio. De concessa Confessione Augustana eodem iure quo concedi potest & Gregoriana, pridem scio, & quantum pro ea concessione cuidam numeratum sit, quantum etiam nuper Clefeldius attulerit, scio, & ingemisco, nam interitum opinione nostra celeriorem & Religionis & Regni videre mihi videor. Sed ego non hoc adhuc petiui, vt exploderetur Augustana Confessio, & in eius locum, vt Christianam profiterentur omnes, mandaretur, quod certè iure petere Catholicus Episcopus, iure concedere Catholicus Rex deberet. Verùm ego non id adhuc peto. (Nam quàm difficulter obtineri possit, non ignoro) tantum hoc peto, vt seditiosus sathanæ Minister è Ciuitate Regia pellatur: vt Monasterium restituant, quod ad piè colendum Christum, non autem ad impiè colendum Antichristum adornandum, à pijs viris fuit institutum & fabricatum, hactenus non petiui. Si Aulæ sic visum est, vt in Parochiali colatur Deus, in Monasterio verò Belial, quamuis nullam esse conuenit onem sciam CHRISTI & Belial, tamen quis ego sum, qui possim prohibere? Ministrum illum non tanquàm Augustanæ Confessionis professorem (quæ vel sola Catholico Regi legitima causa videri deberet) sed tanquam seditiosum hominem pelli cuperem, nisi fortè seditiosus non est, qui me præsente fuit ausus hortari populum è superiore loco, ne quid loci daret Episcopi sui persuasionibus, multaq; maledicta contra Papā, Cardinales, & Episcopos, eiaculatus est, vt seditionem cōtra me commouere velle videretur: qui semel & iterùm admonitus, vt sibi temperaret à conuitijs, non modò nihilo modestior, verùm & multò procacior & petulantior factus est, qui post exhibitas Regiæ Maiestatis Magistratui literas, quibus ex illa Ciuitate facesserе iussus est, grauius etiam quàm anteà cœpit in die Teuffelischē Papisten, die Lauische Papisten, hoc est, Diabolicos Papistas, pediculosos Papistas (his enim flosculis vti solet) inuehi: cùm tamen ipsa etiam Maiestas Regia se Papistam esse profitetur. Ob hanc igitur causam eum eijci vellem, non propterea quia Christum negauit, & ad Islebiensem Antichristum defecit, quod apud plerosque in Aula non modò nullum crimen, verumetiam præclarum facinus, & omni laude premioq; dignum esse creditur. Quamobrem si vult Maiestas eius tolerare, vt fruantur nihilominus Augustana sua perfidia, esto: non sum is, qui, quamlibet cupiam, impedire possim. Vult habere Aula in Regijs Ciuitatibus perfidiam (nam fides non est nisi vna) videat, ne plus habeat posteà perfidiæ, quàm velit. Sed hoc sciat, quòd vna Ciuitas duos Episcopos non feret. Si Minister ille sathanæ, non habuerit honorem hunc Regiæ Maiestati, qui per summum nefas constitutus est à Burgimagistro, vt illi cedat imperanti, qui per Maiestatem Regiam nominatus est legitimus Episcopus, Burgimagistro non inuitus honorem hunc habebit, vt ei cedat non expectato Regiæ Maiestatis mandato. Sic enim existimabit Aulam propterea velle alium tolerare, vt tacitè significet, quòd cupiat à Regia Maiestate nominatum cedere. Sed ego tamen adhuc mihi meliora polliceor omnia: nam quæ missa sunt mihi noua mandata, ita scripta sunt, vt facilè in eis acquiescam. Si fuerit illis paritum, rectè est, si minus, quid aliud existimandum erit, quàm quòd viua voce longè diuersum Clefeldius Burgimagister Gedanen. in Aula acceperit, qui per tria oppida mea proficiscens, gloriatus est apud omnes: Quod ex animi sui sententia confecerit apud Maiestatem Regiam omnia. Cogitandum igitur erit, legitimo constituto Episcopo, & per Sanctam Sedem Apostolicam approbato, vt Regiæ Maiest. tacito mandato pareat, &c. Datum 4. Iulij. M. D. LXVIII.

Melchiori Biliæ Nuncio Apostolico apud Cæsaream Maiestatem. Epistola CVII.

Respondet ad literas Nuncij, de Duce Saxoniæ & de Clebitij hæretici libello significat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FVIT mihi pergratum, quamuis parum iucundum, ex literis Dom. Vestræ cognoscere, quæ de Principe Electore Saxoniæ feruntur. Hic etiam ab hæreticis creditum est, eum ad Christianismum, quem ipsi Papismum vocant, inclinare: quod inde natum existimo, quia nō fert rigidos illos Lutheranos, qui nefas esse putāt, à Lutheri sententia vel in minimo dissentire, sed mauult Adiaphoristas, Synergistas, Maioristas, quin & Caluinistas. Oēs æquè bonos, hoc est, æquè iudicat Hæreticos, cū sub vno Confessionis Augustanæ pallio tegātur oēs, quā non minus Caluinistæ sibi vendicant, quā Lutheristæ, dūmodo qui conditor fuit, idem illius optimus interpres habeatur: quod etiam iure fieri videtur: deinde nec Pontifici maledici patitur, quod prohibere, apud Lutheranos crimen est capitale, cùm hoc ad professionem suæ sectæ pertinere dicant. Vt in omnibus concionibus quamplurima probra, conuitia, maledicta scurriliter in Pontificem Romanum, & in omnes Christianos, quos Papistas vocant, eiaculentur. Legi ego editos etiam eā de re libros, quòd Princeps Elector in Papismum inclinet, quodq; formulas Religionis præscribat, nec qua decet libertate Lutheri Quintum scilicet Euangelium in suis terris prædicari permittat, quin & hoc agebatur ante biennium, vt etiam subditorum contra illum animos concitarent, nec propius quicquam factum est, quàm vt, quod volebant, perficerent. Nam quæ sunt postea constituta, Domin. Vest. non ignorat. Ego verò persuasum habeo, si maximè vellet Princeps Elector confiteri Christum, & Antichristum Isiebiensem reijcere, fortasse metu subditorum vix auderet. Eò, proh dolor, in Germania res redacta est. Quòd non omnibus Christum liberè confiteri licet. De Clebitio gaudio, quòd captus non sit. Scripsit is lepidum admodum libellum de Victoria veritatis & ruina Saxonici Papatus, quem à Dom. Vest. legi cuperem. Nam etsi multa habet impia, sunt in eo tamen pleraque valdè festiua, & cognitu necessaria. Miror vehementer, quòd, qui totius Orbis Christiani Papatum euertere conantur, in eos non animaduertitur, quin habeantur in precio, solum hunc misellum homuncionem plecti volunt, quòd ausus est mutire contra Saxonicum Papatum, quasi verò sacrosanctus is esse debeat. Ego verò non video, cur meliore debeant esse loco Lutheristæ quàm Caluinistæ, cùm vtrique Sacramētarij dici queant. Certè quod ipse confitetur Caluinus, primus ei Lutherus viam ostendit, qua grassari eum oporteret ad euertendum Christianismum, quem nunc Papismum vocant, & sicut paulò antè scripsi Caluinismus etiam sub Augustanæ Confessionis pallio tegitur, cùm authorem illius ad extremum Caluinistam esse factū constat. Cæcitatē illorum satis deplorare non possim, qui tanto studio contendunt, vt Christianam deserere, Augustanam verò Confessionem amplecti liceat, cùm ea nihil aliud sit, quàm Babylonica quædam confusio. Mihi quoque cum hoc hominum genere proxima superiore quadragesima multum fuit negotij. Visum est autem, vt mitterem, R. D. Vest. quæ sunt acta per me. Responsum autem quod mihi datum est, simul & refutationem meam, certis ex causis mihi mittere non licuit. Cæterùm hoc à Dom. Vest. peto, quæ mittuntur à me, sic vt asseruare velit, ne prodeant in publicum. Legendi potestatem cui facere volet, poterit, modò, ne describantur. Nam contra voluntatem meam pleraq; sunt edita, quin & typis mandata, quæ non edi maluisse. A. Serenissimo quoq; Rege meo fuit aliquando postulata Confusio Augustana. Quale responsum ab eo dari petiuerim, è schæda præsentibus inclusa cognoscet, quam, si faciendum id iudicauerit, etiam Cæsareæ Maiestati poterit exhibere, cui vt per occasionem obsequia seruitutemq; meam diligenter commendet rogo. Heilspergæ. 26. &c. 1568.

Lucæ Podoskij Canonico Craccouiensi, Oratori Regio apud Cæsarem. Epistola. CVIII.

Ostendit in causa fidei, quæ aut vna aut nulla est, non posse vllas pactiones fieri.

IN causa Religionis, quæ fuerint isthic acta, ex his, quæ fusius ad Cromerum nostrum scripsit, cognoui. Quandoquidem reiecta res est ad festum D. Martini, quem hæc fabula exitum sit habitura, si Deus volet, videbimus. Equidem vt probarem, qua de causa fidei fuerint pactiones, adduci nunquam potui. Fides non est nisi vna. Quicquid est extra vnam fidē, non fides, sed perfidia est. Quod ego Serenissimo Regi nostro frequenter inculcare soleo: medium aliquod inter fidem & perfidiam, quomodo reperiri possit, non intelligo. Si Dominus Deus est, dicebat olim Elias, sequimini eum. Si verò Baal Isiebien. sequimini illum. Quorsum attinet, vtroque pede claudicare? Rectè nos monet Apostolus, vt ne iugum ducamus cum fidelibus. Quæ enim participatio, inquit, iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quotquot autem ab vna fide Patrum nostrorum recesserunt, eos perfidos & infideles esse non dubitanter affirmauerim. Sed isti prætextum vt aliquem habeant, tantùm de abusibus tractari velle dicunt. Quid autem si ij vocent abusum: quem verum & legitimū vsumesse constat? Agnosere Deū, & ei debitam seruitutem præstare, quod Sancti Patres nostri iam inde à mille annis & amplius per sacrosanctum Missæ sacrificium fieri docuerunt, abusus à nonnullis vocatur. Sed & hanc dicendi formulam, sunt, qui reijciant, Sancta Trinitas vnū DEVS miscere nobis, non magis Trideistæ, quàm Caluinistæ. Scilicet ea nunc sunt in dubium reuocanda, de ijs pactiones aliquæ faciendæ, quæ tota per Orbem

Orbem Christianum vniuersum frequentat Ecclesia, quæ sunt etiam in sacro Concilio Tridentino propè 300. Episcoporum sententijs approbata. quos constat in eum locum ex Orbe toto Christiano grauissimos, doctissimos, sanctissimosq; viros conuenisse. Ibi locus fuit vel de Confusione Augustana, vel de quibuscunque tandem abusibus, aut rebus ad Religionem pertinentibus tractandi, non in vno aliquo angulo. Sed verum est illud, Quòd omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Etiam apud nos tale quid expetitur, vt de totius Orbis Christiani iudicio, vertiginosi spūs aliqui suum iudicium interponant: sed ego, quantum possum, impedire conor. In Germania tantum vnum Belial Martinum Lutherum adiungendum Christo putauerunt, apud nos autem ante biennium ferè duos Belial adiungere Christo conati sunt, vt soli proscriberentur Anabaptistæ, & Trideistæ, tolerarentur autem Lutheristæ & Caluinistæ, quorum ego conatibus obstiti pro virili mea. Nec enim video, cur esse meliore loco debeant Lutheristæ & Caluinistæ, quàm eorum dociles discipuli Trideistæ & Anabaptistæ. Cùm hi plura diuinæ legis oracula proferrent, quàm illi, & ab illis docti; nihil præter scripturas recipiendum esse, magnis clamoribus contendant. Si licet in Germania quibusdam sequi fidem vel perfidiam potius Lutheranam, si licet in Heluetia vel in Gallia Zuinglianam vel Caluinianam potius, amplecti, cur non liceat in Polonia propriam etiam habere fidem siue perfidiam Gregorianam? Aut omnes perfidiæ sunt extirpandæ, vt vna fides retineatur: aut omnes tolerandæ, vt à se inuicem tantò citius consumantur: quandoquidem refixit iam in eis, qui eum potestate versantur, zelus ille qui fuit memoria patrum nostrorum, quò prius extremum vitæ periculum adire parati fuerunt, quàm vt vel vnguem latum à totius Ecclesiæ placitis discederc quenquam paterentur. In hanc ego sententiam & scribere, & dicere multa soleo, non sine fremitu nonnullorum, quos ego pili non facio: memor illius quod scriptum est, si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Quòd ad meos hœdos Elbingenses attinet, missi sunt iterum ad eos Commissarij Regij fuerunt ibi per duas hebdomadas de religione verbum, vt audio nullum. Compertum est autem, quòd qui noluerunt esse Papistæ, etiam Registæ esse disierunt. Itaque duo Consules moti sunt, & dies illis coram Regia Maiestate dictus est. 28. Octobris. Anno M. D. LXVIII.

Senatui Reipublicæ Ciuitatis Colonienſis. Epistola CIX.

Laudat quod in fide Catholica constanter perseuerent: & vt ne quidquam de ea constantia remittant hortatur, atque ab omnibus separationis initijs sibi caueant: cum hoc solum diabolo sit laboriosum.

REVERSVS ad nos istinc Ecclesiæ nostræ Canonicus Iacobus Zymermannus, multa nobis narrauit de singulari vestra cura & vigilantia, qua priscam fidem & religionem in ciuitate vestra tueri, & conseruare studetis: tum quales vos gesseritis, cùm ingressum in eam, qui redibat Antuerpia, quendam Hæreticum cognouissetis; à quo meritò vobis metuendum existimabatis; ne quod cùm Antuerpiæ, tum alibi factum audimus, & ingemiscimus, apud vos quoque noui motus aliqui per eum excitarentur. Credibile non est, quantam ex illius hoc sermone voluptatem acceperimus. Etenim quo maiorem animo nostro perturbationem attulit horrenda calamitas illa, qua pridem superiorem, nuper autem admodum inferiorem quoque Germaniam grauiter afflictam esse renunciabatur, hoc magis recreati sumus & exhilarati, posteaquàm Dei primùm benignitate, vestra deinde prudentia, diligentia, vigilantia, perfectum esse cognouimus, vt is adhuc esset Ciuitatis vestræ status, vt rectè de illa dici possit: Sicut Lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Verè amica Dei ciuitas, quæ nō temerè sanctā se vocari nuper adeò demonstrauit. Nam cum spinis & vepribus hæreticorū vndiq; sit circumsepta, nihil tamē earū aculeis offenditur, nec de statu suo dimouetur: & quamlibet oppugnetur non expugnatur tamen, quin fortior indies & robustior fit: ac quo semel est imbuta recens odore sancti Euāgelij, quod à D. Materno D. Petri discipulo, qui primus vobis odorem notitiæ Christi manifestauit, sibi per manus traditum accepit, mille iam quadringentis & amplius annis retinet, & cum vicinis ex omni parte vestris Euangelium Christi haud aliter, quàm florentium vinearum odor serpentibus, factum sit odor mortis in mortem: vobis nihilominus, quoniam quale fuit ab initio traditum, tale nunc etiam illud conseruatis; nec in aliud cuiusuis potius, quàm Christi Euangelium transferimini, sicut ab origine semper fuit, sic & nunc est odor vitæ in vitam. Sed nec virginem temerè se vestra ciuitas esse gloriatur, quandoquidem non illorum tantùm, qui sub aspectum cadunt, hostium armis oppressa nunquam fuisse dicitur, sed nec eorum est insidijs expugnata, qui quantò sunt hostes occultiores, minus patent obtutibus hominum: tantò maius ab illis periculum impendere videtur, cùm præsertim contra Christum, Christi signum portent, & contra Euangelium de ipso Euangelio, quod non intelligunt, glorientur. Reuera vos estis illa virgo casta, quam posteaquàm vni viro despondit exhibere Christo, cuius paulò antè meminimus, Apostolus ille vester Petri discipulus Maternus, virginitatem vestram integram & incorruptam semper seruastis: nec ab eo, cui semel spirituali coniugio per eum estis copulati, vos vnquam diuelli sustinuistis, quod ab initio didicistis, in eo constanter adhuc permaneatis: in qua fide vos ille Christo

Colonia sancta.

Colonienſium in religione cōſtantia.

Colonia virgo.

2. Cor. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

virginem castam despondit, eam integram in hunc vsque diem & inuiolatam conseruatis ac summa cura prouidistis hactenus, ne sicut Euam, & sicut hoc nostro seculo multos infelices Euæ filios astutia sua seduxit Serpens, ita corrumperentur vestri quòque sensus, & exciderent à simplicitate, quæ est in Christo Iesu: quæ simplicitas fuit in sanctis maioribus vestris, qui non manducarunt de sensu scripturæ elato, quorum cor non fuit exaltatum, nec elati sunt oculi eorum, nec ambularunt in magnis & mirabilibus super se: Verùm Paulum dicentem audiuerunt: Non plus sapere quàm oportet: sed sapere ad sobrietatem. Eam simplicitatem vos hactenus retinuistis, nec vt excideretis ab ea sensus vestri, deq; ligno vetito scientiæ, quæ inflat, gustaretis, vnquam adduci quamlibet callidi serpentis astutia potuistis: nunquam doctiores & sapientiores, quàm Ecclesia fit vniuersa, videri voluistis, verùm illius iudicio quàm in Symbolo credere nos profitemur, quotquot Christianorum appellatione gaudemus, quæ mater est & magistra fidelium omnium, iudicium vestrum summa cum animorum vestrorum submissione semper subiecistis, & eam, qua par erat pietate venerati illi vos permisistis, illam audiuistis, illam secundum Deum ipsum reueriti: quandoquidem firmamentum & columna est veritatis, quæ de diuinis rebus ipsa sentiret credenda, quæ de humanis præscriberet facienda, quæ prohiberet, fugienda esse sine vlla dubitatione, tanquam obedientes illius filij, semper censuistis: & cùm sciretis, quod Regnum Dei non est in contentione sermonis, sed in simplicitate fidei, de occultis fidei mysterijs non disputandum, non ea discutienda, nec esse quærendum quomodo, iudicastis: verùm eius memores, quod scriptum est: Iustus ex fide viuit, non ex argumentis, aut rationibus: cœlestibus mysterijs, quam sanctissima nostra parens Ecclesia docuit fidem adhibendo, nec ea curiosius perscrutando: quandoquidem scrutator Maiestatis, opprimentur à gloria, non alta sapientes, verùm humilibus consentientes, ad fidei præmia peruenistis, & eam estis in orbe toto Christiano laudem & gloriam consecuti, vt quod Philippensibus olim dixit Apostolus, id nunc non minus verè vobis queat, quod in medio nationis prauæ & peruersæ lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes. Quanto magis autem tetræ sunt illæ tenebræ, quibus estis vndequaq; circumfusi, quibus finitimas vobis ex omni parte nationes grauiter oppressas, non sine magno dolore nostro cernimus: tantò clarior lucis vestræ splendor effulget, ac sicut stellæ, quantò fuerit nox obscurior, tantò splendidiores micant: ac tantùm abest, vt earum splendori noctis caligo quicquam detrahat, magis etiam vt illustres per eam reddantur. Sic & vestræ fidei lux, quæ nunc annunciatur in vniuerso mundo, tanto clarior fit & illustrior, quantò lumē illius in his nationibus, quibus estis vndequaq; cincti, magis est obscuratum: vt si minùs, lux mundi totius, certè lux & superioris & inferioris, Germaniæ, verè dici possitis. Ac si quid adhuc superest luminis in Rheni prouincia, si plus adhuc in ea, quàm septem milia virorum à Deo relicta videre licet, quæ non curuarunt genua ante Baal vel Islebiensem, vel Tigurinum, vobis id acceptum ferri meritò debet. In vos enim oculos multi coniectos habent, ad vos tanquam ad cynosuram respiciunt, & quo magis hoc luminare vestrum, quo lucetis in medio nationis prauæ & peruersæ, conspicuum esse cernunt, hoc ab istis, plusquam Cymmerijs tenebris, quibus vicinas nationes immersas esse vident, magis abhorrent, & eas hoc amplius detestantur. Quàm est autem insignis per Deum immortalem, quàm vobis gloriosa lux hæc vestra? Quamlibet eam exosam habeant hæretici, nec fulgorem eius lippientes eorum oculi ferre queant: quidam tamen ex ipsis, non postremi nominis ingenti quadam illius admiratione stupefactus, tenere se non potuit, quin eam in cœlum laudibus efferret. Nihil est necesse nomen illius addere. Tenetis proculdubio memoria, quis ille fuerit, qui cùm Antuerpia non ita pridem religionis ergò motus esse factos accepisset, occasionem sibi datam esse ratus, qua Lutheranismum siue Sathanismum suum in ea ciuitate propagare posset, eò profectus est, vbi cùm aliquandiu commoratus, nullum operæ precium fecisset: nam neq; cum collega suo satis ei conueniebat, ad suos rediens in ciuitatem vestram diuertit, ac ad Magistratum venire iussus, & per eum quid haberet in ciuitate negotij rogatus, & qua de causa in eam se contulisset: cùm hospitem & peregrinum se esse respondisset, nec aliud quàm ad suos reditum cogitare, admonitus est, vt meminisset eam esse ciuitatem hanc, quā cùm semel despondisset vni viro virginem castam exhibere Christo D. Maternus D. Petri discipulus, nunquam se fornicationibus vllis polluerit, sed semel datam sponso suo Christo fidem, in hunc vsq; diem integram semper & illibatam conseruauerit. Quamobrem caueret sibi diligenter, ne quarū in ea ciuitate fornicationum esset auctor, hoc est, ne quem doctrinis varijs & peregrinis à sponso suo Christo abduceret, & in aliud cuiusuis potius, quàm Christi Euangelium traduceret, sed ex vrbe primo quoq; tempore faceſſeret. Quod si quid secùs ab eo factum senatus comperisset, certò sciret id impunè se non esse laturum. Cui dubium esse potest: quin hiclli sermo parum gratus acciderit? Intereà tamen ille (tanta fuit huius vestræ virtutis admiratio) facere non potuit, quin hanc vestram in prisca fide religionem q; tuenda & conseruanda curam & vigilantiam, pleno quod aiunt, ore laudaret. Inter alia prorupisse dicitur in hanc vocem. Atq; vtinam, inquit, par studium in eadem causa cæteræ quoq; Germaniæ ciuitates adhibuissent, plurimùm nobis malorum effugere licuisset, nec vnquam patriā nostrā, tot & tantis procellis ac tempestatibus iactatam & agitatam, tamq; grauibus istis calamitatibus miserandum in modum affectam vidissemus. Deum immortalem, quanta est veritatis vis: vt etiam per hostium veritatis iugula nonnunquam vel inuitis illis erumpat? Quid enim dici potuit verius: quàm quod ab hoc dictum est hoste veritatis? Certè si par cura & solicitudo fuisset aliarum Germaniæ ciuitatum, in tuenda prisca religione, quam à Christo & Apostolis eius per longam successionem Episcoporum & Sacerdotum per manus nobis tra-

1. Tim. 3.

traditam accepimus, nec rusticos contra suos dominos incredibili non magis corporum, quàm animarum suarum iactura seditionem excitantes: nec Principes contra suum legitimum Imperatorem, verbiq; Dei fortissimum propugnatorem, parricidialia arma sumentes: nec AEgyptios contra AEgyptios concurrentes, ipsosq; Principes mutuis vulneribus se concidentes, mutuis cædibus inuicem conficientes, nec virum contra fratrem & contra amicum suum pugnantem, nec tot infortunijs mactatam Germaniam vidissemus, vt si quālibet potens ac truculentus hostis eam grandi cum exercitu peruasisset, maiorem ei cladem afferre non potuisset. Me verò factum hoc hominis huius hæretici sic affecit, vt quālibet à vobis longo locorum interuallo sim disiunctus: nulla tamen ratione tenere me potuerim, quin & ipse tantum hoc studium vestrum conseruandæ priscæ religionis, tantúmque Zelum & ardorem: quandoquidem coram non licet, saltem absens per literas vobis gratularer. Mactii igitur estote hac virtute vestra, viri Clariss. confirmet hoc Deus, quod operatus est in vobis. Fortem hunc & constantem animum vestrum, tantam curam & prouidentiam, ac Zelum verè Christianis viris dignum sera posteritas magna cum laude vestra perpetuò celebrabit: nec vnquam est intermoritura vestri nominis glorioſa memoria: nec erit iniustus Deus, vt obliuiscatur operis huius vestri tam boni, qui cùm in hoc seculo vos omni fœlicitatis genere cumulabit, tum in futuro ea vobis premia largietur, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Hortarer autem vos ad perseuerantiam: vt quemadmodum cœpistis, ita deinceps etiam pergatis, & memores illius, quod scriptum est: Non, qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit, extrema cùm primis contexere studeatis: nisi vererer, ne quis in eam partem id acciperet, quasi virtuti vestræ diffiderem. Currentibus, quod aiunt, calcar addere nihil est necesse. A quibus, & quàm leuibus exordijs quorsum progressa res, & cùm error, quo nihil est fœcundius, alius alium gigneret, ad quàm horrendas abominationes ventum sit ad extremum, obscurum vobis proculdubiò non est. Quòd suo seculo quidam è S. Patribus euenisse queritur, vt quisque lingua esset ad maledicendum & blasphemandum procaciſsima, ita præ cæteris eum idoneum esse iudicatum, qui verbi ministerio fungeretur: hoc nunc vsu venisse, magno cum animorum nostrorum cruciatu cernimus. An est vllum religionis nostræ dogma, quod à nostri temporis hæreticis conuulsum & labefactatum non sit? Sacramenta sublata, Sacerdotium, & sacrificium abrogatum, & ita Deum in ordinem quodammodo coactum esse videmus, dum nullus ei cultus peculiaris tribuitur, qui non sit cum eo communis, quem hominibus aliqua dignitate præcellentibus præstare solemus. Iam in his etiam locis, quorum ego sine lachrymis meminisse nequeo, sanctissima Trinitas non solùm impunè, verum etiam ingenti cùm applausu blasphematur: iam CHRISTVS Deus esse, Deiq; filius apertè negatur: iam eo nonnullorum processit effrenata quædam audacia, atque amentia, vt dicat insipiens in corde suo: Non est Deus. Nam & libellos ædi-tos vidimus, in quibus, num sit Deus, & num ei res mortalium curæ sint, per summum sacrilegium in dubium reuocatur. Adeò autem non obscurè ferunt impietatem suam homines audaces, sibiq; placentes: vt non vereantur etiam gloriari, qui postremo loco sunt à nobis recēsiti milites glorioſi, Lutherum tectum Papatus tantùm diruisse: Zuinglium parietes & viciniora fundamento membra disiecisse: se verò pro sua singulari animi magnitudine ad ipsum fundamentum, quod intactum illi reliquerant, subruendum aggressos esse. Fundamentum autem Papatus, hoc est, Ecclesiæ Dei, vocant summum salutis nostræ dogma, quo Deo trinum in personis, vnum in essentia colendum & adorandum esse profitemur. Quod fundamentum esse nostrum libenter agnoscimus. Quis autem vnquam existimasset, quæ tam fuit initiò modica scintilla, quod ea tam celeriter in tantam esset flammam eruptura? Quamobrem laudo vos, quòd per omnia Materni vestri, qui fuit Petri discipulus, memores estis: & sicut ille tradidit vobis, eius præcepta tenetis, nec ea vel in minimo violari permittitis. Verùm, quæ Petrus per Maternum & per successores eius legitimos in hunc vsque diem credenda vobis & retinenda tradidit, omnia sarta tecta, quod aiunt, summo studio conseruare studetis, ac non solum ab illis, qui parietes disiectos, aut fundamentum subrutum cupiunt, verùm & ab his, qui tectum Ecclesiæ Dei, quam ipsis Papatum vocare visum est, demoliri conantur, vobis diligenter cauetis, ac ne tegulam quidem vnam loco suo dimoueri, aut quamlibet exiguum in tecto foramen fieri permittitis. Quamdiu lapides benè compacti sunt, nec vacuum inter se locum habent vllum, firmum & inconuulsum perstat ædificium: sin autem vel foramen acus duntaxat, quod vtrinque penetret, vel scissuram, quæ capilli locum habeat, fieri contigerit, dissoluitur non ita multò pòst, & corruit. Idem etiam de domo Dei sit, quam isti Papatum vocant. Quandiu benè compacti sunt Ecclesiæ lapides, nihil est à Sathana periculi: simul vt verò saltem in tecto vel minimum foramen effecerit, haud aliter atque torrens aliquis, toto impetu infunditur, ex quo fit, vt opinione citius domus tota corruat. Itaque rectè quidam ex Patribus admonuit: quòd initijs tantùm opus est diabolo, simul vt ille discessionis initium operā sua factum esse cognouerit, iam non dimidium habet facti, verùm rem totam confecisse videtur: nec enim conquieſcit, nisi compaginem lapidum dissolutam viderit vniuersam: Oculis id nostris euenisse cernimus hoc infœlici seculo nostro. Non enim à tecto demoliendo, sicut isti dicunt, exorsus est Sathanas per ministrum suum Lutherum: sed vt foramen tantùm in eo faceret, initiò laborauit: cuius voti sui simul vt compos factus est, non solùm tectum, verùm & magnam parietum partem diruit, & quod reliqu fuit, p Zuinglium & Caluinum disiecit: Per hos verò glorioſos milites Triadoclastas, fidei nostræ fundamentis radicitus extirpatis, cum puluiſculo (quod aiunt) quibusdam in locis omnia sustulit: vt

Initijs obstandum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne vestigium quidem vllum doctrinæ de adoranda Trinitate superesse vellet. Non est quod quisquam existimet facturum Sathanam, vt se statim, qualis est, prodat: vt cornua sua proferat, vt quo collimat, id in ipso statim ostendat initio. Nihil est hoc serpente callidius, qui non aliundè quàm ex fraude, dolis & fallacijs constare totus videtur. Itaque nunquam is aperto Marte congreditur: verùm quibus cum illi res est, eos ex insidijs adoritur. Plerunque se transfigurat in angelum lucis: nihil minus præ se ferens, quàm quod animo clausum gerit. Quare nunquam ab his orditur, quæ scit esse magis absurda, quàm vt fidelium animis non satis adhuc præparatis, facilè persuaderi possint, verbi gratia, Sacerdotium & sacrificium, quæ propriè Deo debita seruitus est, vt abrogetur: quòd à veritate dictum est: Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus, vt verum esse negetur: adoranda Trinitas, vt blasphemetur: Christus vt non esse Deus credatur, & num sit Deus cui curæ sint res mortalium, in dubium reuocetur: Ab his callidissima bestia nunquam orditur, sed paulatim in animos hominum irrepens principio non aliud magis laborat, quàm vt saltem in his, quæ natura sua media, vel (vt Græci vocant) Adiaphora sunt: postquam autem Ecclesiæ præceptum accessit, esse media desierunt, à communi sensu & consensu, receptaq; consuetudine totius Ecclesiæ discessionis initium aliquod fiat. Quod simul vt perfecit, & foramen aliquod nactus est, vel rimam saltem, per quam influere posset, iam & in tecto diruendo, & in parietibus disijciendis, & in ipso fundamento subuertendo, nullum est ei vel perexiguum negotium. Quamobrem iterum atque iterum laudo vos, quod ab his astuti serpentis fraudibus vobis tam diligenter cauetis, nec ei quamuis vestimentis ouium induto, ac speciem Dei verbi prætexenti, nec semel illud ingeminanti. Scriptum est enim, fidei quidquam habetis, quin quoties nouationem aliquam, & vt deorsum vos mittatis, hoc est vt ex illius ciuitatis, quæ supra montem posita est, doctrina & traditione vos dejici patiamini, persuadere conatur, nec aures illi, nec animum adhibetis, quin ipsis principijs statim obstatis, nec eius obliti, quod scriptum est: Qui modica spernit, paulatim decidit, vel in minimo vos ab institutis Ecclesiæ matris nostræ dimoueri patimini. Paradoxon id alicui videri potest, sed affirmare tamen quidam insignis Ecclesiæ Doctor minimè dubitauit, non tanto studio sibi fugienda videri grauiora peccata, quanto quæ leuiora censeri queant, quod ab illis abhorret ipsa natura sponte sua: hæc verò dum contemnuntur, ex paruis maxima fiunt nostra desidia. Nam gradatim semper ascenditur ad magis enormia, donec eueniat illud, impius cùm in profundum venerit, contemnet. Quod, proh dolor, multis in locis iam euenisse videmus. Idem in causa religionis obseruate, nec magis vobis ab illis cauendum existimate, qui parietes disijcere, vel ab ipsis fundamentis domum euertere conantur, quàm ab his, qui vel exiguum aliquod foramen in tecto facere moliuntur. Hæc est optima tutissimaq; ratio, qua fidem vestram, sicut hactenus magna cum nominis vestri gloria feciſtis inuiolatam, sponso vestro Christo conseruare, & ei perpetuò vos virginem castam exhibere possitis. Quam ad rem vt vobis gratiam suam impertiat, Christum precor, & vt vos omni fœlicitatis genere cumulet. Datum ex Castro nostro Heilspergensi. Quinto Idus Iunij. Anno M. D. LXVII.

Senatus Colonienſis Stanislao Hosio Cardinali. Epistola CX.

Agit gratias pro gratulatione, & constantiam suam promittit.

Etsi iam aliquot ab hinc annis, Reuerendissime in Christo pater, præsul, & Cardinalis amplissime: ab eo nimirum tempore, quo doctissimis lucubrationibus religionem Catholicam propugnare aggressus es, quid in hoc genere & velles, & posses, tum toti orbi Christiano, tũ nostræ Reipub. testatissimum feceris: ferendum est tamen, maximam illam, quam tuo merito apud exteras nationes, & virtutis, & doctrinæ, & in Ecclesiam Dei propensionis adeptus es opinionem, in hac nostra Ciuitate incredibiliter confirmatam, posteaquàm proximis nundinis Francofurdiensibus epistolam tua persona, & amplitudine dignissimam (cui nos propter mittendi opportunitatem ante nundinas has vernales respondere non tam commodè potuimus, quàm voluimus) conciuis atq; ordinis nostri vir Maternus Cholinus nobis reddidit. Quo pro tuo candore, ac raro in domum Dei zelo, affectu planè paterno huic nostro ordini studium, vigilantiam, ac prudentiam conseruandæ priscæ religionis congratulatus es, quòd nimirum cum vndiquaque spinis, & vepribus hæreticorum circumsepti, ficut lilium inter spinas, nihil tamen earum aculeis offensi de statu nostro, nos ne in minimo dimoueri passi simus, quodq; illum Euangelij odorem, quo D. Maternus B. Petridi scipulus primus, sanctissimos nostros maiores imbuit, peregrino illito, nequaquam elui permiserimus: quod nunquam vel sapientiores, vel doctiores Ecclesia vniuersa videri altum sapiendo voluerimus: quod denique hæreticum hominem, qui spe sua frustratus Antuerpia ad nos fortè diuerterat, primo quoque tempore ex vrbe nostra facesseere iusserimus. Quibus nominibus cum nos & nostram Remp. fauſtis omnibus prosequatur, simulq; precetis Celsitudo tua, vt quod operatus est in nobis, confirmet is, qui dat velle & perficere Deus: ad extremum etiam commodissimam tutandæ deinceps religionis rationem adiungat, non possumus non fateri, atq; vniuersam nostram Rempub. mirificè in tuæ Amplitudinis amorem atq; obseruantiam, tam pia hac rectè factorum approbatione alle-

ctos, gratiarum actiones decernere tantas, quantas maximas animi nostri capere possunt. Tametsi enim conseruatæ religionis, ac ciuitatis huius incolumitatem & custodiam, non tam nostris vigilijs & curis, quàm illius excubijs & prouidentiæ, sine quo inanes sunt omnes omnium vigilantium conatus, debeamus, ideóque nihil ad nos ipsi rerum istarum referamus: neque ignoremus nihil à nobis in hac causa vel prouisum, vel affectum, quod sine maximo Reipublicæ nostræ detrimento, ac graui bonorum reprehensione prætermitti vllo modo potuerit: fuit tamen longè gratissimum, ac perpetua quadam debitáque obseruantia nobis compensandum, quòd tam expressam, támque euidentem erga nos vel potius Ecclesiam DEI, dederis significationem. Animaduertisti pro eo, quo abundas ingenio, & rerum diuinarum intelligentia, quamuis omnia bona à Deo, qui perennis omnium bonorum fons est, dimanent, & homines vt homines nihil sint, aliquid tamen atque adeo plurimum vt à Deo, & per Deum eosdem esse posse: ideóque impartiuisti illam laudem, quam sibi primum ac propriè optimo suo iure omnium laudatarum rerum largitor vendicat DEVS, quáque deinde nos gratuita Dei benignitate tam salubribus inspirationibus locum dantes, diuinæque gratiæ cooperantes, nobis quomodocunque non tam vsurpamus, quàm à laudatissimo Antistite perhonorificè & amanter delatam summa cum beneuolentia, pariqué reuerentia, exceptam saltem non repudiamus. Neque enim ita sumus omnis humanitatis expertes, vt à bonis, qui est rectè factorum fructus, benè audire nolimus: neque ita sumus vel arrogantes aut dissoluti, vt quid cæteræ nationes, & præsertim Catholicæ Ecclesiæ lumina de nobis sentiant, planè negligamus. Iam eò debet nobis tuæ Amplitudinis gratulatio esse antiquior, quòd non solùm Christianissimi sapientissimique viri cogitationes & consilia in hac temporum atrocitate patefacit, sed etiam ab eo profecta sit, quem & religionis & vitæ anteactæ integritas, singularis eruditio, & præclari ad virtutem impetus ad speculum & principem in Ecclesia locum, DEO dirigente, fauentibus atque incumbentibus summis in terra Monarchis extulerunt. Nos itaque Cardinalis Amplissime vel tuæ Amplitudinis vnius sanum illud & maturum, & cum totius Ecclesiæ sensu & consensu consentiens iudicium, liberalem de nobis ac nostra Republica existimationem longè præferimus, quamlibet speciosis, quamlibet diuersis, reuera tamen corruptissimis pseudoeuangelicorum opinionibus, ac pro nihilo ducimus: quod hoc nomine iam multis annis pro istorum hominum modestia tractamur. Quin ita nobiscum statuimus, nihil posse tristius, nihil calamitosius huic nostræ Reipublicæ accidere, quàm si in eum sensum, quo ipsi rerum publicarum statum laudare, id est, deformare consueuerunt, ornetur. Contra (id quod pro dispari instituto in diuersis prouincijs dispar euentus apertè declarat) nihil glorioſius, nihil ad concordiam & tranquillitatem vtriusque status retinendam, perinde accommodum, quàm si per DEI gratiam demus operam, vt in hoc negotio impurissimi mœchi, virgineam huic vrbi castitatem non modo inuideant, verumetiam petulantissimè traducant. A quibus laudari (nisi id veritatis vis, vt exemplo cognitum est inuitis extorqueat) reuera vituperari est. Fuerit idcirco, Reuerendiss. Antistes, Amplitudinis tuæ epistola spongiæ instar, qua eiusmodi harpiarum sordes, quæ alioqui, quod in innocentes coniectæ, diu hærere non possint, sua sponte decidunt extergere nullo negotio possimus: fuerit clypeus firmissimus, quo leuissimorum hominum non minus leues ictus excipere, & eludere queamus. Quid enim non possit eius viri authoritas, qui cum summa, quam in Ecclesia DEI sustinet dignitate, virtutem ita coniunxit: vt in vtraque pariter emineat: & quibus temporibus ad Ecclesiæ gubernacula accesserit, si quisquam alius, rectissimè intelligat: eámque ob causam prouinciam ingenio, optimis cogitationibus & studijs aptissimam, pro grege Dominico, salute & dignitate Ecclesiæ, excubando insigniter ornat, vt prætereamus, quod in Germania nostra, ac Regnis finitimis, minus multi sese deorsum præcipitant, minus multi vacillant, nonnulli etiam fumis dimissis, vnde digressi sunt, redeunt: ea in re non extremum locum grauissimas tuas de controuersijs Theologicis commentationes tenere. Itaque statuunt viri prudentia & doctrina clarissimi, tuam Amplitudinem non solùm à Patria, sed etiam à cæteris nationibus, quæ quidem cum Ecclesia etiam linguam Romanam nobiscum communem habent, neque maiorem, neque meliorem gratiam inire posse, quàm si plura eius generis scripta (id quod diuina benignitate fore confidimus) inde ad nos, finitimásque gentes dimanare patiatur. Accedit hoc ad maximum meritorum cumulum, quibus vniuersum propè terrarum orbem hoc nomine iam pridem deuinctum habes. Nos interim id (DEO bene adiuuante) curabimus diligenter: ne conceptam de nobis in tuenda religione bonorum opinionem vllo modo fefelliſſe cuipiam videri possimus: omnia prius & facere & pati parati, quàm eam fidem nobis eripi sinamus, quam à nostris proauis iam inde à Diuo Materno repetentes inuiolatam recepimus: & cooperante & præueniente diuina gratia prouidebimus, ne (quo tuæ Amplitudinis gratulationem, laudem, & consilium spectare intelligimus) non solùm parietes disijci, domum à fundamentis euerti: sed ne omnino rimulam in tecto fieri patiamur. Quam quidem conseruandæ religionis præscriptam rationem, quia nobis maiorum vestigijs insistentes præfixam habuimus, magis inde adeò nunc accedente Amplitudinis tuæ authoritate sumus confirmati, nobis non mediocriter ipsi gratulantes: quòd & nostrum, & patrum nostrorum iudicium cum tuo, Ampliſſ. Antistes, optimè congrueret. Pro quo etiam Reuerendissimæ tuæ Amplitudinis in nos, nostram Rempublicam, ac denique religionem verè Apostolicam, animo, illud vnum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod summè necessarium & vtile esse putamus, omnibus votis exoptamus & precamur, vt qui tuæ Amplitudini istam mentem cum ea tum dignitate, tum facultate dedit (dedit autem omnium bonorum auctor & conseruator Deus) idem velit istarum rerum fructum, non modo Poloniæ tuæ, ac huic nostræ patriæ, verùm vniuersæ Dei Ecclesiæ, ac toti orbi Christiano esse quam maximè diuturnum: quò talis gubernatoris industria horribiles istæ dissidentium opinionum procellæ, quæ multis annis iactatam Petri nauem, necdum consistere patiuntur, vel aliquando componantur, vel si id sperare vix licet, saltem minus multos tectorum & parietum deturbatores, & (quibus nihil potest fieri horribilius) fundamentorum euersores, ab inferis excitatos, in nostrum hunc orbem habeamus, quo tandem quot quot sumus priscæ religionis vinculo, arctissimè in hoc nauigio religati, remissis nonnihil nauigationis molestijs, ac hæreseon quasi tempestatibus, quæ nunc vndique huic incumbunt, quietius in veræ quietis & otij portum, Deo aspirante deferamur, &c. Datum 16. Calend. April. Anno M. D. LXVIII.

Nicolao Christophoro Radzvvilo Duci in Olika.
Epistola CXI.

Gratulatur illi reditum ad Ecclesiam Catholicam, & ad perseuerantiam hortatur, & vt ne Papistæ nomen erubescat.

MVLTORVM sermonibus ad nos perfertur te, cùm prauis erroribus puer imbutus fuisses, quandoquidem inter eos, à teneris educatus es, qui se præcideruntab Orbe terrarum & ab Ecclesiæ totius vnitate, tandem Dei misericordiam esse consecutum, vt fidelis esses, & in eum Christum crederes, extra quem alius nullus est: in quem sancti maiores nostri firmiter credentes, salui facti sunt, vt iam deinceps nihil eorum persuasionibus apud te loci sit, qui dicunt: Ecce, hic est Christus, ecce illic, ecce in penetralibus, ecce in deserto, nec eum deinceps VVittembergæ quærendum esse putes, vel Argentinæ, vel Geneuæ, vel in alijs quibuscunq; desertis. Sed illud in animo tuo fixum habeas, quòd non alibi quàm in corpore suo, quæ est Ecclesia, Christus reperiri possit, cuius nomine censeri quidem cupimus omnes: Verùm qui se diuiserunt ab eius corpore quidquis aliud se potius, quàm Christianos esse, non obscurè profitentur. Ego verò sicut immensam Dei bonitatem, qui tibi mentem hanc inspirauit, satis prædicare non possum, sic nec hoc puto faciendum, vt ea te quoq; laude fraudem, quæ tibi debetur, qui te tam obsequentem inspirationi diuinæ præstiteris. Nam quòd ad ipsum Deum attinet, certum est, quòd is omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire velit. Quamobrem pulsat ille quidem sæpè, cupit in mentes hominum illabi, vt quæ sunt ad salutem eis inspiret, verùm interea multos inuenire licet, qui pulsanti non aperiunt, neq; salubres inspirationes recipiunt, neq; dubitant cum impijs illis dicere. Recede à nobis, viam scientiarum tuarum nolumus: quales mihi quoq; proxima superiore Quadragesima nonnullos experiri licuit. Quod itaq; tu via scientiarum Dei receperis, quòd pulsanti aperueris, quod enim ad te venientem recedere non iusseris, præclara hæc est laus tua: nec est quòd dubites, quin hanc tuam in obediendo Dei voci tantam alacritatem Deus remuneraturus, & quæ tantæ virtuti reposita est corona, sit eam in illo die iustus iudex tibi redditurus: tu modò memineris eius, quod scriptum est: Non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsq; in finem saluus erit. Quāquàm (nolo enim dissimulanter tecum agere) simul & hoc renunciatur, quòd nondum satis apertè Christum confiteri audeas, quæ res quamuis nonnullam animo meo perturbationem attulit, vt minus plenè gratulari tibi posse viderer, non ita me tamen deiecit, quin bona spe sim, qui tibi dedit hanc gratiam, vt ad agnitionem veritatis peruenires, eum quod operari cœpit, in te confirmaturum & perfecturum, vt magna cum fiducia Christum deinceps apertè confitearis, & per quem seductus paulò antè fuisti, palam Antichristo nuncium remittas, quod vt facias, etiam atq; etiam te hortor & moneo, & per viscera misericordiæ Dei quæso atq; obtestor. Difficile est habitare cum scorpionibus, & morsibus eorum non offendi, sed fi totam spem & fiduciam tuam, in eo, qui pater est misericordiarum, & DEVS totius consolationis, defixam habueris, sicut misericordiam consecutus es, vt fidelis esses, sic & hanc misericordiam consequens, vt fidem in Christo tuam apertè confiteri non dubites. Nec ea te res ab instituto deterreat, ne fortè Papistæ nomen ab his, qui segregauerunt semetipsos tibi tribuatur, quin tu non solùm Papistam, verùm & Registam esse te clara voce, vt exaudiri possis ab omnibus pronuncia, nec ad existimationem tuam magis amplum & illustre quicquam accidere tibi posse persuasum habeas, quàm si te nominibus his audieris appellari, quibus testimonium tibi datur, quòd eam, quam debes fidem & subiectionem à DEO constitutæ potestati præstas, siue sit ea Ecclesiastica siue ciuilis, quā nunc secularem vocāt. Cur autem eius te potestatis pudeat, quam Regia Maiestas communis Dñs noster, quam Imperator, & alij Catholici Reges atque Principes libenter & reuerenter agnoscunt. Quale per Deum immortalem est hoc Euangelium, per quod virtus probro datur, & probrum laudi ducitur, scilicet, si quis fidelem se subditum exhibeat à DEO constitutæ potestati, probrum id est? Itáne criminis fidei, virtutis verò nomen perfidiæ tribuemus? Paulò antè mortem suam edidit Philippus Melanchton librum quendam, in quo multa questus de nouis quibusdam Papis in Germania nuper exortis, præclarum hoc Euangelium suum in Anarchiam quandam euasisse quæritur. An autem Anarchiam hanc meditati non sunt rustici seruili, bello contra suos Dominos concitato: deinde Principes

cipes sumptis armis contra pientissimum Imperatorem Carolum puri Dei verbi fortissimum propugnatorem. Quid in Gallijs semel & iterum, quid in Scotia, quid in Germania inferiore nuper adeò factum sit, proculdubiò non ignoras. Vtinam autem eius rei domestica quoque exempla proferre nulla liceret. Sed proh dolor, etiam apud nos proximis superioribus diebus detecti feruntur, qui sicut ignominiosum anteà sibi fore putauerunt, si Papistæ dicerentur, sic & hoc ad infamiam suam pertinere persuasum habuerunt, si Registæ vocarentur, & quemadmodum Pontificis anteà, sic & Reges iugum deinceps excutere sunt conati. Hi sunt fructus huius Quinti Euangelij. Sed nec eorum sermonibus moueare, qui cùm ab Orbis terrarum vnitate, sacrilega quadam diuisione se præciderint, dum socium te suæ præcisionis habere cupiunt, subinde vociferantur Euangelium, Euangelium, verbum Dei, verbum Dei, doctrinæqúe Christi veritatem in deserto potius, quàm in Ciuitate supra montem posita, quæ est Ecclesia Dei, tibi quærendum esse, persuadere conantur, quin illud perpetuò pectatori tuo sit infixum, quod ab illo sancto Patre scriptum est: In Cathedra vnitatis posuit Deus doctrinam veritatis. Vbi discessum est ab hac vnitatis Cathedra, quot tibi sectæ, quàm horrendæ, quàm portentosæ, quàm etiam inter se mirandum & miserandum in modum dissectæ prognatæ sint, cùm in Germaniam iter faceres, & in ea commoratus esses aliquandiu, vidisti proculdubiò: quin & illud animaduertisti, quomodo se mutuis ipsi cædibus haud aliter, atque Cadmei quondam fratres conficiunt, quin & hæreos inuicem condemnant, nec vllam veriorem vocem proferunt vnquam, cùm alter alterum hæreticum pronunciat. Primus hoc infœlici nostro sæculo sacrilegæ separationis ab Ecclesia Dei fuit author Martinus Lutherus. Qui posteaquàm eò rem perduxit, vt quod ipse diceret aut scriberet, id purum Euangelium & expressum Dei verbum à multis esse crederetur, an eius vestigijs insistentes alij non perfecerunt paulò pòst, vt ipsorum potius doctrina purum Dei verbum à multò pluribus esse putaretur? cùm tamen à Lutheri placitis in grauissimis Religionis nostræ capitibus longè dissiderent. Sic iam quot hæreticos, tot Deos, quot hæreticorum dogmata tot Euangelia, tot videre licet in Germania Dei verba. Vt spiritu quodam diuino prædixisse videatur quidam ex sanctis Patribus: Necesse est, vt minutatim secti concilio dispereant, qui tumorem animositatis suæ, Catholicæ pacis sanctissimo vinculo prætulerunt. Quorsum autem ad extremum res reciderint, quis est qui siccis oculis commemorare queat, siue nunc in Polonia, siue degas in Lithuania, quæ probra, quæ maledicta, quas blasphemias, & in adorandam Trinitatem, & in venerandam vnitatem, & in essentiam diuinam eiaculari non audis? horret animus dicere, sed necessariò dicendum tamen est. Audis & illud, quamlibet inuitus, quod iam apertè Christus ab æterno Deus esse negatur. Quin & illud fortasse non ignoras, in dubium nunc reuocari (quod etiam apud Ethnicos facere capitale fuit) num sit Deus, qui rerum humanarum aliqua cura tangatur. Ausus est quæstionem hanc tractare Bernardinus Ochinus vnus omnium impurissimus hæreticus, qui simul & inimicum, & defensorem agit, qui plurimis etiam blasphemijs scatentes, de S. Trinitate Dialogos edidit, quos patri tuo dicare veritus non est. Vides igitur, ad quod extremæ barathrum impietatis ventum sit, posteaquàm ab vnitatis Cathedra discessum est. Nihil est facilius, quàm initium discessionis facere: contrà, finem illius inuenire, longè difficillimum est. Qui falsò superstitionis Ecclesiam arguebant, ij nunc & Machometismum & Atheismum profiteri videntur: adeò verum est, quod ab Hilario aliquando scriptum legimus. Cùm secundum vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum baptisma fides etiam vna sit, excidimus ab ea fide, quæ sola est, & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, vt ne vlla sit: Fides nō est nisi vna: Quicquid est extra vnā fidē hāc, nō fides, sed perfidia est. Cane peius & angue perfidiā hanc odisse debes, & eā remis, quod aiūt, velisq; fugere. Fidē aūt eā sectare, quæ habitauit in Auia tua Szidlouitia, qua fœmina vix vllā vidit ætas hæc nostra sanctiorē & religiosiorem, quā eandem fidē & aui, & proaui tui paterni simul & materni, quin & abaui & ataui magna cum laude constantiæ ad extremū, vsq; vitæ suæ spūm professi sunt, qui p̄claræ pietatis erga Deum suæ, tam in Polonia, quàm in Lithuania illustria multa monumenta reliquerunt. Cui rei documento etiā esse potest auctum oppidū illud tuū Szydlovviec. In eo quod tu diuinum cultum, qui iam annis aliquot fuerat abolitus, restaurandum curasti, magnam ex ea re cùm apud homines laudem, tum apud Deum gratiam es consecutus. Bona spe sum quòd nobis maius indies tuæ pietatis erga Deum specimen sis daturus. Cæterùm incidi nuper in libellum quendam contra sacram Tridentinam Synodum conscriptum, & per Leguleium quendam è Germania in Latinam linguam conuersum: Quem tibi nuncupatum fuisse, dolenter admodum tuli, quod hoc ad infamiam nominis tui pertinere persuasum habeo. Sed interea tamen hanc de te spem concipio, quòd minimè tibi probatus fuerit, & quòd ab eius lectione abstinere potius, quàm vt in eo voluendo bonas horas malè collocares, cùm tion aliundè ferè constet, quàm ex falsis quibusdam calumnijs, probris, conuitijs, maledictis, nec esse possit eo quidquam virulentius. Quin & hoc, quæ tua pietas est, facturum te confido, vt nonipse modò, ab eius lectione tibi temperes, verùm & alios ab eius vel inspectione deterreas & rationes omnes inuestiges, quibus is minus multorum manibus teri queat. Quod vt facies, & vt indies te magis Christianum, Catholicum, & Orthodoxum declares pro paterna mea erga te sollicitudine, te diligenter hortor & moneo. DEVM etiam precor, vt hanc tibi mentem inspiret, quo sicut anteà fuit sensus tuus errare à DEO, sic nunc decies tantùm iterum conuertens, requiras eum vt adducat tibi DEVS

sempiter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sempiternam iucunditatem cum salute longa. De me verò ea tibi polliceberis, quæ de homine tui studiosissimo, qui nihil ardentioribus votis expeto, quàm salutem & incolumitatem tuam, non hanc modò diurnam potius, quàm diuturnã, verumetiam illam sempiternam, & perpetuò duraturam, nec vllum vnquàm finem habituram. Datum 3. Nouembris. Anno M. D. LXVIII.

Andrææ Patricio Regio Secretario.
Epistola CXII.

Respondet ad literas, & ostendit, quòd à Deo faciendum sit omnium consiliorum & actionum initium.

OBstupui, cùm literas Dom. Vest. legerem. Itáne cœlum ruiturum esse vobis persuasum est, si qua CHRISTI mentio fiat in Comitijs nostris? Primùm quærite Regnum Dei, dicit Christus, & cætera adijcientur vobis. Nunc vos quicquid aliud potius, quàm Regnum Dei quærendum esse putatis, ac sic demùm illo neglecto, futurum existimatis, vt cætera vobis adijciantur: quæ vos opinio vestra ne fallat, metuo vehementer. Etiam Ethnicus ille naturæ quodam lumine, à Ioue principium inquit: Vos à Christo principium sumatis, cum primis absurdum id, quin & periculosum fore creditis. Bone Deus in quæ tempora me reseruasti. Prudentiam istam vestram Aulicam, quæso ne mihi Dominat. Vest. tribuat: nam hæc est, quæ peruertit omnia. Contra diabolum in Aula vestra ne mutire quidem quisquam audet: contra Deum etiam in Regni Comitijs, vbi præsens adest Regia Maiestas & Senatus illius, quin & summorum Principum oratores, cuius impunè blasphemare licet. Metuitur ille, quia malus: contemnitur hic, quia bonus, quia tardus est ad vindictam, quam tamen supplicij grauitate non rarò compensat. Quod autem ad meam erga Maiestatem Regiam obseruantiam attinet, quanto sum illius obseruantior, tanto votis ardentioribus expeto, Deum vt sibi propitium habere queat, qui si fuerit pro nobis, quis contra nos? Sin autem illius iram prouocantes, & eam nobis thesaurizantes in die iræ eius ope destituti fuerimus, non alia res grauius & celerius, quàm hæc aulica vestra prudentia nobis exitium attulerit, quæ cogitandum esse dicit, quòd non statim Christus extinctus fuerit, cùm toto triduo in sepulchro quieuerit, quin per suam resurrectionem tantò magis gloriam suam illustrauerit. Atqui totis ferè viginti annis, quibus ego, quamuis indignus, Episcopum ago, Christum in his terris sepultum indies magis atque magis obrui, quin etiam ne possit resurgere, modò non prohiberi video, sed resurget is tamen aliquando, quamlibet etiam inuitis omnibus inferorum portis. Ego verò faciam quæ potero lubens, mortalium veritus neminem, vt in eorum cordibus resurgere queat, qui sunt Ecclesiasticæ meæ Iurisdictioni subiecti, non vt per vim Sathanæ ministrum Elbinga pellam, quod facerem, si tantum virium haberem, sed cùm perficiendi spem non videam, alias nihilominus vias persequar, quas munus meum à me requirere videtur. Nunc ab hædis meis ratio prouentuum Ecclesiasticorum exigitur, de quibus inter illos & me facilè transigi posset, præcipuè de præteritorum dispensatione, dummodo reduci possent ad CHRISTVM, à quo discessisse videntur: ac proficere me posse sperarem, si quid in Aula præsidij foret. Sed ea Christi causam deserit, nec illam ad se quicquam pertinere, quin absque illo regnare se posse putat. Etiam atque etiam videte, ne vicissim vos Christus deserat, omnémque consiliorum vestrorum progressum prorsus irritum faciat. Quem ego precor, vt misereatur nostri. Illuminet vultum suum super nos, &c. 8. Decembris. Anno M. D. LXVIII.

Andrææ Patricio Regio Secretario.
Epistola CXIII.

Narrat quomodo in Comitijs & Christi, & Regiam simul authoritatem & causam defendit, & de Burgimagistrorum audacia queritur.

QUid à vobis peccatum isthic est, facilè per me condonabitur, dummodò vicissim vos condonetis, si quid hic à nobis quoque peccatum est. Nam quominus occasione data Religionis in Comitijs nostris Elbingensibus mentionem facerem, effugere nullâ ratione potui: neque tamen mandatum Regiæ Maiestatis vlla in parte prætergressus mihi videor. Nã quod præcipitis, ne quid in Religionis negocio mouerem, néve quid molestiæ aut difficultatis illius causa cuique exhiberem, id à me seruatum est diligenter. Quominus enim blasphemias suas eiaculari pergeret impius ille Sathanæ minister, quia non potui, non prohibui. Quo loco res fuerunt in Ciuitate Elbingensi, eo reliqui omnia. Deo gratias egi, quòd liceret in Regis Christiani, Catholici, & Orthodoxi Ciuitate, quod licet in Ciuitatibus quibusdam immani Turcarum Tyranno subiectis Christiano ritu CHRISTVM absque cuiusquam impedimento colere, saltem in vno templo, quod ingenti difficultate tandem aliquando sum per Dei gratiam consecutus.

tus. In magna beneficij parte posui, quòd ego non prohiberer DEVM Christiano ritu colere, tantum abest, vt alios prohibere conarer, quominus Antichristum suum Islebien. adorarent. Sed cum audirem graues quærimonias de Regia Maiestate, quod in his terris nouaret omnia, quod nulla cum Consiliarijs earum habita deliberatione, contra Priuilegium illis concessum plæraque constitueret: quod nullo seruato legittimo processu, Burgrauios & Burgimagistros per suos Delegatos loco moueret: ac instari vehementer, vt me causam harum terrarum agente & earum Iura Priuilegiáque defendente irrita fierent, quæcunque per Commissarios Regiæ Maiestatis nuper in his terris decreta sunt, & in locum quisq; suũ restitueretur, qui deiectus de eõ est: equidé non potui non metuere, ne parũ grauiter officio fidelis subditi & Consiliarij functus existimarer, si cũ hæc talia de Reg. M. iactarentur tacerẽ, nec illius dignitatẽ tuerer. Itaq; quæ dicerentur de Maiest. Regia, multò verius dici posse affirmaui de trium Ciuitatum Burgimagistris: Nam qui sunt, qui quod ad Religionem attinet, in tribus istis Ciuitatibus noua fecerunt omnia nisi Burgimagistri? Qui sunt, qui quos nominauit Episcopos Regia Maiestas, quos S. Sedes Apostolica confirmauit, eos suo loco mouerũt, & alios per summũ nefas instituerũt, nisi Burgimagistri? Qui sunt qui gloriantur id concessione Maiestatis Regiæ se fecisse, cum nullus ex harum terrarum Senatoribus ad id Consilium fuerit adhibitus, præter vnum forte qui iam obijt Palat: Marieburgen. nisi Burgimagistri? Siccine quod Burgimagistris placuit, si Regiæ Maiestatis qualiscunque consensus per obreptionem obtentus ad id accedat, id iustum, id æquum, id Sanctũ & inuiolatum esse debet. Si verò statuat eadem aliquid, non rogatis prius Burgimagistris, id irritum prorsus & innane statim decerni debet. Nouat in Rep. plæraq; Regia Maiestas, multò plura nouarunt in Religione Burgimagistri. Sed fecerunt Regiæ Maiestatis permissu. Sit ita. Mirari me, cui plus quàm Pontificiam auctoritatem tribuunt (Nam audeo dicere, quod neque Pontifex nouam Religionem instituendi nouos ritus, nouasque cæremonias abrogatis veteribus totius Ecclesiæ perpetuo consensu receptis & abrogatis, inducendi potestatem sibi sumit) quod eum Regia potestate fungi nolunt, scilicet, quando visum erit Burgimagistris: erit Sigismundus Augustus plusquam Pontifex, quando secus illi iudicauerunt, ne Rex quidem erit. Nam certum est, quod etiam iuxta Confusionem Augustanam ad Reges & Principes polyticæ res pertinent, ad Episcopos Ecclesiasticæ. Quamobrem cui conceditur potestas, vt Pontificem agat, ac plus etiam quàm Pontificem, cur ei, quæ propria ipsius est Regia potestas adimitur, vt non possit in Polyticis, quod eum posse volunt in rebus Ecclesiasticis? Si quid igitur nouatur in polyticis rebus in his terris non alijs debemus id præterquam Burgimagistris? Si contra Priuilegia terrarum harum constituitur aliquid, non adhibitis in Consilium earum Senatoribus, à Burgimagistris docta facit hoc Maiestas Regia. Quis enim ex Episcopis, quis ex Palatinis præter vnum forte Marieburgen. de quo tamen adhuc mihi non satis constat, quis ex Castellanis, quis ex Succumerarijs, harum terrarum in consilium fuit adhibitus, cùm Burgimagistri nouam quandam Religionem sibi per obreptionem concedi, sicut ipsi iactant, quod mihi tamen adhuc verisimile non fit, obtinuerunt. Ego præsens in illis Comitijs adfui, non solùm per omne tempus id, quo tum fui Varzauiæ, nihil mecum ea de re communicatum est: verùm & annos aliquot magno studio de consilijs istis fui celatus, & æquè tum eram præsidens atque nunc, neque tamen pro præsidente tunc agnoscebar, & volunt, vt nunc cœlum terræ misceam, quòd quando de rebus polyticis ad has terras pertinentibus habebantur consilia, fuerim ab illis vna cùm Consiliarijs harum terrarum alijs excluſus, cùm à Burgimagistris Elbingen. multò grauiorá sim passus, qui me de dignitate mea Episcopali deturbarunt, altare contra altare erexerunt, Cathedram contra Cathedram constituerunt, & alium sibi Superintendentem elegerunt, qui publicè CHRISTVM blasphemat, & quod lingua dicere aures etiam horrent audire, diaboli illi nomen tribuit. Ausus est enim impius ille, cùm contra sacrosanctum Missæ sacrificium blasphemas multas voces eiacularetur, inter alia & hoc dicere. Qui consecratam hostiam, quam eleuat Sacerdos, adorat, diabolum adorat. Hæc ego ferre debeo, & fero, quandoquidem prohibere non possum. Hic neque pro Episcopo, multò minus pro Præsidente agnoscor, & vbi leuiora committuntur, vbi de polyticis tantum rebus agitur, ibi volunt vt Præsidentis munere fungar, vt pro Iuribus, Priuilegijs, libertatibus harum terrarum pugnem, & nihil intentatum relinquam, quò possint ea sartatecta conseruari: Quin prius mihi Burgimagistri Iura, priuilegia, libertates Ecclesiæ restituant, deinde iure suo, quod est munus Præsidentis, exigant. Quod à D. Commissarijs Regiæ Maiestatis factum est, non seruato legitimo processu factum esse, quemadmodum verè possit affirmari, non video: nam citati tamen fuere, qui loco moti sunt, facta fuit illis dicendæ causæ potestas, eo cognito quid instigator officij, quid rei dicerent, sententia lata est. Ego verò quando fui citatus, quandò fuit mihi facta causæ dicendæ potestas? Quis fuit accusator, quis Iudex? Sum nihilominus, sicut & aliarum duarum Ciuitatum Episcopi, per Burgimagistros de Cathedra mea deiectus, & Episcopatu meo spoliatus, cúmque misissem pios & sanctos viros, qui purum DEI verbum in Regis Christiani, Catholici, & Orthodoxi Ciuitate, quæ Iurisdictionis meæ est, prædicarent, & Christiano ritu CHRISTVM colerent, non admissi quin lapidibus, petiti ac modò non interfecti sunt, Regiæ Maiestatis fidem imploraui, supplex petiui, quod licet sub crudeli Turcarum Tyranno, ne pateretur id Christianus Rex in Ciuitate sua prohiberi. Fecit Maiestas Regia, quod erat Catholici Regis officium, misit Commissarios suos, per quos Magistratui mandauit, vt Euangelium CHRISTI per legitimos ministros à legitimè

Universidad de Deusto
Biblioteca

timè ordinato Episcopo missos liberè prædicari permitterent: ac seriò prouiderent, ne quis eos, quibus etiam saluum conductum dederat, violare auderet. Ac fuit mihi quidem Parochialis Ecclesia restituta, Regiæ Maiestatis mandato, sed quod ad puri Dei verbi ministros per me missos attinet, non est maior Regiæ Maiestatis, quàm Episcopalis dignitatis habita ratio. Petebantur illi nihilominus grandioribus saxis, & frustra contra sacrilegos eorum, qui tantum scelus patrabant, conatus. Magistratus fides implorabatur: quin quantò magis eorum, qui missi sunt à me securitati Maiestas Regia prospicere conata est, tantò maior contra eos leuissimorum hominum impetus fiebat, tantò grauioribus eorum iniurijs erant obnoxij. Mãdabat Regia Maiestas, vt eijceretur ex Vrbe seditiosus & blasphemus ille minister. Contra Burgimagistri, quasi in despectum Regiæ Maiestatis. Pellantur, aiebãt, potius Iesuitæ, quin & ipsa rebus etiam nomina commutata vidimus. Nam qui iaciebant lapides in pios homines pacifici, in quos verò iaciebantur, quoniam eos declinabant aliquando, nec eorum ictus totis corporibus excipiebant, seditiosi vocabantur, Diaboli verbum Dei verbum, Christus autem, proh scelus nefarium, Diabolus appellabatur: apud extremè Barbaros vix talia fando quisquam audiuit. Ego nihilominus & audire cogor, & ferre, quin etiam in Christi causa mutum me esse vellent. Vbi nouatur aliquid in rebus polyticis, ibi nescio quos clamores excitare volunt contra potestatem à Deo constitutam, quæ si mihi foret offendenda mallem in Christi, quàm in alia quapiam causa offendere. Quamobrem quando Burgimagister Elbingen. de gradu meo me deturbauit, & ipse pro Episcopo se gerit, ab illo potius exigatur, vt ad Regni Comitia proficiscatur, vt ibi Iura, Priuilegia, libertates harum terrarum defendat. Ego verò quandò ferre cogor multò grauiora, quàm sint ea, de quibus tantoperè queruntur Burgimagistri, feram & hæc leuiora. Sat scio, quòd mutationem Religionis, Reip. quoq; mutatio consequi solet: neq; procul ab interitu nos abesse video, cùm eadem nos fortuna maneat, quæ gentes alias, quæ similiter à Christo, & eius corpore Ecclesia defecerunt. Nam quid pridem in Germania sit factum, quando rustici contra suos Dominos quando Principes contra fortissimum diuini verbi propugnatorem Carolum, legitimum Dominum suum ac Imperatorem arma sumpserunt. Quid nunc etiam in Belgio, quid in Gallijs fiat, quis est, qui nesciat. Vbi Pontificis, ibi Regis etiam & Imperatoris iugum excussum audimus. Qui noluerunt esse Papistæ, nolunt etiam esse Registæ. Sed quo fructu legitimæ potestati rebellarint, qui potestatem Ecclesiasticam reiecerunt, & hoc obscurum non est. Semper legitimæ potestati Deus assistit, ac de rebellibus pœnas sumit. Vtinam & nobis eadem ferè mala non contingant. Sed si quid acciderit Burgimagistris, id omne acceptum ferre debemus, qui posteaquàm Religionis nouationem instituerunt, Reipub. quoq; nouatio necessariò consequetur. Ego Deum precabor, vt hanc mihi mentem det, quandoquidem nullius mihi culpæ sum conscius: & ab omni nouatione tam in Religione, quàm in Repub. semper abhorrui, quo possim quicquid acciderit, ferre fortiter, & vt iratus propter grauia peccata nostra Deus non contineat in ira misericordias suas, nec in æternum irascatur nobis. In hanc ego sententiam pleraq; dixi, quæ non puto quòd sint vos offensura: nam si creditur in Aula non peccari: si quid mandato Principis fiat: & mihi Princeps meus Christus mandauit, vt hæc ita dicerẽ, si quis offensus fuerit cum Apostolo dicam: Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus. Etiam si alibi, quàm Elbingæ habita fuissent Comitia, nihilominus eadem hæc dicere non omisissem. Condonemus inuicem ex vtraq; parte si quid paccauimus. Datum 29. Decemb. 1568. Heilspergæ.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ.
Epistola CXIIII.

Gratulatur, quod se piè & religiosè sacris diebus gesserit.

INgentes ago Deo gratias, in cuius manu sunt corda Regum, quòd eò mentem Vest. Maiestatis impulit, vt ita se gereret in sacris his diebus, vt nullum sancti pijq; Regis officium in se requiri passa fuerit. Quodque sancti sui parentis vestigia secuta exemplo suo, nonnullos etiam abductos ab impietate sua ad Ecclesiæ gremium reduxerit. Quibus ex rebus maiorem animo lætitiam concepi, quàm facilè credi queat. Credat mihi Maiestas Vestra: quod si me magna fortunarum accessio ne locupletasset, parem ex ea re lætitiam non accepissem, quam auxit etiam vehementer ardens Vest. Maiestatis studium in extirpandis hæresibus, & fide Catholica propaganda, quod ex literis & ad Regiomontanos & ad Elbingenses ita scriptis, quemadmodum à vero Catholico, & Orthodoxo Rege scripras oportuit, facilè videre licet, quarum etsi quando futura sit executio nescio, Christianum tamen hunc illius animum exosculor, & non possum non optimè sperare, Qui dixit: Qui confessus me fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, non dubitet Maiestas Vestra, præstabit quod promisit, quandoquidem ita candidè confessa est eum coram hominibus etiam hæreticis, non solùm scriptis, verùm & factis: confitebitur & ipse procul dubio Maiest. Vest. coram Patre suo, ostendet illi cicatrices vulnerum suorum, & mortis ac passionis suæ meritò intercedente placatum & propitium illi Patrem reddere conabitur: vt ego iam certa spe sim, omnium consiliorum suorum fœliciores deinceps exitus Maiest. Vest. habituram, dummodò cum primis extrema contexat: & hoc summo studio caueat, ne quas dignitates aut Præfecturas hæreticis mandet: nam si vel vnum hoc accesserit, nihil iam in illa desiderari poterit, quod ad plenam Christi confessionem pertinere videbitur. Nam

Nam si quid, quod pro sua misericordia Deus procul auertat, secus aliquid acciderit, iam iterum in dubitationem de se multos adduceret: magnoq; luctu tam grandem hanc lætitiam nostram contaminaret. Obsecro per viscera misericordiæ Dei, pergat vt cœpit hisce proximis diebus, & auersi ab hæreticis animi signa det, & ab omnibus honoribus atque Præfecturis eos arceat. Ita futurum est, vt breui restitutam in Regno Maiestatis Vestræ Catholicam fidem videamus & gaudeamus. Quanquam si quis ex hæreticis resipiscere voluerit, nec eum confiteri Christum puduerit, & impios errores suos interposito iureiurando reuocare, nec talem ab honoribus arcendum esse putauerim. Vtinam autem hanc illius vocem Christiano, Catholico & Orthodoxo Rege dignam audiamus aliquando, si quis Lutherista vel Caluinista, vel Anabaptista, vel Trideista mauult esse, quàm vnà nobiscum in Ecclesia publicè Christum confiteri, sciat ad omnes dignitates & præfecturas omnem aditum sibi præclusum esse: Tum ego, quod Christus aliquando dixit de domo Zachæi, dicerem de Regno Maiestatis V. Hodie salus huic Regno facta est. Deum precor, vt illi gratiæ suæ maiora dona indies impertiat, & eam omni fœlicitatis genere cumulet, quod vnà cum Clero meo supplex Deum precari non intermitto. Datum die 8. Maij. Anno M.D.LXVIII.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ.
Epistola CXV.

Consilium dat, quid sit respondendum hæreticis, petentibus vsum Confessionis Augustanæ.

PRoficiscitur isthuc Georgius Clenfeldius Consul Gedanensis, qui si quid extra causam Religionis à Maiestate V. petierit, fœlicem illi successum precor. Si verò, quòd metuo, Confessionis Augustanæ confirmationem obtinere conabitur, quandoquidem quamuis indignus Consiliarius V. Maiestatis sum, tamen quid illi respondendum esse censeam, in scheda præsentibus inclusa paucis perscripsi. Si schedam hanc responsi loco V. M. illi dederit, verè Christiani Catholici, & Orthodoxi Regis officio functa fuerit. Quæso per viscera misericordiæ Dei, vt se Catholicum Regem esse apertè declaret, nulla prorsus vsa circuitione. Reipsa V. Maiest. experietur, si quid huic meo consilio loci dederit, quòd omnium deinceps consiliorum suorum est multò fœliciores progressus & exitus habitura.

Paulus ad Ephesios cap. 4.

Vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium, &c.

Hylarius ad Constantium Augustinum.

Cùm secundum vnũ Deum & vnum Dominum, & vnum Baptisma etiam fides vna sit, excidimus ab ea fide, quæ sola est: & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne vlla sit.

Idem ad eundem.

Quicquid præter vnam fidem est perfidia non fides est. Vnum, Dominum agnoscimus, vnam fidem, vnum baptisma, vnum Deum & Patrem omnium confitemur: Vnum Deum Patrem nostrorum, vnam fidem Patrum nostrorum: si quid extra fidem illam concesserimus perfidem concesserimus. Quod procul absit à Rege Christiano, Catholico & Orthodoxo: quamobrẽ perfidiam a nobis approbari nemo petat, multò minus à nobis contendat aliquis, vt maiores nostros, quos pie Deum coluisse, quin & vita sanctitate atq; miraculis claruisse constat, perfidiæ condemnemus, &c

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ.
Epistola CXVI.

Ostendit æquum esse, vt si tolerantur in Regno Lutheristæ, tolerentur & Caluinistæ, cum minus peccasse videantur Caluinistæ recedendo à placitis Lutheri, quam Lutheranæ recedendo à placitis Ecclesiæ Catholicæ, & vt Merlinum hæreticum Episcopi sibi nomen vsurpare prohibeat.

PRidie eius diei quo mihi discedendi Lublino singulari beneficio Maiest. V. potestas data fuit, venerũt ad me Fridericus Caniez & Aulack defuncti D. Ducis Consiliarij, solos enim hos duos ex Cõsiliarijs Lublini vidi, grauiter questi sunt de minimè ferenda Ioachimi Merlini, qui se nescio qua auctoritate Sambriensem facit Episcopum, arrogantia atq; audacia, quòd is cùm sit Lutheranus, & non Christianus, ausus fuerit Caluinianos nihilo Lutheranis deteriores loco mouere ac modò non ex terris D. Ducis Prussiæ proscribere: magnis precibus à me contenderunt, vt operam darem, quo tanta hæc hominis insolentia cuius causa toties iam ex varijs locis pulsus est refrenari posset, ac ipsi potius in locũ suum restituerentur, quam tantam hanc huius hominis tyrannidem ferre cogerẽtur, quæ nec alijs aliquot in locis, ex quibus eum non semel pulsum esse constat tolerari potuit. Mihi quidem hæc eorũ cumprimis iusta visa est petitio. Sed cùm Regiæ M. V. valedixissem, hoc officio mihi iam fungi minimè licere respondi. Tum illi saltem per literas vt ea de re cum V. M. agerem rogarunt, quod illis negare non potui, neq; debui, cùm præsertim tam seditiosus hic homo, quanto cum periculo Regiomonti munus Episcopale sibi sumat non ignorem, qui non solùm Caluinianos, Osiandrinos, Adiaphoristas, Synergistas, Maioristas, Antinomos, verùm ipsos etiam Papistas, sic enim istis appellare Christianos visum est, ex Prussiæ terris exterminare conatur, non ita multò post idem de Registis quoq; facturus, nisi ma

Universidad de Deusto
Biblioteca

turo V. Maiestatis consilio ne facere, quæ cogitat, possit, prouisum fuerit. Caluini secta approbare nolim, nec eam ferendam esse censeo, sed interea cuiusdam eiusdem sectæ hominis sententiam reprehendere non possem, qui Bernæ superintendentem agens, verè mihi dixisse videtur, quod ab hæretico non potest ritè corrigi hæreticus, cùm correctionis opus non sit nisi verorum Christianorum stupenda mihi quædam res esse videtur, quod Luthero diuinum à quibusdam honorem tribui video, nec eum alio loco, quàm Deum ipsum habere, nulli fas vt esse credatur ab ipsius opinione discedere. Et si quis id faciat, aut proscribatur euéstigió, aut saltem loco suo moueatur. Licuit ab Orbis totius Christiani iudicio Luthero discedere, & illi suum iudicium anteponere. Quid autem dico licuisse? quin summis etiam laudibus factum hoc illius effertur, ac propter hoc tam præclarum facinus in Deorum numerum refertur. Et si quis ab opinione Lutheri discedat, non modò non inuitum id verum & præscriptione & maiori etiam alio supplicio dignum iudicatur? Præclarè dixit aliquando de Luthero Bucerus. Probet se Deum esse, tum primum eodem loco quo scribuntur vel dicuntur ab eo, quo diuina oracula sumus habituri, nec vnquam ab eius opinione discessuri. Quæ potest autem esse maior Idololatria, quàm ea, qua Lutherum adorari videmus? Quamobrem à Maiestate Vestra peto, vt hortetur istos Regentes, vt sicut ipsi tolerari se in Maiestatis Vest. Regno volunt, cum ab Ecclesia Catholica se segregarunt, & facti sunt Lutheristæ: sic & ipsi, si ad Ecclesiam redire nolunt, sed in errore perseuerare malunt, errantes quoque Caluinistas in sui Ducis ditione ferant. Nam sicut Lutherus sibi quàm Ecclesiæ, sic isti Magistro suo Caluino plus aliquid à Deo reuelatum esse censent, quàm Luthero. quod ipsum de se suisque Magistris sibi persuadent & Anabaptistæ, & qui iam ad perfectionem Quinti huius Euangelij peruenerunt Trideistæ. Non dubito quin sit Maiestas Vestra multos ex Regni Senatoribus habitura, qui quod ad Caluinistas attinet eandem, quam nunc ego, sententiam proferant. Nam & qui fuit vnus ex Commissarijs Maiestatis Vestræ apud D. Ducem anno superiori defunctum, visus est Merlini seueritatem hanc valdè reprehendere. et cùm idem sentire me quoque cognouisset, gauisus est vehementer, & arepto poculo pro salute mea illud exhausit. Aut omnes eijciendi sunt, aut omnes tolerandi, ne si vna tantum aliqua secta proscripta fuerit, aliæ receptæ videantur & approbatæ. Si verò quod meum est consilium exequutioni mandare non potest, propter horum temporum difficultatem, saltem Parcouien. Decreto satisfiat. Sed & hoc secum Vestra Maiestas diligentiùs expendat. Num ferendum sit quod regentes Episcopum sibi constituerint. Nam quamuis neque Dux eius rei potestatem habeat, quam nec ipsa Vestra Maiestas, nec vllus Rex Catholicus, nec Imperator etiam ipse sibi vsurpat, tamen & illud satis constat quod nulla magis à re defunctus Dux abhorruit, quàm vt Episcopi sibi nomen quisquam in terris ditioni suæ subiectis vendicaret, vt quicquid eius factum est, contra voluntatem eius factum esse dubitandum non sit. Nam quo tempore Merlinum Episcopum constituisse dicitur, iudicio destitutus prorsus fuisse videtur. Nam si bis puer ante triennium esse dicebatur, quis est qui possit ambigere ter eum puerum fuisse, anno insequenti, quo Merlinus creatus fuit Episcopus. Quamobrem omnino censerem aut eijciendum illum ex Prussiæ terris, aut saltem ne sibi nomen arroget Episcopi prouidendum. Hæc ego breuibus exitinere. Maiestati Vest. scribenda putaui. Datum vigesimo Maij Pultouiæ, M. D. LXIX.

Maximiliano Cæsari Romanorum.
Epistola. CXVII.

Gratulatur quòd hæreticorum perniciosis conatibus fortiter obstiterit, & rogat vt ne permittat in ocream Polonicam, hoc est, in Confusionem Augustanam credi.

REddidit mihi S. M. Vestræ literas R. D. Guilhelmus Episcopus Olomicen. qui magna cũ dignitate Vestræ Maiestatis Oratorem agit, apud Serenissimum Regem meum, simul de singulari gratia illius & clementia erga me multa locutus: Quæ mandata habuerit ad Serenissimum Regem meum, & quid à me fieri vellet exposuit. Ego verò cũ ea qua par fuit reuerentia literas accepissem & mandata audiuissem, vehementer sum gauisus dari mihi occasionem, qua possim promptam meam voluntatem obsequendi & inseruiendi Maiestati Vestræ, declarare: nam hoc sibi certò persuadeat, quod si quem alium in his terris me quoque seruitorem habet sibi semper addictissimum, vt ad nutum etiam illius conuertere me sim paratus. Neque enim propter eam dignitatem solùm, quam primam in terris Maiestas Vestra obtinet: verum etiam propter admirabiles virtutes & præclaras dotes, quibus affatim est à Deo cumulata, semper Maiestatem Vestram feci plurimi, nec in ea colenda & obseruanda priores cuiquam concessi. Non mediocrem autem ad veterem meam erga illam obseruantiam cumulum ea res addidit, quòd cum proximis superioribus mensibus quidam, quibus rectè dici poterat. Nescitis quid petatis, magno studio contendissent, vt nescio quid in Religionis causa nouaretur, & loco Christianæ Confessionis Augustana quædam induceretur, de qua tamen inter ipsos Confessionistas nondum satis conuenit, nec deinceps etiam conueniet vnquam, cum eam pluribus in locis, & in præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus mutatam, versam, peruersam, depraua tam, & adulteratam esse, quin & qui suis eam scripsit digitis, Philippum Melanchtonem ab ea discessisse etiam ipsi Confessionistæ queritentur, vt Confusio magis, quàm Confessio dici mereatur: quod igitur istorum perniciosis conatibus Vestra Maiestas fortiter obstitit, nec eorum libidini

libidini quicquam concedendum esse putauit, vel hac sola de causa credibile non est, quanto studio Vestræ Maiestatis exarserim, quamq; reuerenter & ardenter verè Christiani Catholici & Orthodoxi Imperatoris pectus exoscula tus fuerim. Quis est qui tantam illius animi magnitudinem, tantamq; constantiam in auita fide retinenda cum tot arietibus tam grauiter quassaretur, audare satis queat? Pertinebit autem hoc non solùm ad laudem & gloriam Vestræ Maiestatis sempiternam, verumetiam ad Regnorum & Dominiorum quæ possidet tranquillitatem conseruandam. Nam quòd ex fide fidium ludus factus est, quantas ea res & gloriosissimo Imperatori Carolo Quinto patruo, & verè Catholico Regi Philippo fratri Maiestatis Vestræ, tum & Christianissimis Galliarum Regibus, vt interim de Scotiæ Regina, deq; cæteris Principibus taceam difficultates attulerit, quantas ea calamitates eorum Regnis importauerit, Maiestati Vestræ testatius est, quàm vt à me scribi sit necesse. Fides Serenissime Imperator non est nisi vna, & verè dixit ille sanctus Pater, quòd quicquid extra vnam fidem est, non fides sed perfidia est, quòd rebus etiam ipsis comprobatum esse, suis ipsa Maiestas vestra cernit oculis. Nunquam igitur Maiestas Vestra faciet, vt perfidiam approbet. AEquè autem perfidia est Augustana Confessio, atque quæcunque tandem aliæ, quæ cum Christiana Confessione ea, quam vna sancta, Catholica, & Apostolica recepit Ecclesia, pugnare videntur. Quorsum res per hunc fidium ludum perducta sit, non ignorat Maiestas Vestra. Iam & adoranda Trinitas blasphematur, & Christus ante sæcula Deus esse negatur, & in plerisque locis ad Mahometismum & Atheismum inclinatur. Initijs tantùm, separationis opus est diabolo. Initium harum perfidiarum, atque tam horrendarum blasphemiarum fecit nobis Augustana Confessio, quæ si in ipso statim exordio compressa fuisset, nunquàm huc impietatis ventum fuisset. Et vocant eam ipsi Confessionistæ Cothurnum vtrique pedi aptum, & eius conditores Cothurnifices appellant, vocant pallium quo teguntur omnes hæreses. Ac incidi nuper in librum quendam, in quo Poloniea quædam ocrea vocatur à Ministris, qui in Dominijs Geran, Graicz, & Schenburgk conuenerunt, & ibi Confessionem suam ediderunt. Quàm autem absurdum & ridiculum est, quòd homines in Polonam credant ocream? Quamobrem laudo Maiestatem Vestram, quòd ab hac Augustana Confessione se vehementer abhorrere, toti planum fecerit Orbi Christiano, quodq; nobis in asserenda fide Catholica priscos illos Imperatores Constantinos, Valentinianos, Theodosios, Martianos retulerit. Confirmet hoc Deus, quod operatus est in illa, simul vitam diuturnam & eam incolumem atque fœlices consiliorum progressus & exitus Maiestati Vestræ largiatur. Quod ego quamlibet indignus Sacerdos Deum supplex precari, nunquàm intermitto, cuius me gratiæ clementiæq; qua summa possum animi submissione etiam atque etiam diligenter commendo. Datum XX. Iunij. Anno M. D. LXIX.

Alberto Laskij Palatino Siradiensi.
Epistola CXVIII.

Gratulatur quòd ad Ecclesiæ Catholicæ gremium redierit.

CVM allatum ad nos quoque fuisset, Dominatio. Vest. è Sathanæ laqueis, quibus, proh dolor, multos per annos irretita fuit, se per Dei misericordiam extricasse, & remisso Nuncio vel Islebien. vel Geneuensi Antichristo ad Christum in Bethleem natum eo ritu quo maiores nostri colendum animum suum adiecisse: credibile non est, quantam ex ea re voluptatem acceperim. Semper enim propter multa præclara Dei dona, quibus affatim eam cumulatam esse vidi, Dominationẽ Vestram feci plurimi, verùm vnum hoc in illa desiderabam, noster vt esset potius, quàm aduersariorum. hoc est, vt eundem quẽ sancti maiores nostri Christũ eodẽ ritu nobiscũ coleret, nec in aliud Euangelium ab eo, quòd iam inde à 600. annis per longam Episcoporum & Sacerdotum successionem nobis traditum, & S. Adalberti, cuius nostra memoria successor fuit vir singulari pietate præditus, propatruus D Vestræ & S. Stanislai sanguine obsignatum se transferri pateretur. Huius itaq; voti mei me compotem aliquando factum esse, non possum non gaudere plurimum. Quin & D. Vestræ tam pium hunc animum, ac magis adeò patriæ nostræ gratulor, quàm in tot sectas mirabiliter inter se dissectas miserandum in modum dissectam non sine magno dolore videmus & ingemiscimus. Nam bona spes tenet animum meum, illius exemplo facturos etiam alios, qui similibus erroribus infecti sunt, vt in viam ipsi quoq; redeant, & ad matris Ecclesiæ gremium, à quo se filij desertores longissimè disiunxerant, reuertantur. Cùm præsertim eo minimè contentus fueris, vt Christum vtcunq; confitereris, verùm publicæ cuiusdam pœnitentiæ signa dederis, quibus vehementer excruciarite declarares, quod ab illo discesseris aliquando, & ab illius corpore vna, sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia te præcideris. Multa sunt in re militari fœliciter à te gesta, quibus magnam apud omnes gloriam tibi comparasti, sed hoc vnum factum tuum omnibus alijs à te præclarè gestis rebus anteferre non dubitauerim. Tu modò fac memineris eius, quod à Seruatore nostro dictum est: Non qui ceperit, sed qui perseuerauerit vsque ad finem saluus erit. Quamobrem si quis à via veritatis quam per Dei gratiam cognouisti abducere te voluerit ac dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, nimirum VVittembergæ, vel Ienæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel Geneuæ, vel quæ nobis magis est nota Pinczouiæ, noli exire, noli credere. Nusquam est Christus nisi in corpore suo vna sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia. Nec vsquam est Christi fides, nisi in eodem corpore. Et sicut Ecclesia non est nisi vna, sic & fides non est nisi vna. Quicquid est extra vnam fidem hanc, quemadmodum à Sancto quodam Patre verissimè dictum est, non fides, verùm perfidia est. Quamobrem ab omni genere perfidiæ siue sit ea Augustana, siue Tigurina, siue quocunque alio nomine vocetur, haud aliter atque ab immani aliqua peste tibi caueto. Et semper infixa sint pectori tuo præclara illa D. Athanasij verba, Si malè senserunt Patres nostri, & Orbem Terrarum doctrina sua seduxerunt, cesset omninò eorum memoria. Ite ergo vos ipsi, & eruite eorum reliquias ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & eos fuisse seductores, & vos parricidas esse. Quæ tua pietas est non facies proculdubiò, vt patrui tui Ioannis Archiepiscopi Gnesnensi, quem non vulgari quadam vitæ sanctitate & in tuenda fide Catholica singulari constantia præditum fuisse scimus, reliquias ex monumento, quod est in Ecclesia Metropolitana Gnesnen. eruas, quin illius tu potius fidem sectaberis, nec vnquàm ab ea deduci te patieris. Plura scriberem si vel plus ocij haberem, vel te monitoris alicuius, vt quam semel ingressus es rectam viam ab ea ne deflecteres, indigere putarem. Sed in procinctu cùm sim, & quum omnia mihi de tua constantia, & non mediocri animi robore pollicear, receptui canendum esse existimo. Quamobrem hoc vnum tantũ addo, si quid erit, in quo vel commodis, vel dignitati tuæ possim inseruire, vbicunque locorum Deus esse me voluerit, habiturus es semper hominem ad omnia officia & obsequia præstanda tibi addictissimum, & qui non alium diem hilariorem sit sumpturus, quàm quò benè merendi de te occasio aliqua data fuerit. Hoc tibi certò de me promittas licebit, non fallam opinionem tuam. Datum 1. Septemb. Czrazemij. M. D. LXIX.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ.
Epistola. CXIX.

Queritur de Merlini ministri audacia & temeritate, & petit eam Regia autoritate coërceri.

FAbulator ille Merlinus, cui nunc Episcopi nomen à nonnullis tribuitur, ante XV. plus minus annos à D. Duce in Prussia, non sine causa Regiomonte proscriptus, & ex terris ipsius facessere iussus, nuper Braunsuiga reuersus, quosdam secum fabulosos articulos attulit, & eos in vulgus sparsit, qui non alio pertinere videntur, quàm ad inflammandos & exacerbandos harum terrarũ incolas contra Maiestatem Vestram, & aduersus nationem Polonam, qua de re cum expostulassem cum nonnullis D. Ducis Consiliarijs, negauerunt à Merlino profectos fuisse fabulosos hos articulos: Cùm autem ego respondissem, aut autorem alium illis inueniendum esse, aut quominus Merlinus in suspitionem hanc veniat, fieri non posse, responderunt se quæsiuisse diligenter, sed primum earum authorem inuenire non potuisse. Cæterùm ex D. Solikovvskij audiui, quòd vnus ex illis qui negauerunt coram me, fassus coram illo fuerit, quòd eos Merlinus Braunsuiga secum attulisset, idem etiam ex D. Castell. Gedanen. accepi, neque mihi dubium est, men editum fuisset. Vnde conijcere potest Maiestas Vest. qualis hic vir sit, quem nunc Episcopum quidam vocare non dubitant, qui ne magnas turbas nobis det, vehementer meterret suos, ne quam consuetudinem cum Christianis, quos vocat Papistas, habeant. Vtraque de re vtroque Duce, & patre, & filio per literas expostulaui. Mitto literarum exempla, tum quæ à me scriptæ, tum ab vtroque Duce mihi rescriptæ sunt. Videbit Maiestas Vestra quos illi titulos tribuant, qui me non minus etiam offenderunt, quàm illa temeritas hominis & audacia, de qua fui questus. Mirari satis non possum, cuius authoritate sit factus Episcopus homo laicus, qui non modò Sacerdos, verùm nec Clericus quidem factus fuit vnquàm, nisi fortè fuerit Monachus Apostata. Vestra Maiestas, cùm sit superior Dominus, quando nominat Episcopos, iuxta laudatissimum maiorum suorum & aliorum Regum Christianorum morem, eos Pontifici præsentat, vt illi iudicet, num sint ad hoc munus idonei, necne. Cæterùm hic per quem nominatus, aut cuius authoritate confirmatus sit, nescio, verùm hoc scio, quòd ex quibusdam ipsius D. Ducis Consiliarijs ante duos plus minus annos audiui, quod nihil potuerint aures Illustritatis eius minus ferre, quàm vt aliquis ex suis Prædicantibus Episcopus vocaretur, quem verò ministris suis præfecisset, aut Superintendentis, aut Præsidis nomen ei tribui voluit. Sed ego nolo Maiestati Vestræ prolixioribus literis obstrepere. Cùm autem fuerim aliquando Secretarius Cancellariæ Maiestatis Vestræ, nunc verò quamuis indignus in Consiliariorum illius numerum sim relatus, non abs re facturus videor, si nunc vtroque munere fungar. Itaque mitto Maiestati Vestræ formulam, qua scribi velim ad eos, qui nunc Illust. D. Ducis nomine rerum potiuntur. Non quòd Maiestati Vest. præscribere cogitem, cuius iudicio formulam hanc subijcio lubens, sed quòd vix quisquam alius quæ gerantur, hic melius habere cognita potest, quàm ego, in cuius propemodum conspectu res aguntur, hoc tantùm significare Maiestati Vestræ volui, quòd nisi maturè prouiderit, periculum est, ne sint nouissima peiora prioribus, nec enim tantum erat ab omnibus Funckijs, Horstijs, Snellijs, quantum ab vno Merlino, cuius est

est inquietissimum ingenium metuendum. Nondum expulit Caluinianos, & iam etiam Christianos ex his terris exterminare cogitat. Sed in Deo meo fiduciam habeo collocatam, quòd exterminabitur ipse prius, & ad coruos relegabitur. Datum M. D. LXIX.

Exemplum Regij mandati.

PErfertur ad nos, quendam ex rigidis Lutheranis, quos Flaccianos vocant, Ioachimum Merle iuxta cognomen suum fabulosos quosdam articulos Braunsuiga secum in nostras Prussiæ terras importasse. Quod quamuis ab illo factum esse nonnulli negare dicantur, tamen ex fide dignis hominibus ita se rem habere cognouimus, & quoniam alius harum fabularum author nullus profertur, vt quod nobis renunciatum est, falsum esse credamus, adduci non possumus, nisi quis alius repertus fuerit, per quem illos primùm spargi cœpisse constare possit. Quamobrem hortamur F. V. & eis mandamus, vt in authorem harum fabularum diligentius inquirant, & si nullum alium reperire poterint, Merlinum hunc cum suis istis fabulis ex Prussiæ terris facessere iubeant: videtur enim is nihil aliud, quàm quosdam contra nos motus excitare velle, nec facilè nobis quisquam persuaserit, quod ab alio præter ipsum hæ fabulæ profectæ sint, nisi quis alias earum author indagatus fuerit. Cùm præsertim ea re non contentus etiam libellum quendam Regiomonti mandandum typis curauerit, quo suis interdicit, ne cum Christianis, quos Papistas vocat, commercium vllum habeant. Cùm autem & nos Papistam, hoc est, Christianum esse nos profiteamur, quando quidem iuxta morem à maioribus nostris Poloniæ Regibus obseruatum, quem etiã nunc, & ab alijs Christianis Regibus omnibus, & ab ipsa Cæsarea Maiest. retineri videmus, Pontifici Romano, tanq; Christi Vicario, studiũ & obsequiũ nostrum dicauimus. Quid aliud is, quàm à nobis hominum voluntates alienare velle videtur, vt facilè suspicari liceat, hunc hominem ante quindecim annos, non sine causa Regiomonte pulsum à D. Duce fuisse. Qui eùm ante biennium bis puer factus esse nobis renunciaretur, quorum opera perfectum sit, vt Regiomõtem præter voluntatem Illustritatis illius reuocaretur, non est adeò difficilis coniectura. Quodq; magis animum nostrum offendit, homini Laico Episcopi nomen tribui nobis renunciatur, quòd ex quo tempore Quintum Euangelium propagari cœpit, vel in Germania, vel quibuscunq; tandem alijs in locis, nusquam alibi præterquàm apud vos factum esse accepimus. Cùm tamen & hoc satis constet, Illust. D. Ducis aures nihil minus ferre potuisse, quàm vt quem suis ministris præfecissent, is Episcopus vocaretur, cùm vbi nullum sacrificium, nullus est Sacerdos, quin abominationi sint hæc nomina, ibi nullus esse possit Episcopus, quod satis intellexisse videntur ij, qui Sacerdotium & Sacrificium abrogarunt: itaque quos ministris suis præfecerunt, eos aut Superintendentes, aut Præsides vocari voluerunt, quod nomen etiam apud vos retinebatur, quoad Illust. D. Dux firmiore fuit valetudine. Iterùm hortamur F. V. vt ita se gerant, ne videri possint, hac tam affecta & ætate, & valetudine Illust. sui Principis abuti velle, etsi nullũ fabularum harũ authorem alium præter Merlinũ hunc reperire poterint, eũ isthinc eijciant primo quoq; tempore: sin autem inuẽtus alius fuerit, quamuis hic homo valdè seditiosus esse dicatur, hactenus tamen à F. V. tolerari poterit, quatenus ab inquietis istis consilijs sibi temperauerit, verùm sicut nemo ei nomen Episcopi tribuere, sed nec ipse vendicare illud audeat, nisi fortè per Pontificem Romanum fuerit approbatus.

Stanislao Carncouio Episcopo Vladislauien.
Epistola CXX.

Quomodo fuerit prohibitus, ne quicquam de causa Christi in Comitijs ageret, & quomodo ei mandato paruerit.

QVO die veneram Elbingam, vbi mandato Regiæ Maiest. per nos Cõmitia celebrata sunt, per Fridualdum, qui modò nõ eadem hora proficisci dicebatur ad R. D. Vestram literas ad illam dedi, quas eam accepisse non dubito. Nunc quæ sint in his Comitijs acta R. D. Vestræ descripta mitto. Fueram admonitus ex aula, ne quid in Religionis causa mouerem, néue molestię quicquam aut difficultatis illius ergò cuiquam exhiberem: quod mihi sanè nouũ acciderat, Episcopo mandari ne quid agat in religionis causa: quasi diceretur illi: Ne sis Episcopus, sed consiliarius tantum. Sebastiano maluissem id mandari, qui subinde blasphemas voces contra Christum eiaculari dicitur. Sed postea cùm verba literarum diligentius expendissem, hoc mihi fuisse præceptum interpretabar, vt res religionis quo loco sunt relinquerem, neq; prohiberem, quo minus vel Sebastianus, vel quicũque tandem alius ex Sathanæ ministris, Christum sicut cœpit blasphemare pergeret. Cui mandato parui. Quid enim facerem cùm vires ad prohibendum nullas haberem? Quin ego potius in magna beneficij parte ponebam, quòd sub Elbingensibus Burgimagistris, in ciuitate Christiani Catholici & Orthodoxi Regis, absq; cuiusquam impedimento mihi liceret, quod licet in ciuitatibus immani Turcarum tyranno subiectis, Christiano ritu saltem in vno Parochiali templo Deum colere. Quo minus qui vellet Antichristum Islebiensem adoraret, & illius verbum tanquam Dei verbum reciperet, impediui neminem. Sed cùm audi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

audirem declamationes fieri contra Maiestatem Regiam, quæ noua faceret in his terris, omnia, quæ noua quadam & insolita forma Commissarios suos in has terras misisset, qui non seruato legitimo processu, Burgimastros loco suo mouissent, cumq; postularetur à me, quò memor loci, quem in his terris teneo, pro iuribus, priuilegijs, & libertatibus earum pugnarem, & me murum pro illis opponerem, eorum exemplo qui locum hunc antè me tenuerunt, tenere me non potui. pro fide quam Christo Deo meo, deinde Serenissimo quoq; Regi meo debeo, quin aliquam religionis mentionem facerem. Nec enim aliam refutandi clamores horum hominum rationem inuenire potui. Spero quòd ea res nullam isthic mihi sit offensionem paritura: quandoquidem & pro cœlestis, & pro terrestris Regis mei dignitate pugnaui, & communem omnium trium Episcoporum qui sunt in Prussia, causam vt potui, defendi. Nunc illud R.D. Vestram latere nolo, quorundam opinionem esse, confirmatam iri Confusionem Augustanam in his tribus Ciuitatibus, dummodo ne quis impediat, quò minus in causa fisci, quæ pridem decreta fuit in Regni Comitijs, exequutio tandem aliquando suum effectum sortiatur. Ab his enim Ciuitatibus exordium sumere Maiestatem Regiam velle: quod cùm erit factum, minus cum alijs negotij futurum. Quæso R.D. Vestram, quando quidem ingens de illa fuit multorum expectatio, quòd ipsa, Deo gratiam suam impartiente, Regnum Israël effet restitutura, contra sectas omnes viriliter pugnatura, & vt huic multorum expectationi satisfacere conetur, & extrema cum primis contexat, nec nisi perfectis omnibus, quæ ad priscam fidem constituendam pertinent, conquiescat. Sed hac de re coràm, si Deus volet, pluribus. Quod superest opto R.D. Vestram diu, benè, & fœliciter valere. Datum ex Castro meo Heilsperg. V. Ianuarij. M. D. LXIX.

Andreæ Comiti à Gorka Castellano Gnesnensi.
Epistola CXXI.

Laudat, quod ad Petri Cathedram in quadam lite dijudicanda confugerit, & vt eandem in Religionis negotijs sequatur admonet.

ACcepi literas D. Vestræ, quæ mihi vel hoc nomine cumprimis gratæ & iucundæ acciderunt, quòd omnem dubitationem, quam de illa habui, prorsus ex animo meo excusserunt. Fatebor enim ingenuè, quod res est (quod bona tamen cum gratia D. Vestræ dictum velim) quòd in hunc vsque diem certi nihil habebam. An inter Christianos, an inter Lutheranos vel Caluinianos ea numeranda foret. Quamuis enim magis ad nostras, quàm ad aduersariorum partes inclinare visa est, inter vacillantes tamen ea censebatur potius à nonnullis, quàm vt prorsus nostra iudicari posset. Hic scrupulus nunc ex mente mea eiectus est: Memor enim illius quod à Sancto Patre quodam scriptum est: Qui Cathedræ Petri iungitur, meus est, ambigere iam non possum, quin illam inter nostros numerem, quandoquidem ad Petri Cathedram, in his de quibus ei lis est, cum quibusdam sibi confugiendum esse putauit. Quod vtinam similiter ab alijs fieret, minus nunc Sectarum miserandum in modum inter se dissectarum, in patria nostra magno cum animorum nostrorum cruciatu videremus, nam verè dixit ille: Quòd non aliundè schismata & hæreses obortæ sunt, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, dum Episcopus, qui vnus est & Ecclesiæ præest, superba quorundà præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur, nec vnus in Ecclesia Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum Collegium quidquam moueret, nemo post diuinum iudicium post populi suffragium, postque Episcoporum consensum iudicem se non tam Dei, quàm Episcopi faceret, nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens, seorsum foris nouam hæresim conderet. An autem suis ipsa non cernit oculis V. D. quàm verè dixerit hæc sanctus ille Martyr & Pontifex. Quid enim factum est, posteaquàm Iudex vice Christi reiectus à multis est Romanus Pontifex? An tot fides nunc, quot voluntates videre non licet? An eò audaciæ & amentiæ progressum non est, vt quidam sibi placentes ac timentes tanquam Idola quædam ab omnibus adorari contendat, dum quæ sunt somnia suorum capitum, ea tanquàm Dei verbũ & Euangelium ab omnibus accipi, nec alio quàm diuini verbi nomine censeri, volunt, deinde sic ipsi dissident inter se tantis contentionibus, quòd quisq; sentit, verbum id esse Dei contendit, vt ab opinione sua dissentientem, alter alterum hæreticum appellare ne dubitet. Et hæc est sola veritas, quam in scriptis eorum reperire licet: Sunt enim hæretici reuersa, dum seorsum ab Ecclesia nouas opiniones quasdam eligunt, quas pro Dei verbo populo venditant. Esset autem eò res vnquàm perducta, si Christi vice Iudex vnus Petri successor in terris agnosceretur? Quamobrem Dom. Vestram satis laudare non possum, quòd quamuis in alio quodam quàm fidei, negotio ad Petri Cathedram confugit, in ea sibi ius decerni petit, sicut ex literis D. V. ad Rescium meum datis intellexi, neq; dubito quod faciet in causa temporali, quin idem factura sit in ijs causis, quæ pertinent ad salutem animæ sempiternam, neq; fanaticorum quorundam vocibus aures suas accommodabit, nouas subinde doctrinas & eas inter se pugnantes pro verbo Dei venditantium, sed si qua de re dubitauerit, Petri Cathedram sibi consulendam putabit, ad quam propriè iudicium de doctrina

na Religionis spectat. Ego verò quoad fides & Religio mea patietur, etiam in hac temporali causa pro virili mea D. Vestræ libenter præsto sum ad futurus, multò libentius id facturus, quoties opera mea vti dignabitur in causis ad salutem æternam pertinentibus. Hoc enim certò sibi de me persuadere potest, nihil esse, quod ardentioribus votis expetam, quàm vt & in hoc, & in futuro sæculo fœliciter illi cedant omnia. Cuius vt mei desiderij me Deus compotem faciat, supplex illius Maiestatem imploro. Datum XIII. Ianuarij. Romæ. Anno M. D. LXX.

Nicolao Firleio Palatini Craccouien. filio.
Epistola CXXII.

Gratulatur illi, quòd erroribus hæreticorum relictis, Ecclesiæ Catholicæ doctrinam est amplexus.

ETsi te de facie nouisse non videor, tamen cùm in hanc Vrbem venissem, in qua tu proximo superiore anno commoratus aliquandiu fuisti, de tua præclara indole multa prædicari audiui: præcipuè verò pietas, & religio tua singularis multorum sermonibus celebrabatur, quæ res fecit, vt amore tui non potuerim non exardescere. Renũciabatur mihi, quę tẽporum horũ nostrorũ est infœlicitas, te cùm puer ad huc esses, ad Hæreticos fuisse missum, vt æras tua tenerior pestilentibus eorũ doctrinis imbueretur, quæ cùm radices in animo tuo altius fixisset, tanto difficilius euelli postea possent. Ac successisse quidem ex parte illorum hoc consilium, qui te perditum cupiebant. Nam quæ sub specioso verbi Dei titulo crebrò tuis auribus inculcabantur, ea te cùm esses rerum omnium imperitus, tanq; Dei verbum recepisse, & ab Angelo Sathanæ qui se transfiguraueratin Angelum lucis, ita fuisse deceptum, vt quæ doctrina cum Dei verbo ex diametro pugnabat, eam ipsissimum Dei verbum esse persuasum haberes. Posteaquàm autem annos aliquot inter pestes illas versatus fueras, vidisse te, quod illi ipsi, qui se pro Dijs populo venditabant, dum suam quisq; doctrinam, suumq; verbum, Dei verbum censeri vellet, haud aliter atq; Dij quondàm Homerici infectis armis inter se concurrebant, nec minus ipsi à se inuicem, quàm ab Ecclesia Dei dissentiebant, ac magis etiam alter cum alterius quàm cum recepta totius Ecclesiæ doctrina pugnabat. Itaque cùm verè dictum sit à quodam è S. Patribus. Quod bellum Hæreticorum pax est Ecclesiæ, pacem & vnitatem Ecclesiæ te potius amplecti, quàm istos Deos alienos tam atrox bellum inter se gerentes sequi voluisse, cumq; tibi reuertendum esset in patriam, sanctam hanc Sedem Apostolicam prius tibi visendam esse putasti, vt errorum tuorum veniam supplex ab ea postulares, & à qua discesseras, Ecclesiæ Dei reconciliari, & in eius gremium recipi peteres, cumq; paulò durius initio tecum ageretur, neque tibi tam facilis, quam sperabas, ad veniam consequendam aditus pateret, non te statim propterea animum despondisse, verùm ex eo quod Sathanæ laqueis irretitus aliquando fueras, tantum animi cruciatum te concepisse, nullum vt tam graue periculum fuerit, quod non libenter subire, nec vlla tibi tam dura pœnitentia potuerit iniungi, quam non alacriter susciperes te paratum ostende res, dummodò absolui à graui peccato tuo, & ad Ecclesiæ, quam deseruera, gremium recipi posses, nec nisi prius quod petebas impetrasses, conquiescere voluisti. Cùm hæc mihi de te narrarentur, credibile non est, quantam ex ea re voluptatem acceperim. Venit illius mihi in mentem, quod aliquando fratribus suis Ioseph dixisse legimus. Vos cogitastis de me malum, sed D E V S vertit illud in bonum. Reuerà malum de te cogitabant, qui te pestilentibus doctrinis; vt infici posses, hæreticis magistris eruidendum tradidẽrunt. Sed ô nunquam satis prædicandam Dei bonitatem & misericordiam, tantum hoc malum, in quod bonum D E V S conuertit? Quod si perpetuò versatus inter Catholicos fuisses, nec ab eorum doctrina te diuelli passus esses, minus celebre nunc nomen tuum foret, nec tantam vel apud homines laudem, vel apud D E V M gratiam esses consequutus. Vbinamque vel nulla, vel admodum leuis pugna est, ibi victoriæ minor laus est. Nunc autem post multa quæ cum hæreticis prælia sustinuisti, quamuis aliquando succubueris, quoniam tamen ex eorum te potestate tandem per Dei gratiam eripuisti: & qui victus aliquandò fueras, victor ad extremum euasisti, teq; in libertatem Christianam asseruisti, vt iam non hominum vt. Lutheri vel Zuinglij, aut Caluini, verùm solius Dei seruus esses, nec alios Deos adorares, præter vnum illum D E V M, quem piè coluerunt Patres nostri, nec aliud Dei verbum agnosceres, quàm quod à C H R I S T O & Apostolis eius, per longam Episcoporum & Sacerdotum successionem per manus nobis traditum est: multò maiorem ex hac tua tanta victoria gloriam reportasti, maioraq; tibi sunt à Deo præmia posita, quàm quæ vel oculus viderit, vel auris audiuerit, vel in cor hominis ascendere potuerint. Etsi verum est quod dixit veritas, quod non esse verum non potest. Quod maius est gaudium in cœlis super vno peccatore conuerso, quàm super nonaginta nouem iustis, vel hinc existimare potes, quantum fuerit cœlestium illorum spiritum gaudium, cùm ab erroribus, in quibus versabaris, respuisses, & ab Antichristo vel Isiebiensi, vel Geneuensi ad C H R I S T V M in Bethleem natum conuersus vel reuersus fuisses. Quamobrem nec ego quin gaudeam facere possum, tibiq; hoc nomine plurimum gratulari, atque vt confirmet hoc D E V S, quod operatus est in te, misericordiam eius imploro. Vtinam autem tale quid audire mihi de parente quoque tuo liceret: qui cum ante triginta plus minus annos magna mihi fuit amicitia,

quo tempore superstes adhuc erat Magnus ille Samuel Episcopus Graccouien sis, cuius vtinam nunc similes Episcopos multos haberemus, minus fortasse laboraret Religio. Crebrò (libet enim Prophetæ verbis vti) dulces vna capiebamus cibos, & ambulabamus vterq; in domo Dei cum consensu. Nuncautem illi visum est dissentire, non à me tantum, verum & ab vniuersa Dei domo, à totius Ecclesiæ vnanimi sensu & consensu. Posteaquàm autem ab eo consensu semel discessum est, quot fidiculæ conditæ fuerint, & quemadmodum in fidei locum perfidia successerit, quis est, qui sine lachrymis commemorare queat? Expertus est hoc ipse parens tuus, quæ fuerit in ijs constantia, quos alebat ipse cuiusuis potius quàm Dei Ministris, quàm sæpè fidem suam variauerint, & à leuioribus quibusdam initio sumpto, quorsum tandem horrendæ impietatis progressi sint. Certè vel hæc sola res illius animum mouere posset, vt vnde discessit, ad vnam Sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam rediret, extra quam nulla veritas esse potest. Fuit hoc aliquando, quod qui missi fuerant à suis parentibus in Germaniam, quod ibi virus hauserant, hinc reuersi suis quoq; parentibus afflarent, & eos ex Christianis Lutheranos facerent: tu quoq; cùm sis aliquandiu commoratus, & in Germanijs, & in Gallijs, sed misericordiam tamen Dei consecutus à pestiferis erroribus, quibus infectus eras resipueris: debes exemplo tuo parentem quoq; tuum ad eandem resipiscentiam adducere, vt esse Lutheranus vel Caluinianus desinat, & amabulet nobiscum in Domo Domini cum consensu, moreq; maiorum nostrorum in eadem nobiscum Ecclesia Christum piè colat. Hoc si præstiteris, multò tibi glorioſior à Deo corona reseruabitur. Habebis autem ad eam rem adiutorem, quem has literas meas redditurum esse confido, Reuerendum Patrem hunc Stanislaum Varschewicium, ex quo potissimum ea omnia, quæ superius scripsi, de te prædicari audiui. Qui cùm sit vir non vulgari doctrina, neq; minore pietate præditus, dabis operam, vt & ipse familiariter eo vtaris, & vt parens tuus idem faciat ei persuadebis, qui me plura etiam scribendi labore leuauit, quandoquidem ipsæ viuæ epistolæ loco futurus est. Datum 12. Martij. M. D. LXX.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ.
Epistola CXXIII.

Quod Principes seculares non debeant sibi iudicium de causis fidei arrogare, contra quandam hæreticorum epistolam Regi inscriptam, qua petunt vt hæc dissidia Religionis cognoscat & componat.

PRoprium semper hoc fuit Regum & Principum Christianorum officium, non sibi de causis fidei iudicium arrogare, sed quæ semel essent in Concilijs Episcoporum Oecumenicis præsertim de fidei doctrina constituta, ea tueri, atq; defendere, nec vt quisquam de eis, nō dicam, iudicare, verumetiam disputare, vel quicquam eorum, quæ decreta essent, in dubium vocare auderet, vlla ratione permittere, grauissimis etiam pœnis propositis, si quid secus ab aliquo tētatum foret. Cùm itaq; ad instantiam Imperatorum Caroli & Ferdinandi beatæ memoriæ, & omnium Regum ac Principum Catholicorum, inter quos etiam fuit Diuus ille parens Maiestatis Vestræ, cuius in fide Catholica constantia toto celebratur in orbe, quin & ipsa Maiestas Vestra, quæ sicut hactenus fecit, sic deinceps etiam pientissimi sui parentis vestigijs superincedit, Concilium Tridenti fuerit indictum & celebratum, ad quod ipsa quoq; Vest. M. Oratorem suum legauerat, virum & nobilitate generis, & doctrina, pietateq; illustrem R. D. Valentinum Herbortum, Episcopum Przemisliens. qui Decretis Concilij nomine Maiestatis Vestræ subscripsit, & eis consensit, cùm etiam hæc ipsa S. Concilij Decreta Parcouiæ in frequenti Senatu per Illustrissimum Dominum Cardinalem Commendonum tunc Legatum Apostolicum Maiestati Vestræ fuerint oblata: simul vt S. Sedis Apostolicæ authoritate fuerunt approbata: & ea Maiestas Vestra tanquam obsequens Ecclesiæ filius magna cum reuerentia receperit, quæso Maiestatem Vestram, vt ipsa secum expendat, quale sit eorum consilium, qui nouam quandam illi fiduculam obtrudunt, & eam iudicio Maiestatis Vestræ comprobari volunt: quin & illud audent postulare, ne quid Episcoporum, sed Hæreticorum iudicio tribuat omnia. Qualem autem fiduculam offerunt? Eam certè, quam non solùm Christiani, verumetiam ipsi rident Germani Lutherani, & eam vocant ocream Polonam, quemadmodum in libello Germanico, cuius verba in Comitijs Lublinen. ipse M. V. legi, perscriptum est. Itáne iam delendus nobis erit è Symbolo Apostolico, quem indies recitamus, articulus ille, Credo Sanctā Ecclesiam Catholicam, & illius loco ponendum, Credo in non sanctam & fœtidam ocream Polonam. Mirum est autem, quòd videri volunt isti belli homines, approbari à se Confessionem, vel vt verius dicam, Confusionem Augustanam: cùm in ea disertis verbis hæc scripta contineantur, secundum Euangelium, siue vt loquuntur, de Iure diuino nulla Iurisdictio competit Episcopis, hoc est, his quibus commissum ministerium verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata, item cognoscere doctrinam, & doctrinam dissentientem ab Euangelio reijcere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ: quin & qui suis Confessionem hanc scripsit digitis, & eam toties mutauit, atq; ad extremum, sicut ex Christiano Lutheranus, sic ex Lutherano factus est posteà Caluinianus, in libello quem hoc ipso argumento conscripsit Philippus Melanchton, Spiritus ministerium Principibus adimit, sed externæ tantùm disciplinæ conseruandæ officium illis tribuit, in his quæ ad primam tabulam pertinent. Et cuius verbum isti, qui nouam fiduculam offerunt

Maiestati Vestræ, tanquam Dei verbum adorant, vt grauissimi Idololatriæ criminis ar gui meritò possint. Caluinus etiam ipse negat, Ecclesiam cogendi ciuili exercitatione potestatem habere, sed eorum partes esse dicit, Legibus & Edictis Religionem sustinere: iudicandi verò partes illis adimit: & Ambrosij factum, qui nunquam Laicis, vt de causis fidei iudicarent, permittere voluit, atque Theodosium Imperatorem ex communione piorum eiecit, vehementer probat: Ambrosium laudat Caluinus, quòd Episcopali sua Iurisdictione contra Theodosium Imperatorem vsus fuerit, & isti, qui Caluini discipuli videri volunt, negant vllam habere Iurisdictionem Episcopos, sed eam in Quili Christi per vim vsurpasse sibi dicunt. Sic isti neque Caluinistæ neque Lutheristæ, sed Suistæ sunt, hoc est, suæ cuiusdam opinionis & fidei, si modò fides appellari debet, quod est extra vnam fidem. Nam tale quid perfidiam potius, quàm fidem appellari debere, docet Hilarius. Nec enim isti Suistæ, quod Luthero, vel Caluino, sed quod sibi ipsis videtur, hoc pro verbo Dei volunt adorari. Videntur autem isti Suistæ me perstringere in præfatione sua: quòd ego libellum Maiestati Vestræ dicauerim, in quo dissensiones Hæreticorum inter se descripserim: quod ego factum esse à me non diffiteor in primo libro contra Brentium. Sed obsecro per Deum immortalem, videat Maiestas Vestra, quanta sit vis veritatis, & quemadmodum etiam per hostium veritatis iugula nonnunquam erumpat. Semel & iterum Catholicum vocant, qui librum hunc Maiestati Vestræ dicauit. Quid autem aliud ea re, quàm impios hæreticos se esse profitentur? Cùm itaque vel propria ipsorum hæreticorum Confessione Catholicus ille sit, quem ipsi perstringunt in Præfatione sua, quis erit qui Catholicus & Orthodoxus dici & esse cupit: qui non Catholici potius, quàm alicuius hæretici doctrinam sibi sequendam esse persuasum habeat? quantò minus, quem Christianum, Catholicum, & Orthodoxum Regem esse scimus, ea de re dubitare debet? Quam autem impudens est hoc mendacium, quod consentire se, qui Caluini siue Bezæ perfidiam profitentur, cum Lutheranis affirmant, cùm inuicem odio maiori se prosequantur Lutherani & Caluiniani, q̄ ipsos etiā Christianos, quos illis Papistas libet appellare. Legat q̄ velit Germanorum Lutheranorū libros Flacci Illyrici, Nicolai Galli, Tilmanni Heshusij, Ioachimi Vestphali, Iacobi Vigandi, Giriaci Spangebergij, Matthæi Iudicis, Ioachimi Merlini, qui nunc Episcopum se Regiomontanum profitetur, & aliorum multorum, qui nunc memoriæ non succurrunt, contra Caluinum & Bezam, quem Bestiam appellant, conscriptos, & quomodò conueniat inter Lutheranos & Caluinianos, facilè perspiciet: non aliter certè, quàm inter murem & catum, inter ouem & lupum. Sed quid opus est Hæreticorum libros legere? cùm illud in confesso sit, quòd Merlinus Dantiscanos Superintendentes & Ministros pro hæreticis habet. Idem Dantiscani sentiunt de Merlino, quin & ipsi Dantiscani & Toruneñ. Ministri mutuò se vocant Hæreticos, nec aliam apud vtrosque ferè præter hanc vnam veritatem reperire licet. Tenet proculdubiò memoria Maiestas Vestra, quid de Canuicijs fratribus viris nobilitate primarijs, de Seuerino, de Aulaco statuerit Merlinus, quemadmodum eos non Senatu modò mouerit, sed ex ipsa etiam Prussia quosdam submouerit & eiecerit, authoritate sua plusquam Episcopali, propter hanc solam causam, quòd impiam Caluini Bezæq; sectam profiterentur. Appellauerat Aulacus ad Maiestatem Vestram à Merlini sententia, & certè graues rationes produxerat, quamobrem æquè tolerari sectam ipsius Caluinianam siue Bezanam oporteret, atque Lutheranam. Cum priores Lutherani à Christianismo, quem Hæretici Papismum vocant, defecerint, & ideò priores etiam ex Ecclesia exterminandi sint. Sed nullū ex Appellatione sua fructū tulit, quin qua de re graues querimoniæ fuerūt apud me sub ipsum discessum meum ex Diœcesi mea, per Maiestatem Vestram Merlini sententia confirmata dicebatur, nullus vt Aulaco deinceps locus esset in Illust. Ducis consilio. Quis autem satis mirari queat, cùm semel Maiestas Vestra sententiam tulisse videatur in Senatu, siue Consilio, subditi Ducis non esse ferendos Caluinistas siue Bezistas: quòd qui sunt eiusdem impiæ sectæ, non contenti, quod in Senatu Maiestatis Vestræ tolerantur, audent insuper à Christiano, Catholico, & Orthodoxo Rege postulare, vt impiam eorum doctrinam approbet, Christianam reijciat, & qui nihilo sunt Caluinistis deteriores Trideistas ex terris Imperio Vestræ Maiestatis subiectis eijciat. Audeo dicere, peiores & minus ferendos esse Caluinistas & Bezistas, quàm ipsos etiam Trideistas. Nam præterquàm, quod non ignorat Maiestas Vestra, quales erga Regem suum in Gallijs, quales erga Reginam suam in Scotia se Caluinistæ gesserint, quos motus concitauerint, quantis cladibus, quantis infortunijs illa Regna mactauerint: Trideistæ quod peccant, simplicitate quadam peccare videntur: Nam docti à Luthero, nihil recipiendum esse præter scripturas, quod etiam affirmant in Præfatione sua Suistæ, cùm non viderent in scripturis nomen Trinitatis, nomen personæ, nomen essentiæ de DEO dictum, nomen Homousij, DEVM trinum & vnum, quem in fine Præfationis confitentur Suistæ, Lutheri sententiam sunt amplexi: nec sibi quicquam credendum esse putauerunt, quod scripturis comprehensum non esset. At quid potest esse scripturis istis apertius? Accepto pane dixit IESVS: Hoc est corpus meum. Accepto calice dixit: Hic est sanguis meus. Potuit ne clarioribus verbis veritas CHRISTI corporis & sanguinis in Eucharistia demonstrari? Et huic tamen impij Caluinistæ repugnare non dubitant. Non dubitant mendacij veritatem arguere: non dubitant à Maiestate Vestra petere, vt hoc tam impium dogma confirmet. Quod ipsam, quæ pietas illius est & Religio, nunquam esse facturam certò scio. Nec enim clam est Maiestatem Vestram, quæ Regum, quæ verò sunt Sacerdotium propria. Nec illud nescit, quàm graues pœnas dederit Saul Rex, cum sibi Sacerdotis munus vsur-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsurpasset Core, Dathan, & Abyron, nunquam tantas blasphemias, quales illi belli homunculi nouę fidiculæ conditores protulisse leguntur, quin eundem cum Sacerdote Aaron & Moyse Deum nouerant, pari lege & religione viuentes, vnum & verum Deum, qui colendus atque inuocandus fuerat, inuocabant: ob hoc tamen solùm, quòd sibi, quæ propria sunt Sacerdotũ vsurpabant, statim dirupta est terra sub pedibus eorum & aperiens os suũ deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum, descenderuntq; viui in infernum operti humo. Ora quoque Rex, vt nihil dicam de Ozia, quem Suistæ quoque silentio prætereunt, cùm arcam quæ minari ruinam visa est, sustentasset, quam nemini tangere, præter Sacerdotes, fas erat, repentina morte statim ob solam hanc rem est extinctus. Horum igitur exemplis, qualia plura commemorare possem, nisi vererer, ne quod Maiestati Vestræ fastidium adferrem, facilè Maiestas Vest. deterrebitur, ne consilijs istorum, nouæ fidiculæ conditorum, qui nomina sua non adscripserunt, loci quicquam det. Inspexi libellum quem obtrudunt Maiestati Vestræ. Vidi, quòd in eo Theodori Bezæ doctrina continetur. Nam eodem argumento scriptum Bezæ libellum latinum legeram in Castro Ecclesiæ meæ Varmiens. Heilsperg. Non frustra Maiestatem Vestram admoneram ante biennium, vt quos ille bipedum & quadrupedum omnium nequissimos huc miserat Synagonistas, eos si grauioribus supplicijs afficiendos non putaret, saltem ex Regni sui finibus excedere primo quoque tempore iuberet: quod facilè suspicabar tale quid eos perturire, quale nunc etiam peperisse videmus. Vt autem sciat Maiestas Vestra qui vir sit iste Beza. Scribitur à viris fide dignis, quod omnem vitam suam in lustris & ganeis, & in omni libidinis genere traduxit. Ac indicat hoc Epigrammatum liber per eum editus, in quo Catullos, Tibullos, & Martiales, lasciuia, petulantiáque sua, si non superare, saltẽ æquare videtur. Qui cum in Conuentu Posiaco, tam distare Christi corpus ab Eucharistia, quàm Cœlum à terra publicè dixisset, lepidè sodalibus eius quidam. Quomodo credat, inquit, esse corpus Christi in Eucharistia, qui vix Deum in cœlo esse credit? Hic est ille Beza, qui Ducem illum fortissimum Guisium prælia Domini præliantem in Gallijs, cum alia ratione vinci non posse videret, submisso sicario nõ magis nomine quàm reipsa Poltrono p sũmum scelus proditorie confodiendum curauit. Nec satis habuit hoc tam atrox facinus patrasse, verumetiam edito libello parricidium hoc defendere, laudare, titulóque pietatis ornare veritus non est. Quin & insidiatoris illius tam horrendum flagitium cum facto Moysis, qui AEgyptium, & Dauidis qui Goliath interfecit comparare: & cùm quod meruerat supplicium de scelerato sicario sumptum fuisset. Poltronum inter Martyres referre non dubitauit. Potéstne vel cogitari scelus aliquod atrocius? At ille minimè contentus fuit, tam immane factum parricidæ laudasse, verùm alios etiam ad imitandum illud eius exemplo accendit: ac fas esse docuit, fallere fidem, heris insidiari, & eos quoquo modo tollere, iuxta illud. Dolus an virtus, quis in hoste requirat. Sed quid ego plura scribam de Beza hoc, quo nihil vnquàm terra produxit scelestius? Hic enim est fax incendiorum omnium, fonsq; caputq; malorum omnium, quibus florentissimum quondam Galliæ Regnum tot iam annos est afflictum: qui propterea misit huc Synagonistas suos, vt eundem efficerent huius quoque Regni Maiestatis Vestræ statum, & in easdem illud calamitates adducerent. Quòd si maximè pius & Orthodoxus esset libellus, qui scriptus ab eo, Vestræq; Maiestati nescio per quos est oblatus: tamen vel propter hanc solam causam, quòd ab homine tot flagitijs infami scriptus est, eum vt reijceret Maiestati Vestræ suadere non dubitarem. Nunc tantò magis id facere debet, quòd nihil eo magis impium & blasphemum legisse vnquam videor. Sed ego longior esse nolo, neque pluribus etiam verbis hortabor & orabo Maiestatem Vestram, vt ne pestilentibus hisce quorundam consilijs apud se locum esse velit: ne de constantia illius in vera Christi religione dubitare videar. Hoc tantum ab illa maiorem in modum peto, quando quidem ita scriptus est hic libellus, vt rudium animos facilè possit inficere, nec eo pestilentius quicquam esse potest, vt ne publicè prostet, prohibere velit. Sic enim orbi facilè declarabit vniuerso, quòd ab hoc genere blasphemijs vehementer abhorreat, & eorum spem debilitabit, qui sibi nescio quid promittunt de Maiestate Vestra quasi permissura sit, vt in ocream Polonam credatur. Quantam autem ea res apud homines laudem & gloriam, apud Deum verò gratiam esset Maiestati Vestræ conciliatura, si publicè profiteretur in Comitijs, nihil esse quod quisquam speraret, nouam aliquam fidiculam à Maiestate Vestra obtineri posse: se in his quæ Patrum sunt acquiescere, nec ab his vnquam discedere velle. Si prætereà dignitates, præfecturas & munera publica non alijs quàm Catholicis mandaret. Quam vt illi Deus mentem inspiret, simul vt eam quàm longissimo tempore saluam & incolumem conseruet, & horum Comitiorum fœlicem exitum tribuat, Maiestatem illius diuinam precari non intermitto. Romæ 13. Maij. M. D. LXXI.

Bezæ encomia.

Iacobo Vchanskij Archiepiscopo Gnesnensi. Epistola CXXIIII.

Monet vt Regem vrgere non desinat, ne patiatur in Regni Comitijs quidquam de religione tractari.

Iam

IAm quatuor ferè menses intercesserunt, quod responsum, ad literas meas de fidicula quadam Craccouiæ typis mandata, D. V. expectabã. Qua de re scripseram etiam ad alios Episcopos, sed ab eorũ nullo responsum hactenus accepi. Prima fuit D. V. quæ quamuis aliquãto serius responso me tamen suo dignaretur. De turbis quæ fuerunt in proximis superioribus Comitijs concitatæ, variè narratum est. Verùm DEO sit gratia, quòd qualis tandem finis illis est impositus, etiamsi nullus finis impositus videtur, verùm tempus tantùm prorogatum, vt Hæretici possent instructiores ad futura Comitia venire ad perfidiam suam tuendam. Quæ res autem alia turbis istis causam dedit, præterquàm illa pollicitatio, quod in futuris Comitijs, quandoquidem iam est perfecta illa benedicta vnio (quæ nobis maiorem disunionẽ peperit) de constituenda Religione tractandum esset, quasi pridem ea non sit constituta, aut quasi per 600. istos & amplius annos non fuerimus hactenus Christiani, sed nunc demùm à nescio quibus, nouam quandam fidem Christianam, quæ Diabolica perfidia rectius dici potest, discere debeamus: Cùm certum sit fidem, si non vna sit, perfidiam dici potius, quàm fidem oportere. Vna autem erit, si eadem cum illa fuerit, quam à Patribus nostris auis, proauis, & atauis, per manus accepimus. Mihi quidem absurda nimis hæc pollicitatio visa est. Itaq; Lubacuæ cùm essem anno superiore, nam ibi primùm ea de re certior factus fui. Romam proficiscens M. V. scripseram: quod eiusmodi pollicitatio magnos esset motus in Regno Maiest. illius concitatura. Scilicet in Comitijs de Religione tractari debet, aut de alia nobis suscipienda Religione deliberandum est, quæ diuersa sit ab ea, quam à 600. & amplius annis in Polonia receptam esse scimus, & approbatam. Nunc manet eadem pollicitatio, res in alia Comitia reiecta est. Quid autem aliud in his nobis, quàm grauiores etiam motus sunt expectandi? Quorsum autem ambages hæc? Cur non clara voce pronunciamus, nos Christianos esse? Christum in Bethleem natum profiteri, nihil nobis vel cum Islebien. vel cũ Geneuen. vel cum Valden. vel cum quocunq; alio Antichristo commune esse: frustrà à nobis aliam, quàm Christianam fidem expectari. Christianam autem cùm dicimus, eam dicimus, quam parentes, aui, proaui, ataui, & abaui nostri, & quotquot illos antecesserunt iam inde à 600. annis in Polonia sunt amplexi. Eam fidem integram & inuiolatam perpetuò conseruare certum est & indubitatum: prius vitam cum sanguine profusuri, quàm vel vnguem latum ab ea discessuri. In hanc sententiam si diceret Regia M. si subsequeretur. Primas Regni cum alijs Senatoribus Catholicis, tã spiritualibus quàm sæcularibus, facilè motus omnes tranquillarentur. Nunc autem nescio quæ narrabantur hic de concordia Religionis tractanda. Sed mihi fuit Heliæ Prophetæ cogitatio in re nõ dissimili, vsq; quo claudicatis, inquit, in vtranq; partem? Si Dominus est Deus, sequimini illum. Si autem Baal vel Islebien. vel Geneuen. vel Valden, vel quicunq; tandẽ alius, sequimini illum. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Peiores autem sunt Hæretici. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templi Dei cum Idolis Hæreticorum? qui suis phantasmatibus suiq; capitis somnijs nomen Dei verbi tribuere non verentur, & extolluntur super omne quod dicitur Deus, ita vt in templo sedeant ostendentes tanquam sint Dij, neq; dubitent, quod ipsi docent Dei verbum & Christi Euangelium appellare, vt iam tot videre Deos liceat, quot sunt Hæreticorum Idola. Cùm tamen interim de hoc ipso Dei verbo haud aliter quàm Homerici illi Dij inter se pugnare ipsi videantur. Quamobrem nihil absurdius cogitari potest, quàm si quis Christum cum Belial siue electo eius vase Luthero conciliare velit. Coangustatũ est stratum dicit Propheta, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrunq; operire non potest: Non possunt in eadẽ esse domo, hoc est, in eodem hominis corde Christus & Lutherus, vnà cum suis discipulis Zuinglio & Caluino, alter excidat necesse est, no possunt eodem operiri pallio. Quoties tẽtatum est in Germania, si possunt eodẽ operiri pallio qui sunt Augustanę Confessionis, cum ijs qui se Tigurinæ vel Geneuen. esse profitentur, neq; tamẽ id vnquam succedere potuit. Quin eo ventum est ad extremum, vt ab ipsis Lutheranis ea Confessio Augustana, quæ Caluini dogma condẽnare non auder (qualis est ea quæ Sendomiriæ nuper edita est. Ocrea Polona vocaretur. Itáne iam in hanc ocream Polonam credendũ erit? Procul à nobis Deus auertat hanc tantam vesaniam. Quamobrem à D. V. peto, velit Regię M. persuadere, ne quid eiusmodi deinceps pollicetur: quin ad ista Comitia minora, quæ particularia vocant, per Nuncios suos, quos ad ea miserit, expressam suam voluntatem testatam omnibus faciat, frustra à se expectari nouam aliquã fidiculam, quam Lutherani Polonã ocream vocant: se iam pridẽ Christũ agnouisse Christianis parentibus, auis & proauis prognatam esse: quam illi fidem professi sunt, eam se, quoadiuxerit, saluam & inuiolatam conseruare, quin etiam, si necessitas postularit, sanguinem suum profundere illa velle. Quamobrem nugas istas missas faciant, neque spirent se nouam aliquam fidiculam vnquam esse consequuturos, quam calculo suo Regia Maiestas adprobet. Tales itaque Nuncios ad Regni Comitia maiora designent, qui de Religione nullum verbum faciant, sed de ijs tantum, quæ proposita fuerint, sententiam suam dicant: nec vnquam futurum credant, vt Regia Maiestas oblita personæ, quam gerit, pro Pontifice se gerat, & ea sibi, quæ propria sunt Pontificum, arroget. Cum tali instructione si Nuncios suos ad minora Comitia miserit, non dubito, quin istæ contentiones facilè cessaturæ sunt. Et fuit hoc semel factum in Prussia, ni fallor Anno LVII. Nam cùm grauis impetus multorum contra me fuisset factus, in Religionis causa nec in illis Comitijs quicquam decretum esset, quæ Regia Maiestas cupiebat, reiecta ad alia Comitia relata, misit Nuncium suum Regia Maiestas, ac ne, qua fieret de

Reli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne qua fieret de Religione disputatio interdixit, quòd auitam fidem retinere certò deliberatum haberet. Mox paritum est, & contributio nihilominus decreta est: nisi, quod nescio quæ practicæ intercesserunt; de quibus ego celabar vnum & alterum annum. Fuerunt enim in maioribus Regni Ciuitatibus cæremoniæ mutatæ, quod ego tamen sciente & consentiente Regia Maiestate factum esse non puto. Memini cùm essem in Aula Regia, quòd multas Instructiones ad Comitia minora sæpè scripsi, quin & propositiones in Comitiorum initio faciendas. Quãuis autem iampridem Secretarius esse desierim, & in Consiliariorum numerum à XX. & amplius annis relatus sim: tamen & nunc, si Regia Maiestas mandaret, Secretarij munere fungi non dubitarem, & Instructionem ipse scriberem: quod fortassis etiam absque mandato faciam, & Regiæ Maiestati mittam. Erit hoc in illius Maiestatis arbitrio positum, num suis Internuncijs talem instructionem dare velit, nécne. Illius correctioni subiecta erunt omnia. Hæc mihi nunc ratio succurrit, qua possit improbis impiorum hæreticorum conatibus obuiam iri: Nunc hæ partes erunt Dom. Vest. dare operam, vt quàm potest plurimorum studia sibi conciliet, non eorum tantum qui Senatores, verumetiam qui sunt & ex equestri ordine, & quos apud populum præ cæteris gratia & authoritate valere videt. Est quod immortales Deo gratias agamus, quòd in his proximis superioribus Comitijs plures steterunt à partibus nostris opinione nostra. Quod nisi fuisset benedicta ista Vnio, de qua tot annis nescio quo fructu laboratum est: per quam factum est, vt conuenirent in vnum Principes siue Proceres Poloni & Lithuani, aduersus Dominum & aduersus Christum eius: vt sicut pridem ex Magno Ducatu Lithuaniæ, sic cùm deinceps etiam ex Regno Poloniæ exterminarent, nihil proculdubiò profecissent duo tantùm Palatini, qui Christum oppugnandum susceperant. Quamobrem cùm videamus, nos adhuc non esse prorsus destitutos Dei gratia, indies plurium studia nobis adiungere conemur. Plura scriberem, sed imbecilla valetudo mea plura non permittit: ad proximum Sabbathum reliqua scribenda reseruabo. Illud clam esse nolo Dominationem Vestram, quod accepi literas ex patria, quibus mihi significatur, quòd sub finem Comitiorum in tuenda Religione nemo se magis virum præstiterit, & murum pro domo Dei opposuerit, quàm Dominatio Vestra cum Valentino |Herborto D. |Premisliensi Episcopo, quo nomine plurimùm illi gratulor, atque vt ita pergat quemadmodum cœpit etiam atque etiam hortor, moneo, oro, & obsecro. Mitto autem illi prætensum in articulo de Cœna Domini consensum Sathanistarum, qui fuerunt Sendomiriæ congregati in Germania typis mandatum, vt intelligat, quàm isti cupiant omnibus persuasum esse, quòd eiusmodi conciliatio facta sit: cùm tamen id, quemadmodum ipsa quoque in suis literis meminit, purum esse mendacium constet. Sed ex eo Euangelio vel Cacangelio potius, cuius primus author fuit Lutherus, aliæ veritates prodire non possunt. Datum Romæ, vltima Augusti. Anno M. D. LXX.

Stanislao Karnkovvskij Episcopo Vladislauiensi. Epistola CXXV.

De calicis vsu tractat, quòd qui cum Ecclesia sentiunt, aut sentire volunt, causam non habeant cur vsum Calicis efflagitent.

DE diuturno silentio, nihil erat quòd se purgaret D.V. præcipuè sub illud Comitiorum tempus, quo quibus fuerit curis distracta, nemo est qui nesciat. De successibus Gedani D.V. gratulor, nec mediocrem ex ea re lætitiam capio, quòd in hunc statum res tandem est perducta, deinceps quietiora speranda sunt omnia. De Burgrabio Gedanensi semper hoc fuit meum iudicium, quod ab Ecclesia Dei minus esset alienus, quàm alij multi. Fortassis autẽ vix est alius in Magistratu Gedanensi, qui propius ad nos accedat. Quod autem ille de Calice petit, si certum esset eius concessione Senatum, populumq; Gedanensem adductum iri, vt reiecto Islebien. & Geneuensi Antichristo, ad Christum cui iam ab annis aliquot nuncium remisit, rediret, equidem & manibus & pedibus obnixè contenderem, vt concederetur. Sed quid alibi fuerit consecutum, posteaquàm concessus est Calix, videmus. Cuius autem ea de re testimonium pondus habere maius debet, quàm Dudicij nunc Hæretici, sed pro Catholico tantum habiti, priusquàm fœminæ cuiusdam amore cœperat insanire. Dixit is, cùm esset in Petricouiensibus Comitijs, non semel etiam in publicis congressibus laboratum in Concilio fuisse, vt Germanis Calix concederetur, sed per quos labor hic susceptus est, eos consilij sui vehementer pœnituisse. Nam cùm spes fuisset ostensa, quod per hanc viam Lutherani multi ad Christianam fidem essent rediturí, non modò nihil tale factum esse, verumetiã contrariũ euenisse potius. Nam ex Christianis plerique facti sunt Lutherani: ex Lutheranis vix quisquam repertus est, qui non maiore pertinacia perfidiam suam tueretur. Sic nec interim Cæsarea Maiestas, qui plus etiam aliquid, nescio qua authoritate permisit, nec concessio Calicis per Pontificem facta, penes quem eius rei potestas est, quicquam attulit adiumenti, ad Hæreticos ad officium reuocandos. Quin maiora sunt inter ipsos Hæreticos consecuta schismata, quàm ante concessionem eiusmodi fuerũt, & ad quiduis audendum multò sunt facti proiectiores. Vellem autem scire, cur Calix petatur? An sub altera tantum specie Christus integer esse non creditur? Potest autem hæresis esse magis horrenda, quàm sit hæc, quæ tot sæculis non viuum corpus, quod sanguine carere non potest, sed mortuum cadauer (totus cùm hæc scribo contremisco) sumptum à Christianis in Eucharistia fuisse contendit? Quorsum aũt ventum est per Deũ immortalẽ? posteaquàm

quam de Calice litigari cœptum est. rem ipsam amiserunt, qui tantoperè de Calice litigarunt. Altercationibus istis eò progressum est, vt veritas amitteretur: vt verum & viuum Christi corpus, verus & viuus Christi sanguis in Eucharistia præsens adesse negaretur. Verũ hac de re versus quosdam Germanicos D.V. mitto, quos ipsa per occasionẽ ad Burgrabium Gedanensem perferendos curabit. Equidem non video, quid aliud in Calice petendo, quàm ab Ecclesia diuisionis initium qtæratur: Cùm tamen dominus Deus noster, non diuisionis, non dissensionis, sed pacis & dilectionis Deus sit. Sicut ipse Christus diuisus non est, sic hæreditatem suam diuidi non vult, in huius præsertim Sacramenti vsu, quod signum charitatis, & symbolum est vnitatis. Quotquot extiterunt Hæretici nostro sæculo non aliunde, quàm à Calicis vsu diuisionis initium fecerunt: neq; nostro solum, verùm & superiore sæculo. Et Bohemia & in Morauia, non aliundè quàm à Calicis vsu diuisionis exordium factum est. Quæ posteà fuerint consecuta, cùm eum propria quadam libidine vsurparunt, D.V. per Morauiam transiens oculis ipsa suis vidit. Fatetur hoc antesignanus nostri temporis Hæreticorum, quòd non aliam ob causam, quàm in despectum Ecclesiæ de Calice potari velit, quæ si statueret sub vtraque communicandum esse, vellet sub vna, vel sub neutra: & eos omnes anathema pronũciaret, qui sub vtráque communicarent. Quanto melius faceret Burgrabius Gedanensis, si secum ipse cogitaret, iam à 600. plus minus annis, non aliter quàm sub vna specie Gedani communicatum esse. Egóne maiores meos cõdemnabo, qui sic vsi sunt hoc venerabili Sacramento? Condemnabo & S. Adalbertum & S. Stanislaum, qui nobis Euangelium Christi, sanguine suo signatum reliquerunt, à quibus non aliter quàm sub vna specie Sacramentum Eucharistiæ ministratum esse constat. Tradam eos Orco, qui tot antè sæculis vixerunt, quod contra expressum Dei verbum venerint: vel eos cæcitatis arguam, qui vel ipsa luce clariorem scripturam non intellexerunt. Quin ego me potius hallucinari credam, qui mihi plus in scripturis interpretandis tribuam, quàm oportet: Orbis iudicio meum anteponam? Cum præsertim tot iam intercesserint Oecumenica Concilia, in quibus nullum esse de calice necessariò sumendo præceptum, declaratum est. Ecclesiam audire me iussit Christus, quam etiam in symbolo me credere profiteor. Sempiternum autem væ comminatus est Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident. Nolo esse Propheta insipiens, nolo sequi Spiritum meum, qui falli potest & fallere. Sequar eum qui promissus est Ecclesię Spiritum Sanctum, quam illo regente, nunquam errare certò scio. Quamobrem hanc parentem meam qua decet pietate venerabor, illi me permittam, illi credam, illam audiam, illam secundum Deum reuerebor, quæ de diuinis rebus ipsa sentit, sentiam, quæ de humanis præscribit, faciam, quæ prohibet citra dubitationem vllam fugere conabor. Sic tecum potius ratiocinari deberet Burgrabius, quàm vt maiore cum instantia Calicem peteret, ex quo bibat aliquis vel non bibat, parum ad salutem refert. Non bibunt ex eo infantes, neque tamen propterea contra Christi præceptum veniunt, qui dixit, Bibite ex hoc omnes. Quin certum est & indubitatum, si post baptismum diem suum extremum clauserint in illa sua innocentia, quòd hæreditatem Regni cœlestis consequentur. Bibit ex Calice Iudas, quem etiam ipse Christus manibus suis illi porrexit: est nihilominus condemnatus. Verum hac de re satis. Vehementer autem D. V. gratulor, quòd quasdam Pomeraniæ Ciuitates de manibus Hæreticorum vindicauerit. Vtinam eandem illi fœlicitatem Deus tribuat in Gedanen. quoque Ciuitate, vt & illa possit ad Christum, quem tot annis deseruit, reuocari, & eò adduci, vt eijciat, Antichristos illos qui sicut pridẽ Papistæ, sic postea neque Registæ esse noluerunt: neque minus fortiter contra Regem, quàm contra Papam, præsentibus etiam & modò non audientibus Regiæ Maiest. Commissarijs declamarunt. Quod si fecisset Catholicus aliquis, iampridem supplicium de eo sumptum esset. Sed hæreticis omnia licẽt haud aliter quàm si sacrosancti sint. Nemo eos audet attingere, quin quod illis placuit, id in Comitiis legis vigorem obtinet, etiamsi sit maior pars contradicentium. Quam ego patrię meæ tantam calamitatem satis deplorare non possum. Videre videmur absque lege, absque Rege, & hoc agi cernimus, vt simus absque Sacerdotio, & per consequens absque Deo. Datum Tyburi. VII. Octobr. M. D. LXX.

Præcones & Vniuersitas tota Christum profitentium in Polonia, Illustri Domino Alberto Laskij. Epistola. CXXVI

CHristi Iesu Dei viuentis filij Domini & Seruatoris, veram notitiam tibi Alberto Lasko ex animo precamur. Factum est autem, dedisti Romano oscula Pontifici. Hoc illud est, captiuus in Babylonem ductus es. Proh libertatem. Tametsi autem nõ dubitamus, te facti tui aliquas habere rationes, negamus tamen esse tales, quæ pijs & fidelibus Christi Domini seruis satisfaciãt: tantum abest, vt coram Deo aliquo loco esse queant. Nempe puduit te defectorum, vidisti multa in Ecclesia Christi scandala, certatim nouas de Christo emergere opiniones, ne dicamus hæreses audiuisti. num ideò in aduersariorum doctrinæ Euangelicę castra transeundum erat? Minimè gentium. An sic didicisti Christum, vt illum Petram esse scandali nescires? & positum in signum cui contradicatur? Qui nihilominus est lumen reuelationis Gentium, & gloria Israëlis: quique dominari debet in medio inimicorum suorum, vt illos regat & conterat. Vide quid Eliæ acciderat Prophetæ Domini, quomodo coram Deo Israëlem defectionis accusauerit, seque relictum solum,

qui etiam quæratur ad supplicium: sed adhuc audit supereſſe millia virorum ſeptem, qui poplitem non flexerunt coram Baal. Audit etiam punitum iri Iſraëlem, qui à Deo ſuo factus eſt profugus, & Prophetas Domini occiderit. Sic ille præſtantiſſimus Heros Ieſſides Rex Iſraëlis, Num Dominum pernegat, quod videat ſanctos deficere, & veritatem à filijs hominum diminui? Quin potiùs, cum audit vana loquentes, ille Dominum poſcit ſalutem. Et quamuis defectores hi corde loquantur, Serio, inquam, rem agant tamen ne nimium ferociant, Dominus ſe ſurrecturum pollicetur, vt inopiæ pauperum opem ferat. Ad eum modum ſe res in Eccleſia filij Dei habet. Quod etiamſi beſtiæ & Prophetæ, datum eſt grandia loqui, & vincere Sanctos, vt de ſanguine illorum ad ebrietatem, nauſeam, inquam, potet, nihilominus penes agnum victoriam fore, quoniam ille ſit Rex Regum, & dominus dominantium, & Beſtiam peſſum cum Pſeudopropheta ituram. Alia verò cauſa tibi quærenda eſt, ô magnanimie Laſce, quæ quidem in promptu & obuia eſt. Vnicum exemplũ tibi proponimus, ſapientiſſimum Regum omnium, Salomonem inquam. Quæ cauſa illi fuit phanа ædificandi, & colendi Aſtharoten, Chamos, & Molochum, poſtquàm templum Deo Iſraël ædificaſſet mandato ipſius? Quæſumus, colligе te, & rerum conſcientię tuæ ſubducе rationes, & vltimum iam propè inſtare diem ſcito, quo viuentes & mortui iudicandi ſunt, Domino noſtro Ieſu Chriſto veniente cum virtute multa in gloria Patris ſui, cui neque mors, neque ſepulchrum eripiet quenquam, quominus ipſius ſiſtantur iudicio. Hic iudicaturus eſt ſecundum eum ſermonem, quem nobis loquutus eſt à Patre ſuo, non ſecundum placita, aut inuenta hominum. Nolumus te diutius detinere, habes multos eiuſmodi caſus, qui te commodè inſtruere poſſunt, quid tibi faciendum ſit, vt Domino Chriſto lucrifias, & reconcilieris. Blandiatur quis tibi. Satis eſt nos tibi, quod verum eſt, dicere, vale.

Illuſtris D. Alberti Laski reſponſum ad literas hæreticorum præcedentes Epiſtola CXXVII.

ITeras veſtras non ſine animi conſternatione perlegi. Commotus. niſi ſtra admonitione aduerſi conſilij, nõ poſsũ nõ abhorrere tã authores, quam eorum fucatas perſuaſiones. An me rationis expertem, deſperatæ conſcientiæ, vel leuem arundinem ventorum procellis agitatam eſſe putabitis, vt à profundiſſimis errorum, latebris in manifeſtiſſimum lumen veritatis gratia diuina adductus, rurſus in nouas deſpicatiſſimorum hæreticorum ſectas veſtris vel aliorum ſtimulis me temerè præcipitarem? Non ſum quem putatis, neque quem inconſtantiæ accuſetis. Incideram quidem fateor in atrociſſimos falſæ doctrinæ fluctus, deteſtandamque ſeductorum tempeſtatem: errabam in deſerto tenebrarum ouis morbida, perſequebatur me luporum rabies ferociſſima. Sed immenſa ſummi Paſtoris benignitate circumſeptus, ad verum & vnicum ouile, humeris eius proprijs ſum reportatus. Nunc iam cognoſco vnum in eſſentia Deum, hypoſtaſibus trinum, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum Sanctum, ſed vnum ὁμοούσιον perfectum Deum. Nunc Chriſtum Ieſum æterni Patris filium æternum Pontificem, & Sacerdotem perpetuum, ſecundum ordinem Melchiſedech, excuſſa omni cæcitatis caligine, ſyncere agnoſco, credo, adoro, & inuoco, Eccleſiam Catholicam ſanguine eius precioſiſſimo dedicatam vnam eſſe affirmo: quæ vt eſt vniuerſalis, ita omnia diuinitatis myſteria in ea ſola eſſe repoſita, firmiter teneo, extra quã neq; ſalus neq; remiſſio peccatorũ hominib. contingere poteſt. Huic à Chriſto Vicarius conſtitutus Romanus præſidet Pontifex. Cui in regenda gubernandáque Eccleſia, non minor quàm Petro Apoſtolorum Principi à Deo conceſſa eſt authoritas. Minimè igitur mirum eſſe vobis videatur, ſi illi in fide lubens obedio. Cuius poteſtatis imperio, Chriſtus ipſe parendum mihi præcepit. Oſcula verò illa, ſi tanquam ſacrilegia mihi proponitis, erratis infœlices. Talis enim & oſculo dignus eſt vero, qui paſcit me vitæ pabulo. An non à Chriſto Eccleſiæ ſubiecti ſumus dignitati? Aut ego contemnerem eos, quos audire iubet his dictis. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Nolo igitur temerariæ rebellionis ſtultitia inflammatus ſpernere CHRISTVM in Romano Pontifice. Illum ſuperiorem adoro, hunc tanquam perſonam eius in terris gerentem, fideliter obſeruo. Neque ea ratione, vt vos ſomniatis in Babylonicam ductus ſum captiuitatem, imò ruptis vinculis tetertimis peſtiferæ hæreſis, cuius dira contagione implicitus, miſeram contaminaueram animam, in lucem veritatis, non in caſtra aduerſariorum, vt vos detorquctis, erumpere feſtinaui. Sed quæſo, num is rectè à lijs conſulere poteſt, cuius doctrina inexplicabilibus nefandiſſimorum errorum ſordibus eſt depraua-ta? Nunquid ex corruptiſſimo & amariſſimo fonte dulcis aqua emanabit? Turpe eſt Doctori, cùm ſe redarguit culpa. Vos mihi conſulitis, qui CHRiſtum dereliquiſtis, Apoſtolos eiuſque ſucceſſores contempſiſtis, Eccleſiam ſuam abhorruiſtis, ex qua vt effrenis potentior vagaretur libido, improuiſa & immoderata ſolutæ carnis licentia, ad quaſſibet ſtupendiſſimas hæreſium opiniones inſolenter voſmetipſos præcipitaſtis. Ibi iam ſcandala infinita, ibi diſſenſiones continuæ, ibi ſceleratiſſimorum hæreticorum impuriſſimæ profeſſiones. perpetua de religione pugna, perpetua miſerabilis & afflictæ conſcientiæ deſperatio. Conſiderate, quanta ſit inter vos ſectarum diuerſitas, quàm authorum numeroſa differentia, in Religione impoſtura, in fide blaſphemia, in opere incontinentia. Nullus ordo, nullus ſtatus, nulla poteſtas, nulla dignitas Eccleſiaſtica. nihil inter vos præter confuſionem video, nihil præter diſſenſionem expertus ſum. Cum Deus non ſit diſſenſionis

Deus, ſed pacis DEVS. Atque cùm hæc ita ſint, innocentis Prophetæ querelas, Salomonem & Ieſſidem mihi proponere importunóque obſcuriſſimi ſenſus veſtri conſilio me tentare non erubeſcitis? Pacata eſt mea conſcientia, quieta Religio, tranquilla fides. Et ipſa cum alijs Catholicis, vna, vnum Baptiſma, vnus Deus, vna Eccleſia, cuius caput eſt Chriſtus, quæ regitur & gubernatur ductore Spiritu Sancto. Hæc non errat, hæc non deſipit, non delirat, firma ſtat & immobilis, perpetuò durat. Contra hanc, Pſeudopropheta horrendiſſimus Antichriſtus, qui eſt ſeductor & author, profligatiſſimi erroris, miſerandæque conſcientiæ veſtræ, cum Beſtia quam ſcribitis, crudeliſſimas ferociſſimæ naturæ ſuæ vires exercere nititur, hanc impugnare tentat, ſed fruſtra laborat. Quandoquidem eſt fundata ſupra firmam petram. Ipſa autem Beſtia cum Pſeudoprophetis veſtris, ſpiritu oris Domini in vindicta ſui nominis ſanctiſſimi, ſanctorúmque eius mirabiliter occidetur. Quamobrem admoneo vos, & per Spiritum Dei viuentis obſecro, reſipiſcite aliquando, veſtroſque errores recognoſcite & emendate. Reuertimini ad vnitatem & gremium ſanctæ matris Eccleſiæ, cuius vberibus eſtis nutriti, ne cum ſeditioſis & blaſphemis alijs, quemadmodum Chore, Dathan, & Abijron, viui ad lacus infernales, & tormenta nunquam finienda, in momento deſcendatis. Me verò amplius veſtris ſcriptis ne ſollicitetis. Nam neque perſuaſio, neque tribulatio, neque anguſtia, neque mors acerbiſſima me à CHRISTO, & veritatis acceptæ conſtantia ſeparabit.

Alberto Laski Palatino Siradienſi. Epiſtola CXXVIII.

Refutat præconum verbi Sathanæ literas, quas poſt conuerſionem eius ad Eccleſiam, ad ipſum dederunt.

VIDI literarum exemplum, quas ad D. V. dederunt præcones mendaciorum, & particularitas potius, quam vniuerſitas Antichriſtum profitentium in Polonia. Vidi & reſponſum Catholico verèque pio, & magnanimo, & apertè, CHRISTVM profitente Senatore dignum, ſimul autem vt legi, quoniam ipſe per aduerſam valetudinem S. D. N. conuenire non potui, per alium literas illius Sanctitati exhibendas & legendas curaui, Quæ Zelum hunc D. Veſtræ & in fide Chriſtiana tuenda & conſeruanda conſtantiam commendauit plurimũ, & eſt eam ſua paterna benedictione proſecuta. Cõmunicandas etiã illas curaui cũ nonnullis S. R. E. Cardinal. qui cum legiſſent fortem hũc animum D. V. (quæ ſe nulla ſerpentis aſtutia ſeduci, nec vllis rationibus de ſemel agnita vera fidei doctrina dimoueri patitur) in cœlum vſque laudibus extulerunt. Quid autem eſſe poteſt Sathanæ miniſtris iſtis magis eſſe inſulſum magiſque ſtolidum. Dei notitiam D. Veſtræ precantur, cùm tamen, quam habuerunt aliquando Dei notitiam, quoad in Eccleſiæ Catholicæ fuerunt vnitate, prorſus eam abiecerint, & ex eorum numero facti ſunt, de quibus à Paulo ſcriptum legimus, Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: cum ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Non alibi quàm in corpore ſuo, quàm in Eccleſia ſua, Chriſtus agnoſcitur. A quo corpore quicunque ſe diſiungit, eius notitiam is aſſequetur nunquam. Quin etiam ſiquam habuit, priuſquam ab eo ſe præcideret, amittit eam eueſtigiò, datur in ſenſum reprobum, proficit in peius indies errans & in errores alios ſe mittens. Quod oculis ipſi noſtris illis ipſis euenиſſe cernimus, qui primi vel Iſlebienſẽ vel Geneuenſẽ Antichriſtũ profiteri in Polonia cœperunt. Quorſum enim progreſſi iam ſint, D. V. non ignorat. Quale autem eſt hoc, quod crimini dant D. V. quòd oſcula dederit Romano Pontifici? Crimen eſt nefarium. Poteſtatem à Deo conſtitutam agnoſcere, cùm tamen aperta ſint ſcripturæ verba, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Quæ ſi volunt iſti de poteſtate tantum ſæculari intelligi, meminiſſe debent, quod ſcriptum ſit, Poteſtatibus non poteſtati, vt de vtraque locum hunc intelligere oporteat, tam ſæculari, quàm Eccleſiaſtica. Sed eſt alius locus, qui magis etiam explicat, Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacire eis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Locus hic manifeſtè de poteſtate Eccleſiaſtica loquitur: Nam ſæcularis nullam in animas ſubditorum, verùm in corpora tantum & fortunas eorum poteſtatem habet. Animas verò ligandi atque ſoluendi poteſtas non Regi, non Imperatori Sed Petro, & ſucceſſoribus eius data eſt. Ei obedire, ei ſubiacere inſſi ſumus, Quin & Magiſter Pauli Chriſtus. Super Cathedram, inquit, Moyſi, ſederunt ſcribæ & Phariſæi, Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, Seruate & facite, ſecundum verò opera eorum nolite facere. Etiam diſcolis obedire iubet Chriſtus, Etiamſi non faciunt ipſi, quæ facienda illis præſcribunt. Si tantum illis tribui voluit Chriſtus, penes quos vmbra tantum fuit Sacerdotij, quanto magis tribuendum eſt illis, penes quos eſt ipſa veritas? Ante mille trecentos annos, S. ille Martyr Cyprianus veriſſimè docuit, quod non aliunde ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur. Cui ſi ſecundum magiſteria diuina fraternitas optemperaret vniuerſa, nemo diſſidio vnitatis CHRISTI Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens, ſeorſim nouam hæreſim conderet. Hieronymus quoque ſalutem Eccleſiæ dicit à ſummi ſacerdotis dignitate pendere: cui ſi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nō exors quædā,& ab omnib.eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficerentur schismata,quotsuntsacerdotes.Quā aūt vera sint,q̄ scribuntur à S. Patribus istis,ipsæ res gestæ nostri temporis abundè nobis declarant.Iā .n. non tantū in Priscorū libris legimus,verū & nostris oculis ipsi cernimus, quod vbicunque discessum est ab obedientia Sanctæ Sedis Romanæ,ibi tot schismata,tot sunthæreses, vt earum vix numerum inire liceat: Cum & illud verissimè dictum sit ab Augustino, Quod in Cathedra vnitatis posuit Deus doctrinam veritatis.Extra Cathedrā hanc vnitatis doctrina,veritatis potest esse nulla:quòd ex mutuis hæreticorum dissidijs planum & perspicuū fit omnibus.Qui quoniam Cathedram vnitatis deseruerunt,doctrinam quoq; veritatis amiserunt & sunt suo ipsorum iudicio condemnati, dum altera pars alteram hæreticam pronunciat,& è concione sua eijcit.Non est ferè quisquam ex ijs,quos vocant Superintendentes, qui non velit in suo cœtu Papam agere.Quin hoc de nonnullis queritur Philippus Melanthon, quos vocat mirabile genus hominum,nec rectè cum eis agi quicquam posse dicit, quod suo arbitrio damnant quidlibet, neque personis auditis, neque rebus dijudicatis: cogunt consilia quando,& vbi ipsis placet, & vendicant;inquit sibi, maiorem magisque intolerabilem ac minus excusabilem authoritatem & potestatem, quàm Papa Romanus vnquam, quæ quorsum tandem euasura videantur,cogitetur,inquit,Paulo autem ante in Anarchiam euasisse dicit,& quidem verissimè, Nam qui Papistæ primum,ijdem & Cæsaristæ,posteà & Registæ dici noluerunt: quin contra legittimam potestatem à Deo sibi datam, arma parracidialia sumpserunt.Quid factum sit in Germania,D.Vestra non ignorat.Recentius autem exemplum in Gallia videre licuit,vbi quo iure Pontificis, eodem & Christianissimi Regis iugum excussum est. Et qui sibi potestatem arrogauerunt. Episcopos aut Superintendentes creandi(quos à Regibus nominari, à S. verò sede Apostolica confirmari consuetum est) ijdem superstite Rege cui iusiurandi Religione fuerunt obstricti, Regem alium sibi elegerunt, ei Ludouici XIII. nomen impositurunt, sicut non multò antè Cathedram contra Cathedram, sic posteà Solium contra Solium constituerunt, & sceptrum contra sceptrum erexerunt. Non dissimilia quædam de Scotia,deque Germania Inferiore proculdubio audiuit D.Vest.Hi sunt fructus eius doctrinæ,quam isti belli mendaciorum præcones D. V. obtrudere conantur: qui si propterea nolunt Ecclesiæ caput Pontificem agnoscere,quod eius caput citra vllam dubitationem Christus est, etiam Regni caput eodē iure possunt non agnoscere,quandoquidē & Regni cuiusq; caput Christus est. Et ausus est quidam vt audio,annis ab hinc fortasse quatuor,cum de superiore loco Lublini concionē haberet ad populum apertè dicere:Non habemus Regem, nisi qui pro nobis crucifixus & spinis coronatus est. Quamobrem probatur mihi Philippi sententia,qui Lutheranorum peruicaciam,non alio quàm ad Anarchiam spectare dixit. Quod vtinam accuratius Principes expenderent,& impiorum istorum conatus tanto maiori studio refutarent. Videat autem quorsum apud istos homines res reciderit. Virtus apud illos probro datur,sceleri virtutis nomen tribuitur. Si quem conuicio maximo volunt, affectum Papistam vocant. Quid est autem esse Papistam,& oscula dare Pontifici,quam eam quam debes fidem & subiectionem à Deo constitutæ posteſtati præstare? Scilicet hoc ingens flagitium est, retinere fidem erga Principem, subiectum illi esse velle. Et quod est officij tui, præstare? Ego verò D.Vestram satis laudare non possum,quæ rescribens istorum ineptijs,non modo non erubuit,cum oscula Pontifici dedisse diceretur, verumetiam id præse tulit,& ingentis honore affectam interpretata est:cum ad existimationem cuiusque nihil possit esse magis amplum & illustre, quam à Deo constitutæ potestati debet fidem & subiectionem, eam perpetuò præstare,Contra nihil magis ignominiosum & infame, quam ab ea subiectione discedere. Videntur præcones isti ex eorum esse numero,quibus væ sempiternum comminatus est Propheta dicens: Væ qui dicitis bonum malum & malum bonum.Iam quod obijciunt insulsi isti, D. Vestram, in Babylonem captiuum esse ductum, & cum quadam exclamatione, quasi libertatem amiserit,vicem illius deplorant. Quæ nam est istorum hominum amentia & vecordia? qui Babylonem esse dicunt, vbi dum vnus in Ecclesia Dei vice CHRISTI iudex agnoscitur,veritas & vnitas doctrinæ retinetur, & summa dogmatum omnium est consensio, Quod & in Italia, & in Hispania & in Portugalia, & in omnibus illis Regnis & Populis, vbi sub Christo capite caput Ecclesiæ Pontifex Romanus agnoscitur videre licet: Cum illa potius Babylon dici mereatur, in qua tanta est linguarum confusio,tanta doctrinæ varietas,in qua sic per superbos homines, inter quos semper sunt iurgia,diuisæ sunt linguæ, quæ fuerunt per humiles Apostolos congregatæ, vt inuicem se non intelligant, & inuicem sibi sint hæretici. Num autem hæc non est vera Babylonica confusio? Quod autem nostro cœtui nomen magis quadrat,quam vt Hierusalem dicatur, quæ ædificatur vt Ciuitas cuius participatio inidipsum? Idipsum apud nos sentiunt omnes, idipsum dicunt, idem sapiunt omnes,& est in diuersitate linguarum carnis vna lingua in fide cordis. Quam vnam linguam isti nunquam habere poterunt, nisi prius monentem Prophetam audierint, Exite de medio Babylonis:& redierint ad Hierusalem nostram, à qua sacrilega sæperatione se præciderunt. Egregiam verò,quam isti prædicant libertatem,nullam agnoscere legitimam potestatem. Quod vbi fit,ibi non potest esse nisi Babylonica quædam rerum confusio. Quod etiam ipsi iam agnoscere videntur,quando scandalorum,quæ sunt apud illos exorta, meminerunt: cum subinde de Christo opiniones quædam emergerent,quas ipsi tamen hæreses adhuc vocare non audent.Cuius generis sint isti præcones, nescio, nec enim eorum nomina scripta vidi,vt ex illis,quam sectam profiteantur,cognoscere possem. Sed quantum assequi coniectura licet,Geneuen.Antichristum confiteri videntur, qui mendacij Christum arguit, Quod cùm accepisset panem dixerit,Hoc est corpus meum, & accepto calice, Hic est sanguis meus. Sed ego non video,quo iure damnare possent alios, si longius aliquanto progressi sunt à Caluini vel Zuuinglij dogmate, cum etiam ipsum Caluinum longius progressum esse constet,quàm Præceptorem suum Lutherum, Quem ait rudimenta suæ sectæ posuisse, viamque sibi commonstrasse.Sed interim eum esse præpostero quodam ingenio scribit,qui rectam ingressus viam, simul ac demonstrator iter suum deflexit, vltra progredi recusat. Noluit esse præpostero quodam ingenio Caluinus.vt quam sibi viam Lutherus commonstrauit,in ea pertinaciter hæreret,nec vlterius progredi vellet. Cur, quod ipse probari vult in se, non probet similiter in suis discipulis Anabaptistis, Trideistis,aut quibuscunque tandem alijs nominibus vocentur? quod & ipsi posteaquàm demōstrator iter deflexit,noluerūt in eodem luto pedem obstinatè figere, sed vlterius progressi sunt.Si licuit eorum Patriarchæ Luthero totum papatum,hoc est,Christianismum vniuersum,totam Ecclesiam Catholicam errorum condemnare, ac nouam & hactenus inauditam in Ecclesia Dei doctrinam excogitare. Si licuit Caluino quoque non in omnibus,Lutheri doctrinam recipere,sed aliquod nouum doctrinæ genus comminisci, quod cum Lutheri sententia minimè conueniret. Cur non licuerit idem & Anabaptistis,& Trideistis? quandoquidem non omnia soli Luthero, vel Caluino sunt reuelata,vt in certis doctrinæ capitibus longius etiam progrederentur? Bernardinum Ochinum nouit proculdubio Dominatio Vestra,qui cum in Polonia fuisset aliquandiu, ante tres aut quatuor annos mortuus est in Morauia. Scripsit is duos de sancta Trinitate Dialogos, in quorum altero non esse nefas contendit, Ecclesiæ de adoranda Trinitate doctrinam in disputationem vocare. Non negabis,inquit, expediuisse tempore tuo disquiri,sit nec ne CHRISTI corpus in pane,& sanguis in vino, quamuis & esse,& adorari debere Concilia per errorem decreuissent. Et quoniam in Trinitate vsu venire idem potest (nimirum quod errarit in illa asserenda Ecclesia vniuersa) expedit negotium explorare. Equidem non video quo iure possint, aut Lutheristæ, aut Caluinistæ reprehendere vel Anabaptistas,vel Trideistas,vel quoscunque tandem alios pestilentissimos hæreticos,si ipsorumexemplo longius aliquanto,quàm aut Luterus aut Caluinus processerunt. Præciarè dictum est à Ioanne Chrysostomo: Quod initijs tantùm opus est diabolo,quando semel initium factū est separationis ab Ecclesia Dei, maior indies fit progressio,subinde Sathā instigat,plus vltra,plus vltra donec eò perueniatur, vt dicat insipiens in corde suo,Nō est Deus.perfectio Lutheranismi Trideismus est & Atheismus. Perinde verò causam suam agunt isti præcones mendacij, quasi persuadere velint, CHRISTVM hactenus Orbi Christiano prorsus incognitum fuisse. Quid autem hoc fuerit aliud quam CHRISTVM,qui sempiterna veritas est,arguere mendacij? qui dixit, Ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi, Mittam vobis spiritum veritatis, qui doceat vos & maneat vobiscum in æternum. Scilicet qui solus verax est Deus, quin ipsa veritas id quod promisit,nobis non præstitit? Est ne quisquam sic ab omni mente desertus, sic ab omni Christiana pietate remotus, vt id credere animum inducere queat? Sed videntur isti de illo hominum genere esse,de quo scribit Apostolus, Quod alium Christum prædicant quem non prædicauerunt nobis Apostoli, nec eorum successores, ex quo tempore Christi recepit Euangelium Polonia totis iam sexcentis annis,& alium spiritum acceperunt, quem non accepimus nos,neque maiores nostri, nimirum Spiritum mendacij,non veritatis: & aliud Euangelium,quod non recepimus nos, nec vnquam in Polonia fuit antea prædicatum, tales Christus qualem ipsi prædicant, tale Euangelium, fateor, quod non modò in Polonia,verum & in Orbe toto Christiano semper fuit incognitum. Est CHRISTVS nobis petra scandali,sed quibus? Istis ipsis,qui scribunt hæc, præconibus, quibus positus est in signum cui contradicunt, cum nobis lumen sit in reuelationem Gentium,& gloriam plebis Israel,& dominetur,ac deinceps etiam perpetuò sit dominaturus in medio inimicorum suorum, siue sint ij Lutheristæ, siue Caluinistæ,siue quodcunque nomen aliud illis tribuatur.CHRISTVS & caput est & corpus,Corpus aūt eius est Ecclesia,quæ cum capite suo Christus vnus est,nec vnquàm vel ille ab ipsa vel ipsa ab illo sæparatur. Nec solum is contradicit CHRISTO, qui vel de diuinitate,vel de humanitate eius malè sentit,& contra manifestæ scripturæ verba venire non dubitat. Verùm & is contradicit Christo,qui corpori eius Ecclesiæ,quæ cum capite suo CHRISTVS vnus est, contradicit:qui dicto audiens illi non est,cum ipse CHRISTVS dixerit:Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus: qui diuersam scripturæ sensum adfert ab eo, qui fuit hactenus in Ecclesia receptus,cum non in legendo, sed in intelligendo scripturæ consistant.In quam autem hæc quadrant melius,quam præcones istos,qui si de CHRISTO secus etiam non docerent, tamen vel ob hanc ipsam causam, quod corpus eius, quod Ecclesiam eius non audiunt, quod ab ea sacrilega quadam sæparatione se disiungunt,& contrarium ei,quem in illa sumus edocti,scripturarum sensum adferunt, contradicunt Christo:& eis reuera CHRISTVS positus est in ruinam & in signum, cui contradicitur,vt quidquid potius,quam Christiani dici mereantur. Sed me piget iam ineptiarum istarum,quas in suis ad D. Vestram particularitas ista profitentium Antichristum Geneuen. literis profert,quas certè præclarè videtur D. V. refutasse,Cui gratulor hunc animum tā fortē & constantē simul Deū precor,vt confirmet hoc q̄ operatus est,in illa.Neque minus illi gratulor,quod in istis proximis superioribus Comitijs, in quibus de Christo ex Polonia exterminando, & in eum locum Antichristo Geneuen.recipiendo

Universidad de Deusto
Biblioteca

multum à nonnullis fuit laboratum, verè se virum in tuenda fide Christiana præstiterit, pro Domo Dei murum opposuerit, & vna cum alijs viris & ipsis fortibus effecerit, vt ne quis Antichristo Geneuen. locus in Polonia daretur. Non obliuiscetur Deus, optime senator, huius operis tui tam boni. Est in cœlo tibi merces repositа copiosa: sed & in terris omni genere benedictionis te Deus replebit, vt ex hac tua erga illum pietate, maiorem indies capias voluptatem. Tu modò perge quemadmodum cæpisti Christi corpus Ecclesiam cõtra inimicos Crucis Christi fortiter defendere, Et quæ tibi Deus talenta contulit ad sui nominis gloriam & Christi corporis Ecclesiæ propugnationem illis vti non intermittas. Quamobrem vt quæ tibi gratiæ suæ dona liberaliter est largitus, ea maiore indies accessione locupletare, quo maiore cum fructu nostræ de te expectationi satisfacere queas, simul in multos annos incolumem te seruare Deus velit, supplex misericordiam illius implorare non intermittam. Quod superest, quicquid officij & obsequij præstare tibi potero, hoc tibi de me certò persuadeas, quod nullam eius rei occasionem prudens prætermittam. Nam istud animi tui robur istam tuam, in fide Christiana tuenda, constantiam & Zelum quendam ardentem non possum non amare vehementer & exosculari. Datum Romæ, 14. Octobr. Anno M.D.LXX.

Ioanni Syrakovvski Palatino Lencicienſi. Epistola. CXXIX.

Gratulatur illi constantiam in fide Christiana, & ad perseuerantiam hortatur.

TSi longius absum à Patria, status tamen illius miserabilis non minorem animo meo perturbationem adfert, quam si præsens adessem, sic enim animo prospicere videor celeriorem illius opinione multorum interitum, sicut ea quæ cernuntur oculis. Quæ potest enim expeditior ad interitum esse via, quam si Christus negetur? qui solus in hoc tanto rerum discrimine seruare nos potest. Atque spargitur hic, nihil aliud in Proximis superioribus Comitijs actum fuisse maiore contentione, quam vt negare CHRISTVM vtque ab illius corpore mystico, pro quo verum illesuum & viuum corpus in mortem tradidit, disiungere liceret. CHRISTVS enim non solum caput, verum & corpus est, & est vnus Christus in corpore suo. Quisquis igitur ab illius corpore mystico sæparationem quærit, nec amplius quod in symbolo nobis præscriptum est, sanctam Ecclesiam Catholicam credere vult, is non minus Christum negat, quam si, verbum carnem factum esse, negaret, Hoc nihilominus ausi sunt importunè quidam homines in proximis superioribus Comitijs á R. Maiest. tanta contentione petere, vel extorquere potius, vt maiore contentione nunquam res acta fuisse dicatur. Quæ res, vt initio scripsi, ingentem animo meo cruciatum attulit, cum præsertim & hoc isti dicerent R. M. quod mihi tamen verisimile non sit, non omnino, quod peterent, concedere voluisse. Sed est hæc singularis, & nunquam satis prædicanda Dei bonitas, & misericordia, quod cum in summum periculum adducta res fuisset, ostendit ille, quod sibi reliquerit adhuc septem millia, qui non curuarunt genua ante Baal vel Islebien. vel Geneuen. Proruperunt enim statim generosi Christi milites, & pro Domo Dei murũ se opposuerunt, viri nõ solũ illustri loco nati, verũ & ingenio & iudicio, & eloquẽtia, & prudentia præstantes, & excelso quodam animo præditi: qui tanto Zelo fuisse dicuntur in tuenda & defendenda, contra Bezanam perfidiam, fide Christiana. vt eorum etiam Zelum, ad quos magis propriè munus id pertinebat, superare viderentur. Qui statim impiorum Hæreticorum furorem repressерunt, & ne qua fieret ad hos discessio prohibuerunt. Inter eos non postrema laus D. Vestræ tribuitur, quæ cum quibusdam alijs, quos conciliorum suorum socios habuit, nihil curæ, diligentiæ laboris prætermisit in conseruanda fide Christiana, de qua prorsus abolenda, & in eius locum Augustana perfidia substituenda tantoperè fuit à Mamalucis laboratum. Verè dictum est ab illo S. Patre, Quod fides non est nisi vna, & quicquid est præter vnam fidem, non fides sed perfidia est. Perfidiam itaque, non fidem permitti sibi postularunt, quotquot relicta Confessione Christiana, nescio quam Confusionem Augustanam concedi sibi contendebant. Miror autem, quæ sit frons istorum hominum, qui Confessioni Augustanæ nomen ei perfidiæ tribuerunt, quam, qui sunt illius Confessionis maximè detestantur, & in eam qui fuerunt in Sendomirien si Conuenticulo, se conuenisse iactant, cum ab ea plurimos dissensisse constet. Si qui verò consenserunt in eam prius approbarunt, quam viderunt, & in quam perfidiam consenserint ipsi nesciant. Quamuis autem æque perfidia sit Augustana Confusio, sicut alia quæcunque tamen & illud palam est omnibus, quod qui Confessionis Augustanæ videri volunt, Caluinistas siue Bezistas oderunt eane peius & angue, nec vnquam eos dignos censuerunt, cum quibus colloquium siue collationem vllam haberent, quod esse manifestos hæreticos dicerent, non stylo siue disputatione, sed sceptro Magistratus refutandos. Itaque nunquam suis eos congressibus dignati sunt atque adeo in his Ciuitatibus, vbi purum Lutheri verbum pro puro verbo Dei venditatur, quicunque sunt eius sectæ, receptus eis dari prohibetur. Interim nostri isti præclari viri Confusionis Augustanæ pallio, non solum Sacramentarios, verum & Valdenses tegi volunt, Cum nihil sit apud Lutheranos, qui suam propriam hanc esse confusionem volunt, vtraque secta detestabilius & magis abominandum, Hæc ego non propterea scribo, quod Augustanam Confusionem cæteris anteponendam esse, nec perinde fugiendam

dam, vt alias, censeam. Nam apud me Lutheristæ, Caluinistæ, Anabaptistæ eodem sunt omnes numero, cùm vna sit & eadem omnium perfidia. Quamuis enim posteriores ij sint longius progressi, tamen æquè sunt, vt primi, in suis erroribus submersi. Parum aut refert puto, num in littore maris, an in medijs illius fluctibus mergatur aliquis. Sed eorum impudentiam ferre non possum, qui se iactant esse Confusionis Augustanæ, cùm, per quos ea condita fuit, ab ijs non recipiantur, quin hostes Euangelij pronunciantur. Iam quod ad ipsam attinet Confusionem Augustanam, nec inter ipsos Lutheranos de ea satis conuenit. Nam quæ fuit oblata Cæsari ante annos XL. eam Philippus, &, qui sunt eius partium, Adiaphoristæ, Synergistæ, Maioristæ, quòd Manichæi sapiat hæresim, non admittunt, cùm tamen Lutherus eam apertè professus fuerit. Flacciani contrà, qui solo nunc restant Germani Lutheri discipuli: quiq; verbum illius nõ alio loco, quàm quo Dei verbum haberi volunt, nec addi quicquam illi, vel minui permittunt, eam quam Philippus posteà correxit, vel, vt illi loquuntur, corrupit, prorsus reijciunt, suoq; præceptori Philippo falsi crimen obijciunt, quem etiam diris aliquando deuouerunt, & cùm ipsum, tùm omnes, qui sectantur doctrinam illius, è communione sua eiecerunt. Legi proximis superioribus diebus grandem quendam librum, non sine magno fastidio, qui Colloquium Aldemburgense inscribitur: in quo de corruptelis Augustanæ Confessionis longa fuit per menses aliquot inter Electoriales & Saxonicos Theologos, altero ab hinc anno disceptatio. Bone DEVS, quibus mutuis se homines illi conuicijs insectantur: quantis inter eos odijs certatur, magis vt erga se inuicem, quàm erga Christianos, quos Papistas vocant, infestis animis esse videantur. Inter alia queruntur Electoriales, quòd eos ad cœtum suum, vel ad conciones admittere Saxonici Theologi noluerunt, & pro excommunicatis habuerunt. Idem queruntur Saxonici de Electorialibus, quòd cùm Dresnam venissent, sumptis alis, in altum se efferentes, excommunicationem contra se protulerint, secq; nullam habituros deinceps cum illis societatem denunciarent. Sic illi mutuò se inuicem è cœtu fidelium eijciunt, & hæreticos pronunciant. Cur autem vtrisque non credamus, quòd sint hæretici & excommunicati? Vix vlla est veritas in scriptis eorum, quæ mihi certior esse videatur, quàm hæc vna, & cui minus grauatim assentiar. Hæc ego propterea Dominat. Vestræ scribenda putaui, vt intelligeret, quàm sit eorum absurda postulatio, qui de Confusione Augustana tantoperè laborant, cùm ea non solùm à Christianis, verùm & ab ipsis Lutheranis, & quidem vtriusque partis tam Flaccianis quàm Philippianis, vel Eberianis prorsus reiecta iam sit & explosa. Mihi quidem hactenus non magna fuit cum Dom. Vestra consuetudo: sed cùm allatum esset ad nos, quanta contentione Christi causam contra Mamalucos in proximis superioribus Comitijs defenderit, qua prudentia, qua eloquentia, quo animo, robore, conatibus hæreticorum impijs obstiterit, vt cum vita sanguinem etiam suum se prius profundere paratum ostenderet, quàm ab eo, per quem vocati sumus in gratiam, in aliud Euangelium, quod cuiusuis esse potius, quàm Christi certò constat, translationem fieri permitteret, incredibili quodam illius amore exarsi, atque hunc illius animum tàm fortem, in tuenda fide Christiana sum exosculatus, neque tenere me potui, quandoquidem coram non licet, quin illi saltem per literas gratularer, simul Deum precarer, vt confirmet hoc, quod operatus est in illa, suæq; gratiæ dona magis indies atq; magis augeat. Si quod Dom. Vestræ præstari à me aliquando officium & obsequium poterit, eum diem, quo mihi facultas eius rei dabitur, cumprimis hilarem ducam, nec vllam pro virili mea benemerendi de Dominatione Vestra occasionem prætermittam. Hoc sibi certò de me polliceri potest. XIIII. Octobris.

Andreæ Opalenski Regni Poloniæ Marschalco. Epistola CXXX.

Eiusdem argumenti cum superiore.

QVÆ fuerunt in proximis superioribus Comitijs acta, non sine magno animi mei dolore cognoui. Laboratum enim à multis esse dicitur, vt à Christo in Bethleem nato facere discessionem & in Castra Geneuensis Antichristi transfugere liceret, vt reiecta fide Christiana, Bezana perfidia reciperetur. At quis homo Beza iste est? quo nihil terra produxisse videtur adhuc sceleratius. Vellem vt legeret Dominat. Vestra iudicium & censuram, de iudicio & censura ministrorum Tigurinorum & Heidelbergensium. In eo libro mores hominis bellè descriptos videret. Laboratum autem esse tanta contentione fertur, vt res à tumultu minimum abesse videretur. Sed est, quòd Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis agamus gratias, qui quamuis iustè peccatis nostris irascitur, quæ tamen est illius paterna clementia, non est visum adhuc, vt in ira sua contineret misericordias suas. Primùm è medio sustulit acerrimum perfidiæ Bezanæ propugnatorem, quo submoto, permultum hæreticorum viribus est detractum: deinde Spiritu suo sancto sic mentes quorundam Regni Senatorum inflammauit, vt se pro Dei domo murum opponerent, & omne discrimen sæpius adire paratos demonstrarent, quàm vt à Christo, & eius Euangelio discessionem facerent, & in Castra Geneuensis Antichristi transirent. Inter eos Dominat. Vestræ præcipua laus tribuitur, quæ prudenter & fortiter hæreticorum impia consilia propulsasse, & eorum conatus refutasse prædicatur. Quo nomine quin illi plurimum gratularer, quamuis longius absim, non potui me tamen continere;

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam huc etiam perlatæ sunt voces illæ, quibus Ecclesia Dei, & quam à maioribus nostris per manus nobis traditam accepimus, sanam fidei doctrinam aduersus hostes fidei Christianæ defendere conata est. Quæ ex re maiorem, quàm credi queat animo voluptatem accepi: Nam quam pridem de illius pietate, deque singulari animi robore conceperam opinionem, eam non solum non fefellit, verum etiam confirmauit & auxit. Seruet te Deus, optime Senator, in multos annos, atque omni te genere benedictionis repleat. In cœlis scriptum esse nomen tuum, ne dubites: nec enim obliuiscetur operis boni Deus, & ex alto respiciens copiosam illi mercedem tribuit. Quod si quid ad honestandum & augendum te, adferre possum, pro tanta tua & erga Deū & communē patriā nostrā pietate, qua seruatam illam ab interitu cupis, nihil est quod sim facturus libentius. In magna fœlicitatis meæ parte ponerem, si qua daretur eius rei facultas & occasio. Neque enim mihi melius cupio, quam tibi. Sed si nihil aliud potero, DEVM precabor, vt pro sui nominis gloria, próque Ecclesiæ & communis patriæ nostræ, quam ad celeriorem interitum nonnulli perducere conantur, defensione, te diu seruet incolumem & fœlicem. Si quid erit, in quo tibi gratificari possim, omni officij obsequijque genere præsto sum semper ad futurus. 14. Octobr.

Abrahamo Zbaski. Epist. CXXXI.

Gratulatur illi ad Ecclesiam Dei reditum.

DVodecimus iam annus agitur, ex quo tempore præclaras dotes, quibus te Deus abunde cumulauit, à multis prædicari audiui: Quod & ingenij dexteritate, & iudicio, & prudentia, & animi magnitudine tuos æquales facilè superares: addebatur & hoc, quod in literis quoque minimè vulgares progressus fecisses. Itaque cognoscendi tui semper fui cupidissimus, & erat mihi vehementer gratum, quòd ad me, Tridenti cum essem, veneras, nisi quòd quæ tum fuerint occupationes meæ, non ignoras. per quas factum est, vt extra tempus id, quo cibum capiebamus, colloqui tecum vix liceret. Cæterùm ex ea re non mediocrem accepi molestiam, quòd cùm anteà quoque prauis quibusdam opinionibus imbutus fuisses, Geneuam te Tridento profectum esse dicebatur. Dolebam vehementer, in quem tot gratiæ suæ munera, plena, quod aiunt manu Deus contulisset, quòd is in eum locum se recepisset, vbi doctrinis varijs & peregrinis abductus, & ab eo, per quem vocatus eratin gratiam, in aliud Euangelium translatus, non in salutem illis, sed in perpetuam animæ suæ condemnationem esset vsurus, vel abusurus potius: & pro eo amore, quo te prosequebar, sic tamen vt errores, in quibus tunc versabaris plurimum detestarer, ardentibus votis expetebam, vt Euangelij sui lucete Deus illustraret, & ex illis tenebris, quibus immersus fueras, erueret. Ecce autem, cùm nihil minus expectassem, iucundissimus ad me nuncius venit, nunquam satis prædicanda Dei benignitate factum esse tandem, vt è Saulo Paulus fieres, & quantum in Ecclesia Dei persequenda visus es antea laborare, tanto nunc studio contenderes, vt eam defendere deinceps, & quam plurimos, qui aberrauerunt, ad illius gremium reuocare possis. Si quem alium eum diem, quo tam lætum nuncium accepi cumprimis hilarem duxi, Deo, cuius hoc beneficium est, gratias egi: neque tenere me potui, quin tibi gratularer animum hunc tam pium, & vt confirmaret hoc Deus, quod operatus est in te, precarer. Nam vt hortarer te, quo memor illius, quod scriptum est, Non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit: in eo quod fœliciter adeò cœpisti, perseueres, neque cuiusquam persuasionibus ab hoc tam sancto instituto tuo te dimoueri patiaris, prorsus esse superuacancum existimo. Tantum enim de animi tui magnitudine, deque constantia tua mihi persuadeo, quiduis vt potius & facere, & pati, te paratum fore credam, quam vt à via veritatis, quam Dei misericordiam consecutus cognoscere iam cœpisti, in pristinos errores reduci te patiaris. Quàm autem cuperem, vt quemadmodum author nonnullis fuisse diceris, cùm alibi tum Bononiæ præsertim, vt in errores prolaberentur: sic nunc author esses multis, qui sunt serpentis astutia decepti, vt relictis erroribus in viam veritatis redirent. Hoc esset plenè pro peccato tuo Deo satisfacere, cui nullum posset à te, quam hoc offerri sacrificium gratius. Fecerunt hoc in proximis superioribus Comitijs viri clarissimi, & sempiterna memoria digni, Palatinus Siradiensis, Palatinus Lenicoen. Castellani verò Przemeten. & Landen. & Iudex Calisien, quorum nomina proculdubio scripta sunt in cœlis, nec de eorum laudibus vlla vnquam ætas conticesset. Fuerunt autem & hi serpentis astutia, quemadmodum & tu, aliquando seducti, & excederant à simplicitate, quæ est in CHRISTO, cum alium quendam prædicari CHRISTVM audiuissent, quam qui fuerat ab Apostolis & eorum successoribus in Ecclesia Dei prædicatus, & cuius Euangelium iam inde à sexcentis, & amplius annis in Polonia receptum est. Quam autem egregiè suum errorem in proximis Comitijs rexerunt, cum se pro domo Dei murum opposuerunt, contra hostes Euangelij, ac nullum se discrimen effugere velle demonstrarunt, dum fidem Christianam contra perfidiam Caluinianam siue Bezanā tueri & defendere possent. Equidem nō dubito, quin hac sua tanta pietate, q̄ ignorantes anteà peccauerunt, pro eo plenè Deo satisfecerint. Nam tam ardenti Zelo fuisse di-

cuntur in propugnando CHristi Euangelio, vt si verum est quod hic narratur, etiam eos ad quos magis proprièid munus pertinet, superare viderentur. Doleo quod in eorum numero tu quoque non fueris, qui cum quolibet eorum & ingenio, & iudicio, & prudentia, & eloquentia comparari potest, quin tibi Deus, posteaquàm illius inspiratione resipiscere cœpisti, prius illud peccatum tum dimiserit non dubito. Sed si vis vberiorem illius gratiam consequi, fac vt ad istorum te laudatissimorum virorum numerum deinceps aggreges: & sicut olim exhibuisti membra tua seruire iniquitati ad iniquitatem, & quorundam seductionem, ita nunc membra tua exhibeas seruire iustitiæ & veritati in sanctificationem, & in multorum ab erroribus suis reuocationem, & ad rectam viam reductionem, cùm tam præclara tibi Deus talenta concesserit, & quidem liberaliter, etiam atque etiam da operam vt aliquid ex eis lucrifacias, ne si, quod absit, foderis in terram, & absconderis pecuniam Domini tui terribilem illam Dei vocem audias, quam in Euangelio Matthæi sæpè te legisse non dubito. Prodeas in lucem, tu quoque eum alijs confirmes fratres tuos, & posteaquàm Euangelij luce iam tandem es illustratus vna cum clarissimis illis viris, quos paulò antè recensui, propugnandum illud suscipe, Sic futurum est, vt apud homines ingentem laudem, & apud DEVM vberiorem gratiam consequaris. XIIII. Octobris Millesimo Quingentesimo Septuagesimo.

Nicolao Tomickij. Epist. CXXXII.

Hortatur vt de parente suo ad Ecclesiam Dei reuocando laboret.

VOd me de tuo in patriam reditu feceris certiorem, fuit mihi valdè gratum, in qua permanendum iam esse tibi censerem, si qua spes esset parentes tuos lucrifaciendi, quos astutia serpentis deceptos excidisse à simplicitate fidei, quæ est in CHRISTO IESV, & alium CHRISTVM prædicantes, quem non prædicauerunt Apostoli, nec eorum successores in polonia iam inde à 600. annis audire malle, & aliud Euangelium accipere, quod non accepimus à maioribus nostris vehementer doleo, Cum scriptum sit, si quis vobis Euangelizauerit, præter id quod accepistis anathema sit. Certè quam doctrinam parentes tui sunt amplexi eam ante hos XX. plus minus annos non modò non recepit, sed nec audiuit vnquam in Polonia. Quantò rectius, ille faceret, si monentem Apostolum audiret. In eo, quod initio didicistis, permanete. Certè non didicit ab initio quæ nunc profitetur. Memini temporis illius, quo mihi parens tuus tribuebat aliquid, & me doctiorem esse, quàm se persuasum habebat. Nunc ille non me tantùm, verùm & vniuersa se doctiorem putat Ecclesia. Omnes illi cæci videmur esse, in scripturis intelligendis stupidi, bardi, trunci: neque nos solum qui viuimus, verùm & eos qui præcesserunt nos in Beatorum sedes receptos iam inde à 600. annis in Polonia, qui nos genuerunt in verbo veritatis, eos omnes eiusdem cæcitatis, condemnat: aut si non cæcitatis, quod multò durius est, extremæ cuiusdam impietatis, qui viui, videntesque, prudentes & scientes, qui nobis per hostes Euangelij errores affingatur, eos approbemus. Iudicet ipse, quàm hoc eum doceat, vt ita de suis maioribus sentiat: cum tamen suis ipse cernat oculis, quos ad sua desideria sibi coaceruarunt Migistros quanta sit inter eos leuitas, quanta inconstantia, quanta doctrinæ varietas, vt aliud stantes, aliud sedentes doceant, vt quod hodie docuerunt eras retractent, & subinde de vna hæresi in multò grauiorem aliam delabantur, Quod est certissimum signum falsitatis. Nam verum non est, nisi vnum, falsum verò multiplex. Scit ille, quod quæ fidicula nuper est Craccouiæ typis mandata, ea Lutheranis est hæretica, quodque grauiter illi Valdenses & Caluinistas insectantur, & vsque adeo ab eorum horrendis blasphemijs abhorrent, vt eos nunquam suo congressu dignati sint. Quoties postulabat Caluinus, vt in colloquium cum Lutheranis admitteretur, sed nunquam hoc ab illis obtinere potuit, Quod eam hæresim detestabiliorem esse dicerent, & eius errores manifestiores, quàm vt vllam cum illis habere collationem oporteret non stylo, non disputatione, sed sceptro Magistratus tam fœdam hanc & horrendam hæresim esse refutandam docuerunt: quæ tam fuit execrabilis in Saxoniæ Ciuitatibus, vt quod Ioannes etiam à Lasko queritur, receptus Caluinistis in illis non daretur. Hoc fuit Lutheranorum de Caluinistis iudicium. Vellem autem, quandoquidem delectatur hæreticorum libris legendis pater tuus, vt legeret Colloquium quod ab altero ab hinc anno fuit habitum inter ipsos Lutheranos quorum alij Flacciani vocantur, qui fuerunt à parte Saxoniæ Ducis Vuilhelmi, alteri quos Augustus Elector miserat Philippiani siue Eberiani, facilè perspiceret, quam ipsis inter se conueniat, & quomodo se inuicem plusquam hæreticos pronuncient. Cur autem illis non credatur, hoc mutuum de se testimonium ferentibus? Falsi crimen impingunt Philippo Flacciani, Quod Augustanam Confessionem, quæ Cæsari fuerat Augustæ anno Trigesimo. oblata corruperit, addendo plerāque mutando, minuendo, vocant eam Cothurnum, vocant calceum Polonum, cum tamen rectius dicere potuissent Moscouiticum. Neque negant Eberiani, quod mutauerit plerq; Philippus in illa Confessione. Sed hoc ei licuisse dicunt, quandoquidem author illius fuit, & primā illam Confessionem eum in Manichæi dogma videretur inclinare, vel quod ad hunc locū pertinet, rectè fuisse correctā asseuerant. Flacciani contra po-

Augustana Confessio ocre à Aloserio.

testatem

testatem illi hanc non concedunt. In summa, sic discessum est ab illo Colloquio post mensium aliquot collationem, vt vtrique alteros, tanquam hæreticos, communione suo eijcerent. Sed ego longior esse nolo. Hortarer te, quandoquidem cum Hæreticis multum tibi commercij crebrò futurum est, vt eorum doctrinis varijs & peregrinis abducite ne patiaris: verùm de tua constantia spē illā conceipias, quod admonitionis meæ non egeas ac nō solum ipse te quouis doctrinæ vento circumferri nō sis passurus, verumetiam alios errantes, præcipuè verò parentes tuos, in viam reuocaturus. Quam ad rem, vt gratiam tibi suam Deus concedat, supplex misericordiam illius implorare non intermittam.

Melchiori Biliæ Nuncio Apostolico apud Cæsarem. Epistola CXXXIII.

Gratulatur extinctum esse verbi Sathanæ quendam ministrum, & de ineptijs Colloqui Aldenburgen. inter hæreticos habiti perscribit.

EX literis D. Vestræ valdè mihi gratum fuit cognoscere, quandoquidem Viennæ nullus in causa CHRISTI fuit exequutor iustitiæ, quod ipse CHRISTVS de quibusdam impijs, quos merebantur, supplicium sumpsit. Idem factum est in Comitijs, quæ nuper à Sereníssimo Rege meo sunt habita Varsauiæ. Nam cum impius quidam, qui propemodum Primas Regni fuit, summa contentione laboraret, vt Christiana fides reijceretur, & in eius locum Augustana perfidia reciperetur: quæ tamen Cothurnus quidam erat vtrique pedi aptus, nam & Zuuingliana cum illa coniuncta fuit. Ecce in medio cursu sublatus est è viuis impius ille, contritus est laqueus, & nos per Dei gratiam liberati sumus. Valdè nobis læta hæc atque iucunda acciderunt: Sed non minus lætum & illud, quod Cæsaream Maiestas tanta lætitia mortem illius impij prosecuta est. Quare planū fecit omnibus, falsum fuisse, quod hic mussitabatur, non inuita Maiestate illius per impiū Apostatā illū, blasphemas illas euomi. Cuius perfidiæ fuerit hic Apostata, nescio: nā certū est, q; fides nō est nisi vna, & quicquid est extra vnā fidē, nō fides sed perfidia est. Verū hoc scire mihi videor, si diutius vixisset, q; multorū animas in illa Ciuitate ad extremū interitū perduxisset. Cæterū in ista mea rusticatione legi quoddā ingens volumē, q; inscribitur Colloquiū Aldemburgeñ. q; fuit habitū inter ipsos Lutheranos, quorum vni vocantur Flacciani, alteri Philippiani siue Eberiani. Vidi, quod non minoribus conuitijs mutuò se inuicē, quā nos Christianos, quos illis Papistas vocare visū est, insectātur, & maiore propemodum odio flagrant inter se, quàm contra nos: neq; dubitant vtrique alteros errorum & hæreseos insimulare, quin & eijcient alteri alteros ex communione sua? Et habent quandam phrasin, quam ego nunquam hactenus in scriptis Catholicorum legere memini, Flacciani præsertim. Dicunt enim verbum Dei & Lutheri, Christus & Lutherus, Paulus & Lutherus, vt non modò Paulo, sed nec ipso Christo Luthero inferiorē videri voluit. Quid est autem, si hoc non est soli Deo debitam gloriam in creaturas transferre. Habemus nos Orbis Christiani lumina, non doctrina magis quàm vitæ sanctimonia præstantes Ecclesiæ Doctores, nunquam tamen ita quenquam vel dicentem, vel scribentem audiui, verbum Dei & Hieronymi, Christus & Augustinus, Paulus & Ambrosius. Sed insana ista capita, non alio loco scripta Lutheri, quàm quo scripturas Canonicas haberi volunt: nec ad suos errores ex vtraque parte confutandos quicquam adferunt, præter verbum Dei & Lutheri. Mirari satis non possum, quomodo possint aures hominis Christiani tantas ferre blasphemias. Accusant nos Idololatriæ. Quæ aūt potest esse, si nō est hæc germana Idololatria, cum Christo Lutherum coniungere? vt eodem loco sit Antichristus Islebien. qui cum sua Nonna membra sua mortificauit, quo loco nos habemus Christum in Bethleem natum. & propter nos homines & propter nostram salutem crucifixum & mortuum. Equidem horum hominum dementiam satis mirari non possum: nec miror tantum, verùm & exercitatem illorum satis deplorare nequeo. Vellem vt D. Vestra, si facultatem hanc habet, legeret Colloquium hoc, quod illi futurum esset non paruo vsui, & plæraque cum Cæsarea Maiest. communicaret præcipuè vbi Philippum arguunt Flacciani, quod adulterauerit Confusionem Augustanam: neque negant hoc Eberiani, qui reijciunt primam illam Cæsari oblatam anno 30. quod Manicheismum sapiat. Contra Flacciani non admittunt posteriores confusiones, quod in quibusdam ad Pontificiam, hoc est, Christianam doctrinam, in Capite verò de Eucharistia in caluini sententiam inclinat. Verùm de his hactenus. Datum Romæ. XX. Octobr.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ. Epistola CXXXIIII.

Ostendit frustra iniri consilia de Christo & Belial conciliando, quia in eodem homine cor de stare non possunt Christus & Lutherus.

FAcit fides mea, qua V.M. sum obstrictus: facit studiū atque obseruantia erga illā, à qua multis & magnis me beneficijs affectum esse, & plurimū hoc nomine M.V. debere, lubens profiteor: facit amor quoq; patriæ, cui cū celeriorē opinione multorū interitum impendere, sicut ea quæ cernuntur oculis, ita mente prospicere mihi videar, succurrum omnib⁹ modis, & cā ab extremo interitu

seruatam cuperem, vt me tenere non possim, quin de quibusdam rebus Maiestati Vestræ scribam, & ad animæ, & ad fortunarum, & ad Regni illius salutem pertinentibus. Supplico Maiestati Vestr. quandoquidem de rebus grauissimis agitur, nec alio spectat institutum hoc meum, quàm vt Vestræ Maiestatis & Regni illius incolumitati consuli queat, vt hasce literas à fideli subdito & Consiliario suo scriptas, non grauatim legere, vel saltem audire, cùm lectæ fuerint, dignetur.

Vidi literas recessus Comitiorum, quæ nuper habita sunt Varsauiæ: Fatebor autem, quod res est, quòd verba quidem intellexi, sed quis sensus eorum sit, assequi nondum potui. Nam ita scripta sunt, vt non ferè quicquam explicetur, sed Ænigmata quædam Sphyngis esse videantur, vt in quā partem accipi debeas, nescias. Fit concordiæ mentio inter statum Spiritualem & sæcularem. qua de re verò concordia ista tentari debeat, verbo non attingitur. Absum iam annum vnum à patria, sed dum ibi essem, aut in Prussia, non animaduerti, quod vlla esset discordia inter statum spiritualem & sæcularem, vel de limitibus, vel de priuatis quibuscunque rebus, nisi quod ab Hæreticis magna contentione semper fuit laboratum, vt Christiana fides, quàm à 600. annis & amplius Polonia suscepit, prorsus abrogaretur, & in eius locum perfidia Caluiniana siue Bezana reciperetur. Et quò facilius id effici posset, vt omnis Episcoporum authoritas & Iurisdictio tolleretur, quo sit vnicuique liberum quemadmodum vellet credere, templa per vim occupare, Sacra vasa diripere, & in prophanos vsus conuertere, decimas quas esse diuini Iuris constat non reddere liceret, vt impunè quisque posset Sacrilegia patrare, blasphemias in Deum iaculari, neque corpora iam, sed animas precioso sanguine redemptas interimere. Itaque quod quidem ego sciam, inter status nulla est discordia, sed inter Hæreticos tantum, qui nullius in Regno status sunt, & Catholicos inter Caluinianos siue Bezanos qui sunt, Biesouei Vviarki, & inter Christianos. Quemadmodum autem inter istos pacificationem, concordiam, & compositionem, libet enim vti verbis in literis recessus positis, Maiestas Vestra facere possit, equidem non video. Quæ Societas lucis ad tenebras dicit Paulus, Quæ conuentio Christi cum Belial? Quæ pars fideli cum infideli? Qui consensus templo Dei cum Idolis? Et quod ille Sanct. Apostolus nulla ratione fieri posse dicit, id se Maiestas Vestra perfecturam confidit, vt sit Societas inter Ecclesiæ Catholicæ lucem & eorum tenebras, qui se præ *Hæretici nullius unt status.* ciderunt ab illa, vt conueniat inter CHRISTVM & Belial vel Islebien. vel Geneuen. vt sit pars fideli Christiano cum infideli hæretico. At non ita scriptura, Coangustatum est, inquit, stratum, ita vt alter decidat: & pallium breue vtrunque operire non potest. Non possunt in eodem esse strato, hoc est, in eodem hominis corde, CHRISTVS & Lutherus, aut aliquis eius discipulorum, siue Caluinus is nominetur, siue Beza, Non possunt eodem operiri pallio. Quoties tentatum est in Germania, si possent eodem operiri pallio, qui sunt Augustanæ Confusionis cum his qui se Tigurinæ vel Geneuensis esse profitentur. At ea res adeò non successit, vt quo maiore studio ea de re laborabatur, eò grauius inter eos dissidium orietur. Nam in tantum odium res erupit inter Lutheranos & Caluinianos vt illos Lutherani, quamuis nihilo meliores neque congressu suo dignarentur. Quoties optabat Caluinus, vt conuenire cum Lutheranis & colloqui liceret, si qua fortasse concordiæ ratio inueniri posset: neque tamen obtinere potuit, quòd tam essent abominabiles & execrabiles apud ipsos etiam hæreticos Lutheranos hæritici Caluiniani, vt eos non esse dignos iudicarent, quos in Colloquium admitterent: Sceptro Magistratus, non stylo, non disputatione siue collatione refutandos esse dicerent, ac ne receptum quidem eis darent in Saxoniæ Ciuitatibus. Sed simul vt aliquam essent Ciuitatem ingressi, facessere statim ex ea iuberent. Qua de re multas querimonias in Ioannis à Lasko & Vireti scriptis videre licet. Plus etiam aliquid addam. Legi nuper Aldenburgense Colloquium, cui præerat nouo more nouus quidam Pontifex Guilhelmus Saxoniæ Dux, & Commissarij Principis Electoris. Tractabatur ibi de concordia non inter Lutheranos & Zuinglianos atque Valdenses, sed inter ipsos Lutheranos, quorum alij Flacciani vocantur, alij Philippiani, vel Eberiani: tantum abfuit vt aliqua concordia coiret inter eos, qui sunt ex eiusdem Lutheri schola profecti, quique pro Dei verbo verbum illius ex vtraque parte recipiunt: magis vt etiam discordes ab inuicem discederent, quàm vnquam antea, seque mutuo condemnarent hæreseos, & ex cōmunicarēt. Nam à Flaccinis falsi crimē Philip. fuit obiectū, q; adulterasset primam illam Confes. August., quæ Cæsari fuit anno 30. oblata, & quædam addidisset, nonnulla detraxisset, alia mutasset arbitratu suo. Nec negatum est hoc ab Eberinis, quemadmodum è schola quam inclusam his literis mitto, Maiestas Vestra cognoscet. Damnarunt igitur Flacciani Philippum & sectatores eius, quod in quibusdam ad Pontificiam doctrinam, hoc est, ad Christianam fidem à Lutheri perfidia defecisset, in dogmate verò de Eucharistia Caluini sententiam secutus esset. Qui verò partes Philippi tuebantur, primam illam Confessionem oblatam Cæsari propterea mutatam ab illo dicebant, quòd in Manichæi veteris hæretici pridémque damnati sententiam inclinasset. Itaque magis infestis animis discesserunt à Colloquio, quàm ad illud venerant. Si non potuit inter eos fieri compositio, qui sunt eiusdem sectæ, qui se Lutheranos ex vtraque parte profitentur, cum tanta contentione per menses aliquot laboratum in ea re fuerit, quanto minus id fieri posse sperandum est, vbi ex varijs sectis, & earum diuersis opinionibus vnum quasi quoddam corpus conficitur, mirabiliter tamen dissectum. Qualis est ea Confessio, quæ proximis superioribus Comitijs Maiestati Vestræ fuit oblata. Cuius generis Confessionem, sicut ostendi Maiestati Vestræ cùm essem Lublini, vocant ipsi quoque Lutherani Cothurnum quendam & ocream, siue calceum Polonum, qui dum vtrique pedi aptatur, neutri satis aptus esse videtur. Nam quod is, qui conscripsit

Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confessionem istam, gloriatur, omnes qui Sendomiriam cõuenerant, variarum sectarum homines in eam consensisse, falsissimum id esse constat: quod non obscurum esse Maiestati Vestræ persuasum habeo. Sed nec nouum est, nec inusitatum istis præconibus, nescio cuius noui Euangelij, mendacia pro veris asserere. Quis fuerit author huius mendacij, obscurum non est, nimirum is, quo duce fuit Conuenticulum illud Sendomiriæ institutum, cùm tamen Regni Constitutionibus eiusmodi Conuenticula fieri sit prohibitum, quorum executio cum nullum habeat apud nos aduersus hæreticos locum, qui supremus est bonarum omnium Legum executor, debitas de eo Deus pœnas sumpsit. Quare meum est consilium, vt Vestra Maiestas omnem cogitationem, de conciliando Christo cum Belial, abijciat. nam & oleum, quod aiunt, & operam perdet. Cæterùm fuit quiddam in literis Recessus, quod me non nihil recrearet. Fatetur enim hoc Vestra Maiestas, quod pij Reges & Imperatores, ex eo tempore, quo Christianam fidem receperunt, omnes vnanimiter semper sunt confessi, cognoscere de hæresi, vel de causis fidei, non esse sui muneris, nec ad se pertinere. Digna vox Rege Christiano, Catholico, & Orthodoxo: Executor enim est Rex in causa Religionis, non Iudex aut cognitor. Quemadmodum autem exequi debeat, Regni Constitutionibus docetur. Sæpè autem & hæc vox à Maiestate Vestra fuit audita, quod ab assere ad asserem executionem statutorum facere velit. Cur vbi Christi causa agitur, ibi cessat executio? Non placet hæreticis. Scilicet solùm id quod hæreticis placuit, legis vigorem obtinere debet? Definant esse hæretici, & non erunt executioni obnoxij. Nunc autem quanto magis, quod piè sancitum est aduersus hæreticos in Regni Constitutionibus oppugnant, tantò se manifestius hæreticos esse demonstrant, alioqui nihil erat, quod ab executione sibi metuerent. Est autem in Castro meo Heilsperg Caluini libellus, quo docet, rectè supplicium capitis de Hæreticis sumi, cui multi Superintendentes & ministri subscripserunt. Est autem Bezæ quoque, quo Magistri sui sententiam confirmat. Vtrumque, quando iusserit, mittet M. V. Coadiutor meus. Si displicet illis Regni statutum, quod mitius est, saltem placeat Idolorũ, quæ colunt isti hæretici, statutũ Ioannis Caluini atq; Theodori Bezæ. Certè quorũ verbum tauqnàm Dei verbũ amplectuntur, adorant, & eorum sententiæ contradicere non debent, cum præsertim illi non magis id scripto comprobarint, quàm se ipsa præstiterint. Nam Seruetum Caluinus, quamuis eo nihilo melior esset, viuum Geneuæ comburi fecit. De Gentili quoque, qui cum nusquàm alibi locum inter Christianos habere posset, ad Asylum hæreticorum, sic enim Poloniam vocat Simlerus quidam Tigurinus minister, se receperat. posteaquàm inde discessit, & in Heluetiã redijt, Bernæ capitale de eo supplicium sumptum est. quod non modò non repræhendit Beza, verum etiam laudat vehementer, & scriptis ad Maiestatem Vestram literis me repræhendit, quasi ego author fuerim Maiestati Vestræ, vt Parzouieũ. Decreta executioni ne mandaret. Vt autem in solos Trideistas & Anabaptistas animaduerteret, hoc fateor, me nunquàm Maiestati Vestræ suadere voluisse, quandoquidem eorum præceptores Caluinistæ, nihilo sunt illis meliores, & visa fuisset illorum, etiam ipsis Lutheranis execrabilis hæresis, quodammodo per Maiestatem Vestram approbata, si tantum contra duo Hæreticorum genera executio statuti de hæreticis facta fuisset, quàm quod V. M. intermittendam in proximis superioribus Comitijs, & omne negotium, de quo tractabatur in illis, in proximè futura Comitia reijciendum esse putauit. vtcunque se res habeat, esse tamen tolerabilius hoc videtur, quam si postulatis hæreticorum assensa per omnia fuisset. Quanquam nisi mutauerit hanc suam sententiam: video quòd eædem fortassis, quæ fuerunt in præteritis, & maiores difficultates Maiestatem Vestram in proximis futuris Comitijs manebunt. Nam quod promittit in literis Recessus, quod prius concordiam, nescio inter quos status, finire velit, quàm Reip. negotia exordiatur: hoc sciat certò Maiest. Vestr. quod nunquam perficiet, vt inter Christum & Belial concordia fiat, atq; ita si stare promissis voluerit, nunquam de grauioribus, & magis ad suum officium pertinentibus Regni negotijs tractationem ordietur. Quid autem impedit, quo minus Maiest. Vest. memor illius, quod à Christo dictum est, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: & quis autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. apertè Christum confiteatur, ne si factum ab illa secus fuerit, speciem quandam negantis Christum coram hominibus habere videatur. Cur non apertè dicit? Christianus sum, Christum semel in Baptismo indutus & confessus, Christianis parentibus, auis, proauis prognatus, Christum quem semel confessus sum negabo nunquam, Christianam fidem, quæ iam à 600. annis recepta est in Polonia, quo ad Spiritus hos reget artus, non deseram vnquam, prius vitam cum sanguine profusurus, quam vt illam pro virili mea non tuear & defendam. Quamobrem apagite cum istis fiduciis vestris, nec vobis de me persuadete, quod illas aliquando sim recepturus. Fides non est nisi vna. Quicquid est extra vnam fidem, non fides sed perfidia est. Perfidiam vt ego approbem, absit hoc à me, nunquam faciam. Si quis venit alium Christum prædicans, quam qui prædicatus est 600. annis in hoc Regno nostro: Si quis alium Spiritum accipit, quàm qui tùm acceptus est: Si aliud Euangelium annunciauerit, quàm quod ex illo tempore in hunc vsque diem per longam Episcoporum & sacerdotum successionem nobis quasi per manus traditum est, memores illius, quod à Paulo scriptum est: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, etiam si Angelus fuerit de cœlo, anathema sit: non modò non recipiemus talem, verum etiam tanquàm pestem aliquam auersabimur, & in eum Regni nostri statutorum iuxta iusiurandi, quo sumus obstricti, religionem, executionem faciemus. Quamobrem facessite cum istis nugis vestris, & de rebus ad Regni salutem conseruandam pertinentibus, quæ propius etiam spectant ad nos, cùm de rebus Ecclesiasticis tractandi munus nostrum non fit, deliberatio-

Rex executor est in causa religionis

rationem suscipite. Si Maiestas Vestra ad hunc modum semel tantum responderet, hostibus istis Euangelij publicæque tranquillitatis perturbatoribus hoc illi pro certo polliceri possum, quod multò quietiorem Regni sui statum esset habitura. Fecerat hoc semel Maiestas Vestra in Comitijs nostris Prussicis. Nam cum in ijs quoque Polonizare Nuncij cœpissent, nec ad ea quæ per Nuncium vestræ Maiestatis proposita fuerant, respondere quicquam vellent, nisi prius eis à Christo, & ab eius corpore Ecclesia discessio permitteretur, atque ita nulla conclusione facta ex Comitijs discessum fuisset. Vestra Maiestas quinto postmense, cùm ad festum D. Michaelis Comitia celebrarentur, misit iterum suum Nuncium cum Instructione digna Rege Catholico. monebat enim omnes, ne quam de Religione mentionem inijcerent, neq; sperarent, quod Vestra Maiestas aliquam illius mutationem esset vnquam permissura, vel ab auita Religione discessura. Simul vt hæc dicta fuerunt à Nuncio Maiestatis Vestræ, statim de rebus ab eo propositis habita consultatio, & voluntati Maiestatis Vestræ satis factum est. Vellem, vt inquiri faceret Instructionem istam V. Maiestas, quæ scripta est, nisi fallor anno 1556. est enim digna lectu, & asseruatur in Archiuo Castri Ecclesiæ meæ Heilspergen. diligenter. neque dubito, quin etiam in Cancellariæ Registris Maiestatis Vestræ inueniatur. Mihi dubium non est, si proximis in Comitijs ad eundem modum Maiestas vestra rem ageret, & missis ad minora Comitia Nuncijs, prius in illis omnes hortaretur, vt ne quam de noua aliqua fidicula per Maiestatem Vest. approbanda spem conciperent: quosque miserint ad maiora Comitia Nuncios, eos de Religione sermones aliquos habere prohiberent, verùm de Politicis tantum rebus deliberationem suscipere iuberent. Si Maiestas vestra sic rem ageret, & apertè coram omnibus Christum confiteri vellet, non est mihi dubium, quin eam vicissim Christus confiteretur, & consiliorum eius fœlicem progressum & exitum largiretur. Quandiu verò tale nil fit, atque tolluntur animæ multorum dum pendent expectatione, quid nam sit in proximis Comitijs futurum, Christana fides, an Augustana perfidia sit in eis locum habitura, credat mihi Maiestas vestra, quod nullus est bonus Comitiorum finis expectandus. Negabit illam Christus, si eum apertè confiteri non fuerit ausa, Spiritu consilij & fortitudinis eam destituet, & immittet Spiritum vertiginis, quemadmodũ in superioribus Comitijs factum vidimus. Supplex à Maiestate Vestra peto, ne verecundetur, néve reformidet apertè confiteri Christum, nec ab aliquo quopiam sibi magis metuat, quàm à Christo. Quamuis enim longa nimis est & patiens, & multæ misericordiæ, tamen si quis diuitias bonitatis illius, & longanimitatis contemnat, tarditatem supplicij grauitatè compensat. Multa de eo scribit Lutherus, quam sit metuendus, quamque fortis Diabolus, Et quòd Angelos fortitudine sua superet, & quam sit horribilis. Sed ego dico Maiestati Vestræ, quod fortior est vnus Christus, quam sint mille millia legionum diabolorum omnium. Quamobrem ab illo sibi Maiestas Vestra metuat, non à Sathana, vel à membris eius, illum offendere caueat, illum sibi propitium reddere studeat, nec eos audiat qui dicunt, Vnam Christo, propitius vt sit, Duas diabolo ne noceat offensus, esse candelas accendendas, vt si vnum Christianum in Senatum adlegerit, duos vel tres alios in eundem Bezanos siue Sathanianos cooptet. Impia vox hæc est, à qua merito Christianorum omnium aures abhorrere debent: quam tamen in Regno Maiestatis Vestræ comprimis vsitatam esse scio. Promitto Maiest. Vestræ, & quidem in Dei nomine, cuius quamuis indignus minister tamen sum, Quod si Maiestas Vestra apertè Christum in proximis Cumitijs confessa fuerit, si solum illum reuerendum, si solum illum sibi metuendum esse putauerit, omnemque curam & sollicitudinem in hac vna re defixam habuerit, quemadmodum illum qui meritò peccatis nostris irascitur: propitium sibi reddere queat, quod illi fœliciter omnia sint cessura, tanquam numen aliquod omnes eam pij colent & obseruabunt. Impijs verò Sathanæ ministris, quibus quantò sit contemptui videmus omnes, & ingemiscimus, tantũ terrorem ineutiet, cum viderint solum Deum ab illa metui, nihil vt contra voluntatem illius, vel mutire sint ausuri. Si verò, quod absit, cognouerint Hæretici, quos esse membra Diaboli certum est, & inditabitatum, quod plus ab illo, quam à Christo sibi metuit, & hunc, quam illum offendere mait. horret animus commemorare, quæ sunt ad maiestatem vestram, & ad Regnum eius infortunia, quæ calamitates ex ista Christi quasi negatione peruenturæ. Nec enim illud sibi diutius Christus patietur, quem ego supplex precor, vt misereatur nostri: Illuminet vultum suum super nos, auferat ex oculis mentium nostrarum, qua percussi videmur cæcitatem, & amentiam, vt impendentia peccati nostris mala videamus, deque propulsandis illis cogitationem aliquando seriâ suscipiamus. Deniq; vt conuertat nos à peccatis nostris, ad se solum colendum & metuendum animos nostros inclinet, & sic quam commeriti videmur, auertat à nobis iram suam: quæ certe grauior imminere iam videtur, quam vt in illa continere possit misericordias suas. Verum de his hactenus. Iactatur nescio quid, quasi Maiestas vestra ratas haberi nolit Inducias cum Duce Moschouiæ per Oratores suos confectas, propter contumelias illis irrogatas. Quin hoc immane sit facinus barbari illius Ducis & animaduersione dignum, negari non potest. Verum intereà renunciatur & hoc, quod non Oratorib. V. Maiestatis hæ fuerint irrogatæ contumeliæ, sed hostibus Euangelij Christique, crucis inimicis, qui mendacij CHRISTVM, qui veritas est, arguere non exhorruerunt. Quod si Christianos Oratores Maiestas Vestra misisset, fortasse tale quid non accidisset. Sed quoniam hostes Christi misit, qui multas in Christum blasphemias euomebant. Dux ille, qui se Ghristianum profitetur, pro suo Zelo quo Christi iniuriam sibi vindicandam existimauit, tenere se non potuit, quin in eos tale quid statueret. Quod si res ita se habet, excusationem aliquam factum hoc illius mereri videtur. Quamuis enim & ille Catholicus non est, tamen cum istis hæreticis ad se missis collatus propemodum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Catholicus censeri possit, dignus vt sit cui veniam det Illust. Vestra, si CHRISTVM contumelijs affici, ferre non potuit. & in blasphemos homines durius aliquid consuluit, Cum non Oratoribus Vestræ Maiestatis, sed blasphematoribus CHristi contumelias illas, de quibus queruntur, irrogauerit. Quamobrem supplico Maiestati Vestræ, quæ cum eo pactæ semel sunt Inducíæ, ne velit eas rescindi. Dicitur Lithuania magnam ad vastationem esse redacta, propterea quod à milite, quem tot annis aluerunt, durius quam ab hoste tractati fuerint. Nam qui propugnatores esse debebant, per vim omnia miseris colonis eripiebant, nec eis vel ad victum saltem necessaria relinquebant, vt nec quod seminarent in futurum annum haberent. quin etiam si qui resistere vi factæ conabantur, eos crudeliter occidebant. Iterum atque iterum supplex oro, misereatur miserorum subditorum suorum, nec eos ad internecionem vsque deleri velit. Iam enim diffugisse multi, plures etiam fame dicuntur interijsse, vt propè desolata sit illa terra, de qua procul dubio iam actũ erit, si non dabitur à bellis aliqua requies, vt respirare tñ miseris colonis liceat. Ego verò & hoc Maiestatem Vestram oro & obsecro, vt quoad eius fieri poterit, ab omni bello prorsus abstineat. Nam cum iratum peccatis nostris Deum habeamus, illo grauiter offenso, cũ præsertim de placanda ira eius nihil cogitetur, non est quod fœliciter nobis aliquid cessurum existimemus. Vtinam aliqua gratiora Maiestati Vestræ scribere possim: Sed malo vera quam blanda: malo salutaria, quam quæ sunt auribus iucunda: malo quæ pertinent ad Regni conseruationem, quam quæ sunt extremum interitum allatura. Prouolutus ad genua Maiestatis Vestræ, per viscera misericordiæ Dei, supplex ab illa peto, misereatur afflictæ Ecclesiæ, misereatur ruentis ad interitum Regni sui, misereatur animæ suæ. Quod in hunc vsque diem facere, nescio qua de causa, distulit, tandem aliquando CHRISTVM apertè confiteri coram hominibus incipiat, vt sciant omnes habere se Regem Christianũ ne qui sunt hostes fidei Christianæ, quod quidam ex illis facere dicuntur, suarum illam partium esse gloriari possint. Vnicum hoc remedium ad ea mala, quibus obrui videmur, propulsanda reperio, & ad iustam Dei iram placandam. Quod si Christum apertè coram hominibus confessa fuerit, vicissim & ipse Maiestatem Vestram coram Patre suo, qui in cœlis est, confitebitur, salubria consilia suggeret, nec est Maiestati Vestræ sua gratia defuturus. Si minus, sed tacere malo, nam & dolor me plura dicere prohibet, cum & hæc non sine profusis lachrymis scripserim, Iterum atque iterum oro & obtestor, confiteatur Christum. Aliud quod scribam præterea non habeo, nec video quod aliud impendentibus nobis malis remedium adferri queat. Mussitatur etiam, quod M. V. à Concilio Nationali non abhorreat, scilicet in Polonia viri doctrina pietatéque præstantiores reperiuntur, quique melius causam Religionis tractare possint, quam fuerunt illi trecenti ferè Patres vna cum alijs multis S. Theologiæ Professoribus ex Orbe toto Christiano in Sacro Concilio Tridentino congregati. Iam fortasse decimus annus agitur, quod in Gallijs quoque tentatum tale quid fuit. Persuasum est fœminæ, Papissam vt ageret, & vna cum puero Concilio Nationali præsideret. Quem autem exitum eius rei vidimus? Statim vt Conciliabulum illud absolutum est, bella horrenda sunt exorta, quæ sic regnum illud olim florentissimum afflecerunt, vt vix vllum nunc calamitosius esse videatur. Quæso per DEVM immortalem, quorum exitus perhorrescimus, eorum facta ne velimus imitari. Non opus est vllo consilio. Vnum, vnum tantum est necessarium, vt M. Vestra coram hominibus apertè Christum confiteatur. Fui Secretarius Maiestatis Vestræ aliquandiu, D. verò Parentis illius per multos annos, crebras Instructiones Nuncijs, qui mittebantur ad minora siue particularia Comitia scripsi. Visum est vt nunc quoque scriberem, quandoquidem securim ad arboris radicem positam iam video, si fortè possit aliquod remedium inueniri, ne simul omnes opinione nostra citius pereamus. Eam M. V. mitto. quod visum illi fuerit de ea statuat: nihil autem aliud neque dicere, neque scribere scio, quam vt confiteatur CHRISTVM si vult vt vicissim Christus confiteatur illam. Datum Romæ VII. Octobris.

Exemplum Instructionis Regiæ Maiestatis Nuncijs ad minora seu particularia Comitia mittendis.

CVM S. Maiestas Regia tota sit in hoc, vt quæ videt Regno suo grauiora, quàm vnquam antea, pericula, sic peccatis nostris exigentibus impendere, his maturè obuiam ire, & ea, Deo gratiam suam largiente, propulsare queat, non mediocrem ex ea re dolorem capit. qui mittuntur ex Regni Prouincijs ad maiora Comitia Nuncij difficulter admodum adduci possunt, vt de rebus his, quæ per M. eius proponuntur, quæque pertinent ad Regni salutem, tranquillitatem conseruandam, deliberationem suscipiant: Sed extra chorum, quod est in Prouerbio, plærunque saltant, ac ea nonnunquam in medium adferunt, quæ magis ad accelerandum Regno M. illius interitum, quàm quæ ad imminentia pericula propellenda spectare videntur. Nam ex Comitijs facere synodum, & in his de doctrina Religionis tractari volunt, cum tamen Maiestas illius non semel professa sit, Quod nolit agere Pontificem, & suis contenta limitibus, in alienam messem falcem immittere non cogitat. Habita fuit proximis superioribus annis Oecumenica synodus Tridentina, ad quam & Imperator, & quotquot sunt Reges Christiani Oratores suos miserunt, qui quæ sunt in ea synodo decreta, rata nomine Regum ac Principum suorum haberent, & eis consentientes subscriberent. Quod factum est etiam ab Oratore Maiestatis

iestatis eius, qui fuit missus ad eandẽ synodũ, & itidem vt Oratores alij Decretis illius consentiendo subscripsit. Quod si quis aliqua de re ambigeret, si quem scrupulum haberet, si quid emendationis in doctrina Religionis indigere censeret, ad eam synodum proficiscendum, ibi dubitationes omnes proponendæ, inde salubris doctrina petenda fuit. Nunc autem postea quàm semel Maiestatis eius Acta, Decretáque Concilij illius, non solum per Oratorem suum ad illud missum, verumetiam ipsa per se, cum per Illustrissimum Cardinalem Comendonum S. Sedis Apostolicæ Legatum illi in Conuentu Parcuien. fuissent oblata, recepit & approbauit: non est fas illius maiest. vel nouam synodum instituere, quæ schismatis cuiusdam speciem haberet, vel nouam doctrinam Religionis Patribus nostris ignoratam, imò cum illorum dogmatibus ex diametro, quod aiunt, pugnantem acceptare aut calculo suo approbare, cùm nullum vnquam Regem aut Imperatorem Christianum, qui modò Catholicus censeri vellet, aliquid eiusmodi factitasse legamus: quin illi post peractam synodum cessare iusserunt omnem profanam contentionem. Nam verè impius, aiunt, & Sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ tractandum aliquid relinquit. Nollet Maiestatẽ eius inter impios & sacrilegos numerari. Quin & hoc addunt Imperatores illi: Extremæ dementiæ est, in medio & perpetuo die cõmentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium quærit. Nollet Maiestas eius, quando quidem veritas in sacro Concilio Tridentino semel est reperta, quod est extremæ dementiæ mendacium quærere. Quamobrem & hoc prohibuerunt Imperatores illi, ne quis vel Clericus, vel militaris, vel alterius cuiusliber conditionis de fide publicè tractare conaretur in posterum. Iniuriam enim aiunt, facit Reuerendissimæ synodi iudicio, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere & publicè disputare contendit: graues etiam pœnas in eiusmodi sanciunt. Horum itaque pientissimorum Imperatorum vestigijs incedere vult Maiest. illius, nec est, quòd quisquam existimet, quod S. Oecumenicæ synodi Tridentinæ Decretis discessura sit vnquam. In illis acquiescit, in illis etiam Imperio suo subiectos acquiescere vult omnes: Christianum se Maiest. eius esse profitetur. CHRISTVM in Baptismo semel induta est, & confessa: Christianis parentibus, auis, & proauis prognata, Christum, quem semel confessa est, negabit nunquam. Christianam fidem, quæ iam à 600. annis in Polonia recepta est, quoad Spiritus artus illius rexerit, non deseret vnquam, prius vitam cum sanguine suo profundere parata, quam ab ea se dimoueri patiatur. Si quis aliud sibi de Maiest. sua persuadet, toto, quod aiunt cœlo, errat. Nec enim ignorat Maiestas eius, quod fides non est, nisi vna, & quicquid est extra fidem vnam, non fides, sed perfidia est. Absit autem vt vllam perfidiam vel Caluinianam siue Bezanam, vel Lutheranam & Augustanam, aut quamcunque tandem aliam approbare Maiest. illius velit. Omnia prius & facere, & pati parata est. Quamobrem si quis venerit, alium CHRISTVM prædicans, quam qui prædicatus est. 600. his annis in Polonia: si quis alium Spiritum accipit, quàm qui tunc acceptus est, & nunc etiam apud Catholicos retinetur: Si aliud Euangelium annunciat, quam quod ex illo tempore, quo primum CHRISTVS in Polonia prædicari cœpit in hunc vsque diem, per longam Episcoporum & sacerdotum successionem, quasi per manus nobis traditum accepimus. Maiestas illius memor eius, quod à Paulo scriptum est, si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, etiamsi fuerit Angelus de cœlo, anathema sit: non modo talem non recipiet, verumetiam tanquam pestem aliquam auersabitur, & in eum Regni sui statutorum, iuxta iusiurandi, quo se semel obstrinxit, religionem, executionem est factura. Quamobrem etiam atque etiam hortatur D. Vestras Regia Maiestas, quin & serio mandat, vt ne quis de noua aliqua fidicula condenda cogitet: Sed in ea, quæ vna & sola est, prisca fide, acquiescat, Fremant licet omnes inferorum portæ, nunquam faciet Maiestas eius, vt velit esse paruulus fluctuans, & se circumferri omni doctrinæ vento permittat, sed quod semel à maioribus traditum accepit Euangelium, ab eo se in aliud transferri nunquam patietur. Dei auxilio fræta Maiestas eius, consistet firma in lapide angulari CHRISTO, in quo ædificata est in habitaculum Dei in Spiritu Sancto: continebit se in arca, ne pereat regnante diluuio: manebit in Petri nauicula, ne fluctus eam absorbeant: perseuerabit in ouili Ecclesiæ, ne quod alijs euenisse videt, fiat præda lupis. & vt idem seruetur à subditis suis omnibus, modis omnibus contendet & elaborabit. Habemus in symbolo nostro, quod à nobis quotidie recitatur, vnum articulum, in quo cardo propemodum fidei nostræ vertitur. Profitemur enim nos credere S. Catholicam Ecclesiam: Hanc Regia Maiestas, quemadmodum ore confitetetur, ita corde quoque credit, illi se permittit, illam audit, illam secundum Deum ipsum veneratur: quæ de diuinis præscribit, sequenda: quæ prohibet, citra dubitationem vllam esse fugienda censet. Quam cum Ducem sequitur, errare se non posse, certò persuasum habet. Scit eam regi spiritu veritatis manente cum ea in æternum: Scit, quod cum ea se futurum vsque ad consummationẽ sæculi CHRISTVS promisit. est enim corpus eius à quo nunquam caput diuellitur: quam qui non audiuerit, eum CHRISTVS, tanquam Ethnicum & Publicanum haberi iubet. aduersus quam ne portas inferorum quidem præualituras dicit. Quam Apostolus Christi firmamentum & columnam veritatis appellat, vt eam errare sit prorsus impossibile. Quamobrem ab hac se diuelli Maiestas eius nunquam patietur: Sed in ea & pro ea mortem etiam ipsam oppetere erit parata. Nec autem illud ignorat Maiestas eius, quod nulla est secta tam ab omni veritate pietatéque remota, quæ non sibi nomen Ecclesiæ tribui velit. Sed interim & illud procul dubio vos non latet, in quot sectas mirabiliter inter se dissectas dissecti sunt, qui à Romana Ecclesia, cui à 600. annis Regnũ hoc adhæsit, sese præciderunt: vt si nullum aliud, vel hoc solum abunde magno documento esse queat, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud illos docetur, non DEI verbum, verùm diaboli verbum esse. Deus enim noster non diuisionis neque dissensionis, verum pacis & dilectionis Deus est, Contra, qui diuidit inter fratres, sicut à Propheta scriptũ legimus, Diabolus est. Nil est eò verius quod ab illo S. Rege & Propheta dictũ est, Errauerũt ab vtero, locuti sũt falsa. Posteaquã ab vtero Ecclesię in qua nati vel potius renati sunt quidã, errare cœperunt, veritatẽ omnẽ, quæ nusquã alibi, quã in Ecclesia reperitur, amiserunt: Et ita multa sunt falsa locuti, nullus vt errorũ, in quos inciderunt, postea finis reperiatur: cũ interim in ea Ecclesia, quã agnoscit Regia M. magnus doctrinæ consensus, & vna sit fides omnium. Non dubitat Regia Maiestas, quin sint inter nos non pauci, qui Germaniæ, & aliorum quorundam Regnorum statum satis exploratum habeãt. nihil tam dicit Maiestas eius de Trideistis & Anabaptistis, quos nonnulli solos hæreticos esse censendos & ex Regno proscribendos existimant, de magistris eorum loquitur nihilo suis discipulis melioribus Lutheristis & Caluinistis, quantum inter ipsos mutuũ sit odium, quales de se inuicem sententias pronunciant, quemadmodum vtrique alteros hæreseos condemnãt, & de suis cœtibus eijciant, aliquibus vestrum obscurum proculdubio non est. Lutherus quidem Caluinistas siue Zuingliistas vocat Sathanæ ministros, mẽdaces, imo ipsum mendacium, fucum & simulationem, nullam se dicit vnquam turpiorem hæresin legisse, quam ea sit. Et monet suos, vt ab eorum libris haud aliter, quam à Sathanæ veneno sibi caueant. Negat cum eis esse disputandum, expressa Christi verba Christi verba negantibus, neque stylo, sed sceptro magistratus eos refutandos esse docet: quin etiam ne quis receptus detur in suæ sectæ Ciuitatibus prohibet, Quod nunc etiam in Saxoniæ Ciuitatibus quibusdam obseruari scimus. Hoc est Lutheri de Caluinistis siue Zuingliistis iudicium, Caluinus contra quibus Lutheristas probris non afficit? Sic eos dicit errore suo fascinatos, vt quod pueris in Catechismo traditur, veterani Theologi non teneant, Quid valeat Cœna, quorsum spectet, nunquam gustasse brutos istos homines: ne guttam quidem ingenui pudoris in eis esse, nimis largam illis copiam cauillationum profluere, dum Lutheri sui hyperbolas proijciunt, modò plebeculam suosque fratercul os fascinent: popularis theatri plausu contentos, nec Dei, nec Angelorum iudicium magnoperè curare. Tribuit illis furiosum impetum, nugatoriam leuitatem, cœcam temulentiam, canam improbitatem, diabolicam superbiam. Quod eis superbia sit loco pietatis. Quod eos ferocitas omni humanitate spoliauerit, Quod obstinatio nil moderaminis reliquum fecerit. Vocat eos vertiginosos homines, Cyclopes, superbam factionem Gigantum, latratores, phreneticos, bestias, proternos, fastuosos, pertinaces. & alijs id genus coloribus depingit. Hic vident D. Vestræ. quod sit harum duarum sectarum vtriusque de altera iudicii quin autem rectè iudicet vtraq; Regiæ M. dubiũ nõ est. Quo magis miratur Miest. eius, nõ deesse quosdã, qui spargant in vulgus, esse conciliationẽ quandã vtriusq; doctrinæ factã, cũ id à veritate longissime sit remotũ. Et quantum distet inter Augustanam atq; Tiguri-nam vel Geneuen. vel Valden. Confessionem, palam sit omnibus, quanquam nec ipsa Augustana Confessio, quam nonnulli, quibus rectè dici potest, Nescitis quid petatis, concedi sibi postulant, eiusmodi est, vt sibi satis constare videatur. Habitum est non ita pridem Aldenburgi Colloquium inter ipsos Lutheranos, quorum Flacciani alij vocantur, alij Philippiani vel Eberiani. Obiectum fuit Philippo, quod adulterasset eam Confessionem, quæ data fuit August Cæsari anno .30. quod quædam in eo mutasset, nonnulla addidisset, plæraque detraxisset. Itaque totum doctrinæ corpus Philippi reiectum est à Flaccianis, & multorum errorum condemnatum. Neque verò negarunt Philippiani, quod præceptor eorum in aliquot locis mutauerit in posterioribns editionibus, eam Confessionem quæ fuit Augustæ oblata Cæsari Carolo anno 30. sed eum eius rei potestatem habuisse, quandoquidem ab ipso conscripta fuit, cum præsertim ea, quæ Cæsari fuit oblata, in Manichæi videretur hæresim inclinare. Hæc superiore anno sic acta sunt, vt ab his Theologis, qui sũt sub Guilhelmo Duce Saxoniæ, condemnaretur ea Confessio, quæ posterius edita fuit à Philippo. Ab his verò, qui sunt sub Augusto Electore, condemnaretur ea, quæ fuit oblata Cæsari. Cum igitur vtraque Confessio sit ab ipsis hæreticis Lutheranis condemnata, quid est, quod à nonnullis tanto studio laboratur, vt quod sui muneris non esse iubens fatetur Regia Maiestas, recipiatur & approbetur? Quæ fuit oblata Carolo Cæsari, Manichæi hæresim Spurcam admodum sapere Philippianis videatur, contra quam postea correxit Philippus, vel, vt Flacciani loquuntur, deprauauit eam. Flacciani vocant ocream siue calceum Polonum. Et erit quisquam, qui se persuadere se posse R. Maiestati putet, vt illum articulum ex symbolo Apostolorum deleat, Credo Sanctam Ecclesiam Cathlicam & in illius locum scribi iubeat, Credo fœtidam ocream vel calceum Polonum. Quæso considerent secum D. V. quales hæ sint nonnullorum contentiones. Simul & illud perpendant, quam verè dictum sit à Regio Propheta: Errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa simul vt aberrarunt isti homines ab vtero Ecclesiæ matris suæ, in quos errores progressi, in quas sectas miserandum in modum dissecti non sunt? Nihil est errore fœcundius, cum interea verum non sit nisi vnum, necalibi reperiatur quam in vna S. Catholica Apostolica Ecclesia. In hac itaque regia Maiestas ad extremum vsque vitæ suæ diem perseuerare deliberatum habet, nec ab ea se deduci cuiuscunque tandem peruasionibus vnquam patietur. Quod vt V. D. quoque faciant, Maiestas illius hortatur & monet: quosque miserint ad Comitia Nuncios, eis omnibus modis interdicant, ne quibus alijs quam de Politicis rebus deque rationibus, quibus impendentibus periculis obuiam veniri possit, deliberationem suscipiant, neque sibi de causa Religionis iudicandi partes vllas sumant. Quibus autem de rebus tractari velit Regia Maiestas, in his Comitijs maioribus breuibus accipiant Staniſlao

Lutheri de Zuinglianis iudicium.

Caluini de Lutheristis iudicium.

Staniſlao Barzij Palatino Cracouienſi. Epiſtola CXXXV.

Gratulatur illi Palatinus dignitatem, & vt Bezæ Synagoniſtas profligandos curet, hortatur.

QVO mihi perſpectior eſt Dom. Veſtræ in fide Chriſtiana zelus & conſtantia, quam nunc à multis reiectam, tanquàm vetulam, rugoſam, & obſoletam, & in eius locum iuuenculam quandam perfidiam Bezanam, quæ lingua noſtra vulgari Bieſovva vviarka rectè dici poteſt, receptam videmus & ingemiſcimus: hoc maiori ſum lætitia perfuſus, cùm quod ardentibus votis expetiui, id nunc ſingulari Dei beneficio factum eſſe tandem audio, vt in qua Ciuitate primùm lucem hanc aſpexi, eius Palatinum & Præfectum D. Veſtram, à Sereniſſimo Rege & Domino noſtro renunciatam videre liceat. Cuius Maieſtatis iudicium, non poteſt à pijs omnibus non probari plurimum. Quod & ego datis meis ad illius Maieſtatem literis commendaui vehementer, & haud aliter illi gratias hoc nomine egi, quàm ſi mihi ipſi magnos aliquos honores detuliſſet. Neq; verò tam D. Veſtræ munus hoc, quàm patriæ noſtræ gratulor, quæ cùm annos aliquot grauiter admodùm hæreticorum tyrannide fuerit oppreſſa, iam tandem futurum ſpero, vt ei reſpirare liceat. Nam quòd ad ipſam attinet D. Veſt. etiamſi hoc inſigne ſuæ virtutis conſecuta non fuiſſet, non propterea tamen minus clara fuiſſet & Illuſt. futura, cum nomen illius propter multa præclara Dei munera, quibus affatim D. V. cumulauit, cumprimis apud oẽs celebre ſemper fuerit. Sed quod exercendæ ſuæ tam illuſtris virtutis materiam nũc ſit conſecuta, hoc eſt, quod ego magna gratulatione mihi proſequendum eſſe putaui. Magiſtratus, aiunt, virum indicat. Nunc qui ſit vir D. V. manifeſtum Orbi faciet vniuerſo: nec enim proculdubio piorum expectationi de ſe non reſpondebit, qui futurum omninò perſuaſum habent, vt auferat de Iuda, hoc eſt de Eccleſia verè Deum confitentium, Lukos, Lukiskos & Svvavvolas, quas proximis ſuperioribus annis propè Cracouiam, atq; vtinam non in ipſa etiam Cracouia exortas videmus: & excelſa deſtruat. hoc eſt, altitudinem illam hæreticorum extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, qui ſic inflati ſunt ſenſu carnis ſuæ, vt iam non contenti ſint eſſe ſimiles altiſſimo, ſicut Cherub. ille, qui ſibi valdè catus & prudẽs videbatur, & propterea detractus eſt in profundum laci: verumetiam ſupra altiſſimum eſſe velint, dum de altiſſimi, hoc eſt Spiritus ſancti Decretis in Concilijs, quæ legitimè illo ſuggerente congregata ſunt ſancitis iudicandi, quin & ea reijciendi ſibi poteſtatem arrogant, vt hanc eorum altitudinem deſtruat, vt auferat hæc eorum excelſa ſimul cum Lukis, Lukiskis & Svvavvolis, in quibus etiam nouas quaſdam ſepulturas elegiſſe ſibi dicuntur, vt iam nihil habere velle cum Chriſtianis Patribus, auis & proauis ſuis commune videantur, vt etiam Deum ipſum Patrum noſtrorum prorſus abijciant, & loco Chriſti Antichriſtum adorent, aut ſaltem plures Deos, aut plures Chriſtos, quàm vnum colant. Legi nuper Colloquium, quod eſt habitum Aldemburgi, multis in locis coniungi vidi verbum Dei & Lutheri, Deus & Lutherus, Chriſtus & Lutherus. Quæ poteſt eſſe minus toleranda blaſphemia, quæ maior Idololatria, q̃ ſit hæc? Scilicet iam duos Deos, duos Chriſtos habent iſti, qui dũ de Confeſſione Auguſtana litigant, & magna quadam animorum acerbitate mutuò ſe inuicẽ condemnant, & excommunicant, vtramq; tandem Confeſſionem, & eam quæ fuit oblata Carolo V. Cæſari 40 ab hinc anno, & eam quæ poſtea, ſicut Flacciani dicunt, per Philippum deprauata fuit & adulterata, fœdæ cuiuſdam hæreſeos arguunt. Quin autem hac quidẽ in re verè ſentiant, ex vtraq; parte dubitandũ non eſt. Nam ſunt verè Hæretici vtriq;, tã Flacciani, q̃ Eberiani: nam hæc inuicem ſibi nomina tribuũt. Hæc igitur excelſa demoliri, quæ pietas eſt D. V. & miniſtros eorum quoad eius fieri poterit, ex omnibus Præfecturæ ſuæ locis, præcipuè verò ex ea Ciuitate, quæ Regni totius caput eſt, exterminare conabitur proculdubiò. Certò ſibi perſuaſum hoc habeat, q̃ nullum offerre Deo ſacrificium gratius poterit, q̃ ſi in exterminandas iſtas peſtes, præſertim à Beza ſuperioribus annis ſubmiſſas toto pectore, quod aiunt, incubuerit. Nam ab illis hæc Bieſovva VViarka profecta eſt, quã in proximis ſuperioribus Comitijs obtrudere M. Regiæ, quidã ſunt conati. Sed & Regiæ M. gratiã ea re ſibi demerebitur, quæ „proculdubiò munus hoc ob eam cauſam potiſſimũ D. V. mãdauit, vt habere poſſit eorũ, quæ ſanctè per ſe decreta fuerũt, extremũ executorẽ. Nec enim ignorat D. V. Quòd ante quinquẽniũ in Comitijs habitis Parcouiæ decretũ fuit, p̃ſente etiam S. Sedis Apoſtolicæ Legato, qui Decreta Concilij Tridẽtini R. M. cùm obtulerat, vt ſi minus alij, ſaltẽ externi miniſtri pellerentur ex Polonia. Sed cùm, q munus hoc, qð nunc eſt D. V. mandatũ, anteà gerebat, non ſolũ executor eſſe tam pij Decreti recuſaret, verumetiã impiorum Sathanæ miniſtrorum, eorũ præſertim, qui ſunt à Beza miſſi, protectionem ſuſciperet, & eos in familiaritatẽ ſuam reciperet magna cum R. M. & gentis noſtræ totius infamia, in ſpongiam, ſicut ille quondã dixit, hoc Decretum incubuit. Quòd ſi nunc exequendum D. V. curauerit, & ſaltẽ Synagoniſtas à Beza miſſos, ſi nõ poteſt alios ex his locis, in quibus Præfectũ agit, eiecerit, magnã ea re nomini ſuo laudem comparabit: ſummã & apud terreſtrẽ & apud cœleſtem Regem ſibi gratiã conciliabit. Petiuit aũt hoc magna contentione ipſe Beza à M. R. vt oẽs externos miniſtros iuxta Decretum à ſe Parcouiæ factum, quod etiã in cœlũ laudibus vſq; fert, ex Regno ſuo proſcriberet, quin & me grauiter hoc nomine reprehendit: quod ego Maieſtati illius, ne faceret, ſuaſerim, quod falſiſſimum eſſe conſtat. Nam in eadem ego quoq; fui ſemper & nunc ſum ſententia: Supplex etiam ab illius Maieſt. petiui, vt illud Sanctum Decretum executioni mandaret, & ab iſtis Synagoniſtis

Hæreticorum in Polo. delubra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

à Beza missis exordium sumeret. Quamobrem prompta semper fuit illius Maiestatis voluntas, verùm quo ministro rectè vti posset in eiusmodi executione facienda nõ habebat. Quę posteaquàm nacta nunc est, bona spe sum, quòd D. Vest. quæ sunt officij sui, facere non prætermittet, nec fallet eorum expectationem, quam omnes pij de illius in fide Christiana tuenda zelo conceperunt. In quod studium tanto maiore cura incumbet, quandoquidem & hoc obscurum illi non est, quantas calamitates florentissimo quondam Galliarum Regno Bezana hæc perfidia, quam nunc malè feriati quidam in Patriam nostram inducere conantur, attulerit. Scelestiorem hominem vix vnquàm terra produxisse videtur. Nihilominus eò multos amentiæ perductos esse cernimus, vt quod ab hoc impurissimo homine dicitur, vel scribitur, id esse purissimũ Dei verbũ sibi persuadeant, & alijs quoq; persuadere conentur. Fœlicè aiunt esse, qui sapit alieno periculo. Certo periculo Gallorũ sapere nos quoq; iã tandẽ oporteret: qui sicut Pontificẽ & Episcopos de Cathedra sua deturbare, & alios in eorum locum Superintendentes eligere conati sunt: sic non ita multò pòst Regem etiam suum, sumptis contra eum parricidialibus armis, de solio suo deijcere contenderunt: & sicut anteà Cathedram contra Cathedram constituere, sic posteà sceptrum contra sceptrum erigere veriti non sunt, alio sibi Rege in superstitis, cui iureiurando fuerant obstricti, Regis locum constituto, quem Ludouicum XIII. appellari voluerunt. Quæ res tantam illi Regno malorum Iliadem attulit, vt vix vllo sermone satis consequi liceat. Et quid horum omnium Beza fons & caput & malorum? Quamobrem quanti facit communis Regis & benefactoris nostri dignitatem, communis nostræ etiam Patriæ salutem & vtilitatem, quanti denique Christum ipsum facit communem Deum ac Dominum nostrum, quem isti, qui sunt Biessoueij VViarkij arguere mendacij, & plurimis afficere blasphemijs non dubitant: tantùm contendat & elaboret, vt si minus alios multos, saltem pestes istas à Beza submissas ex Præfecturæ suæ locis, arceat, nec eos virus suum cuiquam afflare permittat. Quod si fecerit, non solùm à Regia Maiestate, cuius id plurimum interest, verumetiam ab illo, qui Rex est Regum, & Dominus Dominantium, huius tam præclari facti sui mercedem accipiet, nec in hac vita tantùm, verùm & in illa, ad quam aspiramus omni fœlicitatis genere cumulabitur. Romæ 16. Decemb. M. D. LXX.

Aloisius Cardinalis Cornelius, Card. Varmien. Epistola CXXXVI.

Offert vsum villæ suæ de Monte.

TAntã est Amplitudinis tuæ dignitas, vt nulla obseruantiæ & cultus officia ei pariã præstari posse existimem: rursus tanta animi tui moderatio, vt illa etiam magnã ducas & laudibus efferas, quæ leuissima sunt, neq; possunt sine graui culpa præteriri. Quare aut de præstantia virtutum, quod fieri non potest, aut de modestia, quod concedunt omnes, minuas oportet. Alioquin si te audiamus, vel summam tuam virtutem, vel nostras partes nos ignorasse arguemur. Nunc autem tantum abest, vt nimis liberaliter isthic sis acceptus, vt etiam sim veritus, ne hospitium istud, vt nimis tenue, refugeres. Fateor tamen lautiorẽ apparatum studiosè à me prætermissum esse: volui scilicet villam meam, non vrbanis, sed suis tantum bonis se tibi commendare: hoc est, loci amœnitate & salubritate, latissimo & pulcherrimo prospectu, addo etiam ficedulis, boletis, quæ à te postremo, vel potius nullo, à plærisq; primo loco habẽtur. Itaq; si mihi rem maximè gratam facere cupis, peto à te, vt isthinc te ne commoueas, antequam amissas vires omninò recuperes, atq; ego ad te veniẽs, tanquàm Mædicus tuæ valetudinis studiosissimus, te benè valere, possim iudicare. Debebo tibi plurimum hoc nomine. Spero enim cœlum istud tibi non solùm leuationi, sed etiã saluti fore. Id si erit vt confido, ego certè villam tu me etiã fortasse plus amabis. Vale, & te nobis tui cupidissimis, & Christianæ Reip. conserua. Romæ 3. Cal. Octob. M. D. LXX.

Aloisio Cardinali Cornelio. Epist. CXXXVII.

Respondet ad superiores literas.

ACcepi literas Illust. D. V. verè Romana lingua scriptas, qualis in vsu fuit ante 1500. & amplius annos. In quibus non solum stylum purissimum, verùm & humanitatem illius temporis, animiq; magnitudinem perspexisse mihi videor. Nam quamuis & nunc magna sit & excellens quædam Romanorum humanitas animus, etiam excelsus: maior tamen fuisse priscis illis sæculis existimatur. Multa mihi tribuit Ampl. tua, quę si agnoscerem, parum pudens & prudens iudicari possim. Sed & ego me potius indignum agnosco, quem tot humanitatis officijs prosequatur: cùm præsertim nulla mea fuerint vnquã in Ampl. tuam officia siue merita. Promptus tamen animus de illa benè merendi, nec anteà defuit, nec mihi etiam deest, modò detur occasio. Non solùm imminuit quicquam, quem admodum petieram de liberalitate sua, verùm auexit eam etiam, xenijs quibusdam ad me missis, quæ mihi gratissima acciderunt. Ego verò quando sic illa iubet, vtar hac illius munificentia, & dies hic adhuc aliquot commorabor, Tybur posteà profecturus. Nam eo quoq; sum ab Illust. Domino meo Cardinale Ferrariẽsi inuitatus. Dabitur autem à me opera, vt quæ plena manu, quod aiunt, confert in me beneficia, eorum gratum & memorem esse me, deinceps etiam semper futurum intelligat. Quod si dabitur aliqua referendæ gratiæ potestas, nihil est quod fecero libentius: sin minus, omni tamen obsequij, seruitutisq; meæ genere, officium hoc illius compẽsare conabor, eum diem cumprimis hilarem sumpturus, quo fuerit eius rei aliqua mihi occasio oblata. Interim hoc ab illa peto, vt me inter eos numeret, quos habet sibi seruitores addictissimos, quorum ego nemini fide, & inseruiendi alacritate concedam. Datum vltima Septem. Monte.

Aloisio Cardinali Cornelio. Epist. CXXXVIII.

Agit gratias pro præstitis officijs, & consolatur de noua accepta calamitate.

REddidit mihi Paschalis, qui me Paschaliter hic tractat, literas Illust. D. Vestræ, summa humanitate refertas, quas etsi maluissem ab illius Cancellario scriptas fuisse, paruo quidem illo corpore, sed ingenio scribendiq; Latinè facultate magnis etiam cum viris comparando, quoniam tamen id ab ea propterea factum interpretor, vt ad me vulgari lingua scriberet, vt quemadmodum à me Paschalis latinam, sic ego vicissim ab Illust. D. V. vulgarem linguam discerem, hoc illius officium non potest mihi non esse valdè gratum, nisi quòd ingrauescens hæc ætas mea, minus est apta ad linguas perdiscendas, quam Paschalis: vt omninò mihi persuadeam, eum in latina multò maiores progressus facturum, quàm ego possim in vulgari. Verùm ad rem redeo. Quòd D. V. tam se mihi præstat humanam, benignam, & liberalem, quibus verbis parem illius meritis gratiam referre possim, non habeo, hoc tantùm, vt sibi certò de me persuadeat, maiorem in modum ab illa peto, non esse quenquam cui concedere velim, vt se magis D. V. debere cognoscat, magis etiam gratam & memorem voluntatem illi præstare conetur, quàm ego sum, & ero deinceps, etiam quoad spiritus hos reget artus. Quamobrem quiduis mihi iure suo præcipiat licebit, quicquid ad seruitorem addictissimum Illust. D. V. pertinebit, in me nullum vnquàm officium requiri patiar. Quoniam autem ex Paschali cognoui, proximis superioribus diebus iterum nouam quandam luctus causam accidisse, consolatorias ad Illust. D. V. darem, nisi propter fortem & excelsum illius animum, qui casus istos humanos despicit, ac pro nihilo ducit, certò mihi persuaderem, eam consolationis meæ non indigere: quin hoc tantum animi robur, quod in illa multorum laudibus audio prædicari, gratulatione potius mihi prosequendum esse duxi: Dixit vir ille sapiens, Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore Vrbium. Virum fortem intelligit non eum, qui vulgi iudicio fortis est, qui facilè cuiuis discrimini vitam suam offert, & animo quodam imperterrito telis hostium suum caput obijcit, sed qui ferre potest moderatè casus humanos, qui nõ succumbit doloribus, qui dominatur motibus animi sui, & illius perturbationes sub rationis Imperium subijcit: eũ multò præstantiorem, & omni laude digniorem esse iudicat, vt quamlibet magnos triumphos deuictis hostibus reportaret, non perinde gloriosum esse ducat: atq; si quis animi sui affectiones in potestate sua semper habeat, nec ab illis vinci se patiatur, verùm ipse potius imperium in illas obtineat. Hanc igitur gloriam, quæ sola vera gloria dici potest, hanc fortitudinem, cum qua quæuis alia collata nihil minus est quàm fortitudo, hunc excelsum animum, qui se nullis perturbationibus de statu suo deijci patitur. Illust. D. V. gratulor, ac vt illi perpetuum atque diuturnum tale mentis robur esse velit, precor & opto, quamuis illud ardentioribus etiam votis apud Deum obtinere cuperem, vt quem ex continuatis suorum funeribus, & alijs multis rebus aduersis, toto hoc vertente anno mœrorem non capere non potuit, eum in sequentibus annis, quemadmodum olim D. Iob insperata lætitia, rebus ad voluntatem fluentibus compensare velit, ac in multos annos eam incolumem & fœlicem conseruet. Datum 4. Octob. Montec. M. D. LXXI.

Aloisius Cardinalis Cornelius Card. Varmien. Epistola. CXXXIX.

Excusat se quòd vulgari lingua literas scripserit & pro consolatione agit gratias.

QVòd ad superiores literas Amplit. tuæ nõ latinè est rescriptum, id verò nostræ vernaculæ linguæ scito à me esse tributum, quæ cùm videret latinam apud te quidem propter excellentem tuam doctrinam apud plerosq; verò tua etiam causa in summo honore esse, se contra iacere, neq; sibi licere ad te aspirare: egit mecum vt curarem, vt sià tuo diuino ore ab auribus saltem ne excluderetur, ego autem feci non inuitus, vt eius vocem in meis literis audires, quemadmodum in nostro familiari sermone solebas: vt quoniam te nos tuaq; omnia diligimus, colimus, tibi quoq; si fieri posset, nostra placerent atq; in studio essent. Ac quando Cato ille summa senectute Græcam linguam didicisset, facilius hanc nostram à te, quàm Latinam à Paschali cognosci posse sperabam. Verùm tu ætatis excusationem maluisti Latinæ discipulos, quàm habere magistros vernaculæ. Hoc magisterium si non recusas, nos quoq; illam amplectemur, pusillusq; Cancellarius nimis liberaliter à te laudatus, vt tibi morem gerat repetet stylum intermissum. Nunc quod meum in Ampl. tuam studium & obseruantiam tanti à te æstimari video, quãtum ego magis optare, quam postu-

lare ausim magnoperè lætor, teq; amo hoc nomine plurimum: est omninò singularis tuæ humanitatis, hominum in te voluntatem potius, quàm facta ponderare: attamen sic tibi persuadeas vehementer velim, quò magis nostra officia non esse tuæ dignitati paria intelligo, eo quæ à me in Ampl. tuam proficisci possunt paratiora ac promptiora semper futura. Quod ego me tum præstantissimis tuis virtutibus, tum etiam beneuolentiæ in me tuæ debere existimo, cuius quantam significationem proximis literis dedisti, cùm me de recenti fratris casu es cõsolatus, sic habeto hoc tuo officio nullum mihi oportunius neq; gratius potuit accidere, etsi. n. publicas & domesticas clades æquo animo ferre enitebar, cogitans humanarum rerum imbecillitatem varietatemq; fortunæ, tamen ab ea fortitudinis & patientiæ laude, quam tu mihi tribuis longè aberam, siue subita fortunæ mutatione consternatus, siue calamitatum multitudine ac magnitudine debilitatus. Nunc à te saluberrimis & sapientissimis remedijs ita sum confirmatus & erectus, vt non modò humanos casus & fortunæ impetus sim laturus fortius & alacrius, sed etiam vt tu idem sanctissimi & patientissimi viri exemplo amicissimè ominaris, spem bonam habiturus, quam quidem (si tua precatio accesserit) à Domino, qui multa in amicorum gratiam solet concedere comprobatũ iri nõ despero. Reliquum est vt nos sicuti humanissimè facis, ames: ista amœnitate, ac meis rebus, vel potius tuis quæcunq; possunt vsui, aut voluptati diutissimè fruare, hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale Venetijs 3. Cal. Octob. M. D. LXXI.

Laurentio Magio Societ. Iesũ Prouinciali. Epistola CXL.

Quòd Lutherani non sint Christiani, de Actis Elbingensibus edendis, & de Saxonia ad vnitatem Ecclesiæ reducenda.

DVos terniones ad me missos legi, quos non potui non probare. Magno videtur hic liber vsui futurus. Palinodias Quadrantini non displicere gratum est: sed illud molestum, quod in fronte libelli pro Christianus scriptum est Catholicus. Nam videbatur ea vox emphasim esse maiorem habitura, si diceretur sicut à Quadrantino dictum est: fui, proh dolor, Lutheranus, factus sum per Dei gratiam Christianus. Qua de re expostulaui etiam cum Cholino. Nam certum est Lutheranos non esse Christianos, quãdoquidem aliundè, quàm à Christo nomen ducunt, & ab eius corpore se per summum sacrilegiũ præciderũt. Sed Cholinus vestram Societatem authorem sibi fuisse scribit, vt pro Christianus poneretur Catholicus, quod mihi mirum accidit. Videntur enim indicare, quòd pro fide Christiana nondum ad sanguinem vsq; certare sint parati. Res Elbingi gestas ædere non est adhuc satis tempestiuum, nam citra magnorum offensionem ædi non possunt. Melius est quòd epistola verecundetur, quàm author periclitetur. Qui tamen Dei fretus auxilio periculum adire non recusaret, si quem ex ea re fructum ad Ecclesiam Dei redundaturum speraret. Sat citò aiunt, si sat benè. Literarum ab Hæretico scriptarum exemplum legi lubens. Multa cum S.D.N. superioribus diebus de reducendis ad ouile Christi, qui primi se nostro tempore segregarunt VVittembergen. egi: cùm præsertim hoc ipsorum inter eos dissidiũ, nõ exiguam spem adferre nobis videatur futurum, si quid à nobis agi cœptum erit, vt quẽ optamus exitum consequatur. Fuit mentio de mittendis aliquibus ex vestra Societate, sicut saxa gustarunt Elbingen. sic vt saxa gustarent Albingen. & vtra minus dura sint posteà iudicium facerent, nisi quòd qua ratione id perfici posset, ambigebatur. Multus fuit sermo de Catholicæ Maiestatis Oratore, cuius pietas & zelus in Catholica fide tuenda singularis mirificè prædicatur ab omnibus. Ille cum Cæsarea M. rationem inire posset, qua tuto vobis ad saxeos istos homines penetrare, & eorum saxa gustare liceret. Verùm hac de re quæsit P.V. sententia, quandoquidem à VVittemberga minus longè abest, certior ab illa fieri vellem. Poterit ea de re cum S. Sedis Apostolicæ Nuncio, & cum Catholici Regis Oratore consilia conferre, simul diligẽter explorare: quid agatur inter saxeos istos homines, & quę sit spes eos ab erroribus reuocandi. Qua de re si crebrius ad me scripserit, magnum operæ pretium fecerit. Nam cum S.D.N. communicabuntur omnia, & ratio inibitur, qua, quæ cogitamus, ad optatum exitum perducere queamus.

Lutherani non sunt Christiani.

Laurentio Magio Societatis IESV Prouinciali Epistola CXLI.

Hortatur, vt non minus laborent de reducenda ad fidem Christianam Saxonia, quam laborant de reducenda India.

DE duobus illis ternionibus, nihil est quod agas mihi gratis. Nam, quod erat officij mei, feci. Quod in Fabiani in Palinodijs nomen Christiani mutatum est in Catholici nomen, facilè credo nulla Societatis vestræ culpa factum esse, quę intelligit proculdubiò cum Cypriano, Chrysostomo, Tertulliano cæteris q; Doctoribus Ecclesię Catholicæ, hæreticos, qui Catholicam Ecclesiam reliquerunt, Christianos non esse, nec vocari hoc nomine debere. Cæterùm Illust. Card. Augustanus mihi dixit, quòd ante menses aliquot denuò miserit Palinodias excudendas in oppido suo Dillingensi: neq; tamen adhuc esse typis mandatos audio. Quid causæ sit, ne Huc exemplaria pauca sunt admodum allata. Quin & illud comperi, ex missa mihi præfatione quadam Germanica nostræ Confessionis, quòd ea denuò lingua Germanica transla ta, & in eodem oppido typis est mandata: & fatetur author in præfatione, quòd nonnulla mutauerit, quæ magis Polonis, quàm Germanis quadrare videbantur. Et quamuis bona spe

spe sim, quod author etiam ipse narrat, nihil in ijs quæ sunt alicuius momenti, mutatum esse: cuperem tamen vehementer scire, quæ loca sint mutata. Poteram ea de re certior fieri, priusquam liber esset absolutus, quod iam esse factum arbitror. Quæ sunt Elbingæ per nos acta, ea si differentur in tempus aliud, nihil fore periculi puto. Quæ verò scribuntur à Patre Aschermanno pridem à D. Gromero Coadiutore meo, mihi missa legi: & pro eo vt potui in Aula prouidere sum conatus, nisi quod in Aula neque Petrus intrepidè Christum Deum confessus esse legitur. Adeò nihil in ea fixum est & stabile, non magis apud nos, quã apud vos. Habet illa suum quiddam, à quo non lubens recedit, Et ab Aula vestra discit aula Regis mei, quomodo se gerere debeat. Hoc est, vt nihil aliud, quam temporizet. De Albingensibus Saxis, quod ea non magis à vobis metuantur, quam Elbingensia, vellem vt factis potius declaretis, quam verbis. Verum aditum vobis patere negatis, quoniam virum non cognoscitis. Quem autem virum cognouerunt Apostoli, cum in omnem terram exiuisset sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum? cum bonam Orbis partem sermonibus suis ad Christi fidem adduxissent? aut quem virum cognouerunt ij, qui nouum quendam Orbem Christo lucrifecerunt? Cur non facerent eadem in Saxonia, quæ fecisse, & facere leguntur in India? An autem dux melior esse potest, qui vobis aditum patefaciat in Saxoniam, quam qui patefecit Apostolis, & eorum sectatoribus in fines Orbis totius: qui vestræ quoque Societati patefecit in quendam nouum Orbem, de quo Solo Christo lucrifaciendo sic esse videmini solliciti, vt non ita magnam de veteri retinendo curam suscipere videamini: in ijs præsertim locis, vbi penes hæreticos est Imperium. Ego verò minime dubito, quod vobis Cæsarea Maiestas defutura non est, si modò cum dexteritate quadam illius animus pertentaretur. Nam quod prætensam quandam libertatem impedimento futuram dicitis, quo minus eum quem volumus res exitum sortiatur. Num alicuius Principis libertas ea re violaretur, si de reducendo eo ad ouile Christi, non vi & armis, verum persuasionibus ageretur. Scimus apud Maiestatem Cæsaream fuisse Dauidem quendam Chytræum verè Chytrum iuxta nostram, hoc est Polonicam, vel Bohemicam linguam: Fuisse præterea Smidelinum, quo nihil est loquacius & impudentius, vt quot verba, tot proferre semper mendacia videatur. Vt interea taceam de turba Sathanæ ministrorum in Austria, quæ dinumerari vix potest, qui iam etiam Deum nostrum Christum in ordinem redigunt, nec ei diuinos amplius honores tribuunt: & quas nos orationes ita claudimus: per D.N. Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat &c. ipsi nec Domini, nec filij nomen ei tribuere dignantur: verùm per fidelem, aiunt, & iustum seruum tuum, quẽ etiam vermiculum appellant. Si tales Maiestati Cæsareæ submittuntur, quam Catholicam esse persuasum habemus, nec impedit quo minus in Austria verbum Lutheri pro Dei verbo venditetur: cur non submittat etiam illius Maiestas aliquos in Saxonicam? Cur non ab illo Principe postulet, vt ferat ipse quoque Christianos, quandoquidem ipsa Maiestas eius fert Lutheranos: aut saltem cognoscere velit, si suos potius pro Christianis habent, vtrum propius ad fidem Christianam accedant Lutheristæ, an Papistæ, nec inauditos alteros cõdemnet, cum præsertim ipsi Lutheristæ, cum quibus illi Principi multum est negotij, grauissimorũ errorũ se mutuo condẽnent, & vtriq; alteros hæreticos pronuncient, & è synagogis suis eijciant: nec aliud scribant aut dicant verius, q̃ cũ hoc ipsi iudiciũ de se mutuò faciunt. Deinde verò non semel audisse me recordor. Quod multi reperiantur adhuc etiã in ipsius Principis Electoris Aula Catholici: per quos fortasse negotiũ hoc rectè tractari possit. An aũt hæc res admiratione digna nõ est: quod licuit ad Principẽ illũ adire Caluinistis, quibus nihil visũ est Luthero magis execrandũ, vt eis igni etiã & aqua interdiceret. Sivirũ illi cognouerũt, per quẽ aditus illis in Saxoniã patefieret, q̃ magis etiã Caluinistas, quã Papistas abominari sẽper visa est: cur nõ cognoscãt nostri quoq; dũmodo parẽ, vt illi diligentiã adhibeãt. Sed nescio quomodo vigilabat Iudas, cũ Christũ proderet, Apostolis interim sternentibus. Hoc & nostro tẽpore fieri videmus. Adhibeatur aliqua diligentia, facilè virũ agnoscemus. Nec enim sperandũ est, quod nobis dormientibus rete trahet: vigilare, & manus admouere necesse est. Nunquã fuit magis tẽpus opportunũ lucrifaciendi Christo Vvittenbergen. cui iã ab annis 50. nunciũ remiserunt, quã sit hoc quo tantis inter se mutuis odijs atq; dissidijs flagrant. Quod aũt nescio de quibus Comitiorũ recessibus meminit, quale sit illud nõ intelligo. Si nõ impedierunt recessus Comitiorũ, quo minus verbũ Lutheri prædicaretur in Austria, cur impedire debent, quominus Dei verbũ prædicetur Vvittẽbergæ. Renũciatur hoc à multis, Principẽ Electorẽ benignã naturã sortitũ, & à Christiana pietate nõ obstinatè alienũ esse. Etsi fortè nõ esset eodẽ ingenio cõiunx eius, qd est magis mobile, q̃ sexus fœmineus? quid magis mutabile? Fortassis ad mentẽ saniorẽ prior illa reducetur, dũmodo audiat aliquos Christi doctrinã profitẽtes. Nam hactenus illa pro Christo coluis Isbien Anticristũ: nec aliud esse verbũ Dei existimauit, quã q; ab illo doceretur. Sed ego video quòd vobis à Saxis Albingen. metuitis, & oẽs causas prætexitis, ne sit ea degustare necesse. Nec ab hac opinione me quisquam dimouebit: nisi q; verbis prædicatis, id re ipsa vos præstitisse videro. Quanquã dabuntur vobis adhuc mensiũ aliquot induciæ, quæ cũ præterierint, nullum non mouebo lapidem, vt Saxonicos quoque lapides, quemadmodum & Elbingenses velitis nolitis, vobis degustare sit necesse. Benè valeat P. Vestra, cuius me precibus & Sacrificijs diligenter commendo. Datum Romæ &c. vltima Maij M. D. LXXII.

Melchiori Bili a Nuncio Apostolico apud Cæsarem. Epistola CXLII.

De hæreticorum crassissimis mendacijs, & vt operam det, vt Elector Saxoniæ, sicut audit Lutheranos: sic etiam audiat Catholicos.

De meo

DE meo in se studio, propensaque benemerendi voluntate nihil est, quod sibi D. Vestra non possit rectè polliceri: quod ego re, quàm verbis, modò detur occasio, declarare malo. Quod autem bonam spem ostendit futurum, vt post hanc insignem de sempiternis Christiani nominis hostibus victoriam, qui se disiunxerunt à S. Romana Ecclesia, ad illius gremium reducantur: id vt ita fiat, ardentibus vobis à Deo precandum est. Anno proximo superiore fuerunt à Cæsarea Maiestate & à Serenissimis Galliarum & Poloniæ Regibus, & aliis nonnullis Principibus in Pomeraniam Oratores missi, qui pacificandis Daniæ & Suetiæ Regibus operam darent: quo tempore fuit eò rumor perlatus de fœdere contra turcas inito inter S. D. N. Serenis. Regem Catholicum, & Rempub. Venetam. Quod cum renunciatum esset quibusdam illic Lutheranis, vt authorem & socium fœderis huius esse Pontificem crederent, adduci nulla ratione potuerunt: quicquid illis ea de re narrabatur, scire se certò dicebant, quod pridem cum Rege Turcarum Pontifex Romanus ad opprimendum dei verbum fœdus inijsset: quod etiam productis quibusdam rythmis Germanicis à Luthero conscriptis probare conabantur, quos illi quotidiè cantillant, Deum precantes, vt eos liberet à Papæ Turcæque tyrannide. Cum itaque coniuncti sint, aiebant in cantilenis suis, Pontifex atque Turca; qui fieri potest, vt auctor fœderis ineundi contra Turcas fuerit? Ex eo videre licet, quam sint homines isti miseri ab hoc Idolo suo Islebiensi dementati: vt quod crassissimum est illius mendacium, ei nomen Euangelij tribuere, & haud aliter, quàm si scriptum foret in Euangelio, credere non vereantur. Quo mihi gratius illud accidit, quod cum species quædam ouationis cumprimis excellenti Marco Antonio Columnæ propter res præclerè gestas in hoc bello decreta fuisset, non pauci Turcæ captiui ducti sunt. Vellem adfuissent tum aliquot ex illis, qui pro CHRISTO, colunt Islebiensem Antichristum: vt videre potuissent, quàm sit hoc verum, quod ab illo persuasum istis est, Papam cum Turcis fœdus fecisse. Quamobrem in hoc tanto, quo flagrant erga Sanctam Sedem Apostolicam odio, quid rectè sperare possimus, non video: nisi fiduciam nostram omnem in Dei misericordia defixam habuerimus, qui potest etiam ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, potest auferre cor lapideum, & dare cor carneum, vt sanæ doctrinæ credant, & insanis ac horrendis mendacijs, quibus miserè seducuntur, fidem deinceps habere desinant. Cæterùm renunciatur hic, Quod iam etiam Saxones præsertim Vvittenbergenses Idolum suũ Islebien. reliquerunt, & illius loco nunc Geneuensem Antichristum adorant: quo nomine grauiter etiam eos insectari dicuntur eorum vicini Lypsenses, & quotquot adhuc adhærent Idolo Islebiensi, cui cum Zuinglio & Caluino semper bellum fuit implacabile. Sic videmus, posteaquàm semel à via recta deflexerunt, eos alia ex aliis errorum & impietatis diuerticula ingressos. Vtinam autem vnde exierunt, eò reuocari possint. Quemadmodum autem id fieri queat, non video, si non fuerint, qui rectam viam, qua sit illis ineundum, qui declinauerunt, commonstrent. Quamobrem hoc agendum omnibus modis censerem, vt aliquos itineris recti indices & commonstratores habere possint: hic præsertim, qui sunt in Saxonia, & in his locis, vbi primũ errores isti seminati fuerũt. Mirũ est, q audiũtur in Saxonia Lutherani, audiũtur Eberiani, audiũtur Flacciani, synergistæ, Antinomi, Adiaphoristæ, Caluinistæ, & nescio q̃ portenta alia: Soli nõ audiũtur Christiani, quos Papistas illis vocare, visum est, propterea q vnius ouilis vnũ in terris Pastorẽ agnoscãt: quẽ qui nõ agnoscunt, eos in tot sectas mirandũ & miserandũ in modũ inter se dissectas, sectos atq dissectos videre licet. Ac permittit in his etiam terris, quas hæreditario iure possidet Cæs. Maiest. quamuis ipse sit Princeps Catholicus & Orthodoxus varia sectarum genera: Sed ita tamen vt Christianos, quos Papistas vocant, non modò non excludat, verum illorum doctrinam quã maximè propagatam cupiat. Cur vel exemplo Maiestatis eius non faceret idem Elector Saxoniæ, vt audiret etiam Christianos, vel saltem à subiectis sibi populis audiri permitteret: vt eorum quoque de doctrina sententiam cognosceret, simul an vera sint omnia, quæ non rarò per summam calumniam illis impinguntur, exploraret: fortasse non essent ex IESV Societate defuturi, qui proficiscerentur eò, & Euangelicam illis doctrinam anunciarent, dummodo potestas eis docendi libera permitteretur. Hoc si Dominatio vestra perficere posset authoritate Cæsareę Maiestatis, næ illa præclarè de Christiana Rępublica mereretur, & veri Legati Apostolici munere fungeretur. Ac habitura esset ea in re adiutorem virum non genere magis quam pietate Illustrem, qui nunc oratorem isthic agit Catholicæ Maiestatis, quem ego singulari quodam Zelo tuendæ & propagandæ Christianę, veraeque Catholicæ & Orthodoxæ Religionis, esse præditum audio. Datum Romæ M. D. LXXII.

Laurentio Magio Societ. Iesu Prouinciali.
Epistola CXXXXIII.

De Schalichij ad Ecclesiam reditu, de hæreticorum contra Iesuitas calumnijs, de Smidelini faberculi nugis.

QVod tardius P. Vest. literis respondeo, in causa sunt Hispani, qui contendũt esse pannij, hoc est, domini, sibi literarũ fasciculos inscribi volunt, ex quo factum est, vt literæ tardius ad me perferãtur. De Scalichio nihil mihi noui scribit, quin fuit apud me Tabellarius quidam ab eo missus proximo mense Ianuario, qui libellum hunc vna cum alijs, literas etiam à Scalichio scriptas mihi reddidit,

reddidit, quibus adiunctæ fuerunt etiam literæ Monasterienſis Episcopi, quibus mihi Scalichium commendat, cui rescripsi, Gratulari me Scalichio, quod ad mentem redierit saniorem, Quod autem per me Scalichium adiutum vellet, id in Comitijs ab ipsa Regia Maiestate, & à Regni Cancellarijs rectius peti posse. Addidi me Scalichio nihil respondere, propterea quod metuerem, sicut consueuit facere, ne typis mandatas literas meas peruulgari curaret, Sed me tamen illi resipiscentiam hanc gratulari plurimum. Est quod agamus Deo gratias, quod ad Ecclesiæ gremium plærosque redire misericordiam Dei consequutos videmus. Si quid ad eam rem adiumenti nostræ quoque lucubrationis attulerint, ingentem laboris vigiliarumque mearum fructum retulisse mihi videor. Sit nomen Domini benedictum. Sed quid ego audio? libet enim noua pro nouis mihi, tamen haud nouis reddere. sicne Iesuitæ, quin & omnis Theologorum cœtus in Bauaria iam Lutheranus factus est? Mirificè gloriatur hoc nomine communis amicus noster Smidelinus, mentémque hanc Iesuitis, ceterisque Theologis Bauaricis gratulatur. Meminit in eodem quoque libello Caspari Frank. quam & ipsum ex nostris lucubrationibus hausisse plæraque scribit, non sine quadam honoris nostri præfatione. Nihil hoc fabereulo vidi stupidius. Lutherum primum eius dogmatis authorem fuisse persuasum habet, quod meritò passionis Christi salutem adipiscimur. Videtur is omnis Ecclesiasticæ doctrinæ rudis esse, quam nobis traditam habemus ab annis M.D. nec vllos vel priscorum, vel recentiorum Theologorum libros legisse. Et fuit hoc ita vulgo persuasum, nihil de meritò deque satisfactione Christi multis sæculis Ecclesiam docuisse, vt prorsus hæc extincta per aliquot annorum centurias fuisse plærique omnes crederent. Quam etiam ob causam in ipso statim nostræ Confessionis initio non aliud argumentum vrgendum nobis esse magis putauimus, quam hoc, Quod Ecclesia non solum scriptis & sermonibus, verum & certorum dierum obseruationibus, & signis, & imaginibus, & habitu, & gestu, & cæremonijs mentibus fidelium imprimere semper conata est immensum illud Christi beneficium, quo per Crucem & mortem suam peccatorum remissionem & æternam salutem nobis promeruit. Præclarè verò Lutherus istius faberculi nugas refutauit, neque tamen illud animaduertit, quod ipse faberculus in exordio suæ gratulationis mentiri se palam confitetur Sic enim loquitur Ich liege nu etliche Jahr hoc est, Ego mentior iam multos annos. Addit prætereà in planitie, hoc est, in re plana, perspicua, manifesta, quæ vel ipsa Solis luce est clarior. Dicet faberculus, Esse fallaciam æquiuocationis. At quæ scribuntur ab eo, nihil sunt aliud quam fallaciæ, nec aliud quam fallit in omnibus libris suis. Vidi autem & alium librum in quo monentur homines, vt sibi caueant à falsa doctrina & Pharisaica hypocrisi Iesuitarum, quem adhuc legere mihi non vacauit. Quod exempli meminit literarum, quas ad Cæsar. Maiestatem dedi, quamuis hæ principio non potuerint quod progressionem tamen negotij interturbare potuerint, mallem scripsisset, quod interturbarunt. Nam valdè me sollicitum habent ea quæ geruntur isthic præcipuè durantibus nostris quoque Comitijs, etsi nihil in eis nouatum iri, quod ad Religionem attinet, Regia Maiestas mihi spem indubitatam ostendit, De Actis Elbingen. deque cæteris rebus coram, quod breui spero futurum, rectius inter nos conferre nobis licebit. Interea V.P. precibus & sacrificijs suis, vt cogitata nostra Deus prosperet, efficere conetur. Datum Romæ M. D. LXXII.

Melchiori Bilia Nuncio Apostolico apud Cæsarem.
Epistola CXXXXIIII.

Gratulatur, quod munere suo rectè fungitur, & quod Lutheristæ cum Caluinistis & Trideistis eodem loco censeri debeant, & hæreticorum audaciam exaggerat, quod Lutherum hominem impurissimum Christo Deo Deique filio æquiparare audeant.

SOllicitudinem hanc D. V. de religione tuenda & conseruanda satis laudare non possum. Facit enim quod verum & fidelem S. Sedis Apostolicæ Legatum facere decet. Quæ verè scribit de Domino Archiepiscopo Pragensi, magnam animo meo voluptatem attulerũt, cum præsertim is per me consecratus fuerit Vienneñ. Episcopus. Quamobrem vehemẽter exhilaror, cum ita prædicari pietatem & religionem illius audio. Vtinam opera vestra mutua perfici queat, vt aliquis Ecclesiæ Viennensis Pastor & Episcopus idoneus constituatur. Quæ cura quamuis ad D. V. spectet, non minus tamen pertinere videtur ad ipsum Dominum Archiepis. qui decimo ab hinc anno Ecclesiæ illi renũciauit, vt omnem diligentiam adhibeat, quo possit idoneũ habere successorẽ. Est enim verissimum, quod hæc X. iam annorum vacatio, non potuit illi Ciuitati maximũ detrimentũ nõ adferre. De causa D. Epis. Olomucen. mihi persuadeo, quod ea patrocinio D. V. iam est optatum exitum consequuta: Decretum, quo prohibentur Bibliopolæ, ne libros hæreticorum diuendant, cuius exemplum se mittere mihi scribit, non vidi. Nam in ea schæda, quamhis literis adiunxit, non sit expressa mentio, nisi de Zuingliistis & Caluinistis: de his verò, ex quibus nati sunt, Lutheristis verbum nullum. quasi verò magis ij tolerandi sint Caluinistis, quibus nihilo sunt meliores, fortassis etiam deteriores. Quis enim alius fuit qui omnem agnitionem D E I prorsus ex Ecclesia primus tolleret, præter Lutherum? qui cum & Sacerdotium & Sacrificium sustulerit, externum discrimen omne sustulisse videtur. quo D E I cultus ab eo cultu, qui rectè præstatur hominibus discerni posset, vt mihi nihil aliud quam Atheismum docuisse videatur.

Fecit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fecit autem hoc à Magistro suo Diabolo edoctus, sicut in libro quodam suo fatetur ipse: quem etiam patrem illius fuisse viri multi graues & fide digni scriptum reliquerunt. Nam ex incubo & ex impura muliere quadã natũ esse cõstat: & huius tamẽ verbũ, quo nihil impurius nihil arrogantius, nihil sceleratius hæc nostra sæcula produxisse videtur, Dei verbũ & Christi Euangelium quidam vocare non verentur. Cùm legerem disputationem Aldemburgeñ. plus minus quadraginta reperi locos, in quibus Christus cum Luthero coniungitur, & cum verbo Dei: Verbi gratia, Contra Christum & Lutherum, teste scriptura & Luthero, Sacra scriptura & Lutherus, iuxta verbum Dei & Lutheri, ex verbo Dei & Lutheri, ex ipso verbo Dei & Lutheri, cum verbo Dei & Lutheri, Christus & Lutherus, vt nos docent Christus & Lutherus, Deus & Lutherus, non est discipulus Christi & Lutheri, cùm Dei ipsius tum Lutheri testimonia: acquieuit Spiritui Sancto Philippus & Luthero, ipsi filio Dei & Luthero cogentur Eberiani rationem reddere, &c. Quæ potest esse maior impietas, quàm quòd eodem loco habent Antichristum Islebieñ. ex diabolo natum, quo Christum Deum verum ex vero Deo progenitum? Misericordiæ Domini, quia consumpti non sumus: Misericordiæ Domini, quòd terra nobis non dehiscit, cùm hæ tam impiæ, tamq; blasphemæ voces dicuntur & audiuntur. Quòd si non aliud impius hic & nefarius scelus patrasset, quàm quòd perpetuam professus continentiam & voto castitatis obstrictus, contra Iurisiurandi sui religionem perfractis pudoris repagulis, ac ruptis pudicitiæ clausstris cum Nonna siue Sanctimoniali suam libidinem expleuit, & huic incesto sacrilegio coniugij nomen prætexuit, vel hoc solo nomine dignus erat, quem tanquàm pestem aliquam abominarentur & execrarentur omnes, cùm etiam apud Ethnicos tam fuerit hoc detestabile facinus existimatum, vt si qui fuissent in eo deprehensi, viui defoderentur humo. Et extant etiam leges Imperatoriæ iam inde à mille ducentis annis latæ, si quis non dicam rapere sed attentare tantummodo iungendi causa matrimonij sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur. At nunc monstrum hoc horrendum, immane, ingens, non solùm quas fuit meritus pœnas effugit viuus, verumetiam Christo Dei filio diaboli filius iam ad inferos detrusus exæquatur, nec audent eum Christiani Principes inter hæreticos numerare, qui fons q; caput q; fuit hæresum omnium, qui præter alia multa flagitia rusticos contra nobiles, nobiles contra Dominum suum, cui iureiurando fuerunt obstricti, nunquam satis laudatum pientissimum illum Carolum Imperatorem, vt arma sumerent concitauit. Mihi verò multò rectius videretur, vt hoc genus edicti non promulgaretur, quo canonizari quodammodo Lutheri scripta videntur, dum solius Zuinglij & Caluini libri prohibentur. Primo loco debebant poni Lutherani, posteà Zuingliani & Caluiniani. Hoc demùm edictum fuisset Christiano Principe dignum, sed ego tamen bona spe sum, etiam Lutheri libros breui prohibitum iri, quandoquidem Lipsiæ grauiter interdictum esse dicitur, ne quis illum authorem citare, vel in Scholis, vel in templis auderet. Quod aũt citatur nihilominus Philippus, quem in Caluiniana perfidia mortuum esse constat, hoc huic Edicto prorsus contrarium est, nisi quòd inter Lutheranam & Caluinianam perfidiam ego discrimen video nullum. Nam si panis manet in sacrosancta Eucharistia, cui dubium esse potest, quòd ibi Christi corpus non est? Incarnatum enim esse Christum legimus, impanatum autem nec in scripturis, nec apud vllum Catholicum Doctorem videre licet, vt eum iure meritò rideant Caluinistæ. Quamobrem si D. Archiepiscopus instat, vt prohibeantur Hæreticorum libri, primo loco Lutheranos curet nominandos. Quod si non potest impetrare, satius est, vt liberum cuiq; permittant, etiam Caluini libros, qui nihilo deterior est, legere. Mirum est autem, quòd cùm ipsi Lutherani Doctores, sicut in Aldemburgica disputatione videre licet, inuicem se condemnent hæreseos, Eberianos Flacciani, Pelegianismi & Caluinismi Flaccianos Eberiani, Manichæismi & Arrianismi, & excommunicarent etiam & ex Ecclesijs suis vtriq; alteros eijciant, nec vlla maior veritas ab illis proferatur, quàm cùm se mutuò vocant hæreticos, quorum libri prohibendi sint, in suis Edictis recensere. Quamobrem vbi Lutheranos nominari non video, nullum Edictum contra hæreticos factum video, nec est quòd quisquam vllam vel apud pios laudem, vel apud Deum mercedem se consequuturum speret, quandiu nõ perfecerit, vt quoties hoc genus Edicta scribuntur, primùm inter Hæreticos omnes locum Lutherani, qui sunt Principes omnium, obtineant: & certè cùm ante sesqui annum Viennæ fuissem, fui non parùm admiratus, quòd cùm apud Chalcographos, pestilentissimos quosque Lutheranorum libros in officinis Bibliopolarum reperire liceret, nulli tamen inter eos Caluinianorum libri visi fuerint, qui nihilo Lutheranis deteriores iudicari possint. Romæ 28. Aprilis M. D. LXXI.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ.

Epistola CXLV.

Rogat vt sicut Consul Deo & Regi rebellis, ad Consulatum tamen suum restitutus est, sic Episcopus Deo & Regi fidelis, ad Episcopatum suum apud Elbingen. restituatur.

VNus iam & alter annus interceſſit, quod Burgimagiſter Elbingeñ. Brendſneiderus læſæ Maieſtatis Veſtræ crimine iudicatus, & alij quidem Gedanenſes in ſuſpicionem eiuſdem criminis vocati ſunt, quod quàm ſit enorme, quis eſt, qui melius, quàm ipſa Maieſtas Veſtra cognoſcere queat. Ego nihilominus quamlibet crimen hoc illorum deteſtarer, perſonæ tamen ſacerdotalis, quam gero memor, me pro illis deprecatum eſſe recordor, & coram & per literas,

teras, vt eum illis Maiestas V. elementius agere dignaretur, nec vnquam impedire volui, quominus illi suis sedibus restituerentur, dummodo prius ego restituerer ad munus meum Episcopale, quo me V. Maiestas Elbingæ fungi voluit, de quo per summum Sacrilegium iam inde à multis annis per Burgimagistros fui deturbatus, cum præsertim non modò nihil tale designassem vnquam, quamobrem de Cathedra, deque munere meo deijci debuerim. verumetiam in colenda Maiestate V. in illius dignitate tuenda & conseruanda, in gratia illius omnibus officijs, obsequijs, & omni seruitutis meæ genere promouenda metalem præstiterim, nulli vt fidelium V. Maiest. subditorum concedam, quod maiore illam fide & obseruantia coluerit vnquam, quàm ego feci, facio, & faciam semper quoad Spiritus hos reget artus. Verùm quæ mea sit hæc infelicitas nescio, quod qui conuictus esse videbatur læsæ Maiestatis restitutus est in locũ suum: Ego verò qui semper illam summa cũ reuerentia colui, nunc iterum deturbor de Cathedra mea Episcopali, cuius perexiguam beneficio Maiestatis V. possessionem habeo. maiorem enim partem Burgimagister possidet cum Sathanæ ministris, quos ad abducendum varijs ac peregrinis doctrinis à Christiana Religione populum ingenti stipendio conductos habet. In exigua parte illa, quam possideo, quietiora iam esse videbantur omnia, cùm ecce posteaquàm Burgimagister ille venit, qui læsæ Maiestatis Vestræ reus actus modò non peractus est, iterum de possessiuncula mea deturbor, nec ministri Dei, quos alo saltem pauperibus mendicis administrare Sacramenta permittuntur, qui si fuissent eius Ciuitatis incolæ, quandoquidem hæc temporum horum est malignitas, fieri tamen id facilius potuisset: nunc autem cum essent aduenæ ex Masouia, quæ sola fere nunc fidem Catholicam integrè profitetur, in ea ab infantia sua nutriti & educati, non sunt permissi Catholico ritu Sacramenta percipere: quemadmodum ex Domino Martino Cromero Ecclesiæ meæ Coadiutore Maiestas Vestra proculdubiò iam cognouit. Quæso velit secum ipsa, quale sit hoc diligentius reputare, quod qui tanti criminis accersitus, & nondum ab eo plenè, quod ego sciam, est absolutus is non contentus officio fungi Burgimagistri, insuper & Episcopum agere velle videtur, & quo minus legittime constitutus Episcopus liberè suo munere fungatur. impedire conatur, palam etiam iactare dicitur, quod ego quoque cum Elbingæ fuissem ante biennium, audire me ex illius ore memini, quod Romanam fidem prorsus abominetur, si quam verò perfidiam (nã fides nisi vna esse nulla ratione potest) in synodo nationali constitutã viderit, eã se amplecti velle profitetur. Quæ cum ex illo voces audiuntur, quas emittere crebrius renunciatur, in eam opinionem multi veniunt, quasi nouum quoddam perfidiæ genus in synodo nescio qua excogitari & authoritate Vestræ Maiestatis debeat approbari. Sic miseri homines dementantur, & quominus Euangelium Christi recipiant, Lutheri verò siue Caluini Cacosuangelium reijciant, absterrentur. Et iam complures anni sunt, quod sæpè Maiestati V. me dixisse scripsisse q; recordor, quod eiusmodi voces ab hæreticis de illa spargũtur, neque tamen prohibere quenquam video, quominus etiam nunc spargantur. An autem illa verba, non solum à Christianis verùm & ab ipsis Lutheranis rectè Maiestati Vestræ dici non possunt? Quousque animas nostras tollis? Quousque suspensos ita multorum animos Maiestas Vestra tenebit? vt quid sibi promittere debeant, nesciant. Nolo nunc de alijs dicere. De Prussia non dubitanter hoc affirmauero, si primum in ea Regnum Dei quæsitum fuisset ante biennium & iustitiæ eius, quod ista & cætera, de quibus Commissarij missi fuerant. multò facilius adijci potuissent. Nunc quorsum res euaserit, quem fructum laborum suorum Vestra Maiestas tulerit, ipsa videt, & certè quominus eum, quem optabamus, consiliorum suorum exitum Vestra Maiestas consequeretur, non minimam ei rei causam præstiterunt Sathanæ ministri, qui Dantisci & Elbingæ præsentibus etiam ac modò non audientibus Vestræ Maiestatis Commissarijs, in Deum & in Maiestatem Vestram plurimas blasphemias & conuicia iaciebant, ac propemodum populum ad rebellionem concitauerant, quod Maiestatẽ V. clam non esse scio, nam eorum sonitus in has terras vsq; etiam peruenit. Obsecro Maiestatem V. quanti suam Regnique sui salutem facit, tantum det operam, vt qui scrupulus multos malè habet, eum ex animis mortalium eximat, elaraque voce pronunciet, frustra nouitatem à se Religionis expectari, se tantum vnam fidem Christianam nosse, quam qualem à suis maioribus iam inde à 600 annis per manus sibi traditam accepit, integram inuiolatámque retinere, & ad posteros etiam suos transmittere, nec vllam aliam vnquam recipere velle. Hoc si fecerit Maiestas Vestra, iam spe sua Burgimagister decidet: & ego si minus in totum Episcopatum meum, saltem in bonam illius partem paulatim ero restitutus. Nunc autem dum ita pendent animi multorum, etiamsi maximè cuperent plærique Christum apertè profiteri, tamẽ Burgimagistri metu non audẽt, dum alium fore paulò post in terris V. Maiestatis fidei & religionis statum illo referente persuasum habent, quod ex multis Elbingæ non semel fuit auditum. Ego verò satis mirari non possum, cum vestra Maiestas Regem agat Christianum, Catholicum & Orthodoxum, nec in his, quæ pertinent ad religionem, vllam sibi iurisdictionem arroget, sed Episcopos munere suo libere fungi permittat, quomodo ferre possit, vt qui subiectus esse debet Vestræ Maiest. Burgimagister plusquam Regiam plusquam Ottomanicam vel Sulimanicam sibi tyrannidẽ vlurpet, & Episcopos quique sunt ab illis missi legittimè Dei ministri sacerdotes, quominus ea quæ sunt sui muneris exercere possint, prohibeat. Inde Sereniſ. Rex rebelliones, inde læsæ Maiestatis crimen, inde quicquid est malorum extitit: Nam qui diuinam lædere Maiestatem non dubitant, quis eos prohibebit, quin idem de humana faciant. Diuina Maiestas dicit, Quod Episcopos posuit Deus regere Ecclesiam suam, nunc isti diuinæ Maiest. contemptores, nõ Episcopos verùm se positos esse dicunt, vt regant Ecclesiam, & se esse superiores illis persuasum habent, Vestræ quoque Maiestati esse subiecti re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ci sant. Supplex iterum atque iterum oro & obtestor Maiestatem Vestram, ne velit hanc tantam Elbingen. Burgimagistri insolentiam ferre diutius, ac vt ministros Dei, qui per me missi sunt Elbingam, in fidem protectionémque suam suscipiat, & quem ita volente Maiestate Vestra Coadiutorem Ecclesiæ meæ Varmiensi constitui, eum in sua Iurisdictione tueatur, nec illum Burgimagistro, sed Burgimagistrum illi in his, quæ pertinent ad Religionem, subiectum esse iubeat. Sic futurum est, vt propitium sibi Deum reddat, & sibi quoque Burgimagistros in temporalibus magis dicto audientes experiatur. Quod scribam præterea nihil est, nam res eo statu sunt, quo fuerunt. Datum Sublaci. XXVII. Iulij. M. D. LXXII.

Alberto Bauariæ Duci. Epist. CXLVI.

Gratulatur constantiam in tuenda fide Catholica, & matrimonium eius filiæ cum Archiduce Austriæ Carolo, & de hæreticorum sectis & Aldenburgen. Colloquio.

VM venissent huc Oratores Cels. V. inter alios quos habet hic fidi seruitores addictissimos, me quoque perbenignè verbis illius salutarunt, omniaque beneuolentissimi Principis officia mihi detulerunt: quæ res mihi tanto gratior accidit, quanto lætiores ad nos rumores adferabantur de singulari studio Celsitudinis Vestræ, quo Christianam fidem propagatam, Lutheranam verò perfidiam, ex terris Imperio suo subiectis quam longissimè cupit exterminatam. Cuius rei præclara quædam documenta, magno cum fructu, proximis superioribus mensibus edidisse renunciatur. Nam qui nouis rebus studuerant, non aliam vllam ob causam, quam vt esset symbolum aliquod eorum à Christo vero Deo in Bethleem nato ad Antichristum Islebiensem defectionis, in eius etiam Sacramenti vsu, quo maxime cum Christo coniungimur, & vnus cum eo Spiritus efficimur, à Christi corpore, quæ est Ecclesia, se disiungentes, eorum multa millia ab erroribus suis reuocanda, & in viam veritatis reducenda curauit: quæ res maiorem quam facile credi queat, in hac Vrbe multorum animis lætitiam attulit. Celebratur nomen illius ab omnibus, & in cœlum vsque laudibus fertur, supplices à Deo precantur omnes, vt Ecclesiæ suæ tantum defensorem, tamque fortem Euangelij propugnatorem, in multos annos incolumem seruet, omnique fœlicitatis genere cumulet: quod illo superstite futurum omnino sperant, vt non solum ex Bauaria, verum & ex reliqua Germania, Zizania quæ seminauit inimicus homo, euellantur, & succrescere verbi Dei triticum incipiat. Vtinam autem Celsitudini tuæ similes Principes aliquot haberet Germania: non est dubium quin id celeriùs multorum opinione factum videremus. Verum prô dolor, quos olim fixos & stabiles nimirum supra petram fundatos videre licuit, quo nomine suspiciebantur ab omnibus, & vt Orbis totius Imperium ad eos deferretur, digni censebantur, eos nunc omni vento doctrinæ, tanquam arundines quasdam circumferri cernimus. Et est res certè stupenda, quod cum ipsi suis oculis perspiciant, nihil esse constans in varijs illis & peregrinis doctrinis, quibus abducti, & in aliud sicut ipsi vocant Euangelium ex diametro cum Euangelio CHRISTI pugnans traducti sunt: cum aliud hodie cras aliud à magistris suis doceri, aliud eos loqui stantes, aliud sedentes audient. cum & illud non ignorent, quod simplex est veritatis oratio, quodque non possit esse verum, nisi vnum, falsum verò semper sit multiplex. Hæc omnia, cum suis ipsi oculis videant, cum suis auribus audiant, nihilominus persistunt in erroribus suis, nec ab eis vlla ratione reuocari se patiuntur. Legi superioribus hisce mensibus Aldemburgense Colloquium, quod habitum est inter ministros quosdam duorum Principum, & sanguinis & locorum, in quibus degunt, propinquitate sibi coniunctorum. Bone Deus, quantis inter se certant odijs, quantâ pugnant animorum acerbitate, dum suam vtraque pars opinionem tueri conatur: quæ conuitia, quæ probra, quæ maledicta non eiaculantur in se mutuo? vt etiam cum Christianis, quos allis Papistas vocare visum est, magis infestis animis nunquam dimicasse videantur, quam nunc faciant ipsi Lutherani cum Lutheranis. Nam ex vtraque parte Lutherani videri volunt: & quod lingua dicere, quod calamus horret scribere, eodem Antichristum Islebiensem, quo Christum in Betleem natum, Deum Deique filium loco se habere non obscure ferunt. Nam est illis Flaccianis præsertim, vsitatum ita dicere, CHRISTVS & Lutherus, verbum Dei & Lutheri: nonnunquam etiam Paulus & Lutherus. Deum immortalem, quæ potest esse magis horrenda, magis etiam abominanda quam sit hæc Idololatria? Sic ne iam duos Deos, duos Christos quidam adorant in Germania, vnum in Bethleem natum ex Deo Patre & virgine matre: alterum Islebij ex diabolo patre (nec enim clam est, quis eius pater fuerit) & ex impura muliere matre? Mirari satis hominũ istorũ tam tam cæcitatem non possum, qui quorsum impietatis prolapsi sint, cernere nequeunt. & me certè miseret eorum vehementer, nec à DEO quicquam precor ardentius, quam vt illis oculos reddat, quibus lucem aspicere veritatis, & errorum, in quibus versantur, fœditatem contemplari queant. An autem & hoc stupendum non est: quod cum ex vtraque parte se vocent inuicem hæreticos, & è cœtu piorum eijciant & non eam tantum, quam à Philippo Melanthone deprauatam fuisse Flacciani queruntur, verum & eam quæ anno Trigesimo pientissimo Carolo Imperatori fuit oblata, Confessionem hæreseos condemnent, nec vlla sit in eo libro manifestior veritas, quam hæc. huic tamen tam apertæ veritati

veritati non creditur, & si quæ falsa dogmata per vtramque partem adferuntur, in his potius eis fides adhibetur. Erat mihi quidem propositum plura scribere de Colloquio hoc ad Celsitudinem vestram, sed vereor, ne modum epistolæ excedam, & erit fortassis alius ea de re scribendi locus. Quamobrem eò vnde digressa est redeat oratio. Optandum est vt multos haberet Germania Principes Celsitudini tuæ similes: Quoniam verò peccatis nostris factum est, vt excepta inclyta domo Austriaca, vix alium in ea videre liceat, qui CHRISTVM in Bethleem natum verè confiteatur: cum eorum pars multò maxima, partim ad Islebiensem, partim ad Geneuensem vel Tigurinum Antichristum à CHRISTO desciuerit, non possum consilium hoc Celsitudinis Vestr. non laudare plurimum, quod, quamuis antea quoque sit inclytæ huic domui Austriacæ arctissima propinquitate coniuncta, tamen arctius etiam cum ea copulari voluerit, tradita in matrimonium filia sua Serenissimo Principi Carolo Archiduci Austriæ, cuius virtus. integritas singularis in Deum pietas, & in fide Catholica tuenda, & propugnanda constantia, toti Orbi Christiano spectata est & probata. Et hac in re minimè vulgaris elucet Religio Celsitudinis Vestræ, quæ non cum hostibus, sed cum defensoribus Euangelij, nouam affinitatem, qua cum eis arctius etiam colligaretur, sibi contrahendam esse putauit. Deum precor, vt matrimonium hoc fortunet, vt natæ suæ natos, & eos, posteaquàm adoleuerint, itidem cum Principibus alijs Christianis affinitatem contrahentes videre possit, ad Christi nominis gloriam, & eius fidei propagationem. Quod superest &c. Datum Romæ 1. Ianuarij Anno Domini M. D. LXXI.

Albertus Dux Bauariæ Staniſlao Hoſio Cardinali. Epiſtola CXLVII.

Respondet ad gratulatorias, & de hæreticorum diuisione.

VOd Illustrissima Vestra Dil. filiæ nostræ dilectissimæ matrimonium & suo studio probat, & authoritate iuuare voluerit, valdè nobis gratum accidit. Et nos quidem eiusmodi beneuolentiam, cum à Reuerendissima & Illustrissima Vestra Dil. tum etiam ab ipso S.D.N. iam antea nobis pollicebamur: causa, quam ad Reipub. Christianæ dignitatem, Deique proue hendam gloriam institueramus, freti, Ad quem finem quoque pertinent alia nostra omnia, de quibus Reuerendissima & Illustrissima Vestra Dil. literis suis amantissimis & nobis imprimis gratis, insigni suæ erga nos charitatis contestatione agit. Cui vt respondeamus, & nostram Deo & Ecclesiæ Catholicæ fidem ac pietatem comprobemus, tam enitemur sedulò, quam & possumus & certè debemus. Cæterùm Aldenburgen. digladiationes & vidimus nos & Ecclesiæ, quæ pacem inde suam sperat, gratulamur. Non sane possunt esse istorum hominum vel consilia vel scripta alia, cum sint eorum omnia contra Dominum, qui emisso inter eos Spiritu vertiginis, dum alter eando veritati vim struunt, ipsam veritatem amittere illos facit. Pergant itaque hoc in genere, sese que conficiant ipsos, & redibit ad exempla priscorum temporum & hæresum discordia Ecclesiæ sua tranquillitas, De qua ob fœdam istam nouorum dogmatum dissectionem & inconstantiam iam etiam sperarem melius, nisi humani alicuius pudoris, ac ipsius quæ alienis bonis velum præfigit, auaritiæ compedes hominum animos tam potenter in errore tenerent. CHristus opt. max. clementer faxit, vt isti oculos, animasque aliquando resumant, suamque quam nefarijs impietatis ministris temerè concesserunt, salutem rectius tueantur, Reuerendissimæ & Illustrissimæ Vestræ Dil. quam & amamus & columus officiosè, fœlicia omnia precamur ex animo, Datæ Monachij XVI. die Februarij Anno &c. LXXI.

Alberto Duci Bauariæ Epist. CXLVIII.

Tractat de Augusto Saxoniæ Electore ad Ecclesiam reducendo.

EX literis Celsitudinis vestræ, meam illi de noua affinitate cum Serenissimo Domino Carolo Archiduce Austriæ contracta, gratulationem gratam accidisse, magna cum animi mei voluptate percepi. DEVM iterum atque iterum precor, vt matrimonium hoc pro sui nominis gloria, Germaniæque totius vtilitate fœliciter euenire velit. Quod autem ipsa quoque se vidisse scribit Aldemburgenses istas digladiationes, ex quibus Ecclesiæ pacem sequuturam sperat, fuit hoc quoque mihi cumprimis iucundum ex illius literis cognoscere. Nam in eandem ego quoque spem adducor, cum verè dixerit quidam ex priscis illis Patribus, quod bellum hæreticorum pax est Ecclesiæ. Quo magis illi mordent & commedunt inuicem hoc futurum celerius vt consumantur ab inuicem, in Domino confidendum est: cuius petulante gratia, tandem aliquando videbimus impletum, quod ab illo Propheta scriptum est, Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Quanquam pro Christiana pietate charitatéque nostra, nobis optandum, & à Deo precandum est, vt non ipsi, verum error potius eorum saluis ipsis intereat. Quam ad rem si quid opis adferri posset à me, nulla in re operam meam, quin & vitam meam omnem libentius consumerem. Video quod qui sunt sub Illustrissimo Principe Saxoniæ Electore,

Universidad de Deusto
Biblioteca

propius ad Christianiſmum quem nunc Papiſmum appellare nonnullis viſum eſt, accedunt. Quametiam ob cauſam apud Flaccianos malè audiunt : qui cum Lutheri verbum non alio loco, quam quo Dei verbum habeant, & ſæpè cum Electorialibus diſputantes, CHRISTVM & Lutherum coniungant, voces illas vſurpantes, CHRISTVS & Lutherus, verbum Dei & Lutheri, à quibus omnium piorum aures abhorrere meritò debent? cum pro vno Deo & Chriſto, duos Deos, duos CHRISTOS adorare videantur. Tales itaque cum ſint, vt pro Chriſto colant Antichriſtum Iſlebienſem, ferre non poſſunt, vt quis ab illius placitis vel minimum diſcedat, & grauiſſimis conuitijs Electoriales inſectantur, quos etiam abnegatores CHriſti vocant, propterea quod non omnia pro diuinis habeant oraculis, quæ dicuntur vel ſcribuntur ab Iſlebien. iſto Antichriſto, & quaſi maximum quoddam probrum illis obijciunt, quod facti ſint Papiſtæ. Quaſi verò graue crimen hoc ſit, legittimam poteſtatem ab ipſo Chriſto inſtitutam agnoſcere, & repudiatis erroribus quibusdam, ad ſanam illius doctrinam propius accedere. Non mediocrem ex eare conſolationem capio, quod quas tenebras Germaniæ terris Lutherus olim effuderat, quarum caligine multorum oculos perſtrinxerat, ex ijs iam tandem in illis ipſis locis, vbi primum Lutheri doctrina prædicari cæpta eſt, non paucos emerſiſſe, & aliquam tamen Euangelij lucem aſpicere cæpiſſe video. Sunt enim quædam Chriſtianæ doctrinæ capita, de quibus Electoriales à Flaccianis accuſantur, quæ quin ad ſanam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam propius accedant, negari non poteſt. Quo maiore ſpe ſum, ſi Dei vocem audire, nec ad eam ſuas aures obturare voluerint, quod non ita multò poſt, clariorem etiam Euangelij lucem aſpicient, atque de poteſtate tenebrarum erepti, in filij Dei Regnum, à quo tot iam annis extorres fuêre, transferentur. Eſt quidam Smidelinus, loquentior ne an impudentes, an indoctior & clamoſior, dicere non poſſum. Is magnis vociferationibus contendit, magiſtros ſuos ſequutus, vnumquemque de doctrina fidei iudicium ferre debere, etiamſi ſitè vulgo, in quoquo neque Conſilium, neque rationem, neque diſciplinam neque diligentiam vllam videre licet : quem quidam ex priſcis Theologis deſcribens, quiddam tumultus parturbationiſq; plenum è ſtultitia maiore ex parte conſtans per maris fluctus varia & pugnanti ſententia ſæpè iactatum eſſe dicit. Hunc eſſe iudicem cum ille velit in fidei doctrina. certè prius eum doctrinam audire oportet, quam eam vel approbauerit, vel condemnauerit. Nunc in Saxonia audiuntur Flaccciani, audiuntur Eberiani, ſeque mutuò condemnant hæreſeos (& eſt hæciuſtiſſima vtrorumque de ſe inuicem ſententia) non autem audiuntur Chriſtiani : qui media quadam via incedentes iſtis in tenebris Andabatarum more, vt eſt in prouerbio, tam infeſtis animis inter ſe pugnantibus, lucem aliquam adferre poſſent, qua illuſtratis, facilius in viam veritatis, à qua deflexerunt, eis redire liceret. Sed inauditi condemnantur. Quare quid vel dici, vel cogitari poteſt iniquius ? Vident vtroſque illos nimis altercando veritatem amiſiſſe, & poſteaquàm errauerunt ab Eccleſiæ matris vtero, nihil aliud, quam falſa loqui ex vtraque parte. Cur autem non audiunt etiam Chriſtianos, quales fuerunt ante quinquaginta hos annos maiores eorum, quos iſtis nunc Papiſtas vocare viſum eſt? Certò citius ad veritatis agnitionem peruenirent, & Euangelij, quod ab vtriſque tam Flaccianis, quam Eberianis vehementer eſt obſcuratum, claram lucem aſpicerent. Videre licet etiam in Catholicorum quorundam Principum terris, no prohiberi Lutheranæ ſectæ miniſtros, quominus in vulgus magiſtri ſui dogmata ſpargant, & ea pro verbo Dei vendicent. Cur autem qui diſceſſerunt à nobis, idem in ſuis quoque terris de doctrina Catholica fieri non permittant, vt illa quoque vulgò prædicetur. quo ſic, penes quem iudicium de ea eſſe volunt, rectius de vtraque iudicare poſſit: cum non ſolum Eberianos & Flacciános, qui ſuo ſe mutuò iudicio condemnant, & ſibi ſunt inuicem hæretici, verumetiam ipſos audierint Chriſtianos. Audio, quamuis Celſ. Veſtra cum Illuſtriſſimo Domino Principe Electore Saxoniæ nõ conueniat, in fidei doctrina (nam quæ ſocietas luci ad tenebras) conuenire tamen alijs in rebus polyticis, & in diuerſitate fidei quandam eſſe nihilominus inter vos animorũ cõiunctionem, ingens operæ pretium Illuſt. D. V. factura mihi videretur, ſi perſuadere poſſet illi Principi, qui minus longe iam à Regno Dei abeſſe dicitur, ne grauaretur audire, de quibus rebus inter Lutheri miniſtros, Eberianos & Flaccianos tantæ nunc ſunt altercationes, de ijſdem etiam Chriſtianos differentes: & quæ fuerit ſemper, & eſt, & erit de illis conſtans Eccleſiæ doctrina, demonſtrantes. Eſſet hoc nihilominus in illius arbitrio poſitum, vellet eam recipere necne : cognoſceret illa proculdubiò, quod multa per ſummam audaciam atque impudentiam affinguntur Eccleſiæ Dei, quæ nunquam illa docuit, imo contraria potius docuit & docet. Paulatim aperirentur iſtorum oculi, qui nunc in tantis tenebris tam atrociter inter ſe pugnant : impartiret ſuam gratiam Deus, vt claram Euangelij lucem aſpicerent, & ad veritatis agnitionem redirent. Nam quod ſcribit, humano quodam pudore quorundam animos impediri, quo minus in viam reuertantur: vtinam adduci modò poſſent, vt ſicut audiuerunt iam tot annis Euangelium Iſlebienſis Antichriſti, ſic etiam audirent Euangelium Chriſti Dei noſtri tantum de benignitate Dei polliceor, quod eam illis eſſet mentem daturus, vt quanta ſit illius virtus agnoſcerent, & cum Paulo dicerent: Non erubeſco Euangelium ſeque tandem aliquando de poteſtate tenebrarum ereptos eſſe gauderent. Præclarum fuit illud, quod renunciatur de Celſ. veſtra, quod proximis ſuperioribus menſibus, multa millia animarum in Marchonatu Badenſi Chriſto lucrifecerit: cum in ea ditione plurimi ſerpentis aſtutia ſeducti excidiſſent à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto, cum alius illis Chriſtus prædicaretur, quam qui fuit ante mille annos prædicatus. Ingentem ex ea re laudem apud pios omnes, nec mediocrem apud Deum eſt mercedem conſequuta. Sed multò certè redderet nomen ſuum illuſtrius, multò glorioſiorem coronam in cœlo ſibi repoſitam eſſet habitura, ſi rationem aliquam inueniret, qua perfici poſſet, vt, quæ terra in Germania primum excidit à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto, vnde excidit, eo rediret: vt ſicut multis ijs quinquaginta annis fuit mater erroris, ſic eſſet nunc ijſdem dux à craſſis iſtis errorum tenebris reſipiſcentiæ : quod qua ratione perfici poſſe putet, vehementer cuperem, vt ad Protectorem Imperij, quem ego ſummo ſtudio & obſeruantia proſequor, Illuſtriſſimum D. Cardinalem Auguſtanum perſcriberet. Daturus is eſſet operam proculdubio, quaſcunque vias & rationes oſtenderet Celſitud. Veſtræ, quibus id perfici poſſet, vt eæ quem cupimus progreſſum & exitum habere poſſent. Ego quoque pro tenui mea parte, ſi quid ad eam rem adferre poſſem adiumenti, nihil eſſem curæ, diligentiæ, laboris prætermiſſurus.

Albertus Bauariæ Dux Staniſlao Hoſio Cardinali.
Epiſtola CXLIX.

De Duce Saxoniæ reſpondet, & magnam hæreticorum cæcitatem deplorat.

QVæ nuper Reuerendiſſima & Illuſtriſſima Veſtra dilectio, pro ſuſcipiendo ad reducendum in veritatis viam Illuſtriſſimum Saxoniæ Electorem ſtudio, piè & doctiſſimè ad nos perſcripſit, magni quidem facimus: nec deeſſet in nobis ſanctæ huic perſuaſioni vel animus propagandæ Catholicæ Religioni deuotus, vel explicandorum, qui hunc Principem cum multis alijs per Germaniam conſtrictum tenent errorem occaſio. Quam etiam rem ab eo tempore, quo nobis familiarior cum illo conſuetudo interceſſit, non ſemel tentauimus animo certè ſalutem eius ſitiente, at fructu non ita magno. Ac videmus in hoc negotio, non tam ipſam ſeductorum vel obſtinationem, vel malitiam, quàm alia quædam, quæ cuiuſuis potius quam Dei ſunt, Catholicorum Zelo ſtudijſque obſtare. Ingens eſt adulterati, quod pro diuino ſibi obtrudi patiuntur, verbi adminiſtrorum impudentia. Nihil hi ſubterfugiunt laborum, quo eam per quam longe lateque dominantur impietatem tueantur & conſeruent. Et quamuis capitum deliramentis proprijs q; ſomnijſq; lõgiſſimè ab inuicẽ diſcedant: ac non deſint fortaſſe ſub illis cordati & prudentes homines, qui palpare manibus incipiant effrenem improbiſſimorum deformatorum audaciam, ſic vt ad Principes etiam ſuos & Magiſtratum pertingere queat, non eſſe hanc de Deo, deque Dei verbo illorum altercationem, nec finiri debere propter D E V M hanc Tragœdiam, propter quem cœpta non ſit (quæ vel vna fuit ex tot plauſtris mendaciorum vera vox) tamen ijs quæ ad deſipiendum valent, perſuaſionibus veluti cauda quadam impuriſſimæ doctrinæ connexi manent. Sunt hæc infinitorum errorum veluti duo faſciculi, Eccleſiæ Catholicæ contemptus, & ſcelerum impunitas: dumque prius illud vrgent & clamant per ſummam audaciam paſſim omnes, dum Eccleſiam, & ſummum eius in terris Paſtorem perſequuntur, & carpunt omnes, euenire ſolet incautis ſuis auditoribus, vt quæ ementitæ huius doctrinæ buccinatoribus vbique eſt, non animaduertant aut videant miſeri diſcordiam, atque ita pugnantiſſima haud difficulter admittunt, ſi ſolam eam adferant impiam pacem, quæ Romano Pontifici opponatur. Sic Saxonia tolerat Flaccianos, Adiaphoriſtas, Syneretiſtas: & quamuis aliam adorati Idoli Sobolem, non quod eandem doceant conſtanter fidem : ſed quod Papam & Catholicos eadem improbitate audacter odiant & inſectentur. Hoc remanere apud illos vnũ ex numeris, quæ per quinquaginta hos annos peſſimè edocti ſunt, nemo non videt. Hæc eſt ſeductorum iſtorum concordia, per quam inuentis ſuis authoritatem aliquam addunt: hæc, quam Principibus ſuis imponunt, faſcinatio. Cui oportunè ſubiungunt alterum improbitatis ſuæ Aſylum, communem iſtam quiduis audendi tentandique licentiam. Quæ propoſita, cupidorum animos eò penetrat. occupatque facilius, quo nemo eſt quem grauiorem videant, præſentémque magis ſuauis iſtius libertatis hoſtem Pontifice ſummo. His veluti Clypeis duobus, & fide aliquam faciunt ſuis commentis hæretici, ne diſcordes appareant, qui & linguis ſunt, & calamis diſiunctiſſimi inimici, & ſuperiorum etiam expugnant cupiditatem, & poſſeſſionem animant atque confirmant. Quibus in rebus donec ipſa conſcientiæ via ad veritatis & æquitatis agnitionem & reuerentiam adigantur, donec quam ex peruerſis Doctoribus malè addidicerunt doctrinam ad ipſos nouitatis & audaciæ huius fructus ſiſtant ipſi: atque eam, quæ in Catholica eſt ſalutis certitudinem per veram pœnitentiam, ſanumque diu faſcinatæ mentis vſum redire cogitent, parum effecerimus, tam Reuerend. & Illuſt. Cardinalis Auguſtanus, Dominus amicus & compater noſtrer chariſſimus, quàm nos ipſi. Nouit enim ſua Reuerendiſſima & Illuſtriſſima Dil. patriæ morbos, nouit horribilem illam cæcitatem, nouit neſcimus cuius humani pudoris violentiam, nouit denique quam gratum ſit, quamque radices altas egerit apud ſeductos priuati commodi patrocinium quod ex nouo noui Iſlebienſis Euangelij theatro facilliſimè deſumitur. Oramus autem Dei miſericordiam, vt contingant aliquando ſatisfaciendi animo noſtro rationes commodiores, quam eæ quæ tentatæ huc vſque fructum ſuum non ſunt aſſecutæ. Temporis fortaſſe beneficio & efferueſcente nimium reprobi, in quem dati ſunt, ſenſus improbitate

tandem fiet, vt videre oculos, ac intelligere mentem patiantur, qui humanarum traditionum stulto odio, in ipsum humanorum commentorum & errorum barathrum sese præcipitant. Hæc fusius tractare placuit, vt appareant R. Illust. V. Dil. quæ nobis, quæ Catholicis omnibus impedimento sint, vt non tentemus libenter priuatim, aut inutiliter laboremus vt plurimum, Quod publicæ illæ & sanctissimæ eiusdem R. & Illust. V. Dil. aliorumque Ecclesiæ Catholicæ Doctorum admonitiones, non statim assequuntur. Ex quo tamen spes est minimè dubia, redituram omnem Ecclesiæ tranquillitatem cum paleæ hæreticorum, & seminata inimici Zizania, contra purum istud fidei triticum durare non possint. Cuius rei iam etiam videmus exemplum, quod discipulorum audacia præceptorum insanias hinc inde explodat. Sic Lutherum Philippus, sic hos passim succendit Caluinus, donec fumi isti omnes sua sponte euanescant, & cum priscorum hæreticorum figmentis, noui illi immensi librorum & mendaciorum acerui ad archetypum & fontem Diabolum, suo quodam iure redeant. Sed gratiam quoque non habebunt ipsi, quod per Reuerend. & Illust. V. Dil virtutem & labores suæ superuiuere cogentur stultitiæ, Quas, an irrisura sit magis posteritas, an deploratura, non facilè dixerimus: hoc certum est, tam vanas esse & impudentes, vt vel ad primum illarum aspectum explosas & eiectas non fuisse, mirum videatur non immeritò. Badensis Marchionatus non iniustam habemus curam, cum vt sæuientes ibidem hæreses arceantur, tum vt Principum iuniorum, qui nostri sanguinis charissima sunt portio tutior aliquando possessio constituatur. Nec infœliciter procedit negotium, quamuis crepent odio & indignatione hæreses, quæ vicinam veteris Christianismi, non ita diu antè labefactati restaurationem eo ferunt iniquius, quo accidit illis inspérato magis. Sed & de Bauariæ nostræ Catholica tranquillitate, de euersis hæresum & errorum aris, & restituta prisca sanctæ Religionis synceritate, vt intelligat Reuerend. & Illust. V. Dil. breui curabimus. Quæ omnia si quid habent laborum meritorúmque nostrorum, Dei oramus bonitatem, vt id ad fidei profectum & subditorum salutem conducat fœliciter. Benè valeat R. & Illust. V Dil. in ornamentum & vsum Ecclesiæ Catholicæ diu salua & incolumis. Datæ in Castro nostro Starenbergio, vigesimo secundo die Iunij. Anno. M.D.LXXI.

Alberto Bauariæ Duci Epist. CL.

Respondet ad superiorem epistolam, & ostendit manus esse nihilominus admouendas, etiamsi difficultates obiectæ videantur in tanta præsertim hæreticorum diuisione.

QVin Gelf. Vest. Catholicam religionem summo studio propagatam & errores istos turbulentos, quibus prô dolor, plena nunc est Germania, vehementer ex ea cupiat extirpatos, nulli dubium esse potest, qui vel tenuem de ijs rebus accepit auditionem, quas non solum in his terris, quarum Dominus est & hæres, verum & in ea parte Marchionatus Badensis, quam nunc tanquam tutor suorum Nepotum gubernat, magna cum sui nominis laude gessit. Quod autem ad hanc illius præclaram voluntatem, propter nimis obstinatos & obfirmatos quorundam animos in suis erroribus, quibus imbuti sunt, mordicus tuendis, non illi suppetit ea, quam vellemus, facultas, id verò cum prira & sollicitudine, quam gerit in his Christo lucrifaciendis, qui ab illius corporis compage se diuulserunt, quicquam remittendum esse censeo: ne vel de misericordia Dei diffidere, vel de potentia eius dubitare videamur, qui potest etiam de lapidibus filios Abrahæ suscitare. Credidit Abraham in spem contra spem, vt fieret Pater multarum Gentium. Eandem & nos adferre fidem oportet, si volumus esse patres multarum gentium, vel saltem vnius alicuius Germaniæ partis, eius præsertim, ex qua turbulentos errores istos originem sumpsisse. tamque longè latéque dispersos esse videmus, & ingemiscimus. Qui nouas & peregrinas doctrinas hoc infœlici sæculo nostro in Germaniam inuexerunt, tantum fidei tribuere non possunt, quin illi plus etiam à me tribuatur: cum certò persuasum id habeam, nihil esse tam arduum atque difficile, quod, vbi firma fides adest, perfici non possit: nisi quod solam illam fidem, quam tanto perè quidam nunc vrgent, vt id præstare posse credam, adduci nequeo. Conatus aliquis adhibendus, manus admouendæ sunt, faciendũ tamen est aliquid. nam facientes Deus adiuuat. Est ita vt scribit Celsitudo Vestra, quod qui nunc Ecclesiæ Dei tantum negotij facessunt. quorum opera tot eam in partes mirandum & miserandum in modum dissectam cernimus, quamuis capitibus inter se dissecti, caudis tamẽ sunt colligati. Quæ caudarum colligatio fortiores eos & animosiores reddit: cuius rei figuram fuisse quidam ex S. Patrib. memoria prodidit, Quod Samp son vulpiũ caudas colligasse legitur. vulpes enim insidiosos maximè hæreticos significãt, dolosos, fraudulentos, cauernosis anfractibus latentes, & decipientes: de quibus etiam in Canticis dicitur: Capite nobis vulpeculas exterminantes vineas. Reuera nulla re magis proficiunt ad exterminandã vineã, quã sanguine suo Christus plantauit & rigauit, quã ista caudarũ suarũ colligatione. Prætexunt hi quidẽ fraudi suæ nomẽ Euangelij, sub quo specioso titulo fit, vt minore negotio corda simpliciũ in suã nassam pertrahant: verum & hoc interea vident, quod vnus in Ecclesia Pastor, vnus vice Christi Iudex agnoscitur: se, quod maximè

maximè laborant, nimirum vt Christi corpus, vt Ecclesiam eius diuidant, & in tot frusta lacerent, perficere non posse. Quamobrem cuius ministerio sit, vt vnitas in Ecclesia retinetur, illius præpositũ, sicut quidam S. Epũs. & Martyr scripsit infestatione sua persequũtur: quò sic gubernatore sublato, atrocius atque violentius circa Ecclesiæ naufragia grassentur. Et cum in omnibus fere fidei dogmatibus mirabiliter diserepent, ac tanquam Homerici illi Dij, dum suum quisque verbum Dei verbum & Euangelium Christi vocari vult, implacabile bellum inter se gerant: nihilominus in hunc finem, ad hunc scopum tendunt omnes, hanc vnam ad rem colligatas habent caudas istæ belluæ multorum capitum omnes, vt omnes machinas adhibeant, quo possint ex Ecclesiæ naui gubernatorem tollere. Sic enim eam facilius fluctibus agitatam, & ad saxa collisam, discissam, & submersam iri sperant. Neque verò nouũ est hoc, aut hoc nostro tantũ sæculo fieri cœptum. etiã illis temporibus, quibus quot Pontifices tot fuerant S. Martyres, non aliunde hæreses obortas, aut nata fuisse schismata legimus, quàm ex eo, quod nõ agnoscebatur vnus in Ecclesia Iudex vice Christi, cui secundũ diuina magisteria, fraternitas obtẽperaret vniuersa. Vetũ interea videre semper licuit, & nunc etiã licet, quod vbi non agnoscebatur vel nunc etiã nõ agnoscitur vnus ille iudex vice Christi tot ibi necessario sunt fides (si modo fidei nomẽ ſidiærectè tribui potest) quot propemodũ voluntates: tot doctrinæ quot mores: tot cantilenæ blasphemiarũ pullulant, quot vitia sunt: dũ aut ita fides scribuntur, vt volumus, aut ita, vt volumus, intelliguntur: & cũ secundũ vnũ Deum, vnũ Dominũ, & vnum Baptisma, etiam fides vna sit, excidimus ab ea fide, quæ sola est: & dum plures fiunt (inquit Sanctus ille Pater) ad id cœperunt esse, ne vlla sit. Quam autem hæc vera fiat, non solum auribus audimus, verum & oculis ipsi nostris cernimus, quin & manibus etiam contrectamus. Quorsum enim audaciæ & amentiæ progressum iam non est? Estne tam execrabilis & abominabilis vlla secta, quam nunc ex Orco resuscitatam, summo piorum omnium dolore, non videamus? Existimabat Martinus Lutherus euersurum se Papatum Romanum: & simul vt factum id esset, quod ipse docuisset, id haud aliter quam Dei verbum & Euangelium receptum iri: quin autem aliquandiu, plusquam vellemus in Saxonia profecerit, negari non potest. Sed rectè dixit ille, Quod ficta omnia tanquam flosculi citò decidunt. Quid enim? An & ipsius Papatus euersus iam non est? An libellos non vidimus, quibus Caluinistæ, quos aliquando conquestos de Lutheranis fuisse legimus: quod non sustulerint, sed potius ad se pertraxerint Papæ tyrannidem, proque ligneo iugo Papæ, collo excusso, ferreum ab illis sit impositum: an inquam, non vidimus libellos, quibus nunc apertè gloriantur de victoria verbi Dei, & ruina Papatus Saxonici? Iam autem & Anabaptismus in plærisque locis regnare incipit, & Trideismus & Atheismus in pluribus. Adeò verum est, dum plures fides fiunt, quod ad id esse cœperunt, ne vlla sit. Verum latius vagari nunc non libet: quandoquidem de Saxonia tantum agere mihi propositum est. Lutherum etiam missum hoc tempore faciam, qui seditionum fax, & malorum horum omnium fuit architectus. Nec illud commemorabo, quod se turpiter illi seruiuisse Philippus Melanthon, aliquando questus fuit. De ipso Philippo, deque discipulis eius, quin aliquid proferam, tenere me non possum. An Matthias Flaccus Illyricus præceptorem hunc suum pro Ethnico & Publicano habendum esse de tribunali suo non pronunciauit? hoc est, vt ipse interpretatur, neminem pium debere cum ipso, & qui sunt factionis eius familiaritatem, conuersationem, amicitiam habere: & ei qui præsertim nulla iuris necessitate ipsis astrictus aliter fecisset, denunciat lepræ eorum contagium, & ita haud dubie iram diuinã. An hanc illius sententiam, obuijs, quod aiunt, vlnis amplexi non sũt Nicolaus Gallus, Sneppius, Tilmannus, Heshusius, Vigandus, Merlinus, Srigerius, Sarcerius, & quotquot sunt alij factionis Illyricanæ? Qua de re graues ipsius Philippi querimonias legere licet. Sic enim de illis, nominatim autem de Flacco & Gallo, loquitur: Cum isto mirabilium hominum genere agi nihil potest, qui suo arbitrio damnant quidlibet, nequeque personis auditis, neque rebus dijudicatis: cogunt concilia quando & vbi ipsis placet, ac vendicant sibi maiorẽ, magisque intolerabilẽ minus excusabilẽ authoritatẽ & potestatẽ, quàm Papa Romanus vnquam. Quam etiam in Anarchiam euasuram aliquando prædixit. Audiui ex quodam viro nobili & fide digno, qui discipulus eius fuit, & vsque ad finem vitæ illius eo familiariter vsus est: quod adeo Papatum hunc discipulorum suorum ferre non potuit, vt non semel congregari tandem aliquando Concilium Oecumenicum optauerit, ad quod se venturum promiserit, & quicquid in eo decretum foret, summa cum alacritate recepturum. Adeo visus est illi suorum discipulorum, quàm Romanus Papatus, multò durior & intolerabilior, vt ad eum redire, quod etiam ab his ipsis discipulis ei obijcitur, aliquando cogitauerit. Sed ipsis quoque Flaccianis non magis tolerabilis visus est Philippi sui præceptoris Papatus: qui quæcunque dicerentur & statuerentur à se, haud aliter esse rata voluerit, quam si mera Dei forent oracula: de quibus nemo iudicare, quibus nemo contradicere audeat: idque propterea, quod sicut Papa Petri Cathedræ, sic ille Lutheri Cathedræ & eius Spiritus hæres esse vellet. Ita videmus, quod post excussum legitimi Papæ iugum, dum in Saxonia Papam agere quisque vult, nec Ienenses & Vinarienses, VVittembergensium & Lipsensium, nec illorum hi Papatum ferre potuerunt. Inde tot sectæ tam inter se dissectæ natæ, etiam inter ipsos Lutheranos: inde disputationes illæ Aldemburgicæ: quæ tandem eo progressæ sunt, vt vtrique alteros ex Ecclesijs suis eiectos, hæreseos condemnarent. Sed quo tandem ad extremum res redijit? Qui nouam quandam Historiam Ecclesiasticam omni genere mendaciorum refertam scripserunt Germani Lutherani, an graues eorum querimonias non legi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus, de nouo quodam & inaudito Paparum genere, quos aliquando Polyticos Pontifices aliquando Polyticos Antichristos vocant, quod audacissimè formas Religionum ex cerebro suo fundunt, & formulas præscribunt, quas imperiosè verbi Dei ministris obtrudunt & res ad Pastorum officia pertinentes, nefariè & impiè ad se rapiunt. Olim, aiunt, Romanus Præsul potestatem sibi sumebat, Leges etiã Polyticas non modo reformandi, sed etiam delendi. Quid verò nunc fit? Pro vno Pontifice innumeri è Polyticis à forensibus rebus ad Ecclesiasticas transcendunt: & non contenti suis metis, Religionum formulas cum sceptro, gladijs, & fulmine Iouis exhibent, falcem in alienam messem mittunt: & alienam functionem temerè inuadunt, sanctumque sanctorum intrant, quemadmodum Osias. Qui cum sint Polytici Magistratus, tamen magno supercilio audent religionum formas componere, easque Ecclesiæ ministris offerre, tali cum imperio, ni applaudant sine contradictione, suo sceptro se illos expulsuros aut punituros. id quod etiam factitant absque omni misericordia. Factitarunt autem reuera. Nam & Flaccium & Vigandum huius fabulosæ Historiæ authores, & Heshusium, & alios nonnullos ex his Ciuitatibus, in quibus Papas agere volebant, isti Polytici Pontifices magna cum ignominia, partim carpentis, partim carbonarijs curribus vectos, educi iusserunt: quorum certè vicem nemo dolere debet. Sic enim isti voluerunt. Qui legitimus vniuersalis Ecclesiæ Pastor est, Romanum Pontificem reiecerunt, & eius iugum excusserunt. Ecce nunc illius loco, facti sunt innumerabiles Polytici Pontifices, magis illis intolerabiles, quam fuerit Papa Romanus vnquam. Quod autem Ecclesiastico, idem vsu venisse Polytico quoque Magistratui videmus, vt in Anarchiam quandam res euadere velle videretur. Quis enim ignorat, posteaquam Euangelium suum (Sic enim illi suam impuram doctrinam vocare visum est) quod sub scamno diu latens (qua de re maximè gloriatur) in lucem produxit Martinus Lutherus, quid fuerit ex eo consequutum? Rustici contra suos Principes & Dominos arma sumpserunt: & sicut Romani Papæ, sic eorum quoque iugum excutere conati sunt. Scripserat aliquando Lutherus ad illum verè Christianum, verequs Catholicum & memoria sæculorum omnium dignum Georgium Saxoniæ Ducem, & eum hortabatur, vt suum Euangelium reciperet: ille verò cum fructus illius enumerasset, respondens Luthero, Bonum profectò foret, inquit, illud adhuc sub scamno latere. Nam si adhuc alterum tale produxeris Euangelium, nos nullum conseruabimus rusticum. An autem his finibus circumscripta fuit istorum (si Dijs placet) Euangelicorum effrenata quædam audacia? An ipsi quoque nobiles & Principes, contra suum Dominum cui iureiurando fuerant obstricti. Dei verbi propugnatorem accerrimum, verè magnum illum Carolum Imperatorem insurrexerant? nec amplius Imperatoris, verum Caroli à Gandauo nomen illi tribuerant? Vidi libellum quendam, in quo sedentem pro tribunali Christum depinxerunt, sententiaque lata, laudatissimum Imperatorem illum de solio suo Imperiali deturbantem. Verum sententiam hanc Christus ratam nunquam habuit: sed illos ipsos, qui tam audax facinus patrauerunt, de sedibus suis deiecit. An autem in Gallijs etiam simile quiddam factum non est? Nónne Condęo Ludouici XIII. nomen impositum fuisse narrabatur? qui duce temeritatis huius, ipse quoque quas merebatur pœnas dedit. Idem in Scotia, idem & in Belgio, idem & alijs quibusdam in locis vsu venisse scimus. Vbi non prius Principibus, quos vocant sæcularer, rebellari cœptum est, quam Romani Pontificis iugum excussum fuisset, Cuius vbi salua est authoritas & potestas, salua simul est Regum & Principum dignitas & Maiestas. Quos enim vident subditi constitutam à Deo potestatem reuerenter agnoscere, & ei debitam obedientiam præstare, non inuiti suas quoque ceruices eorum iugo subijciunt, & ad omnia imperata facienda se promptos & paratos offerunt: vt si quorum aliorum, certè magnorum Principum hoc imprimis interesse plurimum videatur, vt sanctæ sedi Romanæ, quæ debetur ab omnibus, reuerentia & obedientia semper præstetur. Quam qui tuendam suscipiunt, quid aliud quam suum ipsorum honorem, suam dignitatem, sibique debitam à suis fidem & subiectionem tuendam suscipiunt? Ac si quenquam alium, tum Germaniæ Principes, Electores præsertim, in id studium toto pectore, quod aiunt, incumbere oporteret. Cum illud in confesso sit, quicquid ea de re blaterent hæretici, Sanctæ sedis huius beneficio factum esse, quod ad illos Imperij gubernacula delata sunt, quæ penes Græcos aliquot ante sæculis fuisse, nemo est qui nesciat. Sed quamdiu persuasum est Principibus istis illebiensis Antichristi Martini Lutheri verbum, Dei verbum & purum putum Euangelium esse: quod verò docetur à Pontifice Romano cum, Euangelio CHRISTI pugnare, quamlibet sit Sanctus Pontifex, qualem nunc habere certè videmur virum summa religione præditum, in cuius vita nihil est, quod vel inimicus reprehendere queat: tamdiu nihil est, quod illius authoritate cum istis Principibus fructuosè quicquam agi possit. Sed si quis in eam curam incumberet, vt illis persuadere conaretur, prius vt explorarent, num vera sint, quæ nescio cuius verbi (verum hoc scio, quod non Dei verbi) ministri, de Pontificibus Romanis tam impudenter (sit honos auribus Celsitudinis Vestræ) mentiuntur, rem ille magnam & summa laude dignam præstaret, neque de Germania solum verum etiam de vniuersa Republica Christiana præclarè mereretur. Philippi doctrinam profiteri Vittembergenses & Lipsenses, tanquam Dei verbo & Euangelio CHRISTI consentaneam, obscurum non est. At queritur Philippus de quodam mirabilium hominum genere, qui suo arbitrio damnant quidlibet: neque personis auditis, neque rebus dijudicatis. De hoc mirabilium hominum genere, si magistri quidam & sunt ministri Saxonici, mirum non est. Plurimum enim illorum refert, vt non audiantur ij, qui

ij, qui semel auditi fuerint, iam erant ipsorum mendacia detecta. Sed quod Principes idem faciunt, præcipuè verò Princeps Elector Saxoniæ, qui Philippo præceptore gloriari, & eius verbum pro Dei verbo recipere dicitur: id verò mirandum vel stupendum potius est. Audit is non solum Eberianos, verùm & Flaccianos, qui plusquam varinia-no odio se mutuo prosequentes, de suo alteri alteros cœtu eijciunt, & se inuicem hæreseos condemnant: quin autem vtriusque partis de altera vera sit hæc sententia, nemo pius dubitare potest. Sunt enim reuera tales vtrique, quales esse se mutuò vtrique decreto pronunciant. Audiuntur nihilominus vtrique. Quin & Caluinistæ feruntur, nec eos condemnare quisquam audet. Atque cum hæc scriberem, allatum fuit, hoc anno Caluinias nam quoque Catechesin à Vitembergensibus editam esse, contra quam scripseruut Lipsenses, Kemnicius, & Melchior Clingius nuper adeò defunctus. Ita de virtute in virtutem: de Lutheranismo ad Caluinismum: de Caluinismo ad Anabaptismum: de Anabaptismo ad Trideismum: de Trideismo ad Atheismum. Nam & alterius Principis edictum non ita pridem legi, qui vicem Anabaptistarum dolens, quos ante mille ducentos annos hæreticos, capitalique supplicio dignos esse pronunciatos legimus, vult, vt audiantur omnino, nec indicta causa pro condemnatis habeantur. Si audiuntur Flaccians: quos Manichæismi & Arianismi condemnant Eberiani: si audiuntur Caluinistæ, si audiuntur Anabaptistæ, pridem ab Ecclesia damnati, cur non idem fiat etiam Papistis? Nam sic nunc quibusdam contumeliæ scilicet causa. vocare visum est Christianos: propterea quod à Deo constitutæ potestati, quam debent fidem, subiectionem, & obedientiam præstant. Sic apud Lutheranos horrendum designari scelus existimatur, si sublimiori potestati se subditum esse aliquis profiteatur: cum id apud Christianos maximæ laudi & gloriæ ducatur. Cur igitur non audiantur etiam Papistæ: non quod in disputationem aliquam cum Lutheristis descendere debeant: sed vt vocet aliquem Princeps Elector ad se, & ex eo quærat, verbi gratia, qua de re nunc inter Eberianos & Flaccianos disceptatur, de doctrina Iustificationis, Estne verum, quod vos Papistæ (libet enim hoc vti nomine nobis cumprimis glorioso) nihil docetis de fide intuente non nostram dignitatem, sed mediatorem, & accipiente remissionem peccatorum, & hæreditatem æternæ vitæ propter Christum? Quod iustum aliquem esse pronunciatis propter suas virtutes, & afflatum diuinum, nihil addentes de fide mediatoris, Et quod officium solus habet Christus, id in opera transfertis? Quod si hæc & eius generis alia quæreret ex aliquo Doctore Christiano (quem ipsi Papistam vocant) statim rei veritatem exploraret, & quam ista falsò nobis tribuantur, disceret, simul sanam his de rebus Ecclesiæ doctrinam cognosceret. Nunc ille nihil aliud, quàm credit suis magistris & ministris: quos tamen videt fidem Confessionémque suam quotannis ferè variare, & mutuis iudiciis inuicem hæreseos condemnare. Credit crassissimis mendacijs eorũ, & quæ dicũtur ab illis, eodẽ loco, quo Dei verbũ & Euangeliũ habere videtur. Hæc opinio, quoad ex illius animo nõ fuerit euulsa, quoad firmiter persuasũ habuerit, q̃ cum verbo Dei, pugnãtia Põtifex doceat, equidẽ, quid agi rectè possit cũ hoc Principe nomine Pontificis non video: nisi prius veritate perspecta rei de sentẽtia sua dimoueatur, Proximè superiore anno Cæs. M. Rex Galliarũ, & meus quoq; Rex, quin & hic ipse Princeps Elector, miserunt in Pomeraniam Oratores suos, de pacificandis Daniæ & Suetiæ Regibus. Cum autem allatum eò fuisset, Pontificem vna cum Rege Catholico, & Venetis belli societatem contra Turcas iniuisse, cæteros quoque Reges & Principes ad eandem Societatem inuitare, scripserunt huc quidam ex his, qui Oratoribus Regis mei fuerunt, quòd hominibus illis Lutheranis, nulla ratione persuaderi potuit, Pontificem huius tam sancti fœderis authorem esse: quem pridem conspirasse cum Turcis, vt verbum Dei (sic enim vocant verbum Lutheri) tanto facilius opprimeret, constanter affirmabant, Quam etiam ob causam quotidie cantare, quemadmodum ab idolo suo Islebien. docti sunt, Behütt vns Gott vor dẽ Bapst vnnd Turckenmorth. Quicquid autem in contrarium afferebatur à Christianis ad veritatem confirmandam: sic eorum animis inhæserat hæc opinio, tam fuit in illis radicata, Pontificem cum Turcarum Tyranno pridem aduersus Euangelium conspirasse. vt ab ea deduci nullo modo potuerint. Quam verum est hoc, conspirasse cum Turcis Pontificem: tam verũ est, quod illius doctrina cum Euangelio pugnat. Cur itaque Princeps Elector, quam verum sit, quod à magistris & ministris eius iactatur, non exploraret: cum præsertim non ignotæ sint illi mirabiles technæ, variæque calumniæ, quibus isti ministri Lutherani subditos contra potestatem à DEO constitutam incitare solent: quandoquidem ipse suo periculo didicit. Ante quinque plus minus annos, legi quendam librum Epistolarum, quas ad inuicem scripserunt Princeps Elector Saxoniæ, & qui nunc est in custodia Dux vinariensis, qui Gottam aliquando possidebat: inter alia reperi, quod etiam ipse Princeps Elector, per eius qui cum bellum gerebat ministros, in summum odium apud suos subditos adducebatur, quasi descisse vellet ab Euangelio (Sic enim illis Lutheri doctrinã vocare visum est) vt per hunc modũ alienatis ab illo subditorũ animis, facilius ad arma contra suũ Dominũ capiẽda prouocarẽtur: qua de re, ne minimã quidẽ ille cogitationem susceperat. Cum itaque suo periculo didicerit, quibus artibus vtantur isti ministri, quo possint subiectis sibi populis inuisos Principes reddere: cur tãto diligentius nõ inuestigaret, num tale quid etiã de Pontifice fiat, de quo monstrosa multa sæpenumero fingi nõ ignorat, sed quale per Deum immortalem, est hoc euangelium, ex quo nihil aliud, quam odium, quam contemptus, quam seditio docetur, contra legitimam potestatem à Deo constitutam? Summa totius Euangelij, quod à Papistis docetur, Charitas est hanc esse plenitudinem legis, hac omnis præcepti finem, ex hac pendere legem & prophe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prophetas, fidelibus persuadetur. Quod autem Euangelium à Lutheristis prædicatur, summa eius est odium & rebellio contra Magistratus, vt ex eorum numero esse videantur, de quibus in Canonica sua scripsit Iudas Apostolus, Quod carnem mandant, dominationem spernunt, Maiestatem blasphemant. Hoc odio sic homines ab illis excæcantur, vt verum cernere nequaquam possint. Hoc odium si posset ex eorum animis euelli, præsertim eius, de quo sermo nobis nunc est, Principis Electoris, quem à Regno Dei minus longe abesse confiteri videntur etiam ipsi Flacciani, cum non semel eius ministris obiciant, quod in Papismum, hoc est, Christianismum inclinent, & ei iam fores aperuerint. Si posset adduci Princeps ille, prius vt audire tamen dignaretur doctrinam, quam inauditam condemnauit, in certam spem venirem, quod statim Idolo isti suo Islebiensi nuncium remitteret: & ad CHRISTVM in Bethleem natum se totum conuerteret: atque ita sublato odio, quo fuit per suos ministros inflammatus, ad vnitatem Ecclesiæ primo quoque tempore se aggregaret. Cæterùm per quem negotium hoc rectè confici possit, alium non reperio præter Illustrissimam Celsitudinem Vestram, quæ si mitteret ad eum aliquem, qui cum eo tractaret hac de re, vel per occasionem id ipsa faceret, si quando præsentis illius potestas daretur: tantum de misericordia Dei confido, quod illius tam pijs conatibus minimè defuturus esset. Nihil autem initio aliud, quam explorandum animum illius esse censerem, an sit laturus, vt aliquis ad eum Papista mitteretur ex quo, quæ sit Ecclesiæ doctrina de rebus controuersis, expiscari posset. Si facilè se laturum responderet, meo iudicio Reuerend. Pater Canisius ad eum ablegari rectè posset, qui cum non doctrina magis quam pietate sit insignis, & si quispiam alius in istis controuersijs cumprimis exercitatus, non dubito, quin & exemplo suo, & eruditione, magnum esset operæ pretium facturus: qua tamen de re, nisi communicato prius consilio, cum Serenissimo D. Nostro statui quicquam nollem, Quod curæ futurum Illustrissimo Domino meo Cardinali Augustano Sacri Imperij Protectori non dubito. nam ego propter intolerabiles istos calores, quibus ardere nunc Roma videtur, in hanc solitudinem ex ea me subduxi, nec ante sesqui mensem in vrbem redire cogito. Quantam autem ex ea re laudem referret Illustrissima Celsitudo vestra, si perfectum esset illius opera, vbi primum Dei verbum & Euangelium Christi reiectum, & illius loco verbum Islebiensis Antichristi receptum est, vt ibi quæ iam per annos L. & amplius obscurata est Euangelij lux, discussis illis tenebris, in quibus Andabaturum more, ipsi quoque pugnant inter se ministri Lutherani, iterum pristinus ille splendor Euangelicæ veritatis inciperet affulgere: quam illi coronam redditurus esset in illa die, qui non obliuiscitur operis boni iustus ille Iudex? Mihi quidem in re fœliciter gerenda, minus fore difficultatis videtur, quam est multorum opinio, Modo non desit, qui plantet atque riget: nec quo minus hoc munere fungatur quisquam impediat, piorum precibus placatus, dabit proculdubio Deus incrementum. Ingentem sibi mercedem in cœlo repositam habet Illustrissima Celsitudo vestra, cuius opera factum est, vt non solum in hæreditarijs illius terris, verum & in Marchionatu Badensi, tot animarum millia Christo lucrifierent, & qui fuerant doctrinis varijs & peregrinis abducti, in viam reducerentur. Sed ea multo maior est futura, si perfecerit, vt quæ ante septingentos & amplius annos desponsata vni viro, per tot sæcula virginem se castam exhibuit Christo Vittemberga, cæterum serpentis astutia seducta, iamiude ab annis quinquaginta & amplius excidit à simplicitate fidei, quæ est in Christo, & ab eo fornicata, non solum Saxoniam vniuersam, verum & magnam Orbis Christiani partem, suis fornicationibus polluit, & contaminauit. Si perfecerit, inquam, vt hæc Vittemberga, remisso nuncio Idolo suo Islebiensi, ad virum suum Christum, cui fuit ante annos septingentos desponsata, quasi postliminio reuertatur, & quod illi sub Magno illo Carolo Imperatore fuit Euangelium prædicatum, denuò recipiat, nec in aliud Euangelium ab eo se deinceps transferri patiatur. Quam vt illi mentem Deus inspiret, simul etiam pios Cels. Vestræ conatus prosperetac, in multos annos tam verè Christianum, Catholicum, & Orthodoxum Principem in columem & fœlicem nobis conseruet, supplex misericordiam eius implorare nunquam intermittam. Datum Sublaci 24. Augusti. M. D. LXXI.

Post scripta &c.

ILlud quoque latere Cels. V. nolo, quod ante menses aliquot accepi literas ex patria, quibus certior sum factus, Quod quidam nobilis adolescens non ita pridem Lipsia redierit, vbi dedit aliquando literis operam, & quamuis inter Christianos degeret, non tamen propterea Christianus esse desijt: eum narrasse scribitur, Quod interdictum Lipsiæ fuerit, ne vel in templis vel in scholis Lutheri scripta quisquam allegaret: Sed Philippi Melanthonis tantum. Cui rei suspicor causam dedisse disputationem Aldemburgensem. Nam Vinarienses ministri ferre nulla ratione potuerunt, vt ex eo libro Philippi, quem inscripsit Corpus doctrinæ, testimonia citarentur. Nunc in eorum odium factum fuisse verisimile est, quod solum Philippum, non autem Lutherum Lipsenses allegari volunt. Ex quo sperare nobis licet, quandoquidem tot iam annis Lutheri verbum pro Dei verbo semper habitum, eo loco haberi iam desijt, Quod idem non multò post eueniet etiam Philippi verbo.

Alber-

Albertus Dux Bauariæ Stan. Hosio Cardinali. Epistola CLI.

Respondet ad superiores de Duce Saxonia.

NIhil sanè ad vlteriorem hanc piam valdè, Christianamque Dilectionem Vestræ cohortationem adijci nobis potuit aliud, quam non exiguus quidam mentis dolor, quod multis, imò omnibus pene rebus eiusce modi nostra studia arceri videmus isto loco, ex quo tam illustris, & vtilis Ecclesiæ victoria speraretur. Scripsimus ea impedimenta superioribus nostris prolixè satis, nec dum etiam videmus, qua ratione tentari possit fœlicius, quam antea, negotium illud non ita leue. Ac à nobis quidem desideratur imprimis, quod Principem illum cognoscendi ex contrarijs suæ opinioni scriptis veri, nondum ita cupidum esse intelleximus, vt oblatos saniores libros facilè admittat. Ponesalterum verò, quod æque magnum est, vt videlicet differentem quempiam virum doctum & pium, libenter & pacatè audiat, tantum omnino difficultatis appareat, quantum est huic rei periculi ex ijs, quibus inueteratæ iam consuetudinis, quasi quodam morbo captiuus propemodum addictus est, non malus alioqui Princeps, pessimorum consiliorum authoribus. Quibus quidem non tam fortasse religionis odio, quam priuati, quod illis est ex direptis Ecclesiæ bonis, commodi gratia, diuersum à nobis suadentibus, contingat facilè, vt porrectas nobis Principis aures (impijs quod sciunt si semel salutaribus monitis pateant consilijs suis posthac minus parituras) penitus obturent & auertant. Quod vel tum maximè accideret, si Doctoris Canisij, aut similis alicuius excellentis Theologi fama loca illa perterreret. Quales certè, si Principi & alijs cordatis viris loqui prohibeant (librorum etenim aditus facilè prohibetur) magnam putant in eo sitam esse rerum suarum fiduciam: nec certè falluntur etiam. Nam vel ipsa generosæ mentis vis atque bonitas, post auditam veritatis explicationem, si non errores statim omnes, at ipsam profectò turpem & miserandam sub impurissimo & iniquissimo hæretici colluui ei dominio, seruitutem & captiuitatem aperiret, eamque squalidissimi cœtus (quem Ecclesiam suam iactitant insani isti diuini verbi deprædatores) tyrannidem, nobilissimis animis inuisam redderet. Ac ô vtinam hoc solum nobis aliquando detur, vt si non statim obsequentes, liberas saltem colori aures reperiamus, aut non omnino surdas. De fructu tam non dubitaremus, quam est impetratu non difficile, vt eductus aliquis ex tenebris, postquàm lucem aspexerit, videre se iam fateatur. Ea autem in re instituenda promouendáque plus sanè spei aleremus, si vel vnus esset Principi Catholicus, aut saltem non prorsus ab æqui iudicij vsu remotus Consiliarius, cuius opera & fide, aliqua possent poni bona initia. Sed Domini exercituum, cuius hæc est causa, ingenti miseratione fieri potest, vt offusæ nebulæ concidant, Solisque beneficium admittant tandem: atque ita pijs multorum piorum conatibus restituatur, quod paucorum impietate est deiectum & euersum. Quod si effectum aspicere poterimus aliquando (iuuare & promouere malle mus equidem) tum demum & vitæ nostræ gratulabimur, & posteritati, de magnis illis conuulsæ Religionis motibus, timebimus minus. Bellissimè valeat Reuerendissima Vestra Dil. cui ad synceræ amicitiæ studia & officia sumus omnino paratissimi. Datæ in Ciuitate nostra Monachio 6. die Octobr. Anno &c. LXXI.

Innico Aualos Cardinali Aragoniæ. Epistola CLII.

Consolatur de morte fratris.

EXobitu fratris viri cumprimis Illustris, quin Celsitudo tua magnum dolorem acceperit, mihi dubium non est. Nam quo fuit ille vir melior, & omni virtutis genere præstantior, quo maiore cum laude sui nominis in maximis rebus domi forisque prudenter & fortiter gerendis versatus est, quo magis etiam insignis in eo pietas erga DEVM elucebat, hoc magis non fratribus tantum suis, & propinquis, verum & alijs omnibus qui vel tenuem de præclaris virtutibus eius auditionem acceperunt, sui desiderium reliquit: vt ego quoque non potuerim illius mortis non vehementer perturbari. Vnde facilè coniecturam facere mihi licuit, qui mæror fratris fuerit, cum hic ad eum tam tristis nuncius allatus esset. Quanquam, quæ est innata clarissimæ familiæ Vestræ animi fortitudo, si recenti re non commoueri non potuisti, diem tamen mitigasse dolorem hunc tuum, neque commisisse te, plus vt affectio in te, quam ratio potuisse videretur, certò persuasum habeo; Cum præsertim, quod in diuinis oraculis legimus, id verè de fratre tuo dici possit, mortuus est & quasi non est mortuus. Similem enim reliquit sibi post se. Reliquit enim is, vt audio, filium præclara quadam indole præditum, qui iam eos in hac adhuc tenera ætate virtutum igniculos iacere dicitur vt magnam de se spem faciat, Quod non paternas modò, verum & auitas virtutes, si non superaturus, certè sit æquaturus. Cum itaque viuat in illo frater tuus, quin viuat & pater tuus, vir insigni scientia rei militaris præditus, & cuius nomen rebus in bellis fœliciter gestis sub illo magno Carolo Imperatore, summis est laudibus celebratum, plus ex eo solatij capere debes, quam doloris ex fratris tui dormitione. Nam quod à seruatore nostro dictum aliquando legimus: Non est mortua puella, sed dormit, hoc tibi quoque dictum ab eodem

Universidad de Deusto
Biblioteca

eodé est totidé verbis existimato, Non est mortuus frater tuus, sed dormit, dormit excitãdus à somno, quando visum illi fuerit, quos nunc mortuos existimamus, eos in vitam reuocare. quod fortassis opinione nostra citius euenturum est. Quam nos vitam esse putamus, ea demum vera mors est cum illa vita comparata, qua frater tuus in cœlo iam potitus est, qui tibi gratulatione potius quàm luctu prosequendus est, Quòdiam illis gaudijs, & quidem sempiternis cum spiritibus beatorum fruitur, Ad quæ nos in hac lachrymarum valle gementes & flentes aspiramus. Quamobrem etiam atque etiam illius vt memineris facito, quod à Sancto Patre quodam est dictum, Grandis pietas in suos, impietas in Deum est. quamuis non tantum in Deum, verùm etiam in propinquos parum pius est, qui beatiorem illis vitam inuidet. Hæc ego Cels. Tuæ nunc scribenda duxi, non quod monitis temeis indigere putarem, deque animi tui robore dubitarem, sed magis vt officio meo ne defuisse iudicarer. Tu verò pro tua prudentia animique celsitudine facies vltrò, vt dolori tuo imperes, fratrémque tuum precibus apud Deum & sacrificijs, quàm luctu prosequendum esse putes. Quod superest me seruitutémque meam qua summa possum animi mei submissione, Cels. Tuæ defero, quam Deus in multos annos seruet in columem. Datum Sublaci. 23. Mensis Augusti Anno Domini 1571.

Antonius Maria Gratianus Stanislao Hosio Cardinali. Epistola CLIII.

Pro salutatione gratias agit, & de rebus Anglicis significat.

NOn essem ausus ad D. V. Illust. scribere, ne ei temporis huius molestiam adderem inanibus epistolis, nisi me ipsa prouocasset salute, quam mihi in Cardinalis mei Commendoni literis humanissimè adscripsit. Quæ quidem significatio benigitatis & beneuolentiæ D. V. Illustrissimæ erga me penè illam ipsam salutem attulit, quam mihi precata est. Sic enim iucunda hæc fuit D. V. Illustrissimæ non solum memoria mei absentis, sed cura afflictæ huius & perditæ valetudinis meæ, vt animi voluptas, quam inde cœpi, etiam corporis infirmitatem magnoperè subleuarit. Itaque non de eo solum gratias ago Dominationi Vest. Illustrissimæ, quod meæ quoque memoriæ aliquid operæ impartiri dignata sit: sed etiã quod mihi cum imporunis semper morbis miserè luctanti, beneficium hoc tempore magnum dederit. Inane profectò nostrum studium cœli, & locorum salubritates perquirendi. Romam ego reliqui calorum & æris grauitate propè infamem, & mihi postquàm in has amænitates veni, rectè adhuc quidem satis nunquam fuit: interdum etiam vehementer laboraui. Nihil igitur mihi longius quam Romam reuerti, vbi in colenda & obseruanda D. V. Illustrissima, contingere mihi possit aliquando facultas aliqua illi deseruiendi: quod mihi pluris erit, quam vel possidere hæc quæ quotidiè ex his tumultis prospectamus: quorum prospectuum pulchritudine & varietate sic capitur Cardinalis meus, vt eum hoc recessu & solitudine sua nihil videatur conferre. D. V. Illust. sæpè desiderat, quam si haberet, næ ei viles vel septem isti colles essent, ex quibus digito cœlum contingere se multi putant. Sed haud longa morã duorum mensium futura est. Intereà Deum rogamus, vt valentem D. V. Illust. conseruet, & ego ab illa peto, vt mihi suam gratiam conseruet, quam si minus alijs rebus summa certè & singulari in D. V. Illust. pietate promereri mihi videor. A Sandero de rebus Anglicis longas nuper literas accepi, quas ad D. V. Illust. non mitto, quia vetera ferè sunt quæ scribit præterquam in postrema epistola. IX. Calend. Iulij data, quam ego D. V. Illust. mitto, contra quam velle videtur Sanderus, qui tristia ne mærorem D. V. Illust. afferant, scribere ad illam non audet. At mihi visum est non debere D. V. Illust. ignorare, quam scitè adhibitum sit illud remedium quod istinc missum in Angliam est. Eos quorum causa tota suscepta res est cœlatos habuisse, apud eos promulgasse, à quibus erat animus canere bonis. Igitur prius intercepti plærique sunt, quam vti nostro benficio potuerint. Datum Tuderto die XXIX. Iulij. M. D. LXX.

Stanislao Carncouio Episcopo Vuladislauiensi. Epistola CLIIII.

Quod frustra de compositione inter Christianos & Hereticos laboretur, & de Nunciorum Terrestrium officio.

QVamuis tardiores quàm cupiebam, mihi tamen gratissimæ acciderunt R. D. Vestræ literæ. Finem præteritorum Comitiorum daturum initium iis quæ nunc habentur, pridem augurabar, cùm literas quas recessus vocant, anni prioris legissem: & puto me misisse R. D. Vestræ, quæ scripseram ea de re Maiestati Regiæ. Faxit Deus vt horum Comitiorum finem fuisse lætiorem audiamus quàm qualem in præteritis annorum aliquot vidimus. Sed quamdiu Christum apertè confessi non fuerimus, quamdiu vel metus vel pudor id nos facere prohibuerit: tamdiu quem volumus Comitiorum exitum sperare non possumus. Vult habere Maiestas Regia quieta Comitia, ne faciat ex illis Concilia. Nam de rebus ad Concilia spectantibus, quod etiam anno superiori dicitur vltrò confessa, non est eius personæ, quam Deus imposuit illius Maiestati. Satis multa iam habuimus Concilia, & quod proximis superioribus annis fuit congregatum, id missio ab ea Oratore suo, quæ pietas est Maiestatis illius, iam satis approbasse videtur. cùm præsertim illius actæ, qua par fuit reuerentia, ex mente Illustriss. Domini Legati, in eo Conuentu qui fuit Parczoniæ habitus, receperit, & eis assensum præbuerit. Quamobrem, quæ de religione compositio & concordia fieri possit inter ordines, aut debeat, equidem non video. Vel vicinorum exemplo discere potuimus, quem fructum ista compositio per varia colloquia quæ sunt habita etiã inter eiusdé, hoc est, Lutheranæ perfidiæ homines, attulerit. Multò magis discordibus & acerbatis animis ab illis colloquijs, quæ Lutherani ipsi habuerunt inter se, discessum est ab vtraq; parte, quàm ad ea ventum fuerat. Et nunc Geneuenses & Brunsuicenses ministri grauiter queruntur, quòd vnde cœpit initium Dei verbi & Lutheri, (sic enim ipsi loquuntur, nimirum Paulum imitati, qui dicit nonnunquam Dei & Christi, illi verò Christi loco, ponunt Lutherum, vt sibi cum Christo in Bethleem nato nihil esse commune planum faciant, & illius loco potius Antichristum Islebiensem se colere velle non obscurè ferant.) Querunturitaq; quod vnde Lutheri verbum quem pro Christo colunt & adorant, sumpsit exordium in ea ciuitate, nimirum VVittembergensi, nuper sit Catechismus editus, qui Lutheri Catechismum prorsus euertat, & eorum dogmata statuat, quos ille ad finem vsq; vitæ suæ grauissimè semper fuit persecutus, & non tylo refutandos, verùm sceptro Magistratus coërcendos esse docuit. Hunc fructum attulit ea compositio, de qua tractatum fuit in Aldemburgensi colloquio. Quod verò Posiaci habitum fuit in Gallia conciliabulum, in quo Papam agebat fœmina & puer, quam graues ex eo calamitates consequutæ sint, per totos vndecim annos, R. D. Vestra non ignorat. Quamobrem nihil opus est compositionibus istis, multò minus Nationalibus Concilijs, quæ nonnulli dicũtur expetere. Quę Patrũ sunt, ea teneamus: quèadmodũ in omnibus Oecumenicis Concilijs à pijs omnibus dictum esse legimus, à quorum placitis si discesserimus, & secus quàm illi de verbo Dei iudicandi potestatem nobis arrogauerimus, contentionum harum finis erit nullus. Tractent Nuncij de rebus ad Rempub. pertinentibus: quæ verò spectant ad religionem, de his ad Episcopos cura pertinet, vt illi dent operam, vt ea quæ sunt in Concilio Tridentino constituta, seruentur inuiolata. Sic si suo quisq; functus erit officio, nec in alienam messem falcem immiserit, & celeriorem & magis optatum comitiorum exitum Regia Maiestas est habitura. Quæ si permiserit, vt impunè liceat credere cuiq; quicquid libet, nec nomine religionis ad vllum tribunal reuocetur, etiam ratione permittet etiam necessario, vt cuiq; liceat facere quod libet: & quamlibet atrox facinus aliquis designauerit, nullius tamen iudicis tribunal metuat. Mihi vehementer probatur, quod hæreticis datum est responsum, atq; vtinam in proximis superioribus comitijs darũ simile fuisset. Nunc fortasse molestijs istis careremus. Est autem singularis Dei gratia quod etiam Lithuani, qui tamen alieniores à fide Catholica fuisse videbantur, coniuncti cum ordine nostro fuerunt. Ex his autem quæ scripsit ad me Illustriss. Cardinalis Legatus intellexi, quod in religionis causa tuenda, nullus fuerit inter omnes qui nostri sunt ordinis, grauior, fortior, & constantior R. D. Vestra, quo nomine plurimum illi gratulor, & eram hoc illius de R. D. Vestra testimonium exhibiturus Pontifici, sed mors illius, quò minus id facerem, impediuit. Ex alijs quoq; literis R. D. Vestræ fuit mihi pergratum, quæ sunt terrarum Prussiæ nomine acta, ea cognoscere. Quod R. D. Vestra, idem ego sentio. Nubecula fuit: neq; dubito, quin iam pertransierit. Quod superest opto R. D. Vestram diu bene feliciterq; valere. Datum Romæ die X. Maij, Anno M. D. LXXII.

Antonio Mariæ Gratiano, Illustriss. D. Cardinalis Commendoni in Polonia Legati, Secretario. Epist. CLV.

Gratulatur quod in Poloniam cum Illustrissimo Domino Legato incolumis peruenerit, & vt bono sint animo hortatur, causamq; Christi intrepide tueantur.

SVperatis tandem omnibus quamlibet magnis impedimentis, ad constitutum locum vos peruenisse gaudeo. Deum precor, vt quæ restant impedimenta multò maiora, ea pari felicitate superetis. In magnis vos difficultatibus ac periculis constitutos video. Sed ea res faciet, vt maiore pietate Deum colatis, & ardentioribus votis illius misericordiam imploretis, qui non solùm ex istis vos periculis eruet, verùm etiam optatum cõsiliorum vestrorum exitum largietur, & erunt vobis postea tantò iucundiores acti labores, tantoq; maiorem ex illis voluptatem, rebus feliciter peractis, accipietis, quantò nunc grauioribus curis & sollicitudinibus plurimum angi videmini. Reliquit autem adhuc sibi septem millia Deus in Polonia, qui non curuarunt genua ante Baal, vel Islebiensem, vel Geneuensem, quorũ precibus apud Deum & consilijs adiuuari positis. Equidem humana præsidia nunquam esse negligenda putaui, sed quicquid de illis sit, omnem spem & fiduciam in solius Dei misericordia semper collocaui. Verùm eum nunc isthic esse rerũ statum audio, vt nec humana præsidia vobis defutura videantur. Confluant vndecunq; tandem hæretici, quamlibet magno numero, Senatus tamen ex maiori parte Catholicus est, vt præter tres Palatinos, vix quenquam repertum iri putem, qui sit hæreticus: quodq; maiorem etiam vobis consolationem adferre debet, illi ipsi qui sunt heretici, vel filios vel fratres habent Catholicos, quorum opera, ad reducendos ad fidem Christianam parentes eorum, vti rectè poteritis, ita vt maiore nunc spe sim quàm vnquam anteà, primùm in Dei misericordia, deinde in Regia voluntate, cuius cor in manu Dei positum est, omnia ista esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

exequendã, optatã de illis victoriã erimus cõsequuti. Vos modò viros fortes vos præstate, notũ vt sit omnibus, nihil vos aliud q̃ Dei gloriã Christianę́q; fidei defensionẽ & propagationẽ q̃rere: q̃ vos, q̃ pietas est vestra, modis omnibus esse curaturos, mihi dubiũ non est. Nã q̃ scribis aduentu vestro, mirificè Catholicos oẽs animos sustulisse, pridẽ id mihi fuit pſuatiſsimũ, & corã S D. Nostro, simul & q̃busdã Cardinalibus id ita futurũ, nõ semel affirmaui. Hactenus, n. in quo p̃sidij collocare aliq̃d possent, habuêre neminẽ, cũ id in alijs desiderari viderent, q̃d mihi tanq̃ graue crimẽ obijcitur, q̃ sim feruẽtior & minus cautus. Ego verò sicubi minus feruoris adest, & homo nimis cautus esse vult, quẽad modũ Xp̃i negotiũ rectè promoueri possit, nõ video. Certè nõ frigidis carbonibus vtebantur, sed igneis linguis Apostoli loq̃bantur: & adeò parũ cauti fuerũt, vt etiãsi vitę piculũ esset adeundũ, vilis esset illis spiritus. Nunc, p̃ dolor, nostris nihil frigidius, hęreticis nihil est feruentius. q̃ ratione fit, vt illi propius q̃ nos, ad Apostolos accedere nõnullis videantur. Quãuis aũt vbi degitis, ibi magnũ sit nunc frigus, & niuibus plena sint omnia, bona tñ spe sum q̃ in Dño collocatã habeo, vos fore, sicut Apostolus monet, Spiritu feruẽtes & nihil eorũ p̃termittẽtes, q̃ ad retinendos in fide Catholicos, hæreticos aũt à sua p̃fidia reuocandos ptinere putaueritis. Habetis in comitatu vestro R. Patrẽ Franciscũ Toledũ. Vtatur is lingua sua ignea (p̃pius. n. accedit ad Apostolos q̃ nos) nunc ad Maiest. Regiã, nunc ad Episcopos, nũc ad alios posse demõstret, vt duobus dñis seruiatur, cũ vnũ diligi, alterũ odio habere necesse sit: coangustatũ esse stratũ, vt alter decidat oportere: nullã esse cõuentionẽ inter Xp̃m & Belial: q̃obrẽ frustrà de tali cõcordia tractari. Dñs Deus noster zelotes est: vt illi tẽplũ vnũ ædificetur, id q̃ in primaria totius regni ciuitate: alterũ verò Belial, nulla ratione ferre potest. Hęc & alia q̃ spiritus illi Dei suggesserit, q̃ solet prudẽtia vehementia q̃ proferat, & animos Catholicorũ ad Xp̃m aptè cõfirmẽdũ inflãmet. Eqdẽ bona spe sum q̃ eiusmodi sermonibus, q̃ partim publicè, partim priuatim fuerint habiti, nõ mediocri ẽ fructũ cõsq̃mur. Cromerũ nostrũ nõ adfuturũ in Comitijs lubẽs audio: cũ eius ab Ecclesia mea absentia, mihi magno fuerit ante sesq̃ annũ detrimento: nec video, q̃d etiãsthic emolumẽti adferre possit, cũm nõ desint illi graues aduersarij etiã inter Catholicos. De Capitaneo Samogitiæ pridẽ accepi, q̃ ex Caluiniano sit factus Christianus: & ei sum hoc nomine gratulatus. Miror aũt q̃ id opa P. Varsheuitij factũ esse scribis, cũ q̃ ille sit q̃ multos ab hęresi reuocet, ac ad matris Ecclesiæ gremiũ reducat, nõ ignores: q̃ gloriam labore suo partam in alium transferri minimè patietur. Hoc autẽ certò vobis p̃suadere potestis, q̃ is homo non parũo futurus es vobis adiumento. Nã esse feruentior dicitur: nec minorẽ zelũ nunc in cõuertendis hereticis, q̃ paulò antè in Catholicis auertendis præse ferre. Talẽ zelũ habere dicitur Palatinus quoq; Siradiensis, vna cum fratre Palatino Calisiensi, q̃ simul vt intellexerit Illust. D. Cardinalẽ aduentare, magnis itineribus obuiã illi profectus esse fertur. Itaq; nec humana vobis desunt præsidia, multò minus deerunt diuina. Datũ Romę 2. Feb. Anno Domini 1572.

Sigismundo Regi Poloniæ. Epist. CLVI.

Queritur de summa hæreticorum audacia, & rogat, ne eam diutius tolerare velit.

RErfertur huc ex hæreticorum sermonibus, quos vulgò spargunt in his Comitijs, non hoc, vt Christiana fides prorsus aboleatur, actum iri, sed vt illi perfidia quædã adiungatur, quæ Iesovva VViarka vocatur, & iam in ea ciuitate, quæ sedes aliquando Regni caput q̃ fuit, ædificari templum dicitur, in quo Bres siue Belial colatur. Quæ res quantam animo meo perturbationem adferat, nullis verbis exprimere satis possum. Nam siue temporalia spectemus, siue sempiterna, quorsum hæc, nisi ad interitum & fortunarum, & corporum, & animarum tam vestræ Maiestatis, quàm illius subditorum spectare videntur? Vbi sunt duæ fides, quis prohibebit, quò minus ibi sint duo quoq; Reges, sicut in Gallia factum esse scimus? Per viscera misericordiæ Dei nostri supplico Maiestati V. vt se Regem Christianum, Catholicum & Orthodoxum esse declaret. Si vult agnosci pro Rege, agnoscat ipsa quoq; Regem Regum, & Dominum Dominantium, nec alium præterillum pro Deo coli more maiorum suorum patiatur. Nam si secus fecerit, ingens esse periculum video, ne Rex ille Regum alium quempiam excitet, qui velit & ipse pro terreno Rege coli. Nunquam Gallia tantis calamitatibus afflicta fuisset, nisi nimiò plus hæreticis indulsisset. Quanquam audio, Maiestatem V. pro Rege iam propemodum in plerisq; locis non agnosci. Quo loco sit in Prussia, scit ipsa Maiestas V. sed in maiore quoq; Polonia quid actum sit, proculdubio non ignorat, vt me scribere necesse non sit. Res est & admiratione & commiseratione digna, quod præsentibus etiam Legatis V. Maiestatis in illius ciuitate Gedanensi liberum fuit apertè contra Maiestatem V. ex superiore loco Sathanæ ministro cuidam debacchari, & ad seditionem populum incitare: in ciuitate verò V. Maiestatis Posnanensi Dei ministro, & quidem Episcopo, non esse liberum dicitur, Christum p̃dicare, & contra Antichristum vel Isebiensem, vel Geneuensem verbum aliquod proferre. Iam autem etiam conuenticula fieri dicuntur, de quibus quid Regni constitutionibus cautum sit, Maiestatem V. clam non est. Cur autem in hac sola re cessat exequutio, cùm tamen in ea salus totius Regni agi videatur? Videmur esse absque Rege, & absque lege, & hoc egitur per ministros Biesouue, vt simus etiam absq; Sacerdotio, absque Sacrificio, & absq; Deo. Quem sit ea res exitum habitura, quæso diligentius, vt secum reputet Maiestas Vestra, cuius nisi fidelis subditus & Senator essem, nisi tot & tantis beneficijs V. Maie-

Vest. Maiestati magis obstrictus, quàm vllus alius mortalium: credat mihi Maiest. V. quod possum ego quoque ab hoc genere scribendi mihi temperare, mecumque cogitare, Quid ad me? Pereat, quando sic vult Serenissimus Rex meus, vna cum Regno suo, dum modo illius gratia & benignitate ad tempus perfrui possem. Sed prohibet me fides mea, prohibet amor meus, prohibet studium & obseruantia erga Regem dominum & benefactorem meum. Quamobrem ignoscat, quæso, iusto dolori meo, quem ex his rebus percipio, quas ad interitum V. Maiestatis & Regni illius pertinere video. Salus mea mihi charior non est, quam salus V. Maiestatis, quam si morte mea repræsentare possem, Christo vires mihi suppeditante, non dubitanter eam essem appetiturus. Hoc enim à me maxima Vestra Miest. beneficia, hoc & fides, qua illi sum obstrictus, exigere videntur. Sublaci. 8. Sept. 1571.

Carolo Archiduci Austriæ. Epistola CLVII.

Gratulatur matrimonium cum filia Ducis Bauariæ contractum, & ad fidem Christianam fortiter defendendam adhortatur, & de fructu & progressu hæresum.

QVod Cels. Tua matrimonio sibi copulari voluit eius Principis filiam, qui nunc solus propemodum è Germaniæ Ducibus (inclytam Austriacam domum semper excipio) Christianam fidem, quemadmodum ea nobis à Christo & Apostolis eius per longam Episcoporum & sacerdotum successionem, quasi de manu in manum tradita est, apertè profitetur, & fortiter tuetur: non possum hoc sanctum illius institutum non vehementer laudare: & summa gratulatione prosequi: nec enim aliud in hoc matrimonio contrahendo spectasse videtur, quam sanctam educationem, & in Christiana fide præclaram institutionem. Deum precor, vt id fœlix, faustum, & fortunatum esse velit. Quod prouerbio dici solet, Pares cum paribus facilè congregantur: hoc nunc singulari quadam Dei benignitate, non sine magna piorum omnium lætitia factum esse videmus. nam nec Celsi. Tua sponsam, nec illa sponsum habere potuit sanctiorem. Cum vterque vestrum ita sit supra firmam petram fundatus, vt quamlibet magna pluuia descenderit, quanticunque fluuiorum torrentes venerint, quamlibet vehementes venti flauerint, & irruerint, nunquam tamen futurum sit (Christo quod operatus est in vtroque confirmante) vt à soliditate fidei, quam semel amplexæ sunt V. Celsi. vel minimum se dimoueri patiantur. Incidimus prô dolor, in ea tempora, quibus cum his hominibus viuitur, in ista præsertim terrarum Orbis parte, qua vix fuit olim in Christiana fide constantior, vt magnum quiddam & maxima laude dignum præstitisse censeatur, si quis vni viro, cui semel in Baptismo desponsus est Christo, se virginem castam exhibeat, nec seductos astutia serpentis, excidat à simplicitate, quæ est in illo, nec doctrinis varijs & peregrinis abduci se, & ab eo, quod, simul vt Christo desponsus fuit, recepit Euangelio, in aliud nescio quod cuiusuis potius quam Christi Euangelium traduci patiatur. Hanc laudem si quisquam aliorum Principum, certè Celsi. Tua non mediocrem est consecuta, quæ non solum seipsam virginem castam exhibere Christo semper studuit, verumetiã vt idem ab alijs quoque fieret imperio præsertim ditionique suæ subiectis, ac si qui fornicati sunt à Christo, quorum infinitus iam est numerus, vt ad sponsum suum reuocari possent, pro virili sua modis omnibus contendit & elaborauit. Sunt autem in Germania (quod sine magno animi mei dolore commemorare non possum) tot ac tantæ fornicationes à Christo iam exortæ plures, & maiores, ac magis abominabiles, vt à sæculo nunquam fuisse videantur. Nam quò nunc impietatis ventũ non est? Initio Deus illis visus est Lutherus, & q̃ vel diceret, vel scriberet Idolũ hoc Isebien. Dei verbũ & purũ putũ Euangeliũ esse credebatur. Nõ multò post reiectũ est idolũ hoc, & impletũ est quod scriptura dicit: Væ qui spernis, nónne & ipse sperneris? Spreuit ille Romanũ Papatũ, & eũ euertere conatus est Ecce nunc spretus ipse quoq; iacet & prius euersus eius Papatus: nec iã deinceps ampliusq; à Luthero, sed q̃ à Zuuinglio vel Caluino docetur, id verbũ dei vocatur, vt in Germania paucos iã Lutheristas, ex magna verò parte videre licet omnes Caluinistas. Qui fuerunt à Duce Vinariensi ad habendũ Colloquium Aldenburgen. cum Electorialibus designati, penes se solos verbum Dei (sic enim Lutheri doctrinam appellant) purum & incontaminatum asseruari gloriantur: quibuscum autem in disputationem descenderant, eos grauiter accusarunt, quod in præcipuis quibusdam doctrinæ Christianæ capitibus ad Papismum (sic enim appellare illis libet Christianismum) in dogmate verò de Eucharistia ad Caluinismum inclinauerint. Qui post eam disputationem tantas VVittenbergæ iam radices egisse dicitur, vt eius Catechismi loco, quem scripserat Lutherus, nunc is in scholis publicè legatur, quem Caluinus edidit, etiam vicinis VVittembergen. Lipsensibus frustra reclamantibus. Et constat hoc ex Aldemburgensi Colloquio, quod non minori, quin maiori etiam odio mutuo certant inter se Vinarienses, quos Flaccianos, & wittembergenses, quos Eberianos vocant, dum se inuicem hæreseos condemnant, quam quanto Pontificem Romanum prosequuntur, Cuius iugum posteaquàm excusserunt, suum quoq; mutuũ Papatum ferre non possunt. Nam nec Flacciani, vt VVittembergæ, nec Eberiani vt in reliqua Saxonia formulas Religionis aliquis cum authoritate præscribat, sibi tolerandum esse censent: verissimum vt illud esse iam videamus, quod non tam in priscorum Patrum scriptis legimus, quam oculis ipsi nostris cernimus, Quod non aliundè sunt hæreses obortæ, vel nata schismata, quam inde,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæreses obortæ sint quia vni sacerdoti non obtemperatur.

quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia sacerdos Iudex vice Christi cogitatur, Cui si secundum diuina magisteria fraternitas obtemperaret vniuersa, nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsim foris nouam hæresim conderet. In diebus illis, dicit scriptura, non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, id faciebat. An hoc totidem verbis nunc quoque verè dici non potest? In diebus istis non est Pontifex in bona Germaniæ parte, & vnusquisque, quod sibi rectum esse videtur, id credit, id scribit, id alios quoque docet, nec iudicium cuiusquam de doctrina sua ferre potest, sed ab omnibus obsequium exigit, nec alio loco, quam quo Dei verbum, quicquid à se scriptum est, haberi vult. Vt non amplius Ecclesiam in bona Germaniæ parte, quæ tanquam acies Castrorum ordinata est, verum Babylonem quandam videre liceat, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Ex quo factum est, vt nouum quoddam Pontificum genus oriretur, de quo maximè queruntur Lutherani Ministri, Fsacciani præsertim, eorum sæuitiam experti, qui vocant eos politicos Antichristos. & pro vno Romano Pontifice, nunc innumeros existere lamentantur, Qui à forensibus rebus ad Ecclesiasticas transcendunt, & non contenti suis metis, cum sceptro, gladijs, & fulmine Iouis nouas Religionum formulas ferè quotannis exhibent, quibus aut applaudendum sit, aut in extremum discrimen veniendum. Quale Pontificum genus vtinam in Catholicorum quorundam Principum terris videre quoque non liceret. Verum ad rem redeo Babylonicæ Confusionis huius in Germania primus fuit author Martinus Lutherus, Qui se nolle dixit iudicium, sed obsequium requirere. Cæterum quæ postea non sunt hæreseon portenta consecuta? Nónne videmus à Lutheranismo ad Caluinismum, à Caluinismo ad Anabaptismum, ab Anabaptismo ad Trideismum, à Trideismo ad Atheismum iam esse ventum? Et vno Confessionis Augustanæ pallio tam execrabiles hæreses istæ conteguntur omnes. Quod sibi licere voluit Lutherus, vt suum verbum pro Dei verbo populo venditaret: hoc idem Zuinglius, & qui eum secuti sunt alij deinceps omnes, eodem iure licere sibi voluerunt, Quod adeò ferre non potuit quidam, quamuis insignis hæreticus ipse quoque (quam ob causam ex Italia fugere fuit coactus) vt etiam Dialogum quendam ederet contra sectam terrenorum Deorum quorundam siue Paparum, qui suum verbum, tanquam Dei verbum, adorari vellent, quos multò sceleratiores etiam, & crudeliores futuros affirmauit, quam vnquam fuerint Papæ Romani. Scribit autem de his, quibus cum partim Geneuæ, partim Tiguri complures annos fuerat versatus, Qui cum eum longius, quam ipsi volebant, progressum vidissent, ferendum esse non putauerunt, Inter alia sic de illis loquitur: Non est, quod speres eos vnquam recantaturos, aut se Ecclesiæ subiecturos. Volunt vt Ecclesia ipsorum, non ipsi Ecclesiæ arbitrio credant. id quod nihil est aliud, quàm se quosdam Papas, terrenosque Deos esse velle, Et in hominum conscientias tyrannidem exercere, ac Dominos esse fidei eorum, qui sunt in Ecclesia, velleque vt ipsorum arbitratu credant homines, quinimò docent, inquit, scribuntque Ministri contra quam ipsi credunt, vt cum mundo consentiant, neque cum Christo infestentur. Hoc fuit hominis hæretici de ijs hæreticis iudicium, quibus cum bonam vitæ suæ partem traduxerat, quos præ ceteris dum viueret, Lutherus execrari visus est: nunc hi Cathedram illius occupasse VVitembergæ, suamque fœdam hæresim in ea publicè profiteri feruntur. Alius autem Germaniæ Princeps etiam Anabaptismum recipere dicitur. & cum alia plæraque impia & absurda, tum & illud in disputationem vocari vult, Num aliquis apud Christianos esse deberet legitimus Magistratus, qui gladij ius in sontes habeat. Sed in his recensendis longior esse nolo, quæ non alia de causa verbis putaui commemoranda pluribus, quam vt suis ipsa cerneret oculis Celsitudo Tua, quam verè dictum sit illud, Impius opus facit instabile. fuit reuera, quod fecit impius Lutherus, instabile opus. Iam illius doctrina prorsus esse videtur explosa: successit autem alia multò detestabilior, quæ & ipsa stabilior futura non est, cum aliæ subsequuntur magis etiã hæreses execrandæ, quę priores illas euertant. Quo maior est laus Cels. Tuæ, quæ cum viro sanctissimo doctissimoque Basilio verè gloriari potest, Quod quam à puero sententiam de recta fide à beata matre, deinde à nutrice sua recepit, illam & non aliam iustis incrementis auctam & adultam in seipso conseruauerit. Non enim alias post alias, maturescente ratione, sumpsit, sed tradita ab illis principia absoluit, & ad perfectionem deduxit. quin etiam quo facilius in proposito perseuerare posset, cum interdixisse Dominum sciret, ne cum habitatoribus Canaan amicitiæ iungerentur, neque de filiabus eorum vxor acciperetur, huic interdicto fideliter paruit, & eius filiam in coniugem accepit, quo nullus est in tota Germania Christianæ fidei non solum tuendæ, verum & propagandæ studiosior, & quem rectius inter illos numerare liceat, de quibus dicit Regius Propheta: Beati omnes, qui timent dominum, & qui ambulant in vijs eius. Quod cum de Tua Celsitudine quoque non minus rectè dici possit, quæ & ipsa timorem Domini singularem semper præse tulit, nec à vijs illius deflexit vnquam, eadem illa benedictione quoque prosequi licet, qua benedixit Sanctus ille Rex & Propheta, hominem qui timet dominum, Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ, & videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Vtinam hæc omnia Celsitudini Tuæ sic eueniant, vt videas filios filiorum tuorum, non solum secundum carnem, verum etiam secundum Spiritum. vtinam videre nobis aliquando contingat bona Hierusalem, quæ visio pacis interpretatur: vtinam videre liceat veram pacem super Israel, non talem pacem, qualis extorta fuit armis anno ab hinc, nisi me fallit memoria, vigesimo, quæ pax quidem Religionis vocã-

vocabatur, sed verbo Domini quod manet in æternum, verissimè dictum esse, Non est pax impijs, euentus etiam ipse comprobauit: nam ex hac falsò nominata pace, plura dissidia Religionis exorta vidimus, quam vnquam antea fuerint. Verum talem pacem vtinam videre nobis liceat, qualis fuit ad Imperij gubernacula sedente proauo tuo Maximiliano, qui sui nominis gloria terrarum Orbem impleuit vniuersum. Fuit eo tempore. Germanica labij vnius, & sermonum eorundem. fuit multitudinis credentium cor vnum, & anima vna. Nullum fidium ludum, sicut nunc, videre tunc licuit, vnus Deus ab omnibus colebatur, vna fides ab omnibus retinebatur. Non audiebantur tot hæreticorum tam portentuosa nomina, non pudebat fideles à CHRISTO nomen ducere, Christiani tunc vocabantur, & fuerunt omnes, non Lutherani, multò minus Caluiniani, nec eis vile videbatur & contemtibile, sicut nunc quibusdam, nomen Christianorum, vt Euangelici vocari mallent: cum scirent Euangelium non ab alio, quam à CHRISTO nobis esse traditum. Quamobrem ab illo perpetuo viuente Magistro nomen ducere maluerunt, quam à mortua litera, quam nunc ita miserè torqueri, & eius non solum diuersos, verum & aduersos sensus proferri cernimus, dum vnaquæque secta suo sensui scripturas attemperat, suum illis proprium sensum adstruit, non suum scripturis iungit, neque pro sententia scripturarum diuinarum, sed pro sua dimicat: vt non quod scriptura, sed quod sentit ipse, purum Dei verbum haberi velit. Talem itaque pacem super Israel, qualis fuit imperante proauo tuo, nobis vt videre liceat, precamur omnes. Quod opera tua perfectum iri confidimus: habes enim fratrem eiusdem nominis, cuius, fuit proauus ille tuus, eadem Imperij gubernacula moderantem, & quem nomine eundem pietate quoque referentem, qui nuper adeò præclara dedit eius rei documenta, quantoperè cupiat veram pacem, qualis fuit sub proauo tuo super Israel, in Germania restitutam: Habes alterum fratrem, cuius quidem Zelus incredibilis, in extirpandis erroribus & Christiana fide tuenda, prædicatur ab omnibus. Estis itaque tres fratres. Funiculus triplex difficilè rumpitur. trium Imperatorum, & quidem excellentissimorum, nomina vobis sunt imposita, Proaui, Patris, & Patrui. Summa de singulis est omnium expectatio, piorum præsertim. Quod verò nomen gerit Celsitud. Tua peculiare quiddam nobis promittere videtur: nam qui primus Saxones ad amplectendam fidem Christianam adduxit, ei Carolo Magno nomen fuit. armis hoc ille perfecit, & ei cessit fœliciter. Tentauit idem armis non minus Magnus alter Carolus Quintus Imperator Celsitud. Tuæ patruus. ac successerat quidem initio, sed eum tamen, quem pij cupiebant progressum, res non habuit: Fortassis penes alium, quamuis minus potentem, hanc esse gloriam Deus voluit, vt quod armis patruus tuus efficere non potuit, id ille quietis consilijs ad optatum finem perduceret. Vt autem mortuo Maximiliano primo: Germania terra vnius labij & eorundem sermonum esse desijt, ac in Babylonem quandam est conuersa, sic imperante Maximiliano secundo, de quo secunda nobis omnia pollicemur, in suum pristinum statum reducatur, in quo fuit regnante Proauo vestro, idque vrgente maximè & instante Cels. Tua, quò sic illius opera dispersionibus Israel congregatis, si minus in tota Germania, saltem in Saxonia, quam nunc Babylonem ingemiscentes cernimus, ex ea Ciuitas ædificetur Hierusalem, sit in idipsum: vt idipsum in ea dicant, idipsum sentiant, idem sapiant omnes, vt fiat multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, fiat vnus Pastor, & vnum ouile, gratia & benignitate D.N. Iesu Christi, qui per Prophetam suum se facturum promittit, si qui duriores videntur ex eorum carne se cor lapideum ablaturum, & daturum illis cor carneum, vt in præceptis eius ambulent, & iudicia eius custodiant, simul facturum vt sint illi in populum, & ipse sit eis in Deum, Quem precor vt iterum atque iterum Celsi. Tuæ simul & Illust. Sponsæ illius benedicat, ac in multos annos vtrunque seruet incolumem, omnique fœlicitatis genere cumulet, Cui me diligenter commendo. Datum XIIII. Septemb. Vriouari. M.D.LXXI.

Stanislao Barzio Palatino Craccouiensi. Epistola CLVIII.

Gratulatur illi munus Palatini Craccouien. & vt hæreticorum conatibus se opponat, hortatur.

INgentem ex ea re voluptatem ceperam, quod D. Vestram diuina Maiestas eius Ciuitatis & Palatinum & Præfectum constituit, in qua primùm ego lucem hanc aspexi, nam quin à Deo factum sit hoc, qui cor Serenissimi Regis nostri in hanc voluntatem inclinauit, mihi dubium non est. respexit is oculis misericordiæ suæ Ciuitatem istam, cui si talis Palatinus & Præfectus contigisset, qualis fuit proximus antecessor D. Vestræ, iam fuisset actum in illa de fide Christiana: iam in ea pro Christo coleretur Geneuen. Antichristus, cuius hæresis non solum Catholicis & Orthodoxis, verum & ei qui primus nostro tempore fuit hæreseon omnium architectus, adeò visa est execrabilis, vt, qui tuerentur illam, cum his ne tractatus quidem vllos habendos censeret: & eos etiam inauditos condemnandos, & proscribendos esse iudicaret. Quod etiam in Saxoniæ plærisque Ciui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatibus obseruatum esse scimus: & adhuc obseruari, vocat eos fures & latrones, vocat Sathanæ ministros, & haud aliter homines ab illis, quâ à Sathanæ veneno sibi cauere iubet. Hanc igitur tam exitiabilem hæresim, vt effugere liceret, à Deo supplex sum precatus, & vt is eo Regię Maiestatis cor inclinaret, quo talem huic vrbi Palatinum & Præfectum daret, qui non solum eam grassari latius non permitteret, verumetiam quoad eius fieri possit, radicitus extirpare conaretur. Et cum non alium ad eam rem esse magis idoneum iudicarem, quam D. Vestram: etsi quantum apud Maiestatem Regiam commendatio mea pondus habeat, nescio: nominatim tamen ab illius Maiestate petiui, vt D. Vestræ honores istos mandaret, ac factus quidem sum in hac parte voti mei compos. Verum interea pestilentissimam hæresim hanc latius indies in illa Ciuitate, quæ caput Regni est, propagari, maioresque progressus facere, magno cum animi mei cruciatu audio, Cuius sectatores iam eo dicuntur audaciæ prorupisse, vt etiam templum Belial ædificent in ea Ciuitate, quæ caput Regni est, cuius Palatinus & Præfectus insigni pietate vir est, Christianæ fidei strenuus propugnator. Quod permissu Regiæ Maiest. fieri, quē Christianum, Catholicū, & Orthodoxū Regē esse scimus, vt credā nulla ratione adduci possum: quin hoc mihi persuadeo, si tā audax facinus ad Maiest. illius delatū fuerit, quæ pietas est illius & Religio, ea non sit per missura, vt in illius Regia Ciuitate, quæ totius Regni Princeps est, simul colantur & adorentur Christus & Belial. Nunc à D. V. peto, quâ spē de illius intuenda fide Christiana robore concepimus, vt eam non modo non debilitet, verumetiam confirmet, ac tam audax & sacrilegum facinus in ea Ciuitate, in qua summa cum potestate versatur, designari non permittat. Quod si forte maior est vis hæreticorum, quam vt prohiberi queat, quod mihi tamen verisimile non fit, à Regia Maiestate præsidium imploret, quod illi non esse defuturum certò mihi polliceor. Nam si concessum semel illis fuerit, vt in primaria totius Regni ciuitate templum habeant Belial suo ædificatum, quam horrendum ea res exitum habitura sit, horret animus dicere, non solum isti Ciuitati, verum & vniuerso Regno celerior opinione multorum interitus impendere videtur, quem ego sicut ea quæ oculis cernuntur, ita mente prospicere mihi videor. Quamobrem forti animo huic tam sacrilegæ audaciæ obuiam eat. Adhuc sibi Deus in terra Craccouiens. cuius Palatinus & Præfectus est D. Vestra, reliquit plusquam septem millia virorum, qui non curuauerunt genua coram Baal vel Islebiens. vel Geneuens. Sed videat, quæso, quorsum res tandem euaserit. In Germania primum Idolum Islebiens. coli cœptum est, mox Tigurinum & Geneuense, nunc apud Palatinum Rheni Principem Electorem eò res perducta est, quemadmodum ex ea schæda, quam D. Vestræ mitto, cognoscet, vt Idolum vtrumque reiectum, & in eius locum sit Anabaptismus receptus, qui non video, cur æque tolerari non debeat, sicut Lutheranismus & Caluinismus: cum sit in eo maior species pietatis quam vel in Lutheranismo, vel in Caluinismo. Et in disputatione, quæ habita est sub Regno Palatino Anabaptistæ multò superiores euasisse dicantur. simul vt autem receptus fuerit Anabaptismus, quem & in Polonia nostra quam vellemus, altius in plærisque locis egisse iā radices audiuimus, quid impediet, quominus recipiatur & Trideismus & Athiesmus? Quamobrem obsecro D. Vestram, vt principijs obstet, nec templum istud Belial ædificari patiatur: Quod vt ita faciat, pluribus verbis illam hortarer, orarem etiam & obsecrarem, nisi certò persuasum haberem, eam esse pietatem, eum in Christiana fide tuenda Zelum D. Vestræ, tam etiam promptam in ea re voluntatem, vt hortationibus meis non indigeat. Ego verò Deum precor, vt illi sana consilia suggerat, & ad Spiritum consilij, Spiritum fortitudinis adiungat, quo facilius & fœlicius hæreticorum conatibus, & eorum huic sacrilegæ audaciæ obuiam ire possit. Quoniam verò Comitia Regni iam instare scribitur, & nouos aliquos religionis ergo motus excitatum iri metuitur, non dubito quin D. Vest. prouisura sit, vt in minoribus Comitijs, quæ Prossouiæ de more celebrari solent, Nuncij tales eligantur, qui Christianam fidem contra Christi Crucis inimicos fortiter defendant, quales vtinam haberet multos terra Craccouiensis. Verum inter omnes mihi primas ferre videntur viri cumprimis generosi, & non vulgari zelo Christianæ fidei tuendæ præditi, Dominus Andræas Zborovvskij: & Dominus Cmita, posteriorjhic esse dicitur Vice præfectus D. Vestræ, Verum posset in vnum aut alterum mensem alius quispiam ab eo substitui, quo magis huic tam sanctæ causæ tuendæ Christianæ Religionis operam illi suam nauare liceret. Sed hæc ipsa D. Vestra pro sua prudentia melius dispiciet, Magnam & apud homines laudem, & apud Deum gratiam consecutura, si fideliter, fortiter, & constanter contra perduelles Christi, Christi causam tuendam & propugnandam susceperit. Datum XIIII. Septemb. Anno &c. LXXI. Vceouari.

Francesco de Mendozza Comiti Montisacuti Catholici Regis apud Cæsaream Maiestatem Oratori. Epistola CLIX.

Gratulatur illi quod Religionem Christianam tanto studio adiutam cupiat, & vt pro illa apud Cæsaream Maiestatem laborare ne desinat, hortatur, & pietatem Catholici Regis Philippi commendat.

CRedi-

Redibile non est, quantam ex ea re voluptatem acceperim, quod Maiestatem Cæsaream apertè Christum confiteri audio. Nam proximis superioribus annis fuit quorundam opinio: quod, quamuis ipsa Catholicam se præstaret, subiectis tamen sibi populis hac in parte nimio plus indulgere videretur. Hanc suspitionem diluisse penitus proximis hisce diebus videtur, quando cum nonnulli peterent, vt sibi quoque liceret relinquere fidem Christianam, & sequi perfidiam Augustanam, non modo tale nihil petitioni eorum concessit, verumetiam grauiter eos obiurgauit, quod eo venissent impietatis & impudentiæ, vt pro fide, perfidiam sibi concedi postularent. Præclarum est hoc Imperatoris Catholici factum, & omni laude celebrandum. Quoniam verò talem vt se præstaret, aperteque Christum confiteretur, neque sibi cum Islebiensi Antichristo commune quicquam esse palam omnibus faceret, id magna ex parte singulari studio D. Vestræ perfectum esse dicitur, quæ suis prudentissimis ad eam rem consilijs illius Maiestati præsto semper adest, equidem tenere me non potui, quin ei tam ardentem hunc tuendæ conseruandæque Christianæ fidei zelum literis hisce meis gratularer. Nametsi mihi cum Domin. Vestra nulla familiaritas intercessit, nec eam vel de facie saltem vnquam cognoui, tamen excellens hæc illius virtus, & minimè vulgare studium tuendæ fidei Christianæ, nomen illius tam reddit illustre, præsentem vt contemplari, & in amplexus viri, tanta pietate præditi, ruere mihi videar. Quanquam etiam superiore anno ex Patre Ioanne Polaneo nonnihil audiueram, quod ad Comitia Spirensia missus fuerit ad Maiestatem Cæsaream, à verè Catholico Rege vir quidam & genere Illustris, & pietate multò magis illustris, qui zelo quodam arderet incredibili, perfidiam omnem hæreticam abolendi, fidemque Christianam in his locis, in quibus, prò dolor, vehementer est collapsa, restituendi. Nunc video præclara eius rei fundamenta per Dominationem vestram, quam ille tantopere prædicabat, iacta, quam quidem ob rem plurimum illi gratulor, ac Serenissimum Regem illum, qui non magis nomine quam re se vera Catholicum esse declarat, satis laudare non possum. Qui quibus in locis labefactatam Christianam fidem, & ex ea Iudum fidium factum esse videt, ad ea tales mittit Oratores, qui non magis de priuatis suis Regnique sui negotijs, quam de publica totius Orbis Christiani causa, nimirum de Christiana fide promouenda atque tuenda sint solliciti. Seruet DEVS pientissimum Regem hunc in multos annos incolumem & fœlicem, qui non solum nouum quendam Orbem ad fidem Christianam conuertendum, verum & veterem, cuius Germania non postrema pars est, in ea tanto studio retinendam curat. Ex Turcis & Mauris deuictis, maiorem is laudem & gloriam non reportabit, quam si perfecerit, vt isti Geneuenses & Islebienses Antichristi debellentur, & eorum loco, sicut factum est memoria Patrum & Auorum nostrorum apertè Christus vbiq; prædicetur. Neq; debet illius Maiest. dubitare, quātò magis in curā hanc incubuerit, quin illi cōtra veteres Christiani nominis hostes, quibuscū nunc bellū gerit, omnia tantò fœlicius sint euētura: nihil est autem quod miretur D. V. cū mihi nihil cū illa vnquā intercesserit, quod nihilominus ad eam ita liberè scribo. Nam hoc Dominationem Vestram scire volo, quod etiam in Patria mea, quicunque sunt in religione motus excitati, non aliunde fere quam ex hac vicinia, profecti sunt. Quod enim concessum esse finitimis videbant, id vt sibi quoque concederetur, iure se postulare persuasum habebant. Adeo verum est, quod prouerbio dicitur, Aliquid mali propter vicinum malum. Quod si constans vt sit in hoc tam sancto instituto suo, Cæsarea Maiestas illi persuadebit, non solum Bohemiam & alias Prouincias illi subiectas, verum & Poloniam in fide Catholica conseruauerit, & multos errantes in viam reduxerit. quo nomine plurimum illi debebimus omnes, nec erit quicquam, quod ad comparandam sempiterni nominis gloriam Dominat. Vest. magis pertinere queat. Ab Illustri D. Vestra peto, si qua in re consilio illius & auxilio Reuerend. D. Orator Serenissimi Regis mei vti voluerit, vt ei deesse ne velit. Si quid erit vicissim, in quo ego Dominationi Vestræ possim hic inseruire, semper me promptum & paratum offero. Datum Romæ X. Iunij M. D. LXXI.

Eidem Comiti Montisacuti, Oratori. Epistola. CLX.

Laudat quod sedulam operam apud Cæsaream Maiestatem pro Religione nauauerit, & vt de Episcopo Viennen. designando labores hortatur.

Ratas accidisse literas meas Dominationi Vest. gaudeo, simul etiam quod Praga Viennam incolumis venerit gratulor. Sed & illud non potest mihi non esse gratum, quod ei lucubrationes nostras probari video, in quibus scribendis non aliud certè spectaui, quam vt eos qui doctrinis varijs & peregrinis abducti fuerunt, in Patria mea præsertim in viam reducere, & fluctuantes in prisca religione conseruare possem. nec enim alijs, quam Polonis meis hæc scripta sunt. Si verò non improbantur etiam his nationibus, in quibus multi

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut ingenijs, ita iudicio doctrinaque longe sunt præstantissimi, tanto maiores DEO, cuius hoc est beneficium, ago gratias. De Cæsarea Maiestate semper ego præclarè sensi, cum sit excellenti quodam ingenio, minimè vulgari prudentia, pietate quoque singulari prædita. Sed visa tamen est ea nonnullis, paulo cum illis remissius agere, qui Christi reiecerunt Euangelium, & in aliud cuiusuis quam CHristi potius Euangelium se transferri passi sunt. Quod ego non aliunde natum esse puto, quam quod cum suis subditis indulgentius in causa Religionis ageret, quam Imperatoriam Maiestatem decere videretur. Cæterum in proximis superioribus Comitijs Pragensibus virum se præstitit, vereque se Catholicum Imperatorem declarauit. quod cum singulari studio Dominationis Vestræ factum fuisse cognouissem, non potui tam præclarum hoc officium illi non gratulari plurimum. Vtinam autem quod fecit Pragæ, faceret idem Viennæ quoque, quæ Ciuitas cum sit sedes Imperialis, quodammodo Religionis exemplum alij etiam esse deberet: cuius quis sit status, nihil est quod ego scribã. Videt ipsa suis oculis Dominatio Vestra, videt & ingemiscit proculdubiò. Ciuitas hæc sedes Imperialis est, & Episcopum non habet iam inde à decem & amplius annis: cuius rei non nomina causa esse creditur, quod est tibi quoddam, vt vocant, excelsum regimen, quod Episcopum habere sibi subiectum velle dicitur: Quod quoties illi visum est, vt se sistat coram excelso regimine, mandat ac formulas illi Religionis præscribit, & quid è superiore loco docere populum debeat, eum instruere conatur. quasi verò legem ex huius excelsi regiminis non autem ex ore sacerdotis requirere scriptura doceat. Quod etiam ipsis Lutheranis, quamuis à Christiana fide sint alieni, prorsus intolerabile videtur, quemadmodum ex schædaliteris inclusa Dominatio Vestra cognoscet. Cum ante biennium fere per quasdam terras inclytæ Austriacæ domus iter facerem, audiui quendam insignem Episcopum sororis Cæsareæ Maiestatis filium, cum nescio quæ profana causa iudicio disceptaretur, coactum ab excelso regimine fuisse, vt personaliter compararet, cumque ille recusaret, vtque per Procuratorem agere sibi liceret, multum instaret & idem peteret Illust. P. eius (quo nullus nunc est in Germania Princeps pietate præstantior, & qui maiore studio Christianam Religionem tuendam & propagandam curet) nihil apud hoc excelsum regimen proficere potuerunt. Coactus est ille & Episcopus & Cæsareæ Maiestatis Nepos in Ciuili causa coram, apud excelsum regimen se sistere. Mihi quidam hæc barbara quædam immanitas, & immanis esse barbaries videtur, Et apud Iudæos & apud Ethnicos etiam semper fuit magna Episcoporum & sacerdotum reuerentia, nec in illos iuris quicquam Ciuilis Magistratus vendicabat. Quare si vult D. Vestra, de vniuersa Germania benè mereri, Deoque cumprimis gratum sacrificium offerre, det operam, vt Episcopum ista Ciuitas habere possit, in qua sedem Imperij sui Maiestas Cæsarea collocasse videtur. Episcopum autem nisi saluis Ecclesiasticis iuribus & priuilegijs haberi vix poterit. Quis enim volet ibi Episcopum agere, vbi Magistratum Ciuilem sibi, quod est proprium Episcopi munus, viderit vsurpare. Magnã ex ea re laudem apud homines D. V. consecuta fuerit, magnam etiam Dei sibi gratiam conciliauerit, Cum hæc scriberem, allatum est huc, Lutheri Papatum in Saxonia iam esse propemodum extinctum, sub Electore præsertim, & in ea regnare Caluinistas. quam verò disputationem instituerat Palatinus Elector inter Caluinistas & Anabaptistas, qui nullum ferre possunt, qui cum Imperio potestatéq; versetur in ea superiores euasisse Anabaptistas. Sed hæc isthic D. V. proculdubio notiora sunt, quam nobis hic, ex quibus occasionem sumere poterit, Quandoquidem Augustana Confusio iam esse prorsus explosa videtur in tota ferè Saxonia, vt eam in eius quoq; terris hæreditarijs non patiatur. hæc enim fuit malorum omnium initium. hæc & Caluinistas, & Anabaptistas, & Trideistas, & quotquot alia sunt hæreseωn portenta, procreasse videtur. Datum Sublaci. 7. Sept. M.D.LXXI.

Episcopo Torcellensi Delfino, Pontificis apud Cęsaream Maiest. Nuncio.

Epist. CLXI.

Monet vt operam det, quo qui aberrauerunt à via veritatis, aliquos ad eam rectè itineris duces et commonstratores habere possint, in Saxonia præsertim, vbi Caluinismus Lutherismum expulisse videbatur.

DE meo in se studio propensáque benemerendi voluntate, nihil est quod sibi Dominatio Vestra, non possit rectè polliceri, quod ego re, quam verbis, modo detur occasio, declarare malo. Quod autem bonam spem ostendit futurum, vt post hanc insignem de sempiternis Christiani nominis hostibus victoriam, qui se disiunxerunt à Sancta Romana Ecclesia, ad illius gremium reducantur, id vt ita fiat ardentibus votis à DEO precandum est. Anno superiore fuerunt à Cæsarea Maiestate & à Serenissimis Galliarum & Polonorum Regibus, & alijs nonnullis Principibus in Pome-

raniam Oratores missi, qui pacificandis Daniæ & Suetiæ Regibus operam darent, quo tempore fuit eo rumor perlatus, de fœdere contra Turcas inito inter S. D. N. & Serenissimum Regem Catholicum. & Remp. Venetam. Quod cum renunciatum esset quibusdam Lutheranis, vt authorem & socium fœderis huius esse Pontificem crederent, adduci nulla ratione potuerunt: quicquid illis ea de re narrabatur, scire se certò dicebant, quod pridem cum Rege Turcarum Pontifex Romanus, ad opprimendum Dei verbum, fœdus inijsset, quod etiam productis quibusdã rythmis Germanicis à Luthero conscriptis probare conabantur, quos illi quotidie cantillant Deum precantes, vt eos liberet à Papæ Turcæque tyrannide: cum itaque coniuncti sint, aiebant, in cantilenis nostris Pontifex atque Turca, qui fieri potest, vt author fœderis ineundi contra Turcas fuerit. Ex eo videre licet, quam sint homines isti miseri, ab hoc Idolo suo Islebiensi dementati. Vt quod crassimum est illius mendacium, ei nomen Euangelij tribuere & haud aliter, quam si scriptum foret in Euangelio, credere non vereantur: quo mihi gratius illud accidit, Quod cum species quædam antiquæ ouationis cumprimis excellenti Duci Marco Antonio Columnæ propter res præclarè gestas in hoc bello, Romæ decreta fuisset, quod non pauci Turcæ captiui ducti sunt: vellem tum adfuissent, asiquot ex illis, qui pro Christo colunt Islebiensem Antichristum, vt videre potuissent, quam sit hoc verum, quod ab illo persuasum istis est, Papam cum Turcis fœdus fecisse. Quamobrem in hoc tanto, quo flagrant erga sanctam sedem Apostolicam, odio, quid rectè sperare possimus non video, nisi fiduciam nostram omnem in Dei misericordia defixã habuerimus, qui potest etiam ex lapidibus suscitare filios Abrahæ. potest auferre cor lapideum, & dare cor carneum, vt sinæ doctrinæ credant, & insanis ac horrendis mendacijs, quibus misere seducuntur, fidem deinceps habere desinant. Cæterum renunciatur hic, quod iam etiam Saxones, præsertim Vvittembergenses, Idolum suum Islebiense reliquerunt, & in illius loco nunc Geneuensem Antichristum adorant, quo nomine grauiter etiam eos insectari dicuntur eorum vicini Lipsenses, & quotquot adhuc adhærent Idolo Islebiensi, cui cum Zuuinglio & Caluino semper bellum fuit implacabile: Sic videmus postea, quam semel à via recta deflexerunt, eos alia ex alijs errorum & impietatis diuerticula ingressos. Vtinam autem vnde exierunt, eò reuocari possint. quemadmodum autem id fieri queat, non video, si non fuerint qui rectam viam, qua sit tutis incedendum, qui declinarunt demonstrent. Quamobrem hoc agendum omnibus modis censerem, vt aliquos itineris recti ducis & commonstratores habere possent, hi præsertim qui sunt in Saxonia, & in his locis, vbi primum errores isti seminati fuerunt. Mirum est, quod audiuntur in Saxonia Lutherani, audiuntur Eberiani, audiuntur Flacciani, Synergistæ, Antinomi, Adiaphoristæ, Caluinistæ, & nescio quæ portenta alia, soli non audiuntur Christiani, quos Papistas illis vocare visum est, propterea quod vnius ouilis vnum in terris Pastorem agnoscant, Quem qui non agnoscunt, eos in tot sectas mirandum in modum & miserandum inter se dissectas dissectos videre licet, ac permittit etiam in his terris quas hæreditario iure possidet Cæs. Maest. quamuis ipse sit Princeps Catholicus & Orthodoxus, varia sectarum genera: sed ita tamen, vt Christianos, quos Papistas vocant, non modo non excludat, verum illorum doctrinam quam maximè propagatam cupiat. Cur vel exemplo Maiestatis eius non faceret idem Elector Saxoniæ, vt audiret etiam Christianos, vel saltem à subiectis sibi populis audiri permitteret, vt eorum quoque de doctrina sententiam cognosceret: simul an vera sint omnia, quæ non raro per summam calumniam illis impinguntur, exploraret: fortasse non esse ex Iesu Societate defuturi, qui proficiscerentur eò, & Euangelicam illis doctrinam annunciarent, dummodo potestas eis docendi libera permitteretur. Hoc si D. Vestra perficere posset authoritate Cæsareæ Maiestatis, & illa præclarè de Christiana Repub. mereretur, & veri Legati Apostolici munere fungeretur, Ac habitura esset ea in re adiutorem virum non genere magis quam pietate Illustrem, qui nunc Oratorem isthic agit Catholicæ Maiestatis, quem ego singulari quodam zelo tuendæ & propagandæ Christianæ vereque Catholicæ & Orthodoxæ Religionis esse præditum audio. Vale. Romæ.

Ioanni Chodkevvic Capitaneo Samogitiæ, Liuoniæ Gubernatori.

Epistola CLXII.

Gratulatur quod ad Ecclesiam Dei redierit, hæreticorum erroribus repudiatis.

NOuum hunc annum Dominationi Vest. faustum, fœlicem, & fortunatum precor, idque tanto maiore studio, quanto lætiorem accepi nuncium, quod veterem hominem exuerit cum moribus & actibus suis, & nouum induerit, qui secundum DEVM creatus est in iustitia & Sanctitate veritatis: exuerit Antichristum Geneuensem, & induerit D. N. IESVM CHRISTVM in Bethleem natum: exueritillum, qui cum sit mendax & mendacij pater, ausus est arguere mendacij veritatem dicentem, Accepto pane & calice, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, induerit autem ipsam Veritatem, quæ sicut falli, sic & fallere nescit. Credibile non est, quantam ex hac illius nouitate lætitiam animo conceperim, vt maior etiam non fuerit qua fui perfusus, cum allatum huc esset de insigni victoria, quam Christianorum classis, ex sempiterni Christiani nominis hostibus retulit. Nam & ipsa Dominatio V. non multò est minorem triume

Universidad de Deusto
Biblioteca

triumphum consequuta, quando quidem Antichristum Geneuensem superauit, qui varijs artibus illam oppugnatam in suam quodammodo captiuitatem redegerat. Quamobrem hanc tantam victoriam D. Vestræ gratulor vehementer, atque vt illam perpetuam esse velit, maioremque indies in illa progressum esse factum videamus, DEVM supplex precor, Certè si quemlibet copiosum Moschorum exercitum superasset, maiorem ex ea re & apud homines laudem, & apud Deum gratiam consecuta non esset. Quum verò diuina gratia & misericordia factum id est, illi pro munere suo gratiæ sunt habendæ maximæ. Vest. verò Illustri D. summo studio contentendum est & elaborandum, vt quo magis offendit superioribus annis Maiestatem diuinam, cum à Christi corpore & ipsa se disiunxisset, & alios non solum verbo, verum & exemplo ad eadem consilia sæparationis amplectenda incitasset, eò nunc ardentius instet, vt nō modo iustū ex anteacta vita dolorem præ se ferat, verumetiam ab his erroribus, quibus ipsa fuit implicata, quamplurimos explicare, & in viam veritatis reducere possit. Quam ad rem D. Vestram hortarer, orationéque mea inflammarem, nisi id illam quotidie sua sponte facere cognouissem, Vt currenti quod aiunt, calcar addere necesse non sit. Præclarè autem cecidit, quod sub hoc ipsum tempus missus est isthuc à S. D. N. Sanctæ Sedis huius Legatus vir insigni doctrina pietatéque præditus Illustrissimus Cardinalis Comendonus, quem ego sicut D. Petrum ad Cornelium Centurionem diuinitus missum esse non dubito, vt quæ ille Cornelio, ea præstraret hic D. Vestræ, non vt eam baptizaret, absit enim vt quem semel Baptismum ritè suscepit eum iteret, sed vt illi diceret, quid eam oporteat facere, vt ad illius Ecclesiæ gremium, à qua semel se disiunxit, quasi postliminio redire, & reconciliatione facta ab ea recipi queat, quem vt omni humanitate beneuolentiáque sua prosequatur: & ei se dicto audientem in omnibus præstet, ab D. V. peto. Quanto magis in illius familiaritatem insinuauerit, tanto maiorem ex ea re voluptatem & vtilitatem percipiet, & eam consuetudinis, quam habuerit cum illo minimè pœnitebit. Habet autem etiam & in comitatu Theologum quendam insignem, nec eruditione magis, quam pietate præstantem P. Franciscum Toletum, Cum eo rectè de rebus omnibus ad religionem spectantibus conferre poterit, neque dubito, si quis adhuc in illius mente scrupulus residet, quin eum D. Vestræ facilè sit exempturus. Romæ 29. Decembr. Anno &c. LXXI.

Nicolao Firleo Palatini Craccouien. filio. Epistola CLXIII.

Gratulatur in fide Catholica constantiam, & vt de patris quoque sui conuersione laboret, hortatur.

QVm Parente tuo magna mihi fuit olim amicitia, quo tempore Deum vnum ambo colebamus, non aliquem nuper natum Deum, sed Deum Patrum nostrorum, quem gens nostra Polona, cum inde à sexcētis annis colere cœpisset, in eius cultu maxima ex parte adhuc perseuerat: Fuimus etiam in vnius Domini familiaritate, viri cum primis laudati Samuelis Episcopi Craccouien. simul dulces capiebamus cibos, & ambulauimus in domo Dei cum consensu. Sicut vnum cœlestem Patrem Deum, sic vnam in terris matrem Ecclesiam agnoscebamus, eam qua decet pietate venerebamur, ei nos permittebamus, ei credebamus, eam secundum Deum ipsum venerebamur, quæ de diuinis rebus ipsa sentiebat sentienda, quæ de humanis præscriberet facienda, quæ prohiberet fugienda esse, sine vlla dubitatione censebamus. Sed quod absque magno animi mei dolore commemorare non possum, serpentis astutia seductus Pater tuus, excidit ab illa simplicitate, qua tum ambo fueramus in Christo, relictóque Deo Patrum nostrorum, relicta matre Ecclesia, post multos Deos alienos abijt. Initio visus est illi Deus Lutherus, quod ab illo scribebatur, id esse purum Euangelium & ipsissimum Dei verbum esse, persuasum habebat. Exorto verò Caluino, sicut antea Deum Patrum nostrorum, sic deinceps Islebiensem etiam illum Antichristum deseruit, & huius, non autem illius, verbum adorare cœpit. Sic ille cum initio post illum Deum abijsset, qui tectum Papatus, hoc est, Ecclesiæ Dei dissecerat, illo reiecto, non ita multò post ad eum se contulit, qui parietes demolitus est. An autem & ad illum iam peruenerit, qui cum puluisculo, quod aiunt, totam Ecclesiam, dissectis illius fundamentis & radicitus euulsis euertere conatur, de eo mihi nondum constat. Sed à talibus initijs ad hunc tandem finem plerósque peruenisse, notius est, quam vt quisquam ea de re dubitare queat. Credibile non est, quantam ea res animo meo perturbationem adferat: Nam quo magis parentem tuum amo & obseruo, qualis à Deo creatus, & é sacro fonte susceptus est, hoc magis doleo, quod eum, qualis astutia serpentis factus est, amare non possum. quodque video nullum eum inimicum habere magis infestum, quam sit ipse sibi: verum interea non mediocrem ex ea re consolationem capio, quod quamlibet ab eo laboratum fuerit, vt in eandem, in qua comprehensus est ipse, tu quoque nassam pertraharis. tamen quæ consilia serpens ille suggessit, ea non sunt illum, quem cupiebat, progressum consecuta. Quamuis enim & ipse puer prauis opinionibus imbutus fueris, tamen simul vt ætate nōnihil profecisti, statim, quæ nunquā satis prædicanda est Dei bonitas & misericordia, nunciū ijs remisisti, quorū doctrinis varijs & peregrinis abductus, & in aliud cūiustis quam Christi potius Euangelium translatus fuisti. Bona spe sum, quod illi colūnæ Ecclesiæ Augustino, qui totos nouem annos in Manicheorum hæresi versatus fuerat, sancta mater Monica fuit, hoc te quoque filium patri tuo futurum aliquando, vt eum & con-

& continuis apud Deum precibus, & quibuscunq; poteris honestis rationibus CHristo lucrifacias. Habetis isthic virum egregiè doctum, & in sacris literis maxima cum laude sua versatum Franciscum Toletum: des operam, vt parens tuus eum in suam familiaritatem admittat, deq; diuinis rebus differentem frequenter audiat: Sic enim futurum est, vt ab erroribus, in quibus versatur, facilius resipiscat, & in viam veritatis redeat. Quod vtinam aliquando factum audiam, nulla ex re voluptatem capere maiorem possem. Intereà verò tibi gratulor, quod sis nuncius ad Regni Comitia designatus: nec enim dubito, quin aduersus hostes Euangelij, qui Christianam fidem iam indè à 600. annis à maioribus nostris in Polonia receptam, prorsus extinctam, & in eius locum, nescio quam Caluinianam siue Bezanam perfidiam, aliàs Biesovva VViarka, subrogatam cupiunt, forti sis animo pugnaturus, & illud summo studio curaturus, vt quod Biesouuij templum proximis superioribus mensibus, Craccouiæ fuit exædificatum, non sine magna totius gentis nostræ infamia, primo quoq; tempore dirui, & solo æquari possit. Quam ad rem te pluribus hortarer, nisi reuererer, ne de tua vel pietate vel constantia dubitare viderer. Quod superest ea omnia tibi de me rectè polliceri poteris, quæ de homine tui amantissimo: Si quid erit, in quo tibi meum erga te studium probare possim, nullam occasionem eius rei prudens prætermittam. Romæ XXIII. Februarij. M. D. LXXII.

Sigismundo Augusto Regi Poloniæ. Epist. CLXIIII.

De morte Pij V. Pontifi is, de electione Gregorij XIII. significat, & de Episcopo Craccouiensi designato gratias agit.

IAm scripsi Maiestati V. eodem ipso die, quo S. D. N. Pius V. Pontifex Max. Calend. Maij, obdormiuit in Domino, quod post aliquot dies debebamus detrudi in carceres, in quibus de nouo Pontifice eligendo tractaremus. Nunc factum est singulari Dei misericordia, qui suam Ecclesiam ope sua nunquam destituit: vt omnium opinione celerius intra spatium vnius diei, admirabili quodam omnium consensu, vocalibus etiam singulorum suffragijs, nemine prorsus reclamante, electus sit Pontifex, vir insigni iuris vtriusq; scientia, non vulgari pietate, singularíq; prudentia præditus, cuius testata semper fuit omnibus integritas, cùm in multis, & magnis negotijs, & officijs versaretur, Hugo Boncompagnus Bononiensis Cardinalis S. Sixti, nunc autem Gregorius Tertiusdecimus appellatus. Quod orbi toti Christiano fœlix, faustum, & fortunatum Deus esse velit: cui ego honorem hunc nudiustertius cùm fuissem gratulatus, diligenter & Regnum Maiestatis Vestræ, & causas illius omnes, quas ex magna parte iam anteà cognitas habet, commendaui. Proximo verò die Lunę iterum ad illius Sanctitatem accessi. Et quamuis Maiestas V. longo locorum interuallo disiuncta sit à nobis, ita vt ab illa tam citò mandata haberi non potuerim: tamen certò me habere persuasum dixi, Maiestatem V. ex hac illius euectione magnam voluptatem accepturam, Et post menses aliquot suum huc oratorem esse missuram, qui quæ Pontifici Rom. debent officia Reges Christiani, ea verbis Maiestatis V. præstet, cuius nomine nunc quoq; pedes sanctitatis eius me velle exosculari, quod etiam feci. Cogitabam etiam aliquid de causa Maiestatis V. Neapol. tractare. Sed ante coronationem non se solet Pontifex intromittere ad publica negotia tractāda. Coronabitur autem ipso die sanctissimo Pētecostes. Illustrissimo quoq; Cardinali Granuellano Viceregi Neapol. cùm ipse quoq; Romam ad electionem venisset, negotia Maiestatis V. diligentissimè commendaui. Qui mihi magna cum affabilitate multa prolixè promisit, multaq; narrauit, de suo singulari studio & obseruantia erga me. Nam his verbis vtebatur. Cùm autem hesterno die reuerteretur Neapolim, mihi cum eo Camerariū, & eundem Secretarium meū Stanislaum Resciū Ecclesiæ meæ Varmiensis Canonicum, qui solutionem debitæ pecunię diligenter vrgerer, aliquid etiam pecuniæ, qua vehementer indigeo, ad me perferret. Bona spe sum, quod omnia ex animi sententia succedent: de quo indies literas eius expecto, in quibus scribendis non solet esse negligens. Quod autem M. V. R. D. Nominatum Cracouiensem suis mihi literis tam diligenter cōmendat, hoc sibi certò persuadeat, quod propria mea causa, quàm hæc illius, maiori mihi curæ esse non posset. Hoc enim de illo mihi polliceor, quod quam debet sui gregis curam est habiturus, quodq; simul vt ad possessionem peruenerit, quod est Biesouuij templum ædificatum, id primo quoq; tempore demoliendum, & solo æquandum curabit, & omnia faciet, vt quem in ciuitate Craccouiensi Sathanismum exortum videmus, eum ex illa propulset, & ad extremos Garamantas releget. Quod vt faciat, supplico Maiestati Vestræ, velit eum diligenter hortari. Quod si verò præterea, quod speramus & optamus Palatinum & Capitan. Craccouiensem illi Christianum adiunxerit, cuj neq; cum Islebiensi, neq; cum Geneuensi Antichristo quicquam commune sit, magnum apud omnes sibi nomen comparabit. Et S. D. N. ad omnia quæ petierit concedenda, cum primis facilem experietur. Apud Deum quoq; sibi gratiam ingentem conciliabit, qui consiliorum omnium V. Maiestati progressus & exitus fœlices omnes largietur, & eam in multos annos incolumem conseruabit. Quod ab illius diuina Maiestate supplex precari nunquam intermitto. Romæ XXIII. Maij. M. D. LXXII.

Ioan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioanni Delphino Nuncio Apostolico apud Cæsarem. Epist. CLXV.

Hortatur vt negotium religionis apud Cæsaream Maiestatem diligenter promoueat, & de hæreticorum diuisione.

VAldè mihi rem gratam fecit D.V. quod me, quis sit rerum in Saxonia status, certiorem reddidit. Ego verò metuo, ne veriora sint quæ scribit, quàm vellemus. Nam plerique putant omnia tum esse Catholica, cum prouentibus suis Ecclesiasticis canonicis gaudere licet, quod in Saxonia fieri, dicitur. Sed non soli Christiani sunt Sacerdotes, qui prouentus Ecclesiasticos integros dari sibi cupiunt, magis etiam id contendunt Lutherani, grauiterque Principes peccare vociferantur, qui reditus istos ministris adimant, quos rectè quidem Papistis eripi. (Sic enim vocant Christianos) verùm non ita vt Fisco vendicentur, sed vt ab Idololatris Papistis, ad eos qui purum Dei sui Lutheri verbum prædicant, transferantur. Me quidem ipsorum inter se dissidia magnam in spem erexerunt, eos paulatim ad mentem saniorem reduci posse. Mihi deliberatum est, post vnum mensem tuendæ valetudinis causa ad Sublacum proficisci, & ibi tantisper commorari, dum se calores hic isti fregerint. Quod si me Deus incolumem redire voluerit, nullum non mouebo lapidem apud hunc nuper electum S. D. N. vt reducendæ ad fidem Christianam Saxoniæ curam suscipiat, cuius rei iam & fundamenta quædam iacta per me sunt, seque minimè defuturum officio suo sanctitas illius prolixè promisit. Interea vellē, vt offerrentur Cæsareæ Maiestati libelli, qui scripti sunt à Ienensibus & Braunsuicēsibus, fortasis autem & à Lipsensibus contra Catechismum, qui fuit VVittembergæ non ita pridem editus, & si quæ sunt eiusdem generis: vt sic paulatim animus Maiestatis illius præpararetur, cùm viderit vnde præclara illa doctrina, quam Dei verbi & Euangelij titulo ornabant, primum originem duxit, inde nunc & Caluinismum & omnem prodire Sathanismum. Est autem & alius quidam libellus Monachij, quod est oppidum Bauariæ Ducis, nuper typis mandatus, à Catholico quodam hac ipsa de re vulgari lingua conscriptus, quem & ipsum à Cæsarea Maiestate legi vehementer cuperem. Neque enim dubito, quin promoueretur animus illius pia cohortatione, qua persuadere conatur Principibus Christianis, vt expergiscantur tandem, neque Sathanismum hunc ita longe lateque spargi patiantur. Scripsit & Ingolstadij quædam vir cumprimis pius & doctus Martinus Eisengreinius contra eos, qui in Austria Christo Dei filio Domino Deoque nostro debitum honorem detrahunt, nec plus illi tribuunt, quàm apud nos Sanctis tribuitur, vt intercedat pro nobis, quemadmodum homines pro se inuicem intercedere solent, Et cùm nos ita collectas claudere solemus, Per Dominum nostrum IESVM CHristum, ipsi claudunt, per iustum seruum tuum Christum, non Domini modo, verùm & filij ei nomen detrahentes: magnoque cum dolore queritur, Machometismum iam in Austriam induci, & viam Turcis muniri, qua possint etiam absque armis ea potiri, cùm suum virus Machometicum Austriacis afflauerint, quæ certè res est horrenda. Quàm cupserem, vt hæc secum diligentius Cæsarea Maiestas expenderet, quo tandem progressura sit res, nisi maturè fuerit obuiam itum. Iam & Christus non agnosci pro Deo videtur. Quæ potest esse maior impietas, quàm sit hæc? Ad quam ex quibusdam initijs, quæ videri poterant in speciem leuiora, tandem huc peruentum est, & certum est, nisi maturè prouisum fuerit, quod non quiescet serpens ille callidus, tantisper dum eò rem perducat, vt apertè dicat insipiens in corde suo, Non est Deus Christus. Cùm ego fuissem Nuncius apud Maiestatem eius ante annos duodecim, hoc genus libellos producere sæpè solebam, quibus non leuiter animus illius Maiestatis commoueri visus est, vt minus iam istis hæreticorum portentis tribueret, eum quibus odijs ipsi certarent inter se, quàm absurdas etiam & impias opiniones fingerent, cognouisset. Mihi quidem hac via nonnihil esse profectura D. Vestra videtur. Sunt quidem hi libelli, quos paulò antè recensui germanica lingua conscripti, sed si non putauerit ipsa faciendum, vt eos offerat Cæsareæ Maiestati, poterit hac in re vti opera vel D. à Trauthsam Marschalci Curiæ, vel D. VVeber, quem esse puto Vicecancellarium. Vterque mihi Catholicus esse videtur, nec inuitus hoc sibi mandatum munus suscipiet. Sed nunc longior esse nolo. R. D. Vestram bene valere cupio. Romæ XXI. Maij. M. D. LXXII.

Ioanni Chodkeuicio Capitaneo Samogitię, Liuonię Gubernatori. Epist. CLXVI.

Iterum illi conuersionem ab hæresi gratulatur, & Bezæ fraudes in scripturis sacris violandis admissas ostendit.

QVod D. Vestra tandem Ecclesiæ gremio restituta sit, à quo serpentis astutia diuulsa fuerat, est quod immortales immortali Deo gratias agamus. Non solùm quod quæ perierat, ouis inuenta est, verumetiam, quod illius exemplo futurum speramus, vt qui se ab ouili Christi separarunt, eò reuocentur, vnde exierunt. Qua quidem ex re magnam apud omnes laudem consequetur, & quantò plures Christo lucrifacti fuerint, eius hoc præclarum factum imitati, tantò sibi magis illum propitium reddet, maioremque mercedem apud Deum repositam

tam habebit. Ego verò Deum precor, vt confirmet hoc, quod operatus est in illa, plurimū etiam nos Illustrissimo Domino Cardinali Commendono hoc nomine debere profiteor. quod in D.V. Christo lucrifaciēda, nihil curæ, diligentiæ, laboris prætermiserit: Patri quoque Toleto magna gratia debetur, qui præclaram hanc operam nauauit, vt Christum Deum Deique filium hominem pro nobis factum, & in Bethleem natum D.V. cognosceret: & quem illius loco quibusdam errorum tenebris obfuscata Geneuen. Antichristum coluerat, ei nuncium remitteret. Sed nihil est, quod hominibus quicquam tribuamus. Dextera Domini fecit virtutem hanc, dextera Domini tetram caliginem, qua circumfusa fuerat, ab illius oculis dispulit, vt claram Euangelij lucem aspiceret. Quid enim potest his verbis magis esse clarum & perspicuum, Quod accepto pane dixit Iesus, Hoc est corpus meum, & accepto calice, Hic est sanguis meus? Erit ne quisquam sic ab omni mente remotus, vt nū velit veritati de veritate sui corporis & sanguinis tam perspicuè differenti, fidem potius habere, quàm nescio quibus heri, quod aiunt, & nudiustertius natis: qui per summam impudentiam, & horrendum quoddam sacrilegium arguere mendacij veritatem non dubitarunt? sed negant illi se Christi verbis quicquam detrahere, & ea falsitatis insimulare, verum alium eorum sensum adferunt, quem totius Ecclesiæ sensui & consensui anteponendum esse censent. Quæ potest autem esse maior, quàm sit hæc audacia atque impudentia, quòd vnus aliquis homuncio sibi non veretur arrogare, quod scripturam rectius intelligat, & melius eius assequatur sensum, quàm vniuersa mille quingentorum annorum Ecclesia? à qua semper is verborum Christi, qui per manus nobis traditus est, sensus fuit receptus. Verùm ego tenere me non possum, quin adscribam hoc loco verba Bezæ cuiusdā, quem rectè vulgari nostra lingua Biesa vocare possumus. Is explicans illum Euangelij locum apud Lucam. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομενόν, qui pro vobis effunditur. Cùm hæc verba, inquit, si constructionem spectemus, necessariò non ad sanguinem, sed ad poculum pertineant, neque tamen de vino, nedum de poculo, intelligi possint, aut manifestus est Solœcismus, cùm dicendū fuerit τὸ ὑπὲρ ἐκχυνομένῳ, aut potius cùm hæc essent ad marginem annotata ex Matthæo aut Marco, posteà in textum irrepserunt. Sed neque hoc additur, inquit, apud Paulum, qui tamen videtur ex hoc loco descripsisse Cœnæ institutionem, neque causam video, cur Solœcismum Lucas, vsurparit. Omnes tamen vetusti nostri codices ita scriptum habebant, nimirum, calicem, hoc est, liquorem in calice contentum pro nobis effundi. Ex quo sequitur, quod liquor in calice contentus fuerit sanguis Domini. Huic tamen tam perspicuæ veritati nihilominus repugnat. Dicit hæc verba, si constructionem spectemus, necessariò non ad sanguinem, sed ad poculum pertinere. Sanguis enim apud Lucam, qui Græcè scripsit, cum datiuo legitur, verùm τὸ ἐκχυνόμενον recti casus est. Licet igitur apud Lucam fiat mētio sanguinis, dum dicitur: Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine, tamen verba illa, qui effunditur, non possunt in Græcis codicibus ad sanguinem referri, sed tantùm ad poculum, neque tamen de vino nedum de poculo, inquit Beza, intelligi possunt. Quid ergo superest, nisi vt de liquore, qui continetur in poculo, intelligātur. Qui tamen liquor non sit vinum, sed sanguis Christi, & ita idem est, sanguis & poculum apud Lucam, nimirum, quia licet differant casu, tamen poculum, de quo agitur, sanguinem Christi continet. Hoc ipse suis oculis videt Beza, suis ipse manibus contrectat, neque tamen adduci potest, vt veritati credat. Omnia quærit effugia, ne veritati de veritate sui sanguinis dicenti credatur. Primum Solœcismum esse putant, in quo rectus casus pro obliquo, Nominatiuus pro datiuo ponatur, nec tamen in hac sententia sibi constat, negat enim ipse causam se videre, cur Lucas vsurpare voluerit Solœcismum. Vt autem fucum faciat legentibus verba Lucę, sic est interpretatus: Hoc poculum est nouum illud Testamentum in meo sanguine, qui pro multis effunditur. Ecce dicit, qui sanguis effunditur, cum dicere debuerit, Quod poculum, vel sicut habet noster textus, qui calix effunditur. Nam Lucas participium ἐκχυνόμενον, qui effunditur, retulit ad ποτήριον, hoc est, calicem. Beza refert ad sanguinem, vt Solœcismi Lucam arguat, cuius tamen vsurpandi nullam Euangelistam habuisse causam affirmat. Interea tamen aliam coniecturam adfert, quòd hæc verba, qui effunditur, ex margine in textum irrepserint. Quod si concedatur, quis erit Euangelij locus, in quo non idem factum esse, calumniari possint Hæretici? Verùm & istam coniecturam necessariò quodam argumento refellit ipse, cum dicit, Omnes vetustos codices ita scriptum habere, vt ne vnū quidem ex viginti quatuor, quos ad manum habuit discrepasse viderit. Videt D. Vestra, quæ sit hominis huius audacia & impudentia, quàm nihil frontis prorsus habeat. Nunc Solœcismi Lucam arguit, nunc ex margine in textum irrepsisse dicit, nec quicquam intētatum reliquit, dum qui Germanus est Euangelistæ sensus, eum euertere queat: Sed ego pluribus D.V. molestus esse nolo. Habetibi P. Varschauicium, qui Græcæ quoque linguæ nō est imperitus, cum illo, & hæc & alia plura, de quibus informari volet, communicare poterit. Ego verò propterea tantùm hæc scribēda putaui, vt vel ex hoc vno loco disceret, quod qui maximè vociferantur, Euangelium, Euangelium, verbum Dei, verbum Dei, ij maximi sunt Euangelij verbique Dei deprauatores & corruptores. Gratulor autem iterum atque iterum Dominationi V. quod ex istis tam tetris tenebris emerserit, & claram Euangelij lucē aspicere cœperit. Quę vt indies illi magis clara fiat, & perspicua, suam Deus gratiam impartiet, qui seruet D. Vestram in multos annos. Patriæ nostræ talem ab illa statum describi video, non procul vt abesse ab interitu videamur. Quid autem aliud faciendum nobis restat, quàm vt cum illis, qui magnis procellarum fluctibus agitabantur, clamemus ipsi quoque, Domine salua nos, perimus. In illo solo spes omnis nostra debet esse fixa, qui Vestram D. diu seruet incolumem & fœlicem. Datum Romæ, 7. Iunij, Anno LXXII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iacobo Vchanskij Archiepiscopo Gnesnensi. Epistola CLXVII.

De libro Genebrardi Theologi Parisiensis, & vt prouideat, ne Palatinus Cracouien. designetur aliquis hæreticus.

CVM ex Gallia venisset huc Illustrissimi & Reuerendissimi D. Cardinalis Lotharingi & Senonen. vnus ex eorum Theologis, communicauit mecum librum quendam Genebrardi Theologi Parisien. qui fuit editus eodem illo anno, quo sic iubente Regia Maiestate sum in Vrbem profectus. Si liber hic ad vos est perlatus, cuperem eum à D. Vestra legi diligenter, omnes enim errores eorum, qui contra adorandam Trinitatem in Patria nostra scripserunt, præclarè sunt in eo refutati. Non pœnitebit D. Vestræ operæ. Quoniam verò num isthic eius rei copiam sit habitura, nonnihil dubito, mitto saltem epistolàm descriptam, quæ libro huic edendo causam dedisse videtur, & est statim post epistolam dedicatoriam libro inserta. Videtur autem ad Caluinum fuisse missa, ad cuius pestilentiæ Cathedram referre fuisse solitos nostræ gentis hæreticos, cùm aliqua de re ambigerent D. V. non ignorat. Incredibilem ex eo dolorem accepi, quod Serenissimum Regem & Dominum nostrum à perditis & profligatis hominibus istis apud exteras etiam gentes ita traduci videbam, quasi volente & permittente illo in Regni Comitijs publica fuerit instituta disputatio de eo: Num Christus sit Deus, Deiq; filius, cui præfuerit etiam summus Regni minister, quem Marscalcum vocant. Nam cùm hæc ad exteros perferuntur, quid aliud suspicari multi poterunt, quàm ita volente Regia Maiestate nostros homines non ita procul à Mahometana perfidia abesse. Cùm autem D. Vestra in altissima totius Regni specula sit collocata, ad eius officium proprie pertinere videtur, vt Regni saluti dignitatiq; prospiciat, neque tam turpem maculam in gente nostra, quin & in ipsa Regia Maiestate diutius hærere patiatur. Durius vt aliquid statuatur in perfidos istos, Caluinistas dico, non Trideistas tantùm, per quos ita Regni Regiæq; Maiestatis nomen contaminatur, magnitudo quidem sceleris postulare videtur, sed interim fruſtrà id à nobis expectari video, peccatumq; meum hac in re non inuitus agnosco, quod ad amplectenda seueriora consilia Regiæ Maiestati nunquam author fui, non quòd ea non maximè probarem, sed quod his difficillimis temporibus incassum à me esse laboratum intelligebam. Vtinam vel hoc solùm impetrari possit, quibus autoribus factum est, vt hæc tam probrosa de Regia Maiestate deq; toto Regno spargerentur, ij loco supplicij, ne tanquam rectè factorum præmium aliquod, summos in patria mea honores consequerentur. Adfertur enim huc, quo Præside fuit hæc inita disputatio, eum Palatinum & Præfectum Cracouiensem, quod pro sua misericordia prohibere Deus velit, designatum iri. Quod si ita eueniet, quod vel apud Deum abominabilius, vel apud homines ignominiosius contingere nobis posset, mihi quidem id mortis instar futurum esset. Siccine quo Præside disputatum est, num Christus sit Deus, & quidem in publicis Regni Comitijs, quodq; etiam grauius est, præmittente Regia Maiestate factum id esse, toto terrarum in Orbe sparsum est, is eius Ciuitatis Palatinus & Præfectus creabitur, quæ Regni caput est, & in qua primùm lucem hanc aspexi. Quæso velit secum expendere diligentius, quanta cum Regiæ Maiestatis & Regni totius infamia, quanto etiam cum animarum periculo, quarum sanguinem ex manibus speculatorum requisiturum se Dominus comminatur, coniunctum id fuerit. Consolantur me quidem literæ cuiusdam hominis fide digni, qui scribit, Maiestatem Regiam cum Ill. D. Legatus ei valedixerit, Regio suo verbo promisisse, quòd non sit Palatinum & Præfectum Cracouiensem declaratura, nisi Catholicum, vt non sim absque spe, quæ verbo promisit, ea ad rem esse collaturam. Sed ea me res interea terret, quod priusquam id fieret, abire permissus est Legatus, quo absente ne prauorum consilijs Regiæ Maiestatis animus in diuersam sententiam impellatur, non metuere non possum, cùm præsertim honores hos iam spe deuorasse quidam hæreticus dicatur. Quamobrem à Dominat. Vestra peto, quantum apud Maiestatem Regiam gratia valet & authoritate, quanti, etiam facit salutem patriæ nostræ, Regiæque Maiestatis honorem, tantum contendat & elaboret, suis vt promissis Regia Maiestas stare velit. Nam si quid secus esset factum, quamlibet sit longanimis, patiens, multaq; misericordiæ Deus, hoc tamen tantum peccatum diutius inultum laturus non esset. Quod autem ad me attinet, quibus de causis huc fuerim profectus iussus à Regia Maiestate, D. Vest. clam nō est. Nunc in hanc solitudinem vrbanos æstus fugiens me contuli, in qua ne diutius, q̃ velim, hærere cogar, metuo, si fides data Apostolico Legato seruata non esset: nec enim auderem in hominū conspectum prodire, & in Vrbis luce versari, ne mihi quis aliquando tantam hanc nostræ gentis Regiæque Maiestatis infamiam exprobraret. Nec video, qua spe Regiæ M. causas promouere possim, cum rebus rectè conficiendis tantum esset impedimentum allatum. quin & hoc metuo, ne S. D. N. in despectum Legati sui vel suum potius id factum interpretaretur. Iterùm atq; iterū à D. V. maiorem in modum peto, modis omnibus Regiæ Maiestati persuadere conetur, vt ad eorum aliquem hæc munera deferat potius, qui fidem suam incontaminatam Christo seruarunt, nec ab eius corpore separari se passi sunt vnquam. sic enim futurum est, vt & suis in Regno Neapolitano rationibus melius prospiciat, & quam illi perfidi quidam suspicionem conflare conati sunt, quasi de Christi diuinitate

disputari permiserit, à se dimoueat, Deumq; grauiter peccatis nostris iratum propitium reddat, vt is eas quas merentur scelera nostra plagas à nobis auertat, & quam optamus regno tranquillitatem largiatur. Sublaci XIX. Iulij. Anno &c. LXXII.

Alphonso Salmerono Societatis Iesu Theologo Epistola CLXVIII.

Quantoperè doctorum consuetudine delectetur ostendit, & vt ne libros suos tandiu premat hortatur.

RECTE conijcis, eorum consuetudine me plurimum delectari, quos viros esse doctrina præstantes scio, & in aliqua parte fœlicitatis id ponere, quod ea mihi frui contingat. Accedit ad nos, interdum Fr. Ciscus Torrensis noster, quemadmodum rectè diuinaris mitior iam aliquanto factus. Nec enim amplius nobiscum de iure diuino litigat. Vnus deest Salmeronus, qui si præsens adesset, vix quicquam nobis ad beatitudinem deesset, verum is nūquam à Regno suo abstrahi se patietur, cum primus Neapoli esse malit, quàm Romæ secūdus. Quamobrem vix est, quod speremus præsentis illius nobis aliquando potestatem hic futuram, quò iucundiorem & beatiorem vitam agamus. Futura esset mensa nostra multò lautior, nec nos ferè quidquam deficeret, quod ad explendum famē nostram pertineret. Interim Torrensis nostri, quamuis iam surdastri consuetudine fruimur, minus tamen crebra quàm vellemus. De cuius libro iudicium hoc nostrum est, non facilè reperiri posse quenquam, qui genus hoc argumenti melius tractare potuerit, quàm ille. Metuo ne testimonium hoc meum suspectum alicui videri queat, propterea quod lucubrationes has suas mihi dicandas putauerit, sed ego vellem ostēdi mihi quempiam, qui sit tam reconditæ lectionis, qui tam multa viderit, tantoq; cum labore legerit. Ego certè, præter vnum Cardinalem Scirletum, scio neminem. Est ita, vt scribis, quod in hac materia fruſtrà demonstrationes expectantur, quam qui tractare vult, esse talem oportet, qualis Prouerbio quodam iactatur. Qui bene conijcit, hunc esse vatem optimum iudico: sed non facile crediderim, verisimilius quenquam scribere potuisse. Dedi librum etiam hunc Latino Latinio, scis cui viro. Is venit nonnunquam ad nos cum Torrensi, quædam in eo libro notat, quod ille non facilè fert, mihiq; non rarò dicit (verùm semotis arbitris) propterea se mihi librum istum nuncupare, vt ego defensionem illius suscipiam. Sed quid, inquam si non possim omnia defendere. Tuum est hoc munus, inquit, de rebus tam obsoletis difficile est, vt per demonstrationem aliquid agatur. Sed multa tamen sunt in hoc libro scitu necessaria, quæ non sine fructu legi possunt. Quàm cuperem, vt tu quoque nobiscum vnà de nonnullis tuam sententiam dicere posses, verùm hæc optari possunt, sperari vix possunt, nec enim à Regno tuo diuelli te patieris. Sand eri nostri librum libens ad te misissem, sed vnicum tantùm exemplar habemus. Nec enim huc adferuntur ferè libri quamlibet Catholici, nisi qui sint intra fines Italiæ typis mandati, & sunt qui dicant, interdictum esse, quod ego tamen haud credo. Sic fit vt cùm ferè nihil ipsi scribamus, & aliundè quæ bene scripta sunt pro defendenda fide Catholica adferri facile non possint: si vera sunt quæ dicuntur, nos magno fructu priuamur. Venerunt huc Theologi Parisienses, mirari satis non possunt, Romæ tantam esse librorum sacrorum penuriam. Quinque tantum sunt in Vrbe tota Sanderi libri de Monarchia exemplaria, Vnum quod fuit Pio V. Pontifici oblatum, Moroni secundum, Scirleti tertium, nostrum quartum, Asaphen. Episcopi quintum, apud illum obtinui, suum vt is librum tibi mitteret, sed intereà fidem interposui meam, quòd esses eum Septembri mense remissurus, quam vt liberes, curæ tibi sit. Quòd vrsam agis in fœtibus tuis edendis, probare non possum. Nescio quod meum exemplum adfers. At ego non solùm nonum annum, sed nec mensem nonum in meis producendis expectaui, quod etiam res ipsa clamat. Cùm quod ad sacrarum literarum peritiam attinet, nullare tecum fuerim comparandus. Si lambere perpetuò volueris, nunquam prodibunt fœtus tui: qui tu potius aquilam imitaris, quàm vrsam, quæ simul vt prolem ædiderit, statim eam Solem aspicere vult. Nunc tu tuam in perpetuis tenebris latere vis, nunquam vt in lucem veniat. Meam ego præcipitationem non laudo: sed nec illorum superstitionem potius, quàm religionem, qui dum nimis lambunt, & ad vngnem expolitum opus esse volunt, quod parturiunt, pariunt nunquàm. Si partus iste tuus in lucem prodijsset, quàm sunt multi quibus non paruam erat vtilitatem allaturus, quam tu videris impedire, dum solus eo frueris, & alijs fructum eius inuides. Prodeat in lucem aliquando, quod ita diu premitur, vt & nos aliquod ex tuis laboribus emolumentum capiamus, & quem pridem cibum appetimus, eo satiari queamus. Id non solus ego, verùm & noster Sanderus cupit, qui te quàm officiosissimè resalutat. Datum sublaci 17. Iulij. Anno M. D. LXXII.

Senatui vniuerso Regni Poloniæ. Epistola CLXIX.

Condolet de morte Sigismundi Regis, & monet, vt amotis omnibus tam Religionis quàm priuatis dissidijs, & contentionibus, pro patriæ tranquillitate & salute laborent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ETSI corpore longius abſens, ſpiritu tamen ita ſum præſens, cum Reuerendiſſimis Illuſtriſſimis Mag. & Generoſis D. Veſtris, nulli vt illarum, concedam magis, vt ab interitu communem patriam noſtram, quàm ego, cupiat conſeruatam, quæ certè non procul abeſſe iam ab eo videtur, niſi nos oculis miſericordiæ ſuæ Deus reſpexerit, niſi ſpiritũ diuiſionis & diſſenſionis propulſauerit, & in eius locum ſpiritum charitatis & vnitatis in cordibus noſtris diffuderit, niſi congregationem veſtram vniuerſam in hanc mentem impulerit, vt omnibus priuatis ratiõibus veſtris poſthabitis, in id ſtudium incumbatis, quo periclitanti Regno, de cuius nunc agi ſumma videtur, primo quoq; tempore ſalubribus conſilijs ſuccurratis. Allatum eſt huc, Sereniſſ. Regem noſtrum Sigiſmundum Auguſtum ex hoc corporis ſui diuerſorio migraſſe, &, quod ſperamus omnes, atque ſupplices à Deo precamur, in piorum ſedes receptum eſſe. Quæ mors illius immatura, quantum in diſcrimen Regnum adduxerit vniuerſum, D. Veſtræ, quæ rem ſubiectam oculis habent, ſcire melius poſſunt, quàm abſens ego verbis aut literis explicare queam. Quàm cuperem, vt qua celeritate fœlicitateq; vſus eſt proximis ſuperioribus menſibus ampliſſimus Ordo Cardinalium in Pontif. nouo in demortui locum eligendo, qui ſepoſitis affectionibus omnibus, nihil aliud ſibi expectandum exiſtimauit, quàm vt verè Pio Pontifice defuncto vir eiuſmodi ſuccederet, qui nihilo eſſet illo pietate inferior, rerum autem rectè gerendarum vſu longe ſuperior, eadem fœlicitate celeritateq; veſtras quoq; Dominationes in eligendo nouo Rege vſas fuiſſe cognoſceremus. Verùm facit Religionis diſſidium, quod ante annos 50. fuit in Eccleſia Dei per Sathanam, de quo dicit Propheta, quod diuidat inter fratres, excitatum: & mortuo ſancto Rege Sigiſmundo primo radices, quàm vellemus, altiores iſthic egit, vt ego non poſſum nõ vehementer metuere, ne qua de cauſa D. Veſt. ſunt hoc tempore congregatæ, ea cum ingenti Regni totius calamitate in longius tempus extrahatur, quàm Regni ſaluti conſeruandæ expedire videtur. Cui video Turcas, Tartaros, Moſchos, Valachos, fortaſſis autem & alios, quos præterire ſilentio malo, ſic inhiare, datam vt ſibi nunc occaſionem gaudeant, qua poſſint nomen Polonum vniuerſum, quod fuit olim & rebus fortiter geſtis, & Chriſtianæ fidei integrè & incorruptè conſeruatæ laude cumprimis illuſtre, prorſus delere, & quod excoli & expoliri Regnum cœperat, illud ad vaſtitatem reducere. Quamlibet abſens longè à Dominatio. Veſtris locorum interuallo diſiunctus, ac minus fortaſſé magno, quàm illæ, periculo ſubiectus, tamen quoties animo mecum reputo, quæ communem patriam noſtram in fortunia maneant, niſi diuiſionem fugerint, & vnitatem amplexæ fuerint, totus perhorreſco: ſic enim ea mente proſpicere mihi videor, ſicut ea quæ cernuntur oculis. Quo magis præſentes Dominatio. Veſtras ea mouere debent, vt ſi quid eſt mutuarum inter D. Veſt. offenſionum, id ex animis ſuis omne deponant. In primis autem de Religionis diſſidio, quod præſens Regnis exitium adferre conſueuit, ſibi caueant, ſed more maiorum ſuorum eundem, quem illi, Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnanimes vno ore glorificent, nec illius loco, vel Iſlebien. vel Geneuen. Antichriſtum adorent, vt quicquid ab eorum aliquo ſcriptum eſt, id ſtatim haud aliter atque Dei verbum recipiant. Non fruſtrà in ſcripturis toties appellari DEVM Patrum noſtrorum legimus, vt ne noua nobis Idola fabricemus, nouos Deos excogitemus, ſed quem Patres noſtri coluerunt, ab eius vnius Dei cultu nunquam diſcedamus, etiamſi mors nobis eſſet opperenda. Omnes in eundem Chriſtum nos credere profitemur, qui cum non ſit diuiſionis neque diſſenſionis Deus, ſed pacis & dilectionis, qui fit, quod ab illis nonnulli ſe diuidunt, quos iam 600. annis in Polonia Chriſtum coluiſſe, Chriſtianos etiam appellatos fuiſſe ſciunt, cum præſertim videant, qui primi fuerunt huius diuiſionis authores, in quot iam ſectas mirabiliter inter ſe diſſectas diſſecti ſint, vt quod ex Patribus quidam dixiſſe de quodam Sectæ cuiuſdam authore legitur: Sicut Chriſtum diuidere conatus eſt, ſic à ſuis ipſe quotidiana conciſione diuiditur, id non minus de primo Sectarum noſtri temporis authore verè dici poſſit. Sed ego longius progredior, quàm initio ſtatueram, & fortaſſis epiſtolæ modum excedo. Quamobrem finem ſcribendi facio. Hoc tantum à Dominatio. Veſtris, quo ſummo poſſum ſtudio, peto, oro etiam & obſecro per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui non vt congregatos diſpergeret, ſicut hoc infœlici noſtro ſæculo factum videmus, verùm vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregarent in vnum, ideò precioſum ſanguinem ſuum perfundere, ideò mortem horrendam oppetere dignatus eſt, vt ab eo, qui diuidit inter fratres, & quoniam Chriſto contraria facit omnia, rectè vocatur Antichriſtus, ſiue ſit Iſlebienſ. ſiue Geneuenſ. ſiue quocunque alio nomine vocetur, diligenter ſibi caueant, & eum tanquam exitialem peſtem fugiant, ſed vno atque eodem animo qua de cauſa congregatæ ſunt eam ita tractent, vt nihil aliud quàm Dei gloriam, Eccleſiæ tranquillitatem, Regnique totius incolumitatem ſpectaſſe videantur. Sic futurum eſt, vt dum Reipublicę ſaluti nihil anteponendum eſſe cenſent, rerum quoque ſuarum priuatarum incolumitati proſpiciant, & fœliciores conſiliorum ſuorum progreſſus & exitus habeant, Dei quoque gratiam vberiorem ſibi concilient. Nos verò quotquot hic ſumus in eadem Patria nati, & eiuſdem vobiſcum corporis membra, non minus quàm Dominationes Veſtræ de communi ſalute Patriæ ſolliciti Deum, vt hanc vobis mentem inſpiret, ſupplices precabimur, atque vt in multos annos Dominatio. Veſtras incolumes & fœlices conſeruet. Hæc ego Dominatio. Veſtris pro meo conſeruandæ Patriæ ſtudio, quin ſcriberem, tenere me non potui: quæ vt in eam, in quam à me ſcribuntur, partem accipiant quæſo. Vtinam autem priuſquàm hæ literæ noſtræ peruenerint, factum eſſe tale quid audiamus, quale in Conclaui noſtro tertio ab hinc menſe factum eſſe totus iam nouit & & gaudet Orbis Chriſtianus. Datum Sublaci 30. Iulij. Anno M. D. LXXII.

Iacobo Cardinali Sabello. Epiſtola CLXX.

Reſpondet ad conſolatorias.

DE morte Sereniſſimi Regis mei, quin Illuſtriſſima & Reuerendiſſ. C. Tua magnum dolorem acceperit, equidẽ nihil dubito. Me verò quemadmodum affectum eſſe credit in hoc tam acerbo caſu? qui præterquam quòd mearum fortunarum parentem amiſi, multò etiam alia triſtiora metuo, quæ ſolent poſt mortem eorum Regum euenire, qui nullum certum habent ſucceſſorem, in hoc præſertim Religionis diſſidio, nec ſatis inter ſe conſentientibus Regni Senatorum animis. Solet aliquam doloris leuationem dies adferre, ſed ego non magnam adhuc ſentire mihi videor, quin quò magis animo mecum reputo præſentem Regni ſtatum, hoc perturbor vehementius. In quo rectè ſpem defixam habere poſſum ſolus Deus eſt, quem ſupplex precor, vt non ſecundum peccata noſtra, ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam nobiſcum agat, & in cordibus eorũ, penes quos eſt eligendi poteſtas, ſpiritum charitatis & vnitatis diffundat, quo pari fœlicitate celeritateq; Regem, qua nos proximo menſe Maio Pontificem, eligere queant, id ad ſalutem ac tranquillitatem illius Regni momenti plurimum eſſet allaturum. Interea verò S. D. N. non ſolùm ego, verùm & patria mea multum debet vniuerſa, quod illius tuendæ & conſeruandæ tantam curam & ſollicitudinem gerit, quodq; non ſolum paternum ſuum animum erga defunctum Regem declarat, illi iuſta more maiorum faciendo, verùm & in id ſtudium incumbit, vt Catholicum ſucceſſorem habere queat. Quod ſi Illuſt. D. V. dignata fuerit eò ſe demittere, vt meis quoq; verbis hoc nomine gratias agat S. illius, magno me ſibi beneficio deuinxerit. Equidem ſi mei fore iſthic vſum aliquem ſcirem, aut aliquid conſilij me præſentem adferre poſſe perſuaſum haberem, ad motus iſtos in Patria mea tranquillandos, & negotium de quo conuenerunt iam, penes quos eligendi poteſtas eſt, fœliciter cõficiendũ, nullum eſſe periculũ tantũ poſſet, quod me, quo minus aduolarẽ, eueſtigio deterreret: verùm non video, quid præſens plus adferre poſſem, quàm abſens. Prima ſpes eſt in Chriſto, ſecunda in illius Vicario, & eorũ qui ſunt illi à conſilijs, inter quos eum principem ferè locum teneat Ill. D. V. & Regni noſtri patronum agat, ac in eo tuendo ſingulare ſæpè ſtudium declarauerit, non dubito, quin & nunc omnia ſit factura diligenter, quæ ad illud ab interitu ſeruandum putauerit pertinere. Ego verò ſi quid quamlibet indignus Sacerdos, precibus & ſacrificijs apud Deum potero, meum officium in me requiri non patiar. Sublaci 4. Auguſti 1572.

Gregorio XIII. Pont. Max. Epiſtola CLXXI.

Supplicat vt per Legatum ſuum prouideat, ne in electione noui Regis Poloniæ aliquæ de Religione pactiones fiant.

BOna ſpe ſum, quod exaudiet ſupplicum preces Pater ille miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, & ex his procellis ac tempeſtatibus, quibus patria mea nunc iactatur & agitatur, ad optatum nos tranquillitatis portum perducet. Verùm quæ ſit horum temporum ratio S. V. non ignorat, etiamſi maximè Catholicus & Orthodoxus Rex eligatur: plæroſq; tamen Principes videre licet, quòd non ſine magno animi mei cruciatu ſcribo, ſic agere Catholicos, vt ab hæreticis quoq; non ſint alieni: Ita Chriſtum colere in Bethleem, vt in Iſlebien. vel Geneuen. Antichriſtum non eſſe ſibi negligendum exiſtiment, quos ſcriptura neq; calidos, neq; frigidos, verùm tepidos vocat. Nouit autem & illud S. V. quod à magno quodam Cæſare dictum eſt: Si ius violandum eſt, regnandi cauſa violandum eſt. Idem de fidei quoq; iure iudicatur. Hoc tempore non poſſum non eſſe animo cumprimis anxio & ſollicito. Non minima pars eorum, ad quos vis eligendi ſpectat, peſtilentiſſimis hæreſibus eſt infecta, quos omnia facturos dubium nõ eſt, vt ſi minus habere potuerint ſuæ partis Regem, ſaltem ad pactiones Rege Chriſtiano minimè dignas eligendum aſtringant. Quid in Germania, quid in Gallia factum eſt, S. V. clam non eſt. idem & in patria mea iam multis annis tentatum fuit, ac ante biẽnium propemodum perfectũ, nec fuerunt vlla ferè Comitia, in quibus conuentio inter Chriſtum & Belial non peteretur. Ego verò & præſens cùm fuiſſem in Comitijs ante triennium, & abſens per literas impijs hæreticorum conatibus, quantũ potui, reſtiti, quin & Romæ cùm eſſem, quibus potui rationibus ſcriptis ad S. Regem meũ, cuius memoria in benedictione ſit, literis, eũ ab hac Religionis concordia, qua nihil poteſt eſſe magis exitioſum, pro virili mea ſum deterrere conatus, quemadmodum ex mearum literarum exemplis, quas Cardinalis Comenſis S. V. exhibebit, cognoſcere poterit. Cùm itaq; dubium non ſit, quòd à defuncto Rege, cùm eſſet in viuis, hæretici tanto ſtudio contenderunt, vt eodem loco haberetur perfidia Auguſtana, quo fides Chriſtiana, id vt obtineant eos nunc multò magis elaboraturos. Suppli co S. V. vt Ill. D. Legatum eius rei admoneat, quò prouideat modis omnibus, ne tales aliquæ pactiones intercedant, quibus meritò Chriſtus offendatur: cui cenſerem non prius ex illo Regno diſcedendi poteſtatem dandam eſſe, q̃ qui fuerit electus omnia Chriſtiani

Regis officia, priusquàm illius capiti corona fuerit imposita, præstiterit. Hæc ego pro mea fide proq; sollicitudine, qua Patriam meam ab interitu seruatam cupio, quin S. V. scribe rem, tenere me non potui, quam supplex peto, si crebrioribus meis literis aures illius obtundam, durius id nõ accipiat. hoc enim à me postulare videtur mea in patriam pietas, cuius saluti quibuscunq; possem rationibus prospectum cuperem. Sublaci 6. Augusti. 1572.

Antonio Cardinali Carafæ. Epistola CLXXII.

Respondet ad consolatorias de morte Sigismundi Regis scriptas.

DE obitu Sereniſſimi Regis mei, quin Ill. D. V. magnum dolorem acce perit, mihi dubium non est, nam præterquam quod humanitatis officium postulat, vt aduersis hominum, Principum præsertim, casibus moueamur, semper Ill. huius familiæ tuæ singulare fuit & erga Sereniſſ. Regem meum nuper in Christo defunctum, & erga Seren. parentes eius studiũ. Sed si nõ potuit Ill. D. T. non perturbari hoctã tristi casu non tam Regis mei, quàm Regni totius, quæ nullis vnquã fuit illi beneficijs obstricta: quantum putat fuisse mœrorem meum, qui parente mearum fortunarum sum orbatus, & quidem hoc diſſi cillimo tempore, quo nisi Deus oculis misericordiæ suæ nos respexerit, & eũdem quem nobis in Conclaui existentibus, ijs penes quos est potestas eligendi Regis, spiritum infuderit, horret animus scribere, quantæ Patriæ meæ calamitates impendeant, in cuius exitiũ ex omnibus partibus Christiani nominis hostes inhiare video. Itaq; non solus est Seren. Regis mei obitus, qui magnam animo meo perturbationẽ adfert, magis adeò me terrent pericula, quæ Patriã meã vndiquaq; circumstare video: quò plus me simul cũ illa debere S. D. N. profiteor, qui suam verè paternam curam & sollicitudinem ostendit, ac Ecclesiæ totius precibus illius Regni salutem ac tranquillitatem commendãdam duxit, qui nisi custodierit Regnũ hoc, frustrã vigilant, qui custdiunt illud: non est quod in humanis consilijs quic quam spei collocetur. Hoc est non Vrbis, verùm Orbis totius Pontificem agere, nec vnius gentis alicuius, verùm totius mundi finibus Pontificatum circumscribere. Me verò nulla res alia magis recreat, quàm quod in certam quandam spem erigor, vt Ecclesiæ totius precibus Deus placetur, & quæ peccata nostra mala meretur, ea immemor iniuriæ, memor autem suæ misericordiæ clementer à nobis auertat. Hæc est vnica mea consolatio, quanquã & sacrorum librorum lectio fateor, quòd non paruam dolori meo leuationem adfert. Nũc in Basilio versor, quem anteà totum lectum relego, & magnam ex eius lectione recreationem sentio. Sed & literæ tuæ non paruo mihi fuerunt, ad minuendum dolorem meũ, adiutamento, cuius hunc animum in me, quòd in hoc tam acerbo casu meo me tam amanter es consolatus, plurimũ exoscular, simul hoc illi precor, vt nihil ei eiusmodi eueniat, quam obrem cõsolationis alicuius indigere videatur. Datum Sublaci 18. Augusti M. D. LXXII.

Alexandro Cardinali Farnesio, Regni Poloniæ Protectori. Epist. CLXXIII.

Respondet ad consolatorias de morte Sigismundi Regis scriptas.

MOrs immatura Sereniſſ. Regis mei non facilè crediderim quòd maiorem cuiquam dolorem attulerit, quàm mihi, nec enim ea sola causa mœrendi mihi est, quòd mearum fortunarum parente sum orbatus, verumetiam quod eo tempore accidit, quo maximum Patriæ meæ periculum impendere video, quam grauibus nunc tempestatibus & procellis iactari sic animo perspicere videor, sicut ea quæ cernuntur oculis, quæ res, fieri non potest, quin animum meum vehementer perturbet. Ex quo tempore mortuus esse dicitur, nullas ex Patria mea prorsus literas accepi, ac ne de morte quidem significationem vllam. Ad quem alium confugiam nescio, præterq; ad eum, qui Regnorum omniũ author, protector, & custos est, vt is non faciat nobis secundũ peccata nostra, quæ grauissimas plagas merentur, sed secundũ magnã misericordiam suã, deq; Rege sibi grato celeriter prouideat, qui Catholicæ fidei sit acerrimus propugnator. Vtinam penes quos est eligendi potestas, æquè fœliciter & celeriter, vt nos in Conclaui Pontificis, Regis eligendi negotium conficiant. Quod aũt Ill. D. V. tam benignè mihi studium suum defert, ingentes ago gratias, pridem reipsa sum expertus singularem illius & erga Patriam meã, & erga me ipsum beneficentiam, & præclaram voluntatem. Fortassis aũt non absre fecerit Ill. D. V. si saltẽ ad Episcopos Regni literas suas dederit, quibus eos admoneat, vt sepositis omnibus animorum dissidijs non aliam in curam incumbant, q; vt celeriter eum Regem eligendũ curent, q; scuto fidei Catholicæ munitus, & Regni & Religionis hostes omnes facilè possit à suis finibus propulsare, quod, cùm sit Regni Protector, decere personam illius existimo. Sublaci 18. Augusti. 1572.

Gregorio XIII. Pont. Max. Epistola CLXXIIII.

Gratias agit pro paterna erga Patriam suam sollicitudine, & vt exequias Regi defuncto decernat petit.

VOd S. V. tãto studio prospectum eius Regni saluti cupit, in quo primùm ego lucem hanc aspexi, paternam istam illius curam & sollicitudinem admirari satis & exoscular non possum. Nã & Illust. Legato suo mandata dedisse dicitur, vt ex illo regno, cuius nunc status est perturbatior, quàm facilè credi possit, pedem ne moueret, nisi prius motus hi sonquieuissent, qui sunt morte

morte Seren. Regis excitati, neq; curæ, diligentiæ, laboris quicquam prætermitteret, vt is Rex eligeretur, qui nihil haberet antiquius, quàm vt omnibus modis Christianam fidẽ tuendam & propagandã curaret. Nec satis habuit humanis consilijs quantum potuit Patriæ meæ tranquillitati prospicere: sed cum sciret, nisi Dñs custodierit Ciuitatem, frustra vigilare qui custodiunt eam, conatusq; nostros oẽs cassos & irritos esse, si diuina sint ope destituti, ad eum qui omnium Regnorum author, protector, & custos est, confugiendum, eius misericordiam implorandã esse duxit, vt quod Regnum in summo nunc discrimine versari videtur, ei de tali successore prouideat, qui sit acerrimus Christianæ fidei propugnator, nec hac vna re quicquam prius & antiquius habeat. Hoc est, Pater Sancte, verè Christi Vicarium agere, nec. n. Christus Iudæorum tantũ, sed omnium Gentium Deus esse voluit & protector: non vnius populi causa descẽdere de cœlo, nostramq; carnẽ assumere dignatus est, verùm vt filios Dei, qui per totum Orbẽ dispersi fuerant congregaret in vnũ, vt omniũ ex æquo saluti, pspiceret, vt mundi totius non vnius alicuius terræ propitiatio fieret. Hoc est, non Vrbis tantum, verùm & Orbis totius se Pontificẽ esse declarare, hoc est cõmunem quendã esse patrem omnium gentiũ. Quæ cum viderint tantã suę salutis ac tranquillitatis curã haberi, fieri nõ potest, quin vicissim amore tam benefici sui parentis exardescãt ac vt eum Dñs conseruet & viuificet, supplicibus à Deo votis exposcant. Multum S. V. debet vniuersa Patria mea, pro paterna ista de salute sua sollicitudine, sed plus adhuc ab ea requirere videtur, cùm fuerit hoc in more sempet positum, vt Romani Pontifices, tanq; communes Regnorũ omnium parentes, simul vt esset de morte Regis alicuius nuncius allatus, ei solennia iusta fieri decernerent, & ánimam illius, precibus & sacrificijs Deo cõmendandã curarent, vt idem ipsa quoq; V. S. more maiorum suorum fieri mandet, nec expectet dum tale quid ab illa petatur ab his, quorum id officium fuerat, quorum ego nunc animos tam scio esse perturbatos in hac summa rerum omniũ confusione, vt quid primũ, quid postremũ aggrediantur, nesciant: & ob eam rẽ aliqua tñ excusatione digni videantur. Ego nec in hũc vsq; diẽ ex Patria mea, vel minimã à quoq; de morte Seren. Regis mei significationẽ habui, vnde facilè conijcere licet, qui nunc sint in ea motus, quibus fluctibus atq; tẽpestatibus agitetur. Nunc ego supplex à S. V. peto totius Patriæ meæ nomine, in qua multis alijs grauissimis curis nunc oẽs distrahuntur, quando quidẽ illud constare dicitur, Sere. Regem in Catholica fide ex hac vita migrasse, omnibus Ecclesię Sacramẽtis ritè pceptis, vt q̃ fieri sem per consueuerũt solennes exequiæ, eas ipsas S. V. quoq; faciendas curet, ac sic semel cœptũ in Patriã meã beneficiũ absoluat. Ego verò supplex Deũ ptabor, vt illã sollicitã adeò sui gregis curã agentẽ Deus in multos annos incolumẽ & fœlicẽ conseruet, & pro tãtis beneficijs illi gratiam referat, quam referre opis nostræ non est. Sublaci 20. Augusti 1572.

Franciscus Torrensis Societatis Iesu Stanislao Hosio Cardinali. Epistola CLXXV.

Ingressi erant in Societatem Iesu aliquot ex præcipuis verbi Dei Concionatoribus, & in Italiam proficisci ex Polonia iussi sunt. Hosius dolens Polonos ijs Prædicatoribus destitui, significauit P. Torrensi, se non hoc à S. Societate expectasse, vt ex Polonia Concionatores auferrentur, sed vt plures in Poloniã mitterentur. Ad hoc præsenti epistola Torrensis respondet.

QVerimoniam tuã ex Carolo nostro intellexi, quod cùm à multis cõsolatorias, à me nullã. Vt querelam habeas, facilè patior: vt officium requiras, nõ ita facilè. Cur enim ego officium ita negligerem, vt cũ libros integros scribã, & tibi despondeã, & quidem μακρολόγως πρὸς φωνῶν epistolã non scriberẽ, q̃ vt epistola sit, scio, non nimis longam esse oportere, ne vt ait Greg. Naz. meridianas vmbras imitetur. Quę igitur causa, inquies, cur nulla à me consolatoria? Nolo Reueren. Domine, dum me excuso nec in officiosum, nec inhumanũ, videri alios qui quod humanitatis & officij est, fecerunt, nõ probare, imò rectè illi quidẽ, qui per literas mœstitiã tuam, quam cogitabant, esse minuendã putauerũt. Ego verò qui nullã ægritudinem esse sciebã, quam epistola mea leniret, quid, te iudice, scriberẽ? scio. n. iam diu, si quandò vulnus accipis, nec enim es ἄζωτος, sentis quidem vt humanus, sed ita vt prius sanes, q̃ mederi opus sit, noui constantiã tuã inter illos fluctus Tridentinos, vbi nulla vnq̃ tempestas illud oris tui φαιδρὸν obscurari potuit. Credo te fleuisse de morte Regis tui, quẽ meritò amare debebas, vt quidẽ amabas. Fecisti more Sanctorũ, q̃ flebant ipsi quoq; mortuos suos, vt. n. ait quidã ex eis, is est S. Nilus, in libro quẽ de cæde Monachorũ Montis Sina, & filij sui Theoduli cũ lachrymis scripsit, sicut caligo tetra distillantibus guttis discutitur, & paulatim caligine discussa, & exinanita illa imbris obscuritate, cœli serenitas redit: sic anima casum suũ flens, mœrore releuatur, lachrymis ipsis mœstitiã exhaurientibus. Solet. n. inquit, dolor, cũ tacetur, pungere: vt cũ humor tumescẽte parte aliqua corporis subsilijs, viã, qua erũpat, nõ habet. Sic ille de fletu philosophatus est. Fecisti igitur in morte Regis tui, q̃ facere iubet diuina sapiẽtia Iesu filij Sirach, produxisti lachrymas, in mortuũ fleuisti quasi grauia passus, repræsentasti honorẽ sepulturæ iustis exequijs Romæ, & Sublaci vbi nunc philosopharis Regẽ tuũ pro dignitate eius prosecutus, neq; lachrymis, neq; sumptibus parcens, ne de summo tuo in eũ amore & obseruantia, & in oẽs liberalitate detraheretur. Nã hoc quoq; pcipit Ecclesiasticus cauere. Fac, inquit, luctum secundum meritũ eius propter detractionẽ. Sed idem rursus pcipit, vt moderatè doleamus propter periculũ etiã immoderati doloris. Cõsolare te, inquit, propter mœstitiã, à tristitia. n. festinat mors, & cooperit virtutẽ, & tristitia cordis flectit ceruicẽ. Se aũt cõsolatur, q. vt idẽ ait, memor est mortis suæ: tũ cogitat, nihil mœrendo profici, vt mortuus in hanc vitam reuertatur, ita vt nihil illi mœstitia prodesse, & nobis possit obesse multum: Deinde communi

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicio ac decreto constitutum esse omnibus, vt omnibus moriendum sit. Mihi, inquit, heri, & tibi hodiè, non dixit, mihi hodie, & tibi cras: quia nemo sciat, an hodiè item ei. Postremò iubet, in eo acquiescere mœrentes, & eo vno relictum desiderium lenire, quod iam ille à laboribus & molestijs vitæ huius requieuerit. Sic enim ipsos iam morientes consolari debemus: sicut scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodò enim requiescent à laboribus suis. Hæc ex Ecclesiastico à me παραφραστικῶς delibata absolutè tu & perfectè executus es, vt iam non tam consolatoriam, quàm gratulatoriam à me expectare debueris. Et si fleui ego cum flente, id quod officij mei, & meæ de tuis in me, & in nostros omnes meritis memoriæ, atq; obseruātiæ proprium erat: hoc defuit solùm, quòd τὴν σύγκλαυσιν, non misi literis consignatam ac testatam. Quomodo enim tecum non fleuissem, q legi Apostolum hoc in officijs pietatis ponere, & Dominum exemplo suo commendasse, ac simul etiam docuisse, quid ille fletus significet, & quorsum spectet? qui cùm moderatus est, vtpote, spem habentis, & meliorem vitam omni gemitu, & dolore, ac lachrymis liberā expectantis, non est de morte, tanquam de modo dolentis, neq; metuentis mortem, vt ité malum: neq; fœmineus, vt imbecillis animi, sed potius quidam virilis in mortem fremitus, ac genus quoddam piæ iræ in eam propter peccatum, per quod mors introiuit, cuius imperium, vt Apostolus ait, habebat Diabolus, hoc enim quidam ex numero Veterum Patrum argutè & sententiosè, vt mihi videtur, interpretatus est, docuisse nos Dominū, cùm animam Lazari reddidit corpori, postquàm lachrymatus est, & bis in spiritu infremuit in mortē, seq; cōturbauit, qui omnia alio qui voluntate sola, sine vlla conturbatione quęcūq; vult efficit. Absterge igitur Reuerēd. si quę fortè sunt molestię, ac luctus de obitu Regis relictæ, satis est dolere orbitatem Regni: satis est angi metu, ne sint futura in Polonia turbulenta tempora, & res. Vna verò ratio est hanc animi tui sollicitudinem mitigandi, imò sopiendi, si totam eam, vt Princeps Apostolorum, in Deum proijcias, quia ipsi, inquit, est cura de nobis, hoc scilicet monuit, & præcepit, ne ista hæc sollicitudo mentem à Deo auocaret, & orationem impediret. Vnde statim subiungit, sobrij estote, & vigilate in oratione. Sic enim legitur, & interpretatur eruditissimus auctor & peruetustus Marcus Anachoreta, hoc Pont. vt in Ecclesijs huius Vrbis fieret, curauit formulis precandi pro electione Regis Poloniæ ad sacrificiū adhibitis, hoc tu cum domesticis tuis, vt facis, curas, hoc ipsum nos hic aliquantò etiam solicitius pluribus de caussis facimus, id est, tua, Regni tui, & nostrorum Collegiorum, vel potius tuorum, tua enim sunt κτήσει & χρήσει Prouincijs Regni tui nata sunt: illis adolescunt: illis proficiunt. quo magis mirari soleo, tulisse te aliquando molestè, quod quidam magnæ expectationis Poloni, in quibus non mediocrem spem Poloniæ confessionis defendendæ, & propagandæ meritò posueras, relicto sæculo, ad nostram societatem se contulissent: quod nunc quoq; in quodam alij Collegij Germanici facturum esse suspicabamur. Sed quia ad hunc locum sensim delapsus sum, & me iamdiu φιλοψύχιον ducis, & si ego, vt mihi aliquantulum blandiar φιλαλήθη, potius duci, & appellari malim, agam tecum, non illa mea Tridentina seueritate, sed, vt spero, mitius: ita vt non litigare me, sed litē dirimere, & rē cōponere dicturus. Quæso te Reuerēd. qui tāto studio Patriæ, & nationis adiuuandæ meritò teneris, & ob eam causam de illorum ex Patria discessu, & ad nos adiunctione dolebas. Vbi sunt Stanislaus, Petrus Scarga, Benedictus, & alij? quid agunt? qua auctoritate sunt in Populis? qua gratia & opinione apud Principes Regni Catholicos? quid diebus ac noctibus meditantur? quibus in rebus vigilias & horas collocant? Habes ergo Reuerēd. quod tota mente petisti, ac multò etiā plenius, & cumulatius, quàm petere potuisti, vel etiam optare. Cupis quidem ac debes etiam, Patriam, Regnum, Prouincias Regni tui, & Populos adiuuare, ecce, preces & vota tua benignius & largius audiuit Deus, quàm votis & animo conceperas. Vsq; adeò illa Domini sententia vera est, Habenti dabitur. Cur enim quod de studio ac desiderio discendi veritatem dictum est, ad studium docendi eam non liceat deriuare? isto nanq; tanto tuo studio docendi Euangelium Populos quo ardebas meruisti (quod optare non audebas) eos operarios in Polonia videre, quorum merces esset exemplo Pauli Apostoli, vt Euangelium prædicantes sine sumptu ponerent Euangelium, vt non abuterentur potestate sua in Euangelio, & pures lucrifacerent. quorum verbum, sicut idem Aplūs ait, acciperent Poloni, non vt verbū hominū, sed sicut est verè, verbū Dei, qui operatur in ijs, qui credunt, qui imitatores sunt Ecclesiarum Dei. Quis ignorat, aut dubitare potest, quanto facilius, qui omnia bona sua reliquerūt, negocium prædicandi Euangelium sanctè, & iustè expediant, q̄ qui possident? quanto sint illi non solùm paratiores ad tradendum fratribus Euāgelium, sed etiam, vt Aplūs ait, animas suas? qui cum eodē Aplō facilè, ac verè dicere possunt, Nō quęrimus q̄ nostra sunt, sed vos. Et illud rursus: Quæ. n. spes nostra, gaudiū, & corona gloriæ? nonne vos ante D. N. Iesum Christū estis in aduentu eius? Vos. n. estis gloria nostra & gaudium. Audi R. D. quid noster Diadochus de Apostolica διακριβοσύνη, instrumento ad Euāgelizandū accōmodatissimo scripserit. Pauper, inquit, & inops laudabunt nomē Dñi, nec enim charissima Theologiæ. i. tractationis verbi Dei vlli à Deo p̄paratur, nisi se ipse ita p̄parauerit, vt propter gloriam Euangelii Christi omniū bonorū suorum relinquat possessionē, hoc. n. præcipuè significauit, qui dixit: Parasti in bonitate tua pauperi Deus. & subiungit: Dñs dabit verbū Euangelizantib. virtute multa. Hactenus S. Diadochus. Cur verò nil possidere ita aptū sit ad euāgelizādū, Dñs, cum mors sibi appropinquaret, imò iam planè instaret discipulis suis indicauit. Postquā. n. dixit Petro, vt est in Euang. Lu. 22. Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges, nosse me, subiungit Euangelista, & dixit eis: Quandò vos misi sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: Nihil, dixit ergo eis, Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & perā, & q̄ non habet, vendat tunicā suā, & emat gladiū. Dico enim vobis,

vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, & eum iniquis deputatus est. Quia sollicitudo rerum necessariarum soleat eos, qui minus perfecti sunt, à necessitate naturæ ad studium rerum superfluentium trahere, & animis nocere, dederat Dominus à principio Apostolis suis præceptum, de nihil possidendo, tametsi cæteris ad imitationem de eo consilium dederit, quod arduum sit ad suscipiendum & sustentandum. Vt igitur cùm appropinquarent dies Dauid, vt moreretur, sicut est in 3. libro de Regibus præcepit filio suo Salomoni, dicens: Ecce, ego ingredior viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir fortis, & obserua, vt custodias mandata Domini Dei tui, & quæ sequuntur: sic Dominus appropinquante morte, illud de paupertate præceptum, in quo fortitudine, constantia, ac patientia imprimis ad perfectè euangelizandum opus erat, discipulis suis commemorauit ac repetiuit, quod cum studiosè seruarent, facile foret ad subeundam mortem, & exemplum magistri imitandum promptos, & paratos esse. Interpretabor, quę Photius Constantinopolit. Patriarcha in quæstionibus locorum difficilium scripturæ ad Amphilochium Cizici Metropolitam hunc locum edisserens scripsit, sic enim facit παραφραστικῶς loquentem: Nunc cùm mors mea instat, & bellum contra vos paratur, qui studuerunt & laborarunt, vt præceptum meum de nihil possidendo seruarent: hi certamen prius susceptum perficient & consumabunt. Contrà vero, qui ab illo perfecto gradu nihil possidendi lapsi fuerint, sollicitudo, & cura multarum rerum eos excipiet: quibus quidem ad sacculum pera etiam accedet, & cætera vitæ subsidia, ideirco, inquit, pulchrum fundamentum ad futura certamina in paupertate iecistis. Quare reliquum est, vt magis nunc, quàm antea ad mortem propter me oppetendam parati sitis. Iam enim ego mortem pro mundo subeo, recte igitur feceritis, cùm omnia vitæ huius subsidia reliquistis. ita vt nihil vos iam reuocare queat, quo minus ad id, quod caput est omnium, ad mortem propter me sustinendam læti & alacres properetis. Itaq; hinc sanè illud sequitur, vt ad eandum propter me summū amictum, & ad vitam cum morte commutandam præsto sitis. Hoc enim significat probabilius, quàm quæ ab alijs variè dicta sunt, illud vendere pallium, & emere gladium. Perinde enim est hoc, quasi diceret: Neq; extremo amictui parcet, qui perfectum illud nihil possidendi consumauerit: imò dabit locum alacriter emendo gladio, hoc est, oppetendæ morti. Prænunciat itaq; futurum esse, vt custodia illius præcepti, hoc ingens & summum præclaræ virtutis officium pariat. Suadebit enim libenter propter me mori, ab omni prætereà sollicitudine rerum humanarum liberos esse, & ad nullam curam corporalium conuerti, cunctaq; ad meum cultum referre. Deinde subiungit idem auctor, quòd nihil aliud in ænigmate duo illi gladij significarent, quàm mortem Domini, & mortem Apostolorum, vel ex eo intelligere licet, quod responderunt, Ecce duo gladij: nec amplius ab eis requisiuit Dominus, sed satis est, inquit: satis scilicet erant ad significandum per notas & in ænigmate, quod volebat, id est, passionem suam, & passionem Apostolorū: non autem satis erant ad defensionem. Hactenus Photius. Cuius acumen in obscuris locis scripturæ sanctæ interpretandis sæpè mirari soleo, & alij mecum. Hæc igitur quæ tam prolixè ex loco Euangelij, & ex interpretatione doctissima Photij repetita sunt, eò spectant, vt intelligas & perspicias, qualis & quanta res sit, nihil possidere, ad Euangelizandū bene, quantumq; proficiat euangelizantibus ad tradendum simul animas suas, quibus Euangelium tradūt. Sed qd te differo? Et si credo, diuinas iam, quorsum hæc. Agnoscimus Reuerendissime, idq; libenter confitemur, partim beneficio tuo, partim consilio, auctoritate, opera, Collegia nostra in Polonia instituta, fūdata, & extructa esse: atq; ita te de Societate nostra meruisse, vt ἀχαριστίας crimen nullo vnq; tempore subitura sit. An igitur non satis effecisti hac ratione, vt tuum quoq; esset non dico nolle, hoc enim parū est, vt in Collegijs Societatis infrequentia sociorū sit, sed contra potius maximè velle, & optare, idq; magnopere niti, vt sit magna frequentia? Deinde scis optime, imò quis te melius, quam sit opus Poloniæ tuæ bonis, synceris, strenuis, & expeditis Euangelistis, qui Verbum Dei non cauponentur. Et ad hæc, quis tam idoneus, inquit Apostolus: Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate, ex Deo, coram Deo in Christo loquimur: qui, inquam, tam idonei, quàm qui nihil possidere voluerunt, qui verè quoties dicere, Non vestra, sed vos quærimus? qui facile pro salute Populi, & fidei testimonio animas ponant? quiq; ad eos pertineant, de quibus prædixit Esaias: Vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini, ad glorificandum: vt iam non dicatur in Polonia illud, quod in Propheta sequitur: Filij peregrinorum, sed filij Polonorum agricolæ, & vinitores vestri erunt. Dei enim agricultura estis, inquit Apostolus. Cur igitur huiusmodi operas tam frugi, tam fortes, tam gnauas Regno tuo inuides? Quis enim crederet doluisse, te aliquando de vllius Poloni ad nostram Societatem aduentu & adiunctione? Sed dices, hoc enim memini te, cùm Tridenti essemus, queri & lamentari solitum, ingentem esse raritatem bonorum Sacerdotum apud Polonos, ac multò etiam maiorem eorum, qui ad gerendos Episcopatus apti & idonei essent, ex nostra verò Societate non fieri Ecclesiarum ministros, aut pastores, hic tuus dolor, & quidē, vt quod sentio dicam, iustissimus: idemq; tecum dolemus. Sed consolabor te hic, vt pro consolatione, quam à me de morte Regis tui requirebas, consolationem in alio mœrore longe vtiliorem reponam. Quid si breui vt speramus & cōfidimus? expecta modo, pro vno, aut altero, quos nunc Poloniæ ereptos, & quasi subtractos luges, & frontem feris, plures Collegia ista nostra reddent? non fit iactura, sed lucrum, vbi quod dederis copiosius referes. Quā multos ex omni ætate, gradu, fortuna & genere paucis isti, qui se in Societatē nostrā dederūt, parturiēt, & cedēt Dño non sine magno Poloniæ fructu, & gloria? Erunt, crede mihi, quisque eorum, instar grani frumenti, quod cadens in terram, vt est in Parabola Euangelij, cum mortuum fuerit, multum fructum adfert.

Ὑμῖν

Universidad de Deusto
Biblioteca

Θνήσκ enim Veteres Patres religionem, vt nunc loquimur, definierunt. Quàm multi ex eorum satu & cultura prouenient, qui areas Ecclesiarum compleant, & in horreum Domini condantur. Hinc messis multa probatorum Sacerdotum & Pastorum idoneorum futura est, vt iam in quibusdam Prouincijs euenit: in quibus cum esset tanta raritas, vt vix vnus aut alter probus & idoneus Sacerdos reperiretur, post Collegia nostræ Societatis instituta, magna breui bonorum Sacerdotum copia extitit. Sementes igitur & seges eorum, quos suspiras, & Regno tuo optas, Collegia Societatis nostræ sunt, quę tu in Polonia, vt & feciſti, & fieri curaſti, ita etiam socijs augere debes, si hos vberrimos fructus, quos dixi, percipere vis: augebis autem, si vestrates non solum, non audiant, aut suspicentur te id molestè ferre, vt quorum erat opinio & bona spes, relicto sæculo ad Societatem conferant, sed etiam audiant te apertè probare, idq; gratulari. Illud enim scito Reuerend. Domine, & sic tibi velim persuadeas, quo plus splendoris & gloriæ, siue à maioribus relictæ, siue etiam suis meritis partæ & debitæ, quo plus item opum & aliorum bonorum, quæ externa vocantur, propter Deum relinquunt, & quo probatiore vita sunt, qui se in Religionem tradunt, eò plus alios exemplo incitant: & ad contemptum rerum & Mundi magis inuitant, & prouocant. Sed dicet tibi aliquis, te enim, qui sapiens es, non puto dicturum, nec illis qui honestè & ex virtute vitam degunt in sæculo, opus esse religiosos fieri, nec ijs qui diuitias habent, & aliorum inopiam impartiendo releuant, vtile esse. Hoc enim, cum in sæculo essem. audire solebam, si quando aliquis, dimisso sæculo, religiosus fieret, præsertim si non solùm exemplo virtutis, sed largiendo etiam egenis prodesset, hui, iuuare desijt, ἀχρεῖον. An non satis erat, quod, etsi non religiosus, religiosè tamen viuebat? Scio nõ tu dicis, hui, scis enim si is tanta probitate apud sæculum, & tanta vitæ continentia, & sanctitate erat, hoc tamen ei deerat ad eum gradum perfecti ſtatus, ad quem, Deo vocante, aspirauit. Etsi enim omnia mandata à iuuẽtute sua quis seruauerit, audit tamen à Domino, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurũ in Cœlo, & veni sequere me. Illud verò, omnia bona sua semel relinquere, propter Deũ, & nudum remanere, quam vtilitatem ei, qui alijs iam inutilis putatur, adferat, audi quid idẽ noster Diadochus dicat. Præclara, inquit, res est, statim percepta cognitione melioris ſtatus, benè largiendo abijcere temeritatem gloriandi ex diuitijs odio habentem cupiditates, quod est, animam suam odisse, vt iam non amplius largitione opum lætantes, nos ipsos nihili faciamus, tanquam nihil boni agentes. Dum enim diuitijs affluimus, mirificè ijs largiendis delectamur, si tamen virtute liberalitatis vtimur, tanquam hilariter iussui Dei seruientes. Postquàm verò omnia bona exhausta sunt, infinitus tunc subit dolor, & summissio, quasi nihil dignum iustitia agamus. Ex quo fit, vt ad se Anima cum multa summissione redeat: aut quod non potest quotidiè per eleemosynam sibi comparare, hoc per laboriosam orationem, & per tolerantiam, atq; humilitatem poscit. Pauper, inquit, & inops laudabunt nomẽ Domini. Hactenus pater ille, ac rursus idem alio loco eiusdem libri, res, inquit, omninò vtilis est, post cognitionem pietatis in Deum, vendere statim omnia bona nostra, & pecuniã redactam secundum mandatum Domini dispensare: ac nõ potius per simulationem obediendi mandatis Dei monitum salutare nõ audire. Hinc enim sequetur, primùm quidem optima vacuitas solicitudinis: tam deinceps secura, & ab insidijs tuta paupertas, quæ altiora cogitat, quàm de vlla iniuria, aut lite: idq; quia non habeat amplius materiam, quæ ignem auaritiæ inflammet, fouebit autem nos tunc magis, quàm reliquæ virtutes, humilitas, quæ sinu suo, & complexu nudos recreabit, sicut mater puerum gremio exceptum fouet, cùm is, puerili simplicitate ductus, vestitum suum exuit, & procul abiecit, magis tunc nuditate, vt omnis malitiæ expers, quàm varietate vestis lætus. Custodit, inquit, paruulos Dominus, humiliatus sum, & liberauit me. Hæc ille diuinus auctor, quod si Dominus discipulis suis de illis natu paruulis, quos prohibebant offerri Domino, vt eis manus imponeret, dixit, Sinite paruulos ad me venire, talium est enim Regnum Cœlorũ, quid existimabimus dicturum fuisse, aut etiam nunc dicere, si qui sint, qui prohibere velint paruulos fieri propter Dominum, eiusmodi paruuli sunt, qui religiosi fiunt, ac mihi quidem cùm paulò attentius considero, quo loco Euangelij hoc de paruulis illis non prohibendis, positum sit: illa certè quæ proximè antecedunt de Eunuchis, qui se castrauerunt propter regnum Cœlorum, & illa quæ proximè item sequuntur de adolescente illo, qui iussus est, si vellet perfectus esse, venderet omnia quæ habebat, & sequeretur Dominum, quæ ad religiosos planè pertinent, non obscurè admonere videntur, vt de illis interpositis ætate paruulis alios præcipuè paruulos intelligamus, eos scilicet, qui propter Regnũ Cœlorum, omnibus bonis suis abiectis, se paruulos malitia faciunt, & sicut Apostolus ait, sensibus perfecti fiant. Imò hoc quoq; ipsum Pater Diadochus cogitasse paulò ante in illo exemplo pueruli cogitasse visus est. Caue igitur Reuerẽdissime Domine, tales paruulos prohibeas. Prohibebis enim si semel intellexerint, vel tibi non probari, quod faciunt: vel te nõ lætari. Scio, non increpas, vt illi discipuli in Euangelio, sed qui ea auctoritate, & dignitate pollet, qua tu, satis increpat, cum non probando deterret. Sine igitur paruulos venire ad Societatem: sines autem, cùm audierint, id te Poloniæ tuæ gratulari, vt sanè gratulandum est. Habes à me causas gratulationis. Societas verò nostra, vt de causa eius aliquid dicatur, vt neminem scit, cui plus debeat, quàm tibi: ita nemini plus, quàm tibi, & gratificari, & morem gerere cupit, siquidem in Domino possit. Dat quidem operam omnis Societas, vt si quis ad eam à Deo vocatur, non sit hoc odio, & offensioni suis. In pace enim, inquit Apostolus, vocauit nos DEVS. Idcircò cum suspicio, aut metus est, diligenter curamus, vt ex ea re vllius offensionem, nec ille, neque nos incurramus. Si parentes, si propinqui, si amici nouitium conuenire volunt, & seorsum sine arbitris alloqui, fit libera potestas. Si absentes sunt, præstatur hoc ipsum officio literarum. Denique nun-

nunquàm conquieſcimus, donec, quantum in nobis situm est, qui dolent, aut sanentur, aut leniantur. Si q verò insanabiles & desperati videntur, nos satis officio nostro factum esse arbitramur: illos verò quos ratio non sanauit, posteà sensim ipsa per se dies sanat. interim precibus eos apud Dominum adiuuamus. Illud præterea scito, nulli nos, vt ad nos veniat, suadere: nec vllum hortari solere, tametsi sancta suasio sit, & quæ ab eo, qui ad Religionem inuitat, & vocat, proficiſci videatur. malumus tamen totum hoc negocium Dei gratiæ committere, quæ multis modis mirabiliter inflammatos in hoc stadium Societatis nostræ immittit, quos vocat. vt tota vocatio ex vocante sit. Nescio quo modo penè oblitus eram, quod hucusque progresso hic mihi in mentem venit, quod ex te Florentia reuersus audiui, nescio, an memor sis, cùm diceres mihi: Si optio tua esset, libentius te in nostra Societate, quàm in isto splendido ordine futurum. Ergo quod tibi optares, si optionem haberes, alijs inuidebis? quid enim aliud est, quàm alieno bono mœrere? Sed reuocabo me, non enim hoc nomine mœres, sed vt antè dixi, raritate bonorum Sacerdotum mœres, ac iustus quidem & honestus mœror, & luctus est: sed habes, ne iterùm superiora repetam, quo te affatim consolari potes, & debes. Sed dices fortasse, differre est hoc, expectare opus est: interim posſit hic, qui religiosus fit, esse bonus Populi Parochus, & non occuparet locum imperitus & impudicus, & lupus potius, quàm Pastor. Concedamus idoneum esse hunc, vt tibi visum est, quantum licet coniecturam facere ex doctrina, ingenio, & moribus: illum verò, qui locum occupauit, improbum & impurum, ac Sacerdotio indignum, hic tibi Reuerendissime velim in mentem veniat consilij, prudentiæ, ac voluntatis Dei. Qui propter Deum seculum deserit, & se in Religionem tradit, hunc certum est à Deo vocari. Dominus enim dat votum vouenti, vt est in Cantico Annæ in æditione LXX. Dicam igitur hic cum Eliu vno ex amicis Iob: Quis poterit scrutari vias eius? aut quis audet ei dicere, operatus es iniquitatem? Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram, hic tibi aptus ad Sacerdotium seculi videbatur: Domino visus est ad religionem: qui sciebat, ait Ioannes, quid esset in homine: & qui dat vnicuiq; nostrum gratiam secundum mensuram durationis suæ. Tu mœres, vt acerbum casum, qui ille à sæculo recessit: & Angeli exultãt, quòd iam vitam ἀγγελοεἰδῆ in terris imitetur. & tanquàm filius resurrectionis prius resurgat, quàm moriatur, vt quidam antiquus Pater de istis dixit. Ne dubita Reuerendissime, imo pro certò puta, & habe, cum erit Polonus ad sacerdotium Populi iudicio eius, qui nouit omnia, idoneus, & vtrisq; expedierit fieri Sacerdotem Populi, aut Populorum, fiet profecto ab eo, qui vt B. Athanasius ad Dracontium Episcopatum fugientem scripsit, melius quàm nos nouit noſtra: & nouit quibus suas committit Ecclesias. Exemplum habes domesticum & recens in Grodecio tuo, & meo etiam, vt vetere amico. Is cùm Patrem Stanislaum audisset, dedisse se in Societatem nostrã, continuò eiusdem desiderij quasi stimulis pungi cœpit: &, vt videbatur, cupiebat adhuc maioribus aculeis stimulari, ita vt fortasse à apud se illud ex psalmo diceret: Concupiui desiderare, scripsit enim ad Stanislaum literas, quibus quod feciſſet, gratulabatur: & se idem cupere satis apertè significauit, interim rogabat, vt quantum posset, & quantum pro vetere amicitia deberet, suis eum precibus apud Deum iuuaret. Quod satis quidem diligenter, & officiosè, atq; amicè Stanislaus curauit. Testes fuerunt & comprecatores omnes illius anni nouitij, testis item ipse tunc nouitius & συναγωνιστής. Verùm Grodecius nunquam vim illã intus cientem sensit, quam vix ipsi, qui experti sunt, explicare possunt, cùm verè eos vocat Dominus, quia scilicet ad excellentius certamen, licet periculosius, seruabatur: nempe ad bonũ opus Episcopat', de quo verè illud Poetæ dici potest: Hoc opus, hic labor est. Hoc. nificat hoc loco Pauli ἔργον, id est, opus τὸ δύσκολον καὶ δυδάσκατόρθωτον πρᾶγμα. i. difficile & arduum, vt illud apud Salom. Virum fidelem reperire opus. Obseruauit hoc Isidorus Peluſiota, ne de aliena laude decerpam. Est igitur Episcopatus bonum opus, id est, arduũ negocium, quod sine magna difficultate, & assidua solicitudine, & summa vigilia sustineri laudate non potest. Hoc Grodecius noster dignus erat, quem magna me spes tenet futurũ esse, sicut Paulus Timotheum monuit, exemplum fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate: hoc est enim fieri formam gregis, quod B. Petrus Pastoribus præcepit. attendet etiam lectioni, exhortationi, & doctrinæ, non negligens gratiam, quæ data est ei. Conseruabit ille omnia verba hæc conferens in corde suo, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, vt ait frater Domini. Auditum est hic tentasse eum omnem viam, & rationem defugiendi munus, suasione tamen, & hortatu P. Stanislai, & aliorum Patrum nostræ Societatis tandem susceſſe, quod quidem nobis gratulamur, tantũ abest, vt doleamus, non perfeciſſe, quod aliquandò velle cœperat, multò enim magis Episcopus Societatem nostram in Polonia iuuare & tueri poterit, quàm si in ea ipsa Societate esset. Et quod potiſſimum est, Eccleſijs, & Populis Poloniæ gratulamur, quòd illis eum præfecerit Deus, quem hæc tempora postulabant, quod quidem tuo nomine imprimis gratulandum est: tuis enim moribus, tua institutione, & disciplina, vsu, exemplo imbutus, eiusmodi euasit, vt tanto munere dignus habitus sit, & quidem meritiſſimo. Postremo loco mihi gratulabor, qui mirificè recreor, cùm illius suauitatem ac probitatem & ingenuum illum rubor em recolo, tum induſtriam illam antelucanam in describendis furtim, sed liberaliter Cyrilli mei Catechesibus. Parumper sum à re digressus, vt hac recordatione vtrumq; nostrũ delectarem. Quòd autem ad rem pertinet, hæc est summa, & caput: scit Deus magnus vincens scientiam nostram, quos ad Societatem vocet, & quos ad Ecclesias & Parochias, quod euenerit, hoc optimum iudica, & gratias Deo agamus, vt, sicut B. Petrus ait, in omnibus glorificetur Deus. Vereor ne meridianas vmbras, quæ longiſſimæ sunt, epiſtola mea contra præceptum epiſtolare imitata sit, quod in principio dixi non oportere. Sed dabis

veniam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

veniam, aut cum epistola mea illam ad Atticam accusa, quæ librum xiij fecit. Vale in Christo Reuerendissime Domine & Patrone obseruandissime, & Nicolaum Sanderum iubebis saluere. Roma XV. Kal. Octob. M.D.LXXII.

Catherinæ Iagellonіæ Reginæ Suetiæ. Epistola CLXXVII.

Gratulatur quod fidem Catholicam constanter retineat, ac de Serenissimi Regis mariti sui conuersione laboret.

NO Nignorat proculdubio Serenitas V. me sic volente Regia Maiestate Domino & benefactore meo clementissimo, V.M. fratre, nunc in Vrbe degere, vbi audio multos viros Principes pietatem & constantiam V. S. in fide Catholica summa cum illius laude prædicantes, quod non solum ipsa sine vlla dubitatione constanter fidei Christianæ puritatem retineat, nec in vlla re ab vnitate Catholicæ Ecclesiæ, in qua illi maximi, summaq; pietate Reges V. S. Maiores & nati, & mortui sunt, diuelli se patiatur, verumetiam tanta cum sollicitudine in id studium incumbit, vt aliorum quoq; salutem opera sua repræsentare possit, vt omnes sub vno Pastore, relictis erroribus, quibus plenus est mundus, eodem ouili contineantur: Ante omnia verò factum hoc S. V. in cœlum vsq; laudibus effertur, quòd Sereniſſimi Regis Suetiæ mariti sui salutem sempiternam tantæ curæ habeat, vt ab erroribus, in quos fraude ministrorum Sathanæ adduci se passus est, ad agnitionem veræ fidei & Ecclesiæ Christi communionem, iterùm possit euocari. Quam etiam ob causam Iesuitas aliquos viros pios & doctos ad se mitti desiderat, quorum opera errantibus errores eorum demonstrare, & ab illis ad verum iter salutis æternæ, vnde per Sathanæ ministros deducti sunt, deducere possit. Plena est Vrbs sermonibus istis de Serenitate Vestra, qui quantam animo meo voluptatem adferant, dici non potest, nec me potui continere, quin his meis ipsum S. V. significarem, & illi mentem hanc, quin & existimationem tam præclaram quam de Serenitate V. apud hanc Sedem conceptam esse audio, gratularer. Quandoquidem hoc etiam renunciatur, quod S. Rex S. V. maritus, non longè iam abſit à Regno Dei, salubribus consilijs & precibus V. S. adductus, Deus omnipotens benedicat consilium hoc S. V. & in multos annos incolumem, cum hac tam pia & sanctis illis S. V. maioribus digna sollicitudine conseruet, vt videat S. Regem maritum suum, quin & aliorum subditorum suorum animas, ad verum salutis iter à certissimo exitio, opera orationibusq; suis esse reuocatas. Hoc vno nullum gratius Deo sacrificium offerre potest, quàm vt elaboret, quo lumen veritatis obcœcatorum hominum animis quamprimùm adferri queat. Quam ad rem S. D. N. pater omnium fidelium, & Pastor vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ Gregorij XIII. suam benedictionem libenter sanè elargietur: nec vllos labores defugiet, vt ad ouile Christi, quod ille in hoc mundo visibili regit & gubernat, per piam V. S. sollicitudinem, Iesuitarum opera, de quibus est tantoperè sollicita, errantes ouiculæ, quæ sunt S. V. dominio subiectæ, possint in viam veritatis, & vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reuocari. Ego quoq; si quid ad eam rem præsidij adferre potero, promptum & paratum me offero: nec vlli mihi labores molesti sunt futuri, quoscunq; me Serenitas Vestra in deducendis ad optatum exitum tam pijs illis cogitationibus perferre voluerit.

Catherinæ Iagellonіæ Reginæ Suetiæ. Epistola CLXXVII.

Docet quid de vsu sanctissimæ Eucharistiæ sentire debeat, & vt de conuersione Serenissimi Regis mariti sui laborare ne desinat.

QVA Sad me S. Vestra literas dederat pridiè S. Stanislai, redditæ sunt mihi pridiè Nonas Februarij, de meo summo erga se studio & obseruantia, deq; prompta & alacri voluntate in omnibus S. V. dignitati, & commodis inseruiendi, rectè sibi polliceri potest omnia, non fallam expectationem illius, quin eam superare potius conabor, quoties aliqua facultas & occasio data fuerit. Illud autem dolenter admodum accepi, quod multũ vrgente atq; instãte Sereniſſ. Rege coniuge suo charissimo tandem adduci se passa est, vt contra quam Deo per os Ecclesiæ suæ statuere visum est, sacrosanctam Eucharistiam sub vtraq; specie sumeret. Cùm illud in memoria Celsitud. Vest. semper fixum esse debuerit Quod oportet obedire Deo magis quàm hominibus, & quod ab ipso Christo dictum est: Qui diligit patrem, aut matrem, aut coniugem plus quàm me, non est me dignus: Amandus est coniunx, obtemperandum est illi, facienda sunt omnia, mutuus vt amor & charitas coniugalis conseruetur. Sed vbi causa religionis agitur, magis amandus est Christus: magis obtemperandum est illius diuinæ Maiest. cum qua, quæcunq; tandem humana Maiestas comparata, vel nihil est, vel certè puluis & cinis est. Quod autem accepisse scribit sui Sacerdotis assensum, qui dixerit, A recta via non ita multum aberrare, si quis vtramq; speciem sumeret, quandoquidem ita Sacramentum hoc ipse Christus distribuit. grauis hic fuit illius Sacerdotis error. Nam etsi Christum ita legimus Apostolis distribuisse, tamẽ quod laicis ad eundem modum distribueret, vel distribui iusserit, nusquam in Euangelicis vel Apostolicis literis reperitur: quin illud potius reperitur, quòd euntibus in Emaus discipulis, qui nondum erant Sacerdotes, tantùm sub vna specie dederit. Quamobrem sicut grauiter

grauiter peccat Sacerdos, qui cùm sacris operatur, non bibit ex calice, cùm vt eo tempore bibat, à Christo sit institutum: ita non minus peccat Laicus, qui Deum non audit per os Ecclesiæ suæ de calice bibere prohibentem. Quibus verbis vsus est aliquando Paulus, circumcisio nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei, quid impedit, quo minus & nos ijsdem vtamur in hac materia, Vtaris calice, nihil est: Et, abstineas à calice, nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei, in qua posita sunt omnia, in qua salus nostra consistit. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei, dicit Christus. Sed quod est illud mandatum Dei, contra quod venitur de calice bibendo? Dei mandatum est, vt Ecclesiam audiamus, quam qui non audierit, eum tanquam Ethnicum & Publicanum haberi vult. Qui vos audit, me audit, inquit Christus: qui vos spernit, me spernit. Et Apostolus eius Paulus, Qui hæc spernit, nempè, præcepta, quæ fuerunt à Paulo data, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in nobis, neq; soli Paulo cum cæteris Apostolis, verùm & Ecclesiæ Dei dedit vniuersæ, nam hoc se facturum receperat, vt spiritum suum illi mitteret, spiritum veritatis, qui doceret eam, & maneret cum ea in æternum: hunc itaq; spiritum, qui non audit in Oecumenicis Concilijs docentem, & præcipientem, aut prohibentem, Deum non audit, Deum spernit, non homines. Quamobrem toto cœlo, quod aiunt, errat, qui leue delictum id esse putat, si quis contra decretum Ecclesiæ veniat, si leue peccatum est, de calice contra Ecclesiæ interdictum bibere. Quare laudo Serenitatem V. quod simul vt ab altero Sacerdote, qui certè dignus videtur, quem S. V. maiore gratia prosequatur, suum errorem coargutum vidit, iustum eueſtigiò de eo dolorem cepit, & ad S. sedem Apostolicam, cui claues regni cœlorum à Christo traditæ, atq; potestas ligandi atq; soluendi concessa est, confugit, & ab ea peccati sui veniam concedi supplex petiuit. Quam ego cum petitionem illius S. D. Nostro exposuissem, literas etiam, quas ad me dederat, in Latinam linguam conuersas legissem, ingentem ex ea re lætitiam cepit, quod ouem, quæ perierat, inuentam ad Ecclesiæ caulas redijsse videret, summaq; cum alacritate, quam petebat indulgentiam & absolutionem Serenitati V. concesserit. Quemadmodum id ex literis illius vberius cognoscet. Cùm autem ea particula literarum Serenitatis V. lecta fuisset, qua supplicat, vt deinceps quoq; bibendi sibi potestatem permittat, non mediocriter fuit hac illius petitione Serenitas illius perturbata, cùm causam videret nullam, quamobrem hoc illi rectè concedi possit. Hortor igitur & moneo Serenitatem V. oro etiam & obsecro, vt de concessa sibi peccati venia Christo & eius Vicario gratias agat, nec petitionem calicis vrgeat, sed omnibus modis, ne deinceps ad eundem lapidem offendat, sibi caueat. Illud etiam certò persuasum habeat, à Sathana se tentari, quoties mentem illius de calice subit recordatio. Vetus est hæc illius cantilena: Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim, &c. Quam si Christo non dubitauit occinere, multò minus hominibus idem facere verebitur. Hoc ille modis omnibus contendit & elaborat, vt productis etiam aliquot scripturæ locis, miseris mortalibus persuadere possit, quo mittant se deorsum, hoc est, vt è sublimi Ecclesiæ, (quæ Dei templum, quæ Dei ciuitas est supra montem posita) doctrina & traditione se demittant, vt quæ præcipiuntur, vel prohibentur ab illa, contemnant ac pro nihilo ducant, vt sensum & consensum illius ne pili quidem faciant. Quod simul vt in vna aliqua re faciendũ sibi persuaserit, iã totũ hominẽ in suam potestatem redactũ habet, iam nullo negocio perficit, vt indies magis atq; magis mittat se deorsum, nec vllus tam error peruersus, aut nullum esse potest doctrinæ genus tam absurdum, tam ab omni pietate remotum, quò non facilè mentem illius imbuat. Non autem orditur ille ab ijs, quorum si mentionẽ faceret, statim aures hominum abhorrerent, verùm à leuioribus quibusdam. Quale nonnullis videtur de calice bibere: quæ non alia de causa magis vrget, quàm vt in re, quæ non maximi momenti potest existimari, diuisionis & separationis à CHristi corpore Ecclesia faciat exordium. Præclarè dixit quidam ex sanctis Patribus, quod initijs tantum opus habet Diabolus, nec aliud illi laboriosum est, quàm initium diuisionis, quod simul vt persuasit, iam ad omnia reliqua, quamlibet ea impia sint & execranda, fenestra est illi patefacta. Quapropter obturet aures suas, quoties per quemcunq; tandem intonantem Sathanam audit, Mitte te deorsum, in Ecclesiæ matris gremio se contineat, nec vllis modis ab ea se diuelli patiatur. Sed hic dicet Serenitas V. cuius etiam rei in literis suis meminisse videtur: Vis igitur, vt perpetuę sint inter me, & Sereniſsimum Regem meum & coniugem rixæ? qui me sub vna specie communicare non permittit. Possem ego illa CHristi verba producere, Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum. Addam & vxorem aduersus maritum. Sed nolo aliquod durius consilium V. Serenitati dare, absit enim à me separationem vt potius, quàm coniunctionem vobis mutuam persuadere velim. Quamobrem facilè patiar, vt nihil ei præciſè neget, quin spem etiam aliquam ostendat, futurum, vt aliquando faciat, quod ille tantoperè vrget. Verùm interim his verbis illum alloquatur, Mi Rex, mi Domine, mi coniunx mortalium omnium charissime, caro tua sum, os ex ossibus tuis sum, in carnem meam à DEO potestatem tibi traditam habes, de illa quod voles vt statuas licebit, & certè tanti te facio, vt si non aliter, quàm interitu carnis meæ, salutem animæ tuæ comparare possem, & conseruare, vilis esset eius iactura mihi futura. Quàm autem cuperem, vt sicut vna caro sumus, sic etiam spiritus vnus esse possimus in Christo. Sed nescio, quomodo spiritus meus, in quem tu nullum habes imperium à Deo tibi concessum, ab eo, quod suades, mirabiliter abhorret. Scio, quod tibi subditam me Deus esse voluit, quod etiam ipsa modis omnibus cupio, quoad fides mea & religio patietur. Sed obsecro te, prius vt meam sententiam audias, quàm in eo, quod præcipis, me tibi parere compellas: spero me tibi non futuram Euam, cuius persuasione deceptus Adam, innumerabiliũ calamitatum nobis auctor fuit.

Apostrophe coniugis ad maritum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vtinã tu quoq; ne mihi serpens ille velis esse, p quẽ Eua decepta, maritũ etiam decepit: A te nihil metuo, nam perspectus & exploratus est mihi tuus amor in me, certoq; persuasum habeo, quod nihil à me sciens prudensq; contendes, quod aduersari saluti meæ credas. Verùm ab illo serpente, per quem fuit Eua decepta, non possum quin vehementer extimescam, quandoquidem de illo scriptum lego, quod fuerit callidior cunctis animantibus. Eius itaq; hanc calliditatem reformido, ne te quoq; deceperit. Quibus ille blanditijs se insinuare soleat, non ignoro. Dicit enim: Aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum, cuius hæc phrasis est etiam istius nouæ religionis ministris vsitata. Nam & illi dicunt, Nos qui veterem religionem colimus, quos Papistas vocant, in summa caligine cœcitateq; versari, necaliter oculos nostros apertum iri, vel ad scientiam boni & mali nos peruenire posse, vt simus sicuti Dij, quàm si de calice, quod esse lignum illud vetitum arbitror, biberimus. Nollem autem, vt sic aperirentur ad pœnam oculi nostri, sicut illis primis parentibus nostris aperti fuerunt. Nollem esse nos, sicuti Deos sapientes plus quàm oportet, orbemq; totum Christianum cœcitatis condemnantes. Ne molestè feras, mi Rex, quorum exitus perhorresco, si facta eorum imitari nolo, cùm præsertim ipse Paulus Corinthijs à tam callidi serpentis huius astutia timuerit, ne, sicut Euam ille seduxit, ita corrumperentur sensus eorum, & exciderent à simplicitate, quæ est in CHristo IESV. Simplicitatem meam agnosco, sed quoniam ita Paulus monet, in ea permanere, quàm ab ea excidere malo, ne, si curiosior, vt Eua, fuero, ex Ecclesiæ Paradiso, sicut illa, ejciar. Quamobrem audi me, quæso, patienter. Negas peccare quenquam in eo, si bibat de calice, assentior tibi non inuita, nam & hoc, ab Ecclesiâ Dei decretum fuisse, audio, siue sub vna, siue sub duplici quis specie communicet, quod proficit dignè communicantibus ad salutem. Verùm adiectum est ibidem, vt id faciat secundum ordinem & obseruantiam Ecclesiæ. Quoties calicis apud me fit mentio, non possum non esse sollicita, ne quis anguis in herba lateat: facilè nihilominus tibi cessero, vt de calice bibam, dummodo nõ ab obedientia Ecclesiæ discedam, quod mihi summum nefas esse videtur, neq; vt hoc tantum facinus designem, vllis rationibus vnquam adduci potero, prius & fortunis meis omnibus, & vita sum cedere parata. Sed si bona cum Ecclesiæ venia licuerit, faciam lubens, modo tu quoq; meæ cuidam petitiunculæ locum des. Videre, quod populi ditioni tuæ subiecti, longè diuersam ab ea religionem colunt, in qua ego sum educata, & cum alia pleraq; omnia ad cultum Dei pertinentia, tum & Sacerdotium & Sacrificium prorsus omne eiecerunt. Quid autem est hoc aliud, quàm omnem agnitionem Dei tollere? nec enim vnquam fuit vlla gens tam immanis & barbara, vel ante, vel post scriptam legem, vel etiam gratiæ tempore, quæ non externo sacerdotio & sacrificio Deum agnoscere se professa sit: hoc itaq; restituas quæso, & paulatim eò redeas, vnde maiores tui quinquaginta his annis discesserunt, ad sedem Apostolicam Romanam confugias, ab illa tuæ discessionis veniam, & vt postliminio te reuertentem recipiat, supplex petas. Quod cùm impetraueris, qua quidem de re non dubito: Nihil enim est Ecclesia matre benignius atq; indulgentius, si tibi tantoperè calix iste cordi est, & illud ores licebit, vt bona cum illius venia nobis eo potiri liceat. Quod non difficulter impetraturos nos confido, si tantum animarum lucrum ex ista calicis concessione consequuturos certò constiterit. Nam, vt audio, non calix est, quem negat Ecclesia, sed schisma, quod permittere nulla ratione potest. Efficiamur igitur prius vnum & integrum corpus CHristi omnes, quod cùm futurum sperare, futurum spero, vt de vsu Sacramenti huius non difficulter inter nos conueniat. In Ecclesia, quæ Dei Paradisus est, quod à me postulas, fecero non inuita. Nunc autem cum quibus communicare me vis, cum ijs, qui posteaquàm se ejecerunt ex Ecclesiæ Paradiso, inter tot tam dissectas sectas mirabiliter inter se dissecti sunt, & abrogato sacerdotio & sacrificio, simul agnitionem Dei prorsus abrogarunt, hoc ego persuadere mihi nunquam patiar. Ad hunc modum veliem C. V. cum Serenissimo Rege & coniuge suo ageret, neq; dubito, quin animum illius permoueret, illud etiam spondere propemodum auderem, quod non ita magno negotio calicis vsus concederetur, si regnum vniuersum CHristo prius esset lucrifactum, à quo certè discessio facta videtur, posteaquàm ab illius corpore Ecclesia discessum est. Si verò Serenissimus Rex, quod (quæ singularis illius esse modestia prædicatur) nunquam eum facturum esse arbitror, durioribus aliquibus verbis pro eo, vt facere consueuerunt, qui discesserunt à nobis, contra Romanam Ecclesiam inueheretur, & eam Ecclesiam CHristi esse negaret: quærat ex eo Serenitas V. quam extra hanc Ecclesiam CHristi esse putet? nam sicut vnum Deum, & vnam fidem, sic & Ecclesiam esse non posse, nisi vnam. Indicaret igitur Ecclesiam suam, si dixerit se confessionem Augustanam profiteri. Quærat, cur non potius Christianam more maiorum suorum, quos constat fuisse Christianos? Dicat etiam se cognouisse, quod Philippus Melanchton, qui suis ipse digitis confessionem illam scripsit, ac toties mutauit, per præcipuos Ecclesiarum Saxonicarum Theologos, tanquam illius deprauator ex Ecclesia Confessionis Augustanæ sit eiectus: & cùm non ita pridem inter ministros & magistros confessionis huius, Aldemburgi disputatio fuisset instituta, cui præsiderunt Ioannes Guilhelmus Saxoniæ Dux, & Augusti Principis Consiliarij quidam ad eam ab eo missi post altercationem trium mensium, sic vtriusq; partis ministros & magistros ex eo loco discessisse, vt vtrisq; alteros plusquàm hæreticos pronunciarent, atq; è suis cœtibus ejicerent. Quæ si vera sunt, qua de re nihil est, quod quisquam dubitet, quomodo potest C. V. cum ijs communicare, qui non solùm Ecclesiæ Catholicæ, verùm & mutuo suo iudicio plusquàm hæretici sunt, cùm hæreticos Paulus douitare iubeat. Quare cùm nullam aliam possit ostendere Ecclesiam Serenissimus Rex, ad Romanam se conferat, quàm Ecclesiam esse

esse Christi, nemo pius dubitauit vnquam, aut si, vt ipse faciat, animum inducere non potest, saltem Serenitatem V. ab illius gremio diuellere ne conetur: quandoquidem & parentes V. Serenitatis, & vtriusq; aui, proaui, ataui non in Polonia magis, quàm in Suetia iam inde à 600. annis & amplius, solam hanc, & non aliam Ecclesiam, pro vera Dei Ecclesia semper agnouerunt. Quos cùm insignes pietate constet fuisse, ab illorum se communione separare C. V. nollet, præcipuè cùm & illud intellexerit, quod editis quibusdam libellis, quos ego Serenitatis V. fratri nuper in CHristo defuncto Regi Sigismundo, cuius memoria sit in benedictione sempiterna, quarto ab hinc anno, cùm in Comitijs Lublinensibus fuissem ostendi. Flacciani vocant Confessionem Augustanam Cothurnum quendam, & ocream Polonam vtriq; pedi aptum: nihil S. V. turpius videri, quàm vt credatur in ocream Polonam, vel, vt Poloni loquuntur, Moscouiticam, quàm eam quam in Symbolo profitetur sanctam Ecclesiam Catholicam credere se malle, quam columnam & firmamentum veritatis appellat Paulus. Quoniam verò calix hic, de quo nunc agitur, discessionis ab illa Symbolum quoddam esse videtur, ab eo se tantò magis abhorrere. Quod si Serenissimus Rex vehementius institerit, spacium deliberandi sibi dari petat, intereà verò si non habuerit, qui det alteram speciem, ab omni potius Eucharistiæ communione abstineat, quàm vt in eam suspicionem venire velit, quasi non multum à schismate sit aliena, voluntatem Deus pro eo accipit, ac si ad rem esset collata: quando facultas non datur. Mitto autem C. V. libros quosdam à me conscriptos Latina quidem lingua, sed in Polonam & Germanicam posteà conuersos, quos & ipsa legere succisiuis horis, & eis, qui sunt illi familiares, legendos impartiri poterit. Cuperem autem & ab ipso Serenissimo Rege legi, si minus omnes, saltem breues duos aut tres De expresso verbo Dei, Censuram, & Palinodias. Quod si verò C. V. dignaretur eò se demittere, quod ego literis ab ea petere non audeo, suis vt ipsa manibus S. Regi legendos offerret, & vt id faceret oraret, cum aliqua mei commendatione, magno me C. V. beneficio obstrictum esse profiterer. Bona spe sum, quod misericordiam suam Deus impartiet, auferet cor lapideum, dabit illi cor carneum, vt in salubribus doctrinis acquiescat, quod vt ita fiat, simul vt C. V. gratiam suam impartiat, quò sicut Euæ marito suo, vel potius vniuersæ posteritati mortis, & de Paradiso eiectionis, sic ipsa C. V. Serenissimo Regi suo, quin & vniuersæ Suetiæ regno sit author in Ecclesiæ Paradisum restitutionis, diuinæ Maiestatis illius opem supplex implorare non intermitto. Placet C. Vestra Deum ieiunijs, orationibus, & eleemosynis: exaudiet ille procul dubio supplicum preces, si præsertim nihil hæsitantes, cum firma fide precati fuerint, omnia possibilia sunt credenti: si fidem habuerit C. V. sicut granum synapis, nihil prohibere poterit, quo minus montem hunc ex ijs desertis, in quibus nunc est, in Ecclesiæ Paradisum transire faciat. Qua quidem ex re magnam apud homines nomini suo laudem comparabit, à Deo verò mercedem illam expectabit, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Futurum autem est fortasis, vt aliqua S. D. N. ope C. V. opus habeat, quam ille cum tanto maiore alacritate præstabit non sine fructu, quantò plus eam operæ posuisse cognouerit in Serenissimo Rege & coniuge suo ad Christianam fidem reuocando. Quam ad rem ego quoque illi meam operam defero, si quid mandare mihi dignata fuerit, quod ad suam dignitatem, & vtilitatem pertinere putauero omnia facturus, vt illius de me opinionem non fallam, atque diem illum cum primis hilarem sumpturus, quo C. V. aliquo officij, obsequij, seruitutisq; genere demerendi mihi facultas concessa fuerit. Quod etiam Serenissimus Rex quandoquidem vna caro cum C. V. est, certo sibi de me persuadere potest. Quod superest, Deum precor, &c. Romæ VII. Martij M. D. LXXIII.

Carolo Cardinali Lotharingo. Epist. CLXXVIII.

Gratulatur extinctum esse hostem acerrimum Euangelij Coligneum.

IN hac mea solitudine tertium iam mensem degens, ita peccatis meis exigentibus, non alia ferè noua semper hactenus accepi, quàm quæ magnam animo meo perturbationem adferrent: cùm præter priuata quædam, quæ mihi tristia acciderunt, & parente mearum fortunarum Rege meo, quo nihil esse potuit in me beneficentius, orbatum esse me, & patriam vniuersam in summo discrimine versari cognouissem, quibus ex rebus maiorem, quàm facilè credi possit, luctum & mœrorem accepi. Sed cùm Illustrissimus Dominus Cardinalis Senonensis, pro sua in me beneuolentia & humanitate singulari, misso ad me nuncio, me certiorem reddidisset, extinctam esse tandem grauissimam illam Galliarum pestem, per quam totis iam decem & amplius annis, innumerabilibus cladibus Regnum illud affectum, & in summas calamitates adductum fuerat, Coligneum dico, quo vno, haud scio, an vnquam tellus produxerit hominem pestilentiorem: ita sum quasi è graui somno quodam expergefactus, & ex tenebris in lucem quodammodo productus, vt incredibilem quandam animi recreationem sentirem, propemodum vt abstersus dolor omnis, quo confectus iam ferè fueram, videretur: neq; me tenere potui, quin exclamarem: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Quod enim potuit esse magis iustum iudicium? quæ maior iustitia? quàm vt quod alij fecerat sceleratus ille: vicissim idem illud ab alio patereturr? Curauit ille sclopeti ictu necandum eum virum, qui prælio Domini præliabatur, & acerrimus fuit Ecclesiæ Dei propugnator, quo vix vllum hæc ætas

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostra Ducem produxit præstantiorem, fratrem Illustrissimæ C. T. nunquam satis à quoquam laudatum. Ecce autem eodem vt genere mortis periret auctor tanti sceleris, qui nullo non erat supplicij genere dignus, iustus Deus voluit. Ego verò tenere me non potui, quin hoc nomine Illustrissimæ C. T. gratularer, quod & patriam tuam tandem aliquando peste maxima liberatam, & iustum de eo supplicium sumptum vidisti, qui per summum scelus laudatissimum fratrem tuum occidendum curauit. Quàm cuperem, vt hocante decem annos ei contigisset, priusquàm adeò crudele facinus illud perpetrasset: longè fuisset regni Galliarum status fœlicior, nec tantis illud infortunijs, per totos decem annos mactatum vidissemus. Verùm Dei misericordiæ tempus præscribendum non est, quin potius infinitas illi gratias agere debemus, quod eo tempore, quod illi max me visum est oportunum, & à tanta peste patriam tuam liberatam, & indignum facinus in fratrem tuum designatum, tandem aliquando, quamuis leuiore, quàm quòd meritus erat sicarius ille, supplicio, voluerit vindicatum. Quem ego precor, vt gaudium hoc tuum indies maiore lætitia cumulare velit, vt lætis nouis quotidie succedant lætiora: simul & illud supplex ab eo petere non intermitto, quo meam quoq; patriam oculis misericordiæ suæ respiciat, & ex noui Regis electione, qui sit eius diuinæ Maiestati gratus, & fortis Catholicæ fidei defensor, aliquid me consolationis capere faciat, nulla mora longiore interposita. Nam illum, qui nuper in Christo mortuus est, in vitam reuocare non possum. Resurget in nouissimo die, sicut spero & opto, in resurrectione iustorum. Cæterum renunciauit mihi religiosus frater Edmundus, quàm honorificam apud S. D. Nostrum C. T. tua nostri fecerit mentionem, quantoq; studio meas illi rationes commendauit, quo nomine facere non possum, quin tibi gratias ingentes agam, quandoquidem referre non est opis nostræ: sed si quid erit, in quo tibi obsequium seruitutemq; meam probare possim, haud aliter vtare me licebit, ac quocunq; tandem alio, quem habes inter seruitores tuos tibi addictissimum. Non alium diem hilariorem duxero, quàm quo aliquo obsequij genere te demerendi mihi data fuerit occasio. Multum & hoc nomine Celsitudini T. debebo, si fratrem Edmundum, quem sancto illi Cardinali Clarenallensi, cuius anima sit in benedictione, non mediocriter charum fuisse scio, tibi diligenter commendatum habueris, eumq; gratia tua prosequutus fueris. Sublaci IIII. Septemb. Anno M. D. LXXII.

Martino Eisengreinio Theologo. Epist. CLXXIX.

Laudat hominem, quod tam vtiles libros pro Ecclesia Dei scripserit.

Vidimus duos libellos tuos, vnum contra CHristi blasphematores in Austria, quos sceptro potius Magistratus coercendos, quàm stylo persequendos esse censeremus: alterum de signo sanctæ crucis æditum, quo grauiter eos insectaris, qui haud aliter atq; diabolus ipse, signum illud, quo fuit ille victus, abominantur, & summum beneficium, quo redempti sumus, ex omni hominum memoria euellere conantur: quo nostram etiam sententiam hac ipsa de re in libro quodam nostro contra Brentium scripto, præclarè defendis atque tueris. Vtrumq; librum non sine magna voluptate legimus. Nam zelum hunc tuum, quo cupis Christi gloriam ab impiorum hominum iniurijs & blasphemijs vindicatam, & ab erroribus, in quos adducti sunt, in viam veritatis homines reuocatos, non potuimus non exosculari, tibiq; nos non parum hoc nomine debere profitemur, quod causam nostram vel Christi potius, contra quosdam impios, defendendam susceperis, quod etiam in eo libello feceris, quem de certitudine gratiæ contra eosdem illos non tam nostram, quàm Ecclesiæ sententiam oppugnantes, doctè conscripsisti. Fuerat nobis deliberatum ante duodecim annos, cùm primum in manus nostras incidisset Brentij quedam præfatio vna cum Schmidelini cuiusdam ineptijs, de quo dubitare possis, clamosiórne sit, an indoctior, an petulantior, de fide carbonaria & asinaria libellum edere, nisi quod quidam vir doctus, ne laborem istum contra leuissimos homines scribendi sumeremus, nos dehortatus fuisset. Etsi nec nos id facere cogitabamus, cùm eos indignos censeamus, quos vel nominemus in scriptis nostris. Verùm de re ipsa tantum aliquid meditari propositum habebamus, nulla scurrarum istorum facta mentione de fide carbonaria & asinaria. Nunc tu genus hoc argumenti sic tractasti, prorsus vt satis feciſſe nobis videaris, quo nomine tibi gratiam habemus. Vidimus autem & alium quendam libellum Iacobi Feuchtij, qui se quidem S. Theologiæ Baccalaureum vocat: sed si quis eum inter Doctores numeret, à vero non aberrauerit. Valde nobis fuit labor hic eius probatus. Nam præcipua Christianæ fidei dogmata tam perspicuè dilucideq; tractasse videtur, vt vix quisquam adeò sit rudis, vt intelligere, vix adeò pertinax, vt vi perspicuæ veritatis coactus, errorem suum deserere non cogatur. Dolemus, quod cùm Romæ fuisset, minus eo familiariter vti potuimus: quod si adhuc isthic est, vellemus, vt eum verbis nostris salutares. Maternus quoq; Cholinus misit ad nos primam chartam Harmoniæ Confessionis Augustanæ Latinè scriptam, in qua nihil aliud, præter auctoris præfationem continebatur, quod opus cum primis vtile fore indicamus. Cæterùm præfatio, quàm latinam edidit, adeò nobis satisfacit, vt & styli elegantiam, & orationis vehementiam, & ardentem authoris zelum, non possimus non vehementer probare. Multa nobis de operis huius vtilitate pollicemur, quod primo quoq; tempore integrum in lucem prodire cupieremus. Interea rem feceris

ceris nobis valdè gratam, si, quamuis hominem de facie nobis ignotum, nostris verbis salutaueris. Ornat ille suos Principes illustrissimos hac præfatione sua, quorum singularem pietatem, & non vulgare studium, in tuenda propagandaq; fide Christiana contra perfidiam Augustanam, quis est, qui dignis laudibus prosequi possit? Si duos præterea tales Germania tulisset tellus, qualis est Illustrissimus Princeps hic, non laboraret nunc in Germania fides Christiana. Non videremus in ea tot sectas tam inter se dissectas: non audiremus tot horrendas blasphemias contra Deum & sanctos eius, neq; tot infortunijs mactatam Germaniam videre licuisset. Verùm, proh dolor, præter vnicam Austriæ Domum, vix vllus iam superesse Princeps videtur in Germania, cui Christi causa curæ sit, qui non vel in Isiebiensis, vel in Geneuensis Antichristi verba iurauerit. Cõmendatur autem præ cæteris præclarum studium Sereniſsimi Archiducis Ferdinandi, quod maximum adhibere dicitur, in suis ditionibus ab hæretica labe repurgandis. Seruet Deus Principem hunc multos annos. In primis autem seruet Illustrissimam Bauariæ familiam, quæ singulare quoddam esse videtur in Germania, contra Christi perduelles, Christianæ fidei propugnaculum. Nam ex illius ditionibus, tanquam ex equo Troiano, prodire multos videmus viros non vulgari doctrina præditos, qui in medio prauæ nationis & peruersæ positi, tanquam luminaria quædam lucent, ac doctrinæ suæ splendore tenebrarum caliginem omnem dispellũt. Tanto Principum horum Illustrissimorum ardeo studio, vt nunquam in sacrificijs meis eorum obliuiscî possim. Vtinam autem in hanc quoq; mentem illos Deus impellat, vt de Saxonia Christo lucrifacienda cogitationem aliquando suscipiant, de qua mira proferuntur ad nos, quàm implacabilibus odijs inter se certẽt, qui sunt in ea ministri Sathanæ. Diuisum est cor eorum, nunc nunc interibunt. Nam & hoc renunciatur, quod vicinæ ciuitates VVittembergæ, parentibus interdixerint, ne suos filios VVittembergam ad capessenda literarum studia mitterent. Nunc nunc esse tempus opportunum videtur, ad omnia tentanda, quibus ad Christum reuocari possint, qui Lutheri sequuti perfidiam iam inde à 50. & amplius annis, ab eo turpiter defecerunt. Quæso, ne graueris me reddere certiorem, num sit aliqua spes, ea, quæ cogitamus, perficiendi. Nam nos quidem hic nullum laborem defugeremus, si quam eius rei spem affulgere videremus, neq; dubitamus, quin conatibus nostris Deus sit affuturus. Sublaci V. Septemb. Anno &c. LXXII.

Gregorio XIII. Pontif. Max. Epist. CLXXX.

Gratias agit, quod supplicationes pro electione Regis Polon. decreuerit, & de regni Galliarum tranquilliori statu gratulatur.

Plurimum hoc nomine Sanctitati V. debent omnes, quod se non vrbis, verùm orbis, nec vnius aut alterius tantum nationis, verùm omnium earum, quæ Christi fidem profitentur, Pontificem esse declarat: quodq; magis indies atque magis testatum facit vniuersis, quàm illam reddat anxiam sollicitudo omnium Ecclesiarum, quandoquidem omnes curas cogitationesq; suas in eo consumit, vt non his tantum, quę minus longe absunt, verumetiam remotissimis gentibus, quas aliqua necessitate premi, & in aliquo discrimine versari videt, pijs apud Deum precibus & sacrificijs succurrere queat, vt se communem omnium esse parentem, & ex æquo de singulorum liberorum suorum salute laborare manifestum faciat omnibus. Quod non obscurè indicat illa gratia Iubilei, quam nuper in lucem edidit, qua sicut aliarum gentium sic & patriæ meæ salutem, quæ in noui Regis electione posita esse videtur, piorum precibus diligẽter commendat. Quam quod non esse prætereundam obliuione putauit, ingentes hoc nomine Sanctitati V. non meo tantum, verùm & nationis meæ totius nomine gratias ago. Quam hoc suo beneficio sic sibi reddidit obligatam, vt non alia de re magis, quàm de grata memoriq; voluntate præstanda solliciti semper futuri simus omnes. Ego verò tot piorum hominum, qui sunt in orbe Christiano, precibus fretus, nõ possum non spẽrare, quin aurem suam Deus inclinaturus, & quod à se tanto consensu, tantoq; studio peti videt, pro sua nunquam satis prædicanda misericordia non grauatim sit concessurus. Posteaquàm verò nostri voti nos Deus compotes fecerit, vt, qualem optamus Poloniæ Regem, consequamur, quid ab eo statim initio postulandum esse nomine Vestræ Sanctitatis censeam, Reuerendissimo Domino Cardinali Comensi scripsi. Mihi quidem nequaquam id esse negligendum videtur, sed iudicium tamen erit penes Sanctitatem Vestram, cui simul & hanc fœlicitatem gratulor, quod illa clauum tenente, factum hoc esse videmus, quod vt factum videre possent, ab vno & altero Pontifice, qui præcesserunt Sanctitatem V. frustrà fuit elaboratum, quos enim sumptus illi non impenderunt? quos exercitus in Gallias totis his decem annis non miserunt? quibus periculis, qui missi sunt, capita sua non obiecerunt? vt illa hæresεon portenta, quæ decem & amplius annis regnasse videntur in Gallia, ex illo Christianissimo regno profligarentur. Sed post expensos tantos Ecclesiæ thesauros, post multũ sanguinem Christianorum profusum, post florentissimum illud regnum, in magnam aliquibus in locis redactum, nihil propemodum profecisse videntur, consecuti sunt illi quidem de Christi Regisq; sui perduellibus victorias aliquot non sine cæde suorum & sanguine. Sed quid tum postea? Quiddam euenit super quo & cœlum obstupescere possit & terra, serui Domino, subditi Regi suo, victi victori, pacis ineundæ leges præscripserunt, & cum alia multa mini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mè ferenda, summaq; cum ignominia Regiæ Maiestati coniuncta, tam vt cum Christo in regno Christianissimo coleretur Antichristus, obtinuerunt, & haud aliter, quàm si victores euasissent, ad indignas rege Christianissimo pacis conditiones, Principem ac Dominum suum redegerunt. Ex quo factum est, vt qui præcesserunt V. S. Pontifices ex magnis suis sumptibus; & laboribus, sollicitudinibusq;, quas in tuendum illud regnum impenderunt, plus adeò mœroris & tristitiæ, quàm consolationis accepisse viderentur. Ecce autem V. Serenitati Deus hanc lætitiam, hos triumphos reseruauit, vt illas tetras pestes, nullo in eam rem sumptu facto, nulla cuiusquam viri boni cæde, & sanguine profuso, prorsus extinctas, & ex vniuerso regno propulsatas videret. Quod certè singulare quoddam est diuinæ erga S.V. gratiæ signum. Quanti voluissent hoc emptum duo illi Pij Pōtifices, qui proximè illam præcesserunt, vt eis diem eiusmodi videre contigisset, verùm fœlicitatem hāc S.V. Deus reseruauit. Quo maiore spe sum, quòd ex patria quoq; mea, post supplicum assiduas preces, ad quas faciendas orbem vniuersum V. Sanctitas incitauit, lætiora deinceps noua nobis audire dabitur, ac tantò magis enixè Deum precor, vt in multos annos saluam nobis illam & incolumem conseruet: quandoquidem ita Deo cordi esse videtur, vt illa Petri nauiculam gubernante, fœliciora nobis omnia speranda veniant, vt post illas procellas atq; tempestates, quibus illa tot annis miserè fuit iactata & agitata, tandem aliquando ad optatum tranquillitatis portum perueniat, quod vt ita faxit CHristus IESVS, cuius Vicarium agit S. Vestra, diuinam illius Maiestatem supplex implorare nunquam intermitto. Sublaci XIX. Septemb. Anno &c. LXXII.

Archiepiscopo Gnesnensi Iacobo Vchansky. Epist. CLXXXI.

Hæretici in Comitijs eligendo Regi congregatis articulum quendam conscripserant, in quo impunitas promittebatur omnibus, qui aliter crederent, quàm docet Ecclesia Catholica, & vt omnium regni ordinum sententijs & suffragijs approbaretur, & reciperetur, instantissimè laborabant de hoc articulo quid sentiat author copiosè perscribit, & vt ne approbetur admonet.

VIdi scriptum, cui nomen confœderationis tribuerunt ij, qui cum Christo fœdus initum ruperunt, & ab eius corpore sancta Ecclesia Catholica per summum nefas se præciderunt. Quod cùm legissem, in mentem mihi venit virorum illusorum, quos grauiter insectatur per Esaiam Prophetam Dominus: Nam eos dixisse scribit: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Putabant illi miseri, quos propterea vocat illusores viros Propheta, quod per quos ad resipiscentiam vocabantur, eis illudebant, se iam fore securos, neq; sibi periculi quicquam imminere, quandoquidem cum morte & diabolo fœdus percusserant. Verùm quid ad hæc Dominus? Delebitur, inquit, fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Non hæc est, inquit, ratio, qua securitati vestræ prospicere possitis, si cum diabolo fœdus percusseritis, si, cuius ille pater est, mendacium spem vestram posueritis, si mendacio vos protectos iri putaueritis, non hæc est ratio. Quin audite verbū Dñi viri illusores, flagellum inundans, à quo vobis metuebatis, erit vobis in conculcationem, hoc est, omnes illos cruciatus perferetis, quos desperatis animis, minimè vos esse passuros existimabitis, fœdere cum diabolo facto. Fruſtrà vobis persuadetis, si Christum & Baal simul in eodem regno colendi potestas permissa fuerit, iam omni metu vos fore liberos, coangustatum est stratum ita, vt alter decidat, & pallium breue vtrunq; operire non potest. Non potestis duobus Dominis simul seruire. Non potestis calicem Domini bibere, & calicē dæmoniorum: non potestis mensæ Domini esse participes, & mensæ idolorum. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi & Belial? qui consensus templo Dei cum idolis? coangustatum est stratum, vnus lectus maritum & adulterum capere non potest, alter vt decidat necesse est. Decidat adulter, decidat idolum, si legitimi viri Christi complexibus copulari, vitamq; securam atq; tranquillam agere vultis. Breuius est pallium, quàm vt vtrunq; cooperire possit & Christum & adulterum, & Deum & idolum, quodcunq; tandem illud sit, cum quo tot iam annis estis fornicati. An autem quæ multis ante sæculis de viris illis illusoribus dixit S. Propheta, non eadem omnia rectè quadrant in hos etiam viros illusores, qui confœderationem cum diabolo factam in superioribus Comitijs produxerunt, vt per eā securitati suæ prospicerent, ne quis eos, quominus cum suis idolis impunè fornicarentur, prohibere posset. Posuerunt mendacium spem suam, sęq; mendacio protectos iri persuasum habuerunt. Sed non hæc est ratio, dicit Dominus: Nihil est, quod vobis polliceamini, tranquilla vobis omnia futura, si cū diabolo fœdus faciatis, qui diuidit inter fratres, nec aliud scit, quàm spargere, quæ preciosō Christi sanguine sunt congregata. Misit Dominus in fundamenta Sion, hoc est, Ecclesiæ suæ lapidem probatum angularem, qui duos parietes coniungeret, ex duobus populis vnum faceret, sicut etiam Paulus dicit, quod ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum. Vultis habere pacem & securitatem, ei vos vos coniungite, qui vnius cuiusq; fidelis animæ legitimus est sponsus. Et quoniam coangustatum est stratum eius, decidat adulter potius, quàm vt vir legitimus reijciatur. Ille propterea venit, vt faceret vtraq; vnum. Vos ex vno duo facitis, & plura etiam: nec enim ferè iniri numerus potest idolorum, quæ iam inde à mortuo Sigismūdo patre colere cœpistis. Principio vobis visus est Deus Lutherus, & eius verbum tanquam Dei verbum recepistis: paulò post ille vobis desipere cœpit, & Zuinglij siue Caluini verbum Dei verbum, & purum putum Euāgelium esse persuasum habuistis: mox ad Memnones siue Pacimontanos, aut Seruetos, siue Blandratas ab istis prioribus idolis defecistis: vosq; magna tum in rerum omnium caligine versatos fuisse cum Lutherum & Zuinglium, magnam verò vobis lucem affulsisse, posteaquàm hęc idola posteriora colere cœpistis, certò statuebatis. Ita semper mendaciū spem vestram posuistis, & mendacio vos protectos iri putauistis. Christum nomine, re vera aūt Antichristū vel Islebiensem, vel Geneuēsem, vel deteriores alios etiam coluistis, sed coangustatum est stratum, decidat alter necesse est, vel Islebiensis vel Geneuensis, vel quicunq; tandem alius Antichristus. Breue pallium mœchum & maritum cooperire non potest: nec est, quod vnquam vos habituros existimetis, quandiu cum legitimo viro mœchum in eodem lecto iacere permiseritis. Quàm vellem, vt hæc sibi, viri isti illusores persuaderi paterentur, pro quibus ego certè Deum precari nunquam intermitto, cœcitatem vt auferat ex eorum mentibus, quo possint veritatis lucem aspicere, & in mēdacio deinceps spem suam ponere desinant: nam omnia ista idola, quæ coluerunt hactenus, queq; colunt etiam nunc, nihil aliud sunt, quàm pura puta mendacia. Quod autē ab istis viris illusoribus illudi sibi Reuerendissima D. V. passa nō est, nec adduci potuit, vt huic eorū tam nefariæ cōspirationi potius, quàm confœderationi subscriberet, ingentem apud oēs pios ex ea re laudem est consecuta. Sunt & hic exauditi sonitus verborū illorū, quibus vsa tum fuit D. Vestra, se dexteram potius amputari sibi passurā, ac, si qua vis fieret, ceruicē prius immotā præbiturā, quàm vt huic tam impiæ cōfœderationi subscriberet. Nam si qui fuerunt ætatis tenuioris pueri, vel etiā ex fragili fœmineo sexu, nullos eos quandoq; cruciatus recusasse, quin & vltrò se morti potius obtulisse memoriæ proditū est, quàm vt à legitimo viro Christo deficerent, & aliquā se fornicatione cōtaminarent, multò minus in hac exacta ætate sua mortē se reformidaturū, quæ qui nunc rerū est status, nō expectanda magis in horas, quàm expetenda illi foret. Nūquā se cōtra fidē illā venturū, qua se Christo & eius Vicario semel obstrinxit. Hanc ego literarū particulā cū Illustrissimo Cardinali Tridentino, qui tū ad ædes meas venerat, legi fecissem, Si Pontifex, inquit, essem, nunc nunc Archiepiscopū istū Cardinalē creare. Tantā ex eorū verborū auditu voluptatē ceperat, cū præsertim, sicut ab alijs nōnullis, sic & ab illo secus aliquando de D. V. fuerit existimatū, quæ certè fecit nūc rem, vero Archiepiscopo: Regni Primate, & S. Sedis Apostolicæ Legato nato, dignā, ac nō solū aboleuit suspicionem oēm, in quā aliquando vocata fuit, verū & immortalitati nomen suū consecrauit, etiā sera posteritas in cœlū vsq; præclarū hoc illius factū laudibus semp feret. Quàm fuerunt autem absurda, quā cū ipsa ratione pugnantia, quā ab omni pietate remota, quæ fuerunt ab istis viris illusoribus postulata? Pridē illi sacerdotiū & sacrificiū abrogarunt, Episcopos etiā de suis Cathedris deturbarunt. An aūt & Regibus adimere sceptrū suū, & eos de solio suo regio deijcere nunc nō conantur? Volunt, vt se iuramento Senatores obstringant, se nō modo nō futuros adiumento in hæresibus, quo vno crimine nullū vel cogitari maius potest, extinguendis: verūetiā quo minus id facere possit legitima potestas, se pro viribus impedituros, & se modis omnibus opposituros, etiamsi sub decreti prætextu fecerit, legitimo prius habito iudiciali processu. Quid aūt est, si hoc nō est, nō solū Ecclesiasticā, verū & Ciuilē potestatē omnē prorsus è medio tollere, vt sicut iā ipsum Deum in ordinē redegerūt, sublato externo sacerdotio & sacrificio, quo solo Deus à cęteris humanis potestatibus dignoscitur: ita regnū etiā faciant absq; Rege, & absq; lege, nullus vt illi sit exequēdę iustitiæ locus, vt qui pridē Papistę esse desierunt, deinceps etiā nō sint Registę. Annus nunc agitur, opinor, decimus septimus, cū Rex noster, qui nuper in Christo obdormiuit, (cuius memoria sit in bñdictione) profecturus cōtra Liuones, retulit ad Senatū de ratione ineunda, qua posset, illo absente, pax & tranquillitas in regno cōseruari. Visa fuit nōnullis ea ratio potissima, vt ne in hæreticos vllā iurisdictionem exercerent Episcopi interea. Tunc ego (quod ipsam etiā D. Vestrā puto meminisse) dixisse me recordor, errare Maiestatē eius, si hoc tantum agi putaret, vt Ecclesiæ iurisdictio tolleretur. Hanc. n. hæreticos facilè ferre posse: cū Ecclesiastica nostra iurisdictio, vel ipsis id confitentibus, qui malunt Augustanā quàm Christianā Cōfessionē sequi, potissimum ea sit, cognoscere doctrinā, & eā, quę dissentit ab Euāgelio, reijcere tum impios, quorum impietas nota est, ab Ecclesiastica cōmunione excludere. Hac ex re, dixi, nullā illi molestiā capiunt: nam quod à nobis factum oportuit, fecerunt ipsi, & vltrò se à communione fidelium eiecerunt: quin & hoc nō raro gloriantur, se nunq; edere vel bibere suauius, quàm cùm Censuris Ecclesiasticis percelluntur. Quāobrē nostra illis, inq; iurisdictio grauis nō est, à regia nōnihil sibi metuunt. Nā qd in eos legibus patrijs cautum sit, qui sacrilega separationis cōsilia sunt amplexi, nō ignorant, quare nō est aliud illis propositum, nec aliud maiore cōtentione cupiunt obtinere, quā vt Episcopi nō sint Episcopi, & Rex non sit Rex, & nullus legum patriarum sit exequutor, liceat vnicuiq; credere quomodo velit, liceat facere quicqd velit, oēs ex æquo sacerdotes & Episcopos, oēs ex æquo etiā Reges esse debere, cùm vtrumq; sit scriptum, in sacris literis reperiatur: Regnare, dixi, cupiunt illi, nō Regi subesse, nec aliò quàm ad Anarchiā quandā eorum cōsilia spectare videntur. In hanc ego sententiam tum loco meo dixisse me recordor. Et hoc video, quod nunc etiam agunt, vt sit Anarchia, quod in prefatione etiam quadam sua Philippus Melanchton seriùs aliquantò subolefecit. Volunt vt potestas gladium frustra portet: nec eum exercendi potestatem vllam habeat, in Christi presertim causa, cuius minister est in bonum. Sed ego minus illud miror, si discedunt à Pauli sententia, qui volunt potestatem timeri, si quis malefecerit, sed quod etiam idolorum, quæ sunt amplexi, quorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

verba pro Dei verbis habent, auctoritate non mouentur, illud est quod mihi magnam parit admirationem. Quales libellos ediderunt istorum virorum illusorum idola Caluinus & Beza, non eos latet proculdubio. Docent ij disertis verbis, de hæreticis rectè capitis supplicium sumi, nec verbis magis aut scriptis, quàm factis id præstiterunt. Documento sunt Seruetus & Gentilis Geneuæ & Bernæ propter causam religionis extremo supplicio affecti. An autem stupendare non est, quod qui sunt istorum idola Caluinus & Beza, licitum esse volunt, quod hoc isti viri illusores Regi legitimè electo fas esse nolunt, cui manus ligatas cupiunt, nullam vt habeat blasphemos coercendi potestatem, vt sit Rex absq; sceptro, absq; gladio, qui exercendi ius nullum habeat, in eius præsertim religione tuenda, à quo legitima potestas omnis constituitur, cui qui resistit, Dei ordinationi resistit. Sed ego plura scribendo D. V. molestus esse nolo, cùm præsertim & catharrus, quo laboro, me plura scribere prohibeat, & ex ijs quæ mitto ante biennium ad Regem in Christo proximè defunctum, in eodem argumenti genere per me scriptis, cætera cognoscere possit. Quamobrem hoc tantum addam, celebrari nomen illius in hac vrbe ab omnibus, vt iam illas suspiciones, quibus aliquando laborabat, esse prorsus ex animis mortalium deletas. Pergat igitur, vt cœpit, Christi causam intrepidè tueatur, nec sibi præter illum, qui potest & corpus & animam in gehennam perdere, metuendum esse quenquam existimet. Vnus etiam capillus absq; voluntate patris cœlestis de capite illius nõ decidet. Quisquis aũt electus Rex fuerit, quem electum iri secundum cor Dei confidimus, non poterit non singulari gratia tam cõstantem hunc animum D. V. complecti, quæ sceptrum illius & auctoritatem potestatemq; Regiam tanto studio defendere sit conata. Habebit igitur eum sibi deuinctum hoc præclaro officio suo, sed maiorem etiam apud cœlestem Regem gratiam inibit, qui largiturus est illi ea præmia, quorum excellentiam nulla satis oratio possit explicare. Hoc igitur freta cum primis extrema contexat, etiamsi vita cum sanguine profundenda foret, prius id alacriter ferat, quàm vt fidem Christo & Vicario eius datam violet. Nec enim amittitur vita, quoties pro CHristi nomine proijcitur, sed hæc fragilis & misera multò beatiore, nec vnquam interitura commutatur. Ego verò quamuis absens corpore, spiritu tamen præsens vna cum alijs multis Deum supplex precari nunquam intermitto, vt D. Vestræ maiorem indies gratiam impartiat, viris illusoribus meliorem mentem largiatur, & communi patriæ nostræ talem Regem concedat, cui nihil sit prius & antiquius Christiana fide tuenda, regnique salute ac tranquillitate conseruanda. Romæ XXI. Martij M. D. LXXIII.

Carolo Cardinali Lotharingo. Epist. CLXXXII.

Consolatur eum de fratre in bello occiso, cùm prælia Domini præliaretur contra Christi Regisq; perduelles Hugonotos, & de præstantia Guisianæ familiæ.

QVm allatum huc fuisset de fratre C. V. per Christi Regisq; sui Christianissimi perduelles ad Rupellam occiso, consolarer ne Cel. V. literis meis, an gratularer potius, hæsitabam aliquandiu. Nam quod eo fratre sit orbata, qui cùm solus ex quatuor, qui sæculi militiæ fuerunt addicti, supererat vir insigni pietate, magna militaris rei scientia, incredibili quadam animi magnitudine præditus, vix fieri posse putaui, quin maiorem ex eare dolorem hauserit. Sed si causam gloriosæ mortis huius, (si modo mors dicenda est ad meliorem vitam & eam perennem transitus) mecum diligentius expendero, simul quę sic illius animi Celsi. quamq; se fortè gerat, vel in prosperis, vel in aduersis rebus, cùm nec illis efferri, nec ijs frangi potuerit vnquam, recogitarem, à consolatione supersedendum omnino, gratulationeq; potius prosequendam hanc ad vitam beatiorem fortissimi viri migrationem esse duxi. Mihi quidem in magna fœlicitatis parte ponendum id esse videtur: quod quatuor iam fratres prælia Domini præliantes eo præmiserit, vbi posteaquàm bonũ certamen certauerunt, cursum consummauerunt, fidem Christo Deo Regiq; suo Christianissimo seruauerunt, à iusto iudice pridem sibi repositam iustitiæ coronam, & eam immarcesibilem iam proculdubio receperunt: nihil potuit illis vel ad sempiternam beatitudinem, ad quam aspiramus oẽs, assequendũ cõducibilius, vel ad laudem & gloriam vniuersæ familiæ cõparandã amplius & illustrius accidere, quàm quod pro Christi fide, cõtra Christi Regisq; sui perduelles fortiter dimicantes, omnibus discriminibus vitam suã obiecerunt, & eam ad extremum etiam cum sanguine profuderunt. Multos habuit Gallia Duces cum primis illustres, qui multa bellicarum virtutum præclara documenta dederunt. Cæterùm quatuor fratres tam illustri loco natos, qui pari pietate, pariq; animi magnitudine capita sua quibusuis mortis periculis offerrẽt, & eam, posteaquàm ita Deo visum est, alacriter oppeterent, non dicam Gallia, sed vix vlla gens vnquam in orbe toto post hominum memoriam habuisse dicitur: nisi fortè Machabæos illos fratres nõ dissimiles istorum fuisse quis dixerit, quibus vilis fuit spiritus, dum pro lege Dei certarent. Habet itaq; C. T. quod meritò lætetur, tales à Deo sibi fratres datos esse, qui quem à Deo spiritum acceperunt, eum ipsi pro fide ipsius cõtra Christi Regisq; sui perduelles fortiter pugnãtes, intrepidi reddiderũt. Quę pietas eorum quàm Deo grata fuerit, vel ex eo cuiuis perspicuũ esse potest, quod præclarum hoc germen extingui passus non est, sed pro quatuor fortissimis & excellentissimis Ducibus Guisijs, bis quatuor ac plures etiam, quorum aspectu se potest recreare C. V. concesit, & eos eiusmodi, vt minimè parentum dissimiles videantur.

Quorum etiam vnus nunquam satis laudati Ducis illius Franciscei Guisij filius, præclarum iam suæ virtutis in re militari specimen, contra crucis inimicos dedisse, multorum sermonibus prædicatur: cùm celerior in eo virtutis, quàm ætatis progressus esse dicitur, vt certa spes sit, eum si minus superaturum, paternas tantum virtutes æquaturum. Sed ego cùm ex qua stirpe sumpserit originem hæc tam illustris familia, mecum reputo, facilè perspicio, quod insitum vel potius innatum est Lotharingis, vt quoties pro Christi religione certatur, ita se gerant, vt salutem sui corporis vel pili non faciant, dum illam tueri possint ac defendere. Qualem se præstiterit ante 500. propemodum annos insignis ille Dux Godefridus Lotharingiæq; Princeps vna cum fratribus suis, non est obscurum ijs, qui temporis illius historiam legerunt. Quos illi sumptus non fecerunt? quos labores non pertulerunt? quibus periculis capita sua non obiecerunt, dum Hierosolymorum vrbem, in qua Christus crucifigi, mori, sepeliri dignatus est, ex manibus immanium barbarorum ereptam in Christianorum potestatem redigere conarẽtur, & eis fœliciter eorum conatus cesserit, cùm in ea regnauerint aliquandiu. Quod futurum deinceps in Dño confido, simul vt intestinum hoc bellum in Gallia confectum fuerit, cuius etiam rei rudimenta quædam iam posuit primogenitus laudatissimi Ducis filius Francisci Guisij, qui proxima superiori ætate classi se Christianorum voluntarius adiunxit. Quod si deinceps etiam fecerit, ac profligatis prius & ad internecionem deletis domesticis Turcis, ad illos, qui nunc Orientis Imperium obtinent, expugnandos animum adiecerint, Christianissimoq; Regi persuasum fuerit, vt suas cum alijs Christianis Principibus vires coniungat: mihi quidem dubium non est, quin eandem sit Deus piorum precibus exoratus, quam ante quingentos annos ferè dederat victoriam concessurus. Quod vt ita fiat, atq; vt Illustrissimã C. V. vna cum omni familia sua, quàm diutissimè seruet incolumem & fœlicem, Deum supplex precari non intermitto. Oblati sunt mihi quidem typi Ecclesiæ Catholicæ, quos cum Illustrissima C. V. communicandos esse putaui. Tot autem typos mittere visum est, quot adhuc audio superesse inclytæ huic familiæ Principes, vt singuli singulos habere possint, etiamsi sint nonnulli ætatis tenerioris, vt etiam ab ipsis cunabulis assuescant, exemplo parentum & maiorum suorum Ecclesiam ita diligere, nullum vt periculum adire, dum illius incolumitati consulere queant, reformident. Maiorem autem in modum peto, dare velit operam, nullus vt sit ex omnibus, qui typum à me missum non habeat, quacunq; tandem ætate fuerit. Romæ III. Aprilis M. D. LXXIII.

Carolo Regi Galliarum Christianissimo. Epist. CLXXXIII.

Gratulatur illi, quod frater eius Henricus Andegauensis Dux, electus sit in Regem Poloniæ.

SImul vt allatum est ad nos, Serenissime D. Henricum fratrem tuæ Maiestatis Poloniæ, quæ patria mea est, Regem esse renunciatum, tenere me nõ potui, quin familiarem hunc meum Stanislaum Rescium isthuc mitterem, qui coram verbis meis honorem hunc illius Maiestati gratularetur, & fœlix vt eueniret precaretur, cui dedi in mandatis, tuam quoq; Maiestatem, vt nomine meo viseret, & summum illi studium atq; obseruantiam meam deferret: simul etiam gratularetur, quod præclaris virtutibus, quibus Deus Opt. Max. Serenissime fratrem tuum cumulauit, hic tantus honor delatus est, vt quamuis ingenti locorum interuallo disiunctus à patria mea fuerit, incredibili tamen omnium cõsensu, Rex illius & Dominus sit designatus, cuius gratiæ protectioniq; Regiæ, me tanquam fidelem subditum illius & seruũ diligenter, vt Maiestas T. commendare velit, supplex ab illa peto. Si qua dabitur occasio, qua tuę quoq; Maiestatis honori possum inseruire, summa cum alacritate semper facturus. Romæ III. Iunij. M. D. LXXIII.

Henrico Valesio Duci Andegauensi electo Regi Poloniæ. Epist. CLXXXIIII.

Gratulatur electionem in Regem Poloniæ.

QVod anno ferè toto supplices Deum precati sumus, vt Polonię regno, quæ patria mea est, de tali rege prospiceret, qui foret acerrimus fidei Catholicæ propugnator, id postquàm nunc allatum est impetrasse nos, & supplicum preces exaudiuisse patrẽ illum misericordiarum, & Deum totius consolationis, maiorem animo cœpi lætitiam, quàm vllis verbis explicare satis queam. Nam etsi Maiestatem tuam de facie non noui vnquam, ita multa tamen de tuis laudibus dici audiui, vt etiam non visi studio inflammarer quodam incredibili. Nulla potest regia virtus commemorari, qua non longo cæteros interuallo tuos præsertim æquales superare dicaris. Inprimis autem insignis pietas & religio tua commendatur: nam quoties agebatur Christi causa, nihil vnquam à Maiestate T. dissimulanter actum esse dicitur. Quotquot ab eius corpore vna, sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia per summum sacrilegium se præciderunt, in eos qualem debebas hostilem animũ semper declarasti: nec id vultu magis aut verbis, quàm etiam reipsa. Nam quæ prælia, quanta cum nominis tui laude vixdum ex ephœbis egressus contra Christi, Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christianiſsimiq; Regis fratris tui perduelles, quanta cum fœlicitate geſſeris, nulla eſt orbis Chriſtiani pars, ad quam eius rei fama non peruenerit. Vide autem Sereniſsime vereq; Chriſtianiſsime Rex, quàm gratum acciderit obſequium tuum hoc Deo: ſemper illum apertè tu confeſſus coram hominibus, nec in illius cauſa diſsimulatione vlla vſus es vnquam. Ecce autem viciſsim ipſe eſt te confeſſus coram patre ſuo, quodq; prædictum à ſancto Rege & Propheta fuiſſe legimus: Et dominabitur à mari vſq; ad mare, id impleri in te voluit. Iam enim tu diuina benignitate dominaris à mari Balthico vſq; ad mare Euxinum, & futurum etiam ſperamus id, quod in eodem Pſalmo ſequitur, Coram te prociderit Æthiops, & inimici tui terram lingent. Et hæc tibi fœlicitas eodem tempore fuit conceſſa, quo tu prælia Domini præliatus es apud Rupellam contra Chriſti Chriſtianiſsimiq; Regis fratris tui perduelles, de quo & ipſum, quem optamus, nuncium, ad nos breui venturum ſperamus: An autem & hoc non eſt certiſsimum argumentum, à Domino factum iſtud eſſe? vt adeò regnum tibi amplum deferretur, quandoquidem id eo ipſo die factum eſt, qui Spiritui ſancto dicatus eſt: cuius afflatu te Regem & Dominum renunciatum eſſe, nemo pius dubitare poteſt. Ego verò tenere me non potui, quin fœlicitatem hanc, qua cumulare Maieſtatem V. Deo viſum eſt, tibi non literis tantùm, verumetiam per nuncium à me miſſum Staniſlaum Reſcium, Eccleſiæ meæ Canonicum, gratularer, neq; tibi magis quàm patriæ meæ, quam tandem aliquando ab iſtis hæreſeon portentis, quæ magnas in ea radices egerunt, prudentia ſua cum ſumma pietate coniuncta, liberatum iri ſpero. Qua de re, ne modum excedat epiſtola, plura narrabit coram Secretarius hic meus Reſcius, cui benignas vt aures accõmodes, ſupplex à Maieſtate tua peto, tibiq; Regi & Dño meo, quam debet fidelis ſubditus, reuerentiam, obedientiã, & ſubiectionem, qua poſſum animi mei ſubmiſsione, defero, nullam vnquã occaſionem prætermiſſurus, qua fidem & obſeruãtiam meam erga te, Regemq; & Dñm meũ declarare queam, Deumq; ſupplex precari non intermitto, vt imperiũ hoc ad te delatũ, tibi, regnoq; tuo fœlix, fauſtũ, & fortunatũ eſſe velit, ac in multos annos te incolumẽ cõſeruet. Vt aũt habeat Maieſtas T. monimẽtũ aliquod meæ ſingularis erga te obſeruantiæ, mitto illi typũ eius Eccleſiæ, cuius acerrimũ propugnatorem ſe iam annis aliquot declarauit. Quod leuidenſe, vt aiunt, munuſculũ à ſubdito & ſeruitore ſuo, vt hilari animo accipiat, maiorẽ in modũ peto. Datũ II. Iunij Anno &c. LXXIII.

Carolo Cardinali Lotharingo. Epiſt. CLXXXV.

Gratulatur quod Henricus Dux Andegauenſis electus ſit in Regem Poloniæ.

EX quo tempore Sigiſmundus Auguſtus Rex & Dominus meus æternam illam in domum, ex iſtius corporis diuerſorio migrauit, nihil ardentius propemodum à Deo ſum precatus, quàm vt eum in eius locum ſufficeret, qui foret acerrimus Catholicæ fidei propugnator. Quis autem eſſet ille, penes ipſum Deum, non penes me iudicium eſſe volui. Poſteaquàm verò fuit huc allatum, admirabili quodam omnium conſenſu renunciatum eſſe Poloniæ Regem Ducem Andegauenſem, non potui quin exclamarem cum ſancto illo Rege & Propheta, Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. An enim potuit aliquod iudicium rectius fieri, quàm quod factum eſt ab eo, qui non tam iuſtus, quàm ipſa eſt iuſtitia? potuit ne reperiri Catholicæ fidei propugnator acrior, quàm qui cùm vixdum ex ephœbis exceſſiſſet, cum hoſtibus illius toties congreſſus, in præſens etiam diſcrimen vitam ſuam offerre nunquam dubitauit, qui ſub id ipſum tempus, quo de Poloniæ Regis electione tractabatur, talem ſe Ducem præſtat in hæreticorũ aſylo, qui locus munitiſsimus eſſe fertur, expugnando, magnam vt in Deo ſpem collocatam habeamus, quã de illo Rege renunciato lætitiam accepimus, eam accepto nuncio de Rupella tam ſtrenui Ducis virtute capta duplicatam iri. Quamobrem cùm ſecundũ Sereniſsimum Andium Ducẽ ſententiam eſſe latam cognouiſſem, diuinam & iuſtitiam & miſericordiam nec admirari, nec prædicari ſatis vnquam potui. Iuſtitiam in eo, quod non tam verbis, quã rebus ipſis & Catholica fide fortiter geſtis planũ omnibus factũ videmus, vix vllum eſſe noſtro ſæculo Principem, qui maiorem ad fidem Catholicam tuendam zelum attulerit, qui factis etiam ipſis eum declarauerit, qui fœliciores conſiliorum ſuorum progreſſus & exitus habuerit, nullum vt iudicium rectius à Deo ferri potuerit. Miſericordiam in eo, quod hunc talem Principem, cuius pietatem, & religionem, æquitatem, in bellis contra Chriſti perduelles hæreticos gerendis fœlicitatem, totus orbis Chriſtianus admiratur, meæ potiſsimum patriæ Regem deſignari voluit. Quæ magno certè verſabatur in periculo, niſi per hunc modum Deus eam oculis miſericordiæ ſuæ reſpexiſſet, talemq; Regem nobis dediſſet, qui nunquam Chriſtum cõfiteri coram hominibus erubuit, nec vbi negotium illius tractabatur, diſsimulanter quidquam agendum eſſe putauit: verùm inimicorum eius, (qui poſſunt autem eſſe maiores inimici, quàm hæretici?) ſemper inimicum ſe declarauit. Quamobrẽ pro tam admirabili Dei beneficio, quo vix vllum patriæ meæ præſtari maius potuit, non quas debui, ſed quas potui, Deo gratias egi: & omnino mihi faciendũ putaui, vt nõ modò per literas, verũetiã per Secretariũ meũ Staniſlaũ Reſcium, tantũ hunc honorem Maieſtati illius gratularer, ſimul quam debet Regi Dominoq́ue ſuo ſubditus fidem, obſeruantiam, & ſubiectionem illi deferrem. Quoniam verò non ignorabam, quàm ardenter ipſa cupiuerit idem C. V. quamq; crebros ea de re mecũ ſermones cõtulerit, & hoc in mandatis illi dedi,

dedi, vt C. T. conueniret, illi quoq; quod ſummi deſiderij ſui compos eſt facta, gratularetur, ſimul quàm ſim promptus ac paratus ad omnia officia & obſequia C. V. præſtanda coràm illi declararet. A qua maiorem in modum peto, vt eum benignè audiat, Sereniſsimo Regi & Domino meo me diligenter commendet, & ea de me polliceatur omnia, quæcunq; ſunt ſubditi fidelis, & addictiſsimi ſeruitoris officia. Quod vt faciat iterum atq; iterum rogo. Quibuſdam etiam alijs de rebus cum C. V. Secretarius hic meus conferet, de quibus dicenti fidem vt habeat rogo. Nec enim eſt in vniuerſo Galliarum regno quiſquam, de cuius in me benignitate plura mihi promittam. Quam etiam ob cauſam illi mandaui, vt omnibus de rebus, de quibus cum Sereniſsimo Rege & Domino meo agi vellem, niſi ageret, niſi prius conſilio cum C. V. communicato. Sic enim errare illum non poſſe confido. Romæ III. Iunij. Anno &c. LXXIII.

Reginæ Suetiæ Catherinæ Iagelloniæ Epiſt. CLXXXVI.

Rogat vt de reducendo ad Eccleſiæ gremium Sereniſſimo Rege marito ſuo laboret, & quod ſibi hæretici falsò arrogant nomen Euangelicorum, & ſanctorum eiuſdem regni Suetiæ patrocinium ad hanc religionis cauſam adiuuandam implorat.

SI literæ meę V. Maieſtati doloris, quem ex morte ſereniſsimi fratris ſui acceperat, leuationem aliquam attulerunt, non paruam & ipſe ex ea re cõſolationem capio. Quamuis enim animum ſuum fortem & excelſum, & caſus humanos deſpicientem difficillimo ſereniſsimi Regis & mariti ſui tempore, quo maximis in angustijs verſabatur, ſatis declaraſſe videtur, quo fidem etiam ſuam, charitatemq; cõiugalem ſicilli probauit, vt magnam ex ea re nomini ſuo laudem in orbe compararet vniuerſo, non potui tamen non metuere, ne cũ audiſſet hunc tam triſtem nuncium de ſereniſsimi ſui fratris obitu, grauiorem in aliquem incideret mœrorem. Quamobrem, quod erat officij mei, non eſſe prætermittendum putaui: quodq; ſuis literis me monet M. V. fit à me ſedulò, nec enim vnquam ſupplex præcari Deum intermitto, vt quod eſt operatus, in illa confirmet, & maius indies illi robur det in rebus ſecundis, & aduerſis fortiter & æqualiter ferendis. Præcipuè verò gratiam, vt illi ſuam impartiat, vt poſsit ſereniſsimum Regem & Dominũ ſuum eiuſdem, cuius eſt ipſa Chriſti corporis, hoc eſt, Eccleſiæ Catholicæ membrum factũ videre. Quòd ego tantò citius euenturum in Domino confido, quandoquidem quæ pietas eſt & religio V. Maieſtatis, nihil ſe curæ, diligentiæ, laboris in ea re prætermiſſuram eſſe pollicetur. Tanto maiorem autem in ſpem eius rei venio, quod nõ malè ſentire Maieſtatem illius des, ſede Apoſtolica ſcribit, cui ſi perſuaderi poterit, vt illius auctoritatem agnoſcat, & eius dictis audientem filium ſe præſter, iam omnis ſcrupulus erit ſublatus. Eſt enim illud lõgè veriſimum, quod ab illo S. Epiſcopo & martyre ſcriptum legimus, non aliundè ſchiſmata & hæreſes obortas eſſe, quàm quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundum diuina magiſteria fraternitas obtemperaret vniuerſa, nemo diſsidio vnitatis Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens, nouam hæreſin conderet. Et certè non leue documentum iam dediſſe videtur Maieſtas eius, ſuæ erga ſanctam ſedem hanc obſeruantiæ, quandoquidem veniam hanc V. Maieſtati conceſsit, vt ab illa ſibi poteſtatem permitti peteret ſub vtraq; ſpecie cõmunicandi. Erit igitur hoc officium V. Maieſtatis, vt quod fœliciter cœpit, fœlicius abſoluere conetur, & ſereniſsimum Regem & coniugem ſuum indies magis atq; magis amore, ſtudio, & obſeruantia erga S. Sedem hanc inflammet. Quod ſi perfectum illius opera fuerit, iam expeditiora deinceps futura ſunt omnia, nec erit quod impedire queat, quòminus Suetiæ Regnum in idem illud Chriſti corpus, in quo fuit ante 50. annos, coaleſcat, nec alio nomine vocabimur oẽs, præterquàm Chriſtiani, & quod vocabimur, per Dei gratiam futuri ſumus. Quod nomen poſteaquàm nõnulli faſtidire cœperunt, & à ſanctis maioribus ſuis, quos Chriſtianos fuiſſe, nemo pius dubitat, ſegregati, Euangelici, quã Chriſtiani, nominari maluerunt, in quot ſectas mirandum in modum inter ſe diſſectas diſſecti ſint, nec M. V. procul dubio, nec ſereniſsimus Rex & cõiunx illius ignorat. Sed quale per Deum immortalẽ eſt hoc, quod nunc iſti, qui diſceſſerunt à nobis, vocãt Euangeliũ? Certè quod à Chriſto & Apoſtolis eius per longam Epiſcoporum & Sacerdotum ſucceſsionem iam inde à 600. annis in Polonia & Suetia per manus nobis traditũ accepimus, quãlibet diuerſæ fuerint linguæ, plurimas tñ gentes in vnitatẽ fidei præ illud ſcimus eſſe congregatas, vt eſſet multitudinis credentiũ cor vnũ, & anima vna, ſimul ac aũt noui huius Euangelij lux affulſit, haud aliter, atq; cũ illa Babylonica turris ædificaretur, ita linguas diſperſas, ita gentes in ijs, quæ pertinent ad fidẽ, diſiunctas, & ab inuicem diuiſas, ita varias & peregrinas doctrinas inuectas vidimus, vt vbi prædicatur hoc nouũ Euangeliũ, vix domũ aliquã reperire liceat, in qua nõ diuerſum à parentibus liberi, fratres à fratribus, à dñis familia ſentiat, vt quot volũtates, tot iam fides videantur. Ex qua vel vna re cuiuis perſpicuũ eſſe poteſt, non à Chriſto, qui propterea mori & crucifigi voluit, vt filios Dei, qui diſperſi fuerant, congregaret in vnum, ſed ab eo profectum hoc Euangelium, (ſi modò peregrinam hanc doctrinam ita vocare licet,) de quo ſcribit Oſias Propheta, quod ipſum diuiditinter fratres, & quæ preciosò Chriſti ſanguine congregata ſunt, ſpargit: vt ego mirari iam deſinam, ſi malunt Euangelici, quàm vſitato maioribus noſtris nomine

Chriſti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christiani vocari. Quandoquidem Deus noster Christus non dissensionis ac diuisionis. vt illorum Deus, verùm dilectionis & coniunctionis Deus est. Quo maiore studio debet M.V. Serenissimum Regem & coniugem suum hortari, monere, orare, & obsecrare, cùm ipse cernat oculis, quorsum res recident, posteaquàm in aliud Euangelium translati quidam sunt ab eo, qui nos vocauit in gratiam Christi, postquàm aliud prædicari cœptum est, quàm quod à sanctis maioribus nostris à 600. & amplius annis in Polonia, & in Suetia nobis per manus traditum accepimus, quàm variæ, quàm peregrinæ, quàm abominabiles doctrinæ posteà sunt consecutæ, non magis cum Ecclesia Dei, quàm secum ipsæ pugnantes. Hoc igitur cum ipsa videat Maiestas eius, instet atq; vrgeat modis omnibus, vt remis velisq; quod aiunt, diuisorem istum fugiat, cui non aliud est curæ, quàm vt spargat, vt rapiat, vt mactet, vt perdat oues, & ad eum postliminio reuertatur, qui quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, sic venit congregare filios suos, qui propterea quoq; mori dignatus est, propterea manus expandit in cruce, vt se paratum ostenderet ad amplexandos omnes, quicunq; reuerterentur ad se, qui sicut vnus est ipse cum Patre & Spiritu sancto Deus, ita nos etiam & secum, & inter nos vnum efficit, vt quamuis membra diuersa, Christi tamen corpus vnum simus omnes. Quod si factum opera Maiestatis V. mihi videre contigerit, nihil fieri me posse beatius existimarem. Et sicut olim Simeon ille senex, sic & ego lætus exclamarem: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod si neruos intenderit Maiestas V. si curas suas omnes in hac vna tam sancta cogitatione consumpserit, quod eam sedulò facturam esse non dubito, bona spe sum, futuros nostri desiderij compotes, Et quod illi præstantissimo totius Ecclesiæ lumini, qui totos nouem annos Manichæorum hæresi grauiter laborabat, fuit sancta mater illius Monica, Serenissimo quoq; Regi suo futura est Maiestas V. cuius coniunx est. Felicius enim eum pariet Christo, quàm fuit in vtero matris suæ conceptus. Qui dies vt citius nobis illucescat, misericordiam diuinam supplex implorare non intermitto. Quod autem ad calicem attinet, proxima quadrageſima scripsi Maiestati V. copiosè. Quamobrem responsum ab ea expecto, modo S. sedis huius auctoritas agnoscatur, expeditiora futura sunt omnia, simul & hoc significaui, quod S.D.N. liberaliter concesit alia singula quæ petiuit. De cuius in se paterna beneuolentia, nihil est, quod sibi rectè polliceri non possit, quam tanto sibi maiorem cumulauerit, quantò maius impenderit studium in Serenissimo coniuge suo lucrifaciendo. Primus fuisse videtur Gregorius VII. cuius opera factum est, vt Suetiæ Daniæq; Regna Christi receperunt Euangelium, illud Euangelium, per quod congregabantur dispersi, non autem hoc, per quod qui fuerant in Christo congregati, disperguntur. Septimus est hic ab illo Gregorio, & est Spiritui sancto numerus hic familiaris, cuius etiam dona septem numerantur. Non minus is, quàm fuit ille, de reducenda ad ouile Christi Suetia futurus est sollicitus. Da Christe fructum vt aliquem videamus: da, vt Serenissimũ Sueriæ Regem, cuius multæ præclaræ dotes in cœlum laudibus feruntur, corpori tuo sanctæ Ecclesiæ tuæ restitutum audiamus. Da per crucis & mortis tuæ meritum, nam quæ vtilitas in sanguine tuo? quem tu propterea tam copiosè fudisti, vt, quæ dispersa fuerant, congregares. Si quæ per illum 600. annis collecta & congregata fuerunt in regno Suetiæ, dispersa nihilominus, & à tui corporis compage diuulsa videamus. Vos verò sancti martyres & Episcopi, qui primi verbo Dei plantastis Ecclesiam in isto regno, qui rigastis eam sanguine vestro, tu beate Asquari, tu beate Adalberte, tu Stephane, supplices Christum deprecemini, cuius in vestris membris est sanguis profusus, vt precium hoc sui sanguinis ne perire velit, sed fructum eius ad Serenissimum regem & inclytum eius regnum redundare faciat, vt quam vos fidem plantastis, quam vestro sangnine rigastis & obsignastis, & fuit per annos fere 600. magna cura diligentiaq; custodita, superioribus autem proximis his annis eius possessio fuit interrupta, eam in integrum restitutam cernamus. Adsis tu quoq; sancta Brigida cum virgine & vidua Catherina digna tali matre filia, quæ regnum istud admirabili quadam vitæ sanctimonia multis arcanis Dei mysterijs singulari dono vobis patefactis, miraculis plurimis æditis, præ cæteris clarum reddidistis & illustre. Vos pro Serenissimo Rege & regno isto intercedite, vt per quod Euangelium superstitibus vobis gentes fuerant in vnitate fidei congregatæ, nuncidem illud, & non aliud, nemine prorsus interpellante, prædicari queat, idem Christus annuncietur, qui tunc fuit annunciatus, nec eorum voces audiantur, qui quamuis longe diuersa doceant, ad rauim tamen vsq; vociferari non intermittunt: Ecce hic est Christus, hic est purum Euangelium, hic est expressum Dei verbum, Christum diuidentes, & ex Euangelio contra Euangelium pugnantes. Ridebunt, qui segregauerunt seipsos, hanc nostram quam ipsi vocant, mortuorum inuocationem. Sed nos tibi Christe credimus, qui dixisti, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed Deus viuorum. Valeant illi, qui cum corporibus animas interijsse quodammodo persuasum habent. Nos eos tecum viuere credimus in cœlesti patria, multoq; nunc fœlicius viuere exutos corpore mortis huius, quàm quoad illud animas eorum in hac lachrymarum valle degentes aggrauabat. Ostende tu Domine Deus eos viuere nunc multò beatius. Ostende quantum pondus habent preces eorum apud te, quibus placatus, conuerte gentem hanc Suecorum ad te, & innoua dies nostros sicut fuerunt, quo tempore superstes erat sancta mater Brigida, & S. filia sua Catherina, restituatur illa fides, illa religio, illa pietas, illa vitæ sanctimonia, quam tum floruisse legimus in Suetia, cuius etiam nunc reliquiæ nonnullæ, quamuis in paucis, extare feruntur. Sic ego Deum sedulò precari non desinam, magna cum spe futurum, vt supplicis preces exaudiat. Visum est autem, vt meas quoq; literas ad serenissimum Regem adiungerem, quarum exemplum V. Maiestati mitto, prius vt

Hosij pro Suetia ad Deum oratio.

vt id legi transferriq; sibi faciat, si sperat fructum aliquem allaturas, vt illi reddendas curet. Sin minus, & exacerbatum iri animum illius putauerit, ne reddi faciat: nihilominus quem Ecclesiæ typum illi mitto, simul & Maiestati V. alterũ dari velim. Hoc etiam illi significandũ duxi, si volet aliquot literarum studiosos adolescentulos mittere, quod S.D.N. Gregorius exemplo sui antecessoris Gregorij VII. eos sub alis SS. Apostolorũ Petri & Pauli in bonis literis, & in his, quæ ad pietatem pertinent, diligenter instituendos curabit. Oẽm enim occasionem dari sibi cupit de Serenissi. Rege, deq; regno illius bene merendi.

Alberto Lasky Palatino Siradiensi. Epist. CLXXXVII.

Hortatur vt prouideat, ne Rex electus confœderationem approbet.

EST quod ingentes Deo agamus gratias, cuius benignitate singulari factum est, vt quod anno ferè toto supplices precati sumus, id assequeremur, Regemq; cumprimis Christianum Catholicum, & orthodoxum, incredibili quodam omnium consensu designatũ videremus. In quo eligendo cùm præ cæteris enituisse dicitur ingens D. V. studiũ, cuius industria id factum esse potius existimatur, ipsi quoque D.V. multum hoc nomine debemus. Perfertur autẽ huc, quod cùm R.D. Archiepiscopus pro munere Primatis, quo fungitur, publicè Regem totius regni nomine renunciaret, ac quædam capita proposuisset, in quæ qui fuerunt ex Gallijs Oratores missi, iuraturum Regem, simul vt in regnum suum venisset, dato iureiurando promitterent: quædam etiam hæretici præscripserunt, ac suam quandam cõfœderationem aduersus Dominum & aduersus CHristum eius factam produxerunt, & vt eam ratam habiturum Regem oratores iurarent, cõtenderunt, quod etiam factum ab illis esse dicitur. Quin & hoc additur, esse data nonnullis mandata, vt omnibus modis instarent, quo Regia Maiestas in illam quoq; cõfœderationem iuraret, cùm tamen ista confœderatio vel conspiratio potius cum regni constitutionibus, in quas Rex iurare tenetur, ex diametro pugnet, mihi non fit verisimile, quod D.V. quę posteaquã ex illis tenebris hereticorum emersit, & lucem Christianæ veritatis aspicere cœpit, ardens in Christiana fide studium prę se ferre visa est, vt eius generis aliquid à Regia Maiestate peteret, adduci possit, cùm nihil iniquius hac petitione cogitari queat. Nam velle videntur, vt simul & Christus, & Belial adoretur, cùm nulla sit inter hos duos conuentio, deinde verò minimè decere videtur, vt senator Christianus, Christi perduellium hæreticorum legatum agat. De Serenissimo verò Rege & D.N. mihi certò persuadeo, cùm sit ex Christianissimis parentibus, auis, proauis, atauis, abauis natus, quod huic hæreticorum petitioni nunquam subscribet, qui Regem suum aut hæreseos, aut idololatriæ cõdemnare videtur: quandoquidem in polyticis tantum cum eo cõmunicare, in Ecclesia verò, & in ijs quę pertinent ad religionem, nihil cõmune cum illis habere volunt. Quid potest esse magis detestandum & abominandum, quàm pro Christiano, Regem sunm agnoscere nolle: qui non solùm verbis, verumetiam factis ipsis verè se Christianum esse declarat, nec hæreticus dici potest, cùm nullam nouã fidiculam elegerit, sed in ea, quam vna sancta Catholica, Apostolica Ecclesia iam inde à 1500. & amplius annis profitetur, summa cum laude constantiæ suę permanserit. Hæresis. n. ab electione nomen ducit, & hęreticus dicitur, qui relicto sensu & consensu Catholicę Ecclesiæ, nouam aliquam opinionem eligit, & dum eam tuetur mordicus, ex Ecclesia recedit, quæ illius receſsio, sicut à quodam S. patre scriptum est, propriæ conscientię videtur esse damnatio. Hanc sententiam ipse fert in se, qui suo arbitrio de Ecclesia recedit, & hoc ipso sicut scribit Paulus, subuersus est, & proprio iudicio condemnatus. At si nolunt, vt eorum sententiam Rex approbet, quam ipsi tulerunt contra se, & Regẽ potius, qui nullam vnquam fidiculam elegit, vitare, tanquam hęreticum, nec in eodem cũ illo templo Deum colere, sed ab illo se per summum sacrilegium separare volunt, ac vt id impunè sibi facere liceat, summo studio cõtendunt, cumq; sint ipsi idololatrę, criminis huius Regem atq; Dñm suum insimulant. Nam quę rectius idola dici possunt, quę hæreticorũ figmenta, qui suum verbum, Dei verbum & Euangelium vocari volunt: quot sunt hęretici tot coli dij videntur, dum vnius cuiusq; doctrina, quæ tñ cum aliorũ doctrina pugnat, Dei verbum vocatur. Initio putabatur Dei verbum, quod Lutherus docebat: iam illud extinctum esse non ignorat D.V. qui Zuinglij, Caluini doctrinã adferunt, ij verbum Dei adferre dicuntur, cùm tñ apud Lutheranos eis aqua & igni sit interdictum, & eos nõ stylo refellendos, verùm sceptro Magistratus esse coercendos doceant. Alij quod ab Anabaptistis prædicatur, alij quod à Trideistis, id esse verbum Dei contendunt. Et est iam istarum sectarum propè infinitus numerus: quarum vnaquæq; suam doctrinam, quamuis ea cum verbo Dei pugnet: verbum Dei tñ & pro Dei verbo adorari vult. Ita iam tot existere Deos videmus, quot sunt nouarum hæreseon inuẽtores. Quæ potest esse manifestior idololatria, quàm sit hæc? Fides non potest esse nisi vna, quicquid est extra vnam fidem, nõ fides sed perfidia est. In Apostolorum Symbolo quod profitemur, omnis fides nostra cõtinetur, si qd autẽ in eo satis expressum non est, in vno illo articulo, sanctam Ecclesiam Catholicam, contineri videtur. A qua qui discedit, hæreticus est, dum Deos multos colere incipit. Principio Deus est illi Lutherus, mox Caluinus, nõ ita multò post aliquis ex Anabaptistarum fece, & cùm ad summam perfectionem peruenerit, efficitur aut Trideista, aut Atheista. Interea tales vt ferat Regia Maiestas, ab illa tanto studio contenditur, & per vim id extorquere conantur. Quęso D. Vestrã quibuscum aliquam habet consuetudinem, vt eos hortetur, ne velint ir-

Hæresis vnde nomen ducit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtare pertinacius, vt hoc Maieſtas Regia concedat, quod ad Chriſti negationem pertinere videtur. Nam Chriſtus & caput, & corpus eſt, non ſolùm negatur Chriſtus, qui de capite male ſentit, verumetiam qui ab illius corpore vna ſancta, Catholica, Apoſtolica Eccleſia ſeper ſummum ſcelus diſiungit, is Chriſtum apertè negare videtur. Hanc autem Chriſti negationẽ vt approbet Sereniſsimus Rex, iſti cõtendunt. Si vera ſunt, quæ de illius inſigni pietate, decq; ſingulari animi robore prædicari audio, nunquã faciet. Non erunt illi tanti vllę opes, non regnum quamlibet amplum, non ſpiritus etiam iſte, quo nil nobis eſt in hac vita dulcius, vt dum illum nimis amat, animam ſuam odio proſequatur, & eam gehennæ tradat incendijs aliquando cruciandam. Romæ vltima Iunij M. D. LXXIII.

Carolo Cardinali Lotharingo. Epiſt. CLXXXVIII.

Rogat, vt totis viribus obſiſtat, ne Rex electus confœderationem hæreticorum approbet, ſed ſtatim initio ſe vere Chriſtianum Regem eſſe declaret.

QVibus de rebus Reſcium meum Secretarium miſerim in Gallias, cognouiſſe iam Illuſtriſsimam C. T. puto, ſimul vt gratulatus eſſet Sereniſsimo Regi & Dño meo proximis ſuperioribus menſibus ad illius Maieſtatem delata regni Poloniæ gubernacula, quam & debet ſubditus Regi & Domino ſuo fidem, ſubiectionem, & obſeruantiam illius Maieſtati, verbis meis detuliſſet, caput legationis per me illi mandatum fuit hoc, vt de confœderatione facta aduerſus Dñm, & aduerſus Chriſtum eius, cum illius Maieſtate pluribus ageret, ac ne ſubſcriberet ei cõfœderationi, ſupplex peteret. Ac fuit illa quidem coniuratio facta, priuſquàm Rex electus eſſet, neq; tũ, vt ab omnibus illi ſubſcriberetur, obtineri potuit. Poſteaquàm verò ſumma voluntate omnium, Rex electus & cõfirmatus fuit, à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo Gneſuenſi regni Primate, capita quædam propoſita fuerant, in quæ, qui ſunt à Chriſtianiſsimo Rege miſsi oratores iurarent, quod etiam ab illis factũ eſt, poſteà quidam alius, ad quem id minimè pertinebat, prorupiſſe dicitur, & extorſiſſe, vt in cõfœderationem hanc ijdem oratores Sereniſsimi Regis electi nomine iurarent, quæ res non mediocrem animo meo perturbationem attulit, nec adduci poſſum, vt credam illos à Chriſtianiſſ. Rege mandatum habuiſſe, vt id facerent. Quid. n. eſſe poteſt à Rege Chriſtianiſſ. Catholico, & orthodoxo magis alienum, quàm vt cõuentionem eſſe velit inter Xpm & Belial, vt ſimul vtrunq; coli permittat? Si duæ debent eſſe fides, quod ne per Grãmaticorum q dem leges licebit, niſi fortè ludere velimus fidibus, quemadmodum apud hæreticos fieri videmus, nõ aũt vnam Catholicam fidem retineri. Si duę fides eſſe debent, cur nõ etiam duo ſunt Chriſti? cur nõ duo quoq; Reges? Nam & Reges Chriſtos appellare, non eſt in ſcripturis inuſitatum. An autem hoc in Gallia factum nõ vidimus? vbi cùm duę fides pmiſſæ fuiſſent, nõ defuit qui ſolium cõtra ſolium cõſtitueret, ſceptrum cõtra ſceptrum erigeret, & in leges, quas ipſe dediſſet, Regem ac Dñm ſuum iurare cõpelleret, vel domeſtica exempla Maieſtatem illius, ne tale qd permittat, deterrere debent, cui quàm fœliciter ea permiſsio ceſſerit, puto vos nõ ignorare. Scio quod hoc nõnullis videor, quod erat Flaccus inter Lutheranos. Sed nulli religioni Chriſtianæ plus detrimenti attulerunt, quàm ſemichriſtiani, & ſemilutherani, dum in vtramq; partem claudicant, dum neq; calidi ſunt, neq; frigidi, verùm tepidi, quales ex ore ſuo euomere ſe dicit Dñs. Quamobrẽ eorum cõſilia ſequatur Sereniſsimus Rex meus, quos in fide Chriſti tuenda calidos eſſe cognouerit: ab illis autem ſibi maximè caueat, qui claudicant in vtranq; partem, de quibus, Chriſtiani ne ſint an Lutherani, nihil ſibi certò polliceri poſsit, dum non magis Chriſtum quàm diabolum offendere metuunt. Renunciatur hic, mari Maieſtatem illius facturam iter in Poloniam. Quod ſi verum eſt, primum ad ciuitatem ſuam Dantiſcanam, quæ portu celebris eſt, appeller. Ibi primus & maximus impetus eſt illi ſuſtinendus. Nam eſt ea ciuitas maxima ex parte à fide Chriſtiana prorſus aliena, & varias in ſectas miſerabiliter diſſecta. Oẽs, quod aiunt, neruos illi ciues intendent, vt factę per hæreticos cõfœderationi Maieſtas illius ſubſcribat, & erunt illis adiuncti quamplurimi diuerſarum hæreſeon etiam ex regni Senatoribus & nobilibus. Quod ſi Maieſtas illius ſibi ſtatim in primo ingreſſu pręciſè negandum, quod petitur, eſſe non putauerit, ſaltem reijciat in diem vſq; coronationis, nec ſpem vllam oſtendat ſe, quod petitur, facturum, ſed rebus prius diligenter omnibus exploratis, officio ſuo ſe dicat non defuturam. Poterit etiam dicere ciuibus illis, mirari ſe, quod petant, plures vt fides Maieſtas illius toleret, cùm tamẽ Elbingenſes eorum vicini, qui ſunt hædi mei, Chriſtianam fidem nõ ferant, & fideles verbi Dei miniſtros à me legitimo paſtore cõſtitutos, ex illa ciuitate expulerint. Qua frõte petunt hoc à Regia Maieſtate ſibi permitti, quod ipſi nullum ius habentes in regia, non autem ſua ciuitate tolerare nolunt. Res eſt certè & admiratione & cõmiſeratione digna, quod qui diſceſſerunt à nobis, qui per ſummũ ſacrilegium à Chriſti corpore ſe præciderunt, audent apertè ſe Lutheranos profiteri, nec vbi cum aliqua, neq; tũ cum ſumma poteſtate verſantur, ibi Chriſtianos tolerant, etiamſi regi ſubiecti videantur, verùm & ſacerdotium, & ſacrificium, & oẽm Dei agnitionem, prorſus ex ea tollunt, & nos, qui per Dei gratiam Chriſtiani vocamur, & ſumus, id facere pariq; animi conſtantia Chriſtum confiteri nõ audemus? ſed nec ij nõnunquam audent, qui ſumma cum poteſtate verſantur, ac tempori potius, quàm Deo ſeruiendum eſſe putãt. Verùm ego, quin ſuſpenſos Regia Maieſtas animos hæreticorum teneat tantiſper dum coronata fuerit, non impedio, dummodo ſe poſt coronationem citra tergiuerſationẽ vllam Chriſtianiſsi-

Semichriſtiani maximũ detrimenti religioni Chriſtianæ attulerunt.

aniſsimum Chriſtianiſsimis parentibus, auis, proauis, atauis, abauis natum, quod audit, id ſemper velle eſſe, nec vllam à fide Chriſtiana diſceſsionem approbaturam, clara voce pronunciet. Neq; tũ quenquam prohibebit, quominus polliceatur, ſe prius omnia tentaturũ alia, quàm vt vim aliquam adhibeat. Si ſemel, quod procul pro ſua miſericordia Deus auertat, ſibi leges iniquas Maieſtas eius imponi patietur, & in eas iurauerit, omnem apud ſubiectum ſibi populum auctoritatem Regiam amittet. Quamobrem in ipſo ſtatim initio ſe virum præſtet, nec vllius hominis, verùm ſolius Dei metum prę ſe ferat, eo ſe prohiberi dicat, quo minus, quod ab ea petitur, faciat. Quãtò magis Regem ſuum reuereri Maieſtatem diuinam ſubditi viderint, & illam ſolã timere, tãtò magis ſubditi reuerebuntur illã. Qualem ſe geſſerit erga Deum, tales & ipſos experietur erga ſe: nec ei defuturũ eſt diuinũ auxilium. Cęterũ ſi labanti religioni ſuccurſum apud nos Maieſtas eius voluerit, hoc imprimis neceſſariũ eſſe reor, vt non alios ſecum in Poloniam ducat, quàm quos verè Chriſtianos & orthodoxos eſſe cognouerit, ac ſi quis eſt inter oratores à Chriſtianiſſ. Rege miſſus parum Chriſtianus, vt eum poſteaquàm in regnum ſuum venerit, ſtatim inde faceſſere iubeat. Nã illius fiducia factũ exiſtimatur, quod vt promitterent oratores, iuraturum Regem in leges iniquas ab hæreticis impoſitas, tanta cum inſtantia fuerit à multis poſtulatũ. Hæc ego pro mea ſingulari fiducia, quã de bñuolentia Illuſtriſsimę D. V. in me conceptam habeo, cũ illa cõmunicanda putaui, quam oro & obſecro, modis omnibus prouidere velit, ne duas fides in Polonia, duos Chriſtos, duos Reges habeamus. Principijs obſtandũ eſt, ne ſi minus maturè factum id fuerit, ſerò poſtea medicina paretur. Sunt adhuc p Dei gratiam in Polonia nõ ſeptẽ millia, ſed 77. millia virorũ & amplius, qui nõ curuarunt genua ante Baal vel Iſſebienſem, vel Geneuẽſem, nec tantę ſunt hæreticorũ vires, vt aliqd cõtra Maieſtatẽ illius, pficere poſsint, quo maiore animo furioſum eorum impetum propulſet, nec iniquis eorum poſtulationibus loci quicquam det: quod niſi maior Catholicorum numerus fuiſſet, hunc Regem electum non haberemus. Si fortem & imperterritum ſe pręſtiterit Maieſtas eius, intra vnum aut alterum annum erũt omnes in illo regno Catholici. Quod vt ita factum videamus, Deum ſupplices precari non intermittemus. XX. Iunij LXXIII.

Nuncijs Capitulorum Regni Polonię. Epiſt. CLXXXIX.

Laudat eorum diligentiam, qua vſi ſunt in Comitijs eligendo Regi deſignatis, & de confœderatione facta diſſerit.

QVod ea perſcripſiſtis ad me, quę ſunt in proximis ſuperioribus Comitijs acta, Regi creando deſignatis, etſi parum iucunda nõnulla fuerunt, gratius tamen mihi hoc veſtrum officium accidit, quàm facilè credi queat. Factum eſt autẽ à Collegis veſtris magno conſilio, quod è ſingulis miſsi ſunt, qui ſuis Epiſcopis præſto adeſſent, & eis operam ſuam nauarent, quo minore negotio prouideri poſsit, ne qd ſtatueretur in Comitijs, quod vel ad religionem conuellendam, vel ad Eccleſiæ noſtræ iura labefactanda pertinere videretur. Laudatur hic ab omnibus hæc veſtra prouidentia, laudatur pietas, & in tuenda religione Catholica conſtantia quædã, animiq; magnitudo ſingularis, quod nihil vobis præter vnum Chriſtum metuendum eſſe exiſtimaſtis, vel vllis perduellium Chriſti minis atq; terroribus adduci vos paſsi eſtis, vt eorum importunitati cederetis, qui ludum vt fidium ex fide facere poſſent, & id eis impunè liceret, furioſo quodam impetu contenderunt. Pręclarè dixit quidam ſanctus pater, fidem non eſſe niſi vnam, & quicqd eſt extra vnã fidem, non fidem, ſed pfidiã eſſe. Nunc iſti cum fide pfidiã iungi, vtraq; vt eodem loco haberetur, cum Euangelica luce, tenebras hæreticorum copulari: cum Chriſto Belial adorari, & vt eſſet conſenſus templo Dei cum idolis, vt contra quam Paulus præcipit, iugum cum infidelibus duceremus, ſumma contentione ſunt extorquere conati. Vidi conſpirationem ſiue coniurationẽ aduerſus Dñm & aduerſus Chriſtum eius, cui viri quidam illuſores confœderationis nomen tribuerunt. Vidi & obſtupui. Nondum erat Rex electus, & iam de dirumpendis vinculis, quibus ei fuerant obſtringendi, de proijciendo à ſe iugo ipſius, de ſceptro illi & gladio adimendo, quo cõtra Chriſti perduelles vti poſsit, conſilia capiebantur: ne quam iuxta patrias cõſtitutiones ſtatuendi contra illam poteſtatem haberet. An autem ij conſcij ſibi non ſunt, quod hæretici ſint, & omni ſuppliciorum genere digni? Quamobrem prouidere ſibi conati ſunt, vt abſq; omni timore Chriſtum impunè blaſphemare, corpus eius vnam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, quod iam ab annis aliquot facere cœperunt, per ſummum ſacrilegium, deinceps etiã in plures particulas cõcidere ſibi liceret. Cur autem eadem ratione nõ prouiderunt, vt homicidia, latrocinia, patrare cuiq; libere permitteretur? Quæ quamuis grauia ſint crimina, tñ cum hæreſi collata, feſtucã ſunt cum trabe cõparata. Sed hoc eſt iſtorum hominum ſummum ſtudium, qui ſe præciderunt à Chriſti corpore Eccleſia, regnum vt faciant abſq; lege, abſq; Rege, abſq; Sacerdotio, abſq; ſacrificio, abſq; Deo. Verum q habitat in cœlis irridebit eos, & Dñs ſubſannabit eos. Sunt reuera ſtulti, de quibus aliquãdo Sapiens ſcripſit: Ea quæ ſibi magis noxia ſunt cupientes, qui diuinæ ſapientiæ vocem hanc olim audient: quia vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, aduenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas irruerit: quando venerit ſup vos tribulatio & anguſtia, quantò rectius facerent, ſi redirent vnde ſe nefariè præciderunt ad Chriſti corpus Eccleſiam. Tunc. n. eiuſmodi cautionibus opus illis nõ foret: nam ſicut alia omnia,

sic & hoc præclarè S. Apostolus: Vis, inquit, non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex ea, Dei. n. minister est tibi in bonum, si aũt malum feceris, time: non. n. sine causa gladium portat, Dei. n. minister est vindex in iram eis qui malè agunt. Quod aũt agi potest malum grauius, quàm si quis, quod in cruce pendenti Christi corpori nõ fecerunt impij latrones, vt eos ex eo cõminuerent, id eius mystico corpori faciant Ecclesiæ, p qua verũ ille corpus suum in mortem tradidit, vt illud p nefarium scelus in tot particulas laceret, & oẽm latronum immanitatem immanitate sua superet. At in talem ab istis viris illusoribus sceptro gladioq; suo Rex vti ne posset, cauetur: Et eiusmodi nefarijs cõspirationibus prospicere se posse psuasum habet, ne qua sup eos repentina calamitas irruat. Sed q habitat in cælis irridebit eos, & Dñs subsannabit eos. Quod timet impius, veniet sup eum: Exaudiuit nanq; supplicum preces Deus, & quod patriæ nostræ fœlix, faustum, fortunatumq; esse velit, qualem ab ipso petiuimus acerrimum fidei Catholicæ propugnatorem, nobis Regem dedit. Iustam sententiam iustus iudex tulit: nam res etiam ipsa clamat, quæ fecit, quæq; tulit, quæ vitæ pericula cõtra Christi Regisq; Christianissimi pduelles, dum prælia Dñi preliaretur, quorum optatum exitum est semp cõsecutus, modò non edita voce pronunciant, quod nullus inter Christianos Principes repitur magis acer Catholicæ fidei propugnator. Est quod hoc nomine diuinæ Maiestati ingentes agamus gratias, q patriam nostram oculis misericordiæ suæ respexisse videtur, dum nobis de tali Rege prospexit, q publicè coram hominibus Christum cõfiteri nõ erubuit, & eius religionis tuendæ causa nullum vnquam vitæ discrimen adire dubitauit. Quam etiam ob causam cõfitentem se, confessus est etiam vicissim eum Christus: amauit eum Dñs & ornauit eũ, & stola gloriæ induit eum. Quid. n. illi accidere potuit gloriosius, quam quod à patria sua tãto locorum interuallo disiuncta, ad sius regni gubernacula capessenda diuina ,puidentia vocatus est, in quo dominari posset à mari vsq; ad mare. Quamobrem bonis vos animis esse iubeo, (quod. n. p me fieri voluistis, id ante sesqui annum ,puisum est,) statim vt huc de noui Regis electione fuit allatum, misit S. D. N. ad Sereniss. Regem electum duos nuncios, qui gratularentur illi uouam dignitatem, & si qd à Christi pduellibus esset petitum, ne qd eorũ importunitati concederet, néue qd alienum à Christianiss. Regis officio faceret, modis omnibus intercederent. Ego quoq; tanq; subditus & consiliarius illius Maiestatis Ecclesiæ meæ Canonicum Stanisl. Rescium ad eum legaui, q nouæ dignitatis accessionem illi gratularetur, fidem etiam & debitam subiectionem verbis meis deferret, de rebus omnibus p Xpi pduelles in Comitijs gestis eum informaret, tum piam & sanctam confœderationem in noua ciuitate Korczin ante 130. & amplius annos factam exhiberet, ac illam potius veterem, quæ in libro regni statutorũ reprehenditur, confœderationem, quàm nouam istam nefariam conspirationem peteret approbari: Vteretur etiam hac in re tum Illustrissimi Cardinalis Lotharingi, tum Apostolicorum nunciorum, & eorum q gratia valent & authoritate in aula regia, cõsilio gratiaq;, bona spe sum, quod ea, quæ petimus, nõ ita magno negocio simus obtenturi quando qdem Rex Christianiss. verè Christianissimus esse dicitur, incredibili quodam zelo tuendæ fidei Christianæ præditus. Vestrum erit supplices ad Deum preces fundere quo Regem electum spiritu principali confirmet, vt ficut cœpit, ita Christum apte coram hominibus deinceps confiteri non intermittat: illum solum præ oculis habeat, ab illo solo metuat. Si quos verò Christi pduelles terrores obiecerint, eos ne pili quidem faciat. Fortior est. n. vnus Christus, quod non semel me scribere memini, quàm mille millia legionum diabolorum omnium. Hunc nobis maximè propitium reddere studeamus, quamlibet fremant & furiant inferorum portæ, nunq; præualebunt. De cæteris, quæ scripsistis, cùm Romam Deo iuuante, saltus rediero, curæ mihi futurum est. nec. n. in mora piculum esse video. Hoc vobis de me certò psuadere potestis, quod quem hic prædicari zelum hunc vestrum tuendæ conseruandæq; religionis, amo plurimum, & in quibuscunq; rebus vobis rectè gratificari potero, nullam eius rei occasionem prudens prætermittam. Quod si pest, me precibus & sacrificijs vestris diligenter commendo, & vt in illis mei quoq; memoriam aliquando faciatis, maiorem in modum peto. Datum Sublaci XVII. Iulij LXXIII.

Stanislao Rescio Canonico Varmiensi, Secretario suo. Epist. CLXXXX.

Vt causam Christi apud Regem electum intrepidè agat, & ne confœderationem approbet, omnibus modis laboret.

QVÆ per te sunt acta Ferrariæ, mihi non improbantur, sed magis illud probatur, quod Ferrarienses illas delicias & honores, quibus te humanissimi illi Principes Estenses affecerunt, reliquisti: quibus ego agam hoc nomine gratias, nisi quod vereor, ne qd tibi hoc genus vitæ incõmodet. Iuuenibus. n. tales deliciæ non solent esse salutares. Florentinæ molestiæ & difficultates, etiam si videantur asperiores, multò sunt tamen tibi salubriores. Insensatæ quoq; beneficiæ, quæ nescisunt adulari, te reddent sapientiorem & magis sanum. Quid tibi coram in mandatis dederim, meminisse. Virum te præsta. Nil timeas, nisi Deum: nil speres, nisi à Deo. Christi causa agitur, patriæ nostræ salus in hoc vno negotio verti videtur. Quid nos facere in tanto periculo oporteat, intelligis. Mitto tibi turpissimi illius iurisiurandi formulam, qua sunt vsi in Polonia Christianissimi Regis oratores, cùm Rex Henricus eligeretur, quæ mihi vehementer displicuit, & maximum dolorem attulit. Dabis omnem operam, & omnibus modis contendes & elaborabis: omnẽ, quod aiunt, lapidem, cùm apud ipsos Reges, tum apud cæteros omnes Galliarum Principes, Catholicos præsertim, mouere non cessabis,

bis, vt ne Serenissimus Rex noster electus approbet iusiurandum hoc: ne tam turpem, tam fœdam notam inurat ei existimationi, quam sibi Christum apertè confitendo, & contra pduelles eius hæreticos à teneris annis fortiter pugnando, per orbem Christianum comparauit. Quibus poteris verbis coniurationem istam aduersus Dñm, & aduersus Christum eius, hoc est, eum qui iam designatus est, Poloniæ Regem factã execraberis, & vt ipsi quoq; Regi fiat execrabilis, omnibus modis contendes & elaborabis. Dices: Non dissimilem coniurationem Schmalcaldicam in Germania quoq; fuisse factam. Quantas autem ea calamitates in eam inuexerit, illius Maiestatem proculdubio non ignorare. Me quidem de singulari pietate religioneq; Maiestatis eius certò mihi persuadere, quod Schmalcaldicam istam coniurationem, nec approbauit, nec approbatura sit vnquam, cùm præsertim nec omnes ordines, nec omnes regni Poloniæ senatores, nec omnes etiam nuncij terrarum ei subscripserint. Ex ordine qdem Ecclesiastico tantum vnus Episcopus subscripsit, vna aũt hirundo non facit ver. Etsi maximè subscripsissent oẽs & ordines, & Senatores, & nuncij, addam & hoc, si Maiestas illius iam approbasset, quod factum esse non credo, non teneri tamen Maiestatem eius, vt præstet, etiamsi iureiurando confirmasset. Adferes etiam quæ sunt à me scripta ad Episcopum Craccouiensem, de Herodis & Dauidis iuramento. Exhibebis etiam piam illam & sanctam confœderationem factam in noua ciuitate Korczin, in regni statutis descriptam, cui conspiratio hæc aduersus Dñm & aduersus Christum eius facta, ex diametro, quod aiunt, aduersatur. Supplicabis illius Maiestati potius, vt illam approbet aduersus Christi perduelles hæreticos factam, quàm recentem hanc aduersus Dñm & aduersus Christum eius designatum Poloniæ Regem conscriptam, qua nihil magis impium excogitari potuit, quodq; magis etiam cum ipsa ratione pugnet. Illam fuisse dices piam, & sanctam confœderationem, hanc autem impiam & abominandam coniurationẽ aduersus Dñm, & aduersus Christum eius. Scio, quod, cùm in regnum suum venerit, magna cum importunitate conaturi sint hæretici, vt istius coniurationis approbationem ab illius Maiestate possint extorquere, sed cùm & hoc non ignorem, quanto sit animi robore prædita Maiestas eius, quã cõstans hactenus semp fuerit in Catholica fide tuenda & cõseruanda, quanta pericula illius causa adierit, bona spe sum, quod quicqd tandem ab hæreticis allatum fuerit, ad persuadendum illius Maiestati, vt huic impiæ coniurationi subscribat, nunquam ad eam rem adduci se patietur. Semper hactenus eo nomine plurimum est laudata Maiestas eius, quod publicè coram hominibus est confessa. Quam etiam ob causam Deus consiliorum ipsius fœlices progressus semper & exitus tribuit, & ad extremum, etiam hunc illi honorem detulit, vt à gentibus tanto locorum interuallo à florentissimo Galliarum regno disiunctis, ad regni Polonię gubernacula magna cum laude nominis sui vocata fuerit. Pergat ita vt cœpit, & maiore eam indies fœlicitate diuina Maiestas cumulabit. Non deerunt, qui regni quietem atq; tranquillitatem obtendent, & ei consulendum esse dicent, nec aliter eam conseruari posse, quàm si huic coniurationi subscribatur, persuadere conabuntur, sed eorum persuasionibus Maiestas eius loci nil tribuat. Deo potius dicenti credat: Non est pax impijs. Nam quæ potest esse pax & tranquillitas, vbi cuiq; quod sentit ipse, credere, & quascunq; voluerit in Deum & in sanctos eius blasphemias euomere, quamlibet perniciosa dogmata perferre, & ab vna, sancta, Catholica, Romana Ecclesia, quæ Christi corpus est, se per summum sacrilegium separare permittitur, vel domesticis exemplis potuit Maiestas eius didicisse, qualem pacem ac tranquillitatem in Christianissimo Galliæ regno similes approbationes aut permissiones attulerint. Quamobrem tanquam fidelis subditus illius Maiestatis, Episcopus etiam, & Consiliarius, & S. R. E. Cardinalis: suadeo, & supplex rogo, quod vltrò Maiestatem eius facturam non dubito, vt obturet aures suas ad importunas hæreticorum petitiones, & eis nulla circuitione vsa, respondeat, se nescire Deum, nisi vnum, nec fidem scire, nisi vnam. Quicqd est extra vnam fidem, non fidem sed perfidiam esse, perfidiam vt approbet, qui eam est semp vsq; ad sanguinem prosecutus, se nunquam esse facturam. Hoc autem curæ sibi futurum, vt quicunq; se diuulserunt à Christi corpore Ecclesia, & varijs atq; doctrinis peregrinis ab ea fide se passi sunt abduci, quam sancti maiores nostri magna cum pietatis & constantiæ suæ laude semper coluerunt, & per longam sacerdotum & Episcoporum successionem, quasi per manus traditam nobis reliquerunt, eos instruendos curabit in spiritu lenitatis, & in eam, à qua deflexerunt, viam reuocandos ab ijs, quorum id proprium est munus, Episcopis & sacerdotibus. Nullum Maiestas eius præterquàm solius Dei metum præseferat, eo se prohiberi dicat, quominus eorum iniquis postulationibus loci quicquam det. Poterit etiam polliceri, quod cogitet omni lenitate clementiaq; vti, modo ne velint ea abuti. Nullam sæuitiam præseferat, sed neq; lentitudinem. Illius dicti meminerit, sequit in bonos, qui parcit malis. Qui possunt autem existimari magis mali, quàm hæretici? quibus, qui permittenda censent omnia, sequiendum in bonos Catholicos esse censent. Quod in Gallijs sic quoq; factum esse, res ipsa clamat, vbi quantam sæuitiam in Catholicos exercuerunt hæretici, posteaquàm illis frena laxata sunt, manifestum est omnibus: si non omnia, quæ facere tenetur Christianus Catholicus, & orthodoxus Rex, initio statim sibi facienda putauerit, saltem hoc non obscurè ferat, quod homines qdem sibi subiectos amet, hæreticos aũt non amet, ac tanto minus amet hæreticos, quanto minus amat ipsos homines, & eorum saluti prospectũ cupit. Quamobrem nullos illis honores, nullas præfecturas, nulla munera publica deferat, quin si fieri possit citra tumultum, quamuis non statim initio, tamen dicat aliquando, qui nolũt in eodem secum esse templo, ne sint etiam in eodem senatus habendi loco. Nam si non habent Regem suũ, p Christiano, cùm sit ex Christianissimis parentibus, auis, proauis, atauis natus, & Christianam fidem summa cum constantia semp coluerit, multò minus Maiesta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem eius, p talibus habiturã, quos nominis etiam Christi pudet, & Euangelici vocari malunt, quàm Christiani: quasi sit extra Christum Euangelium aliquod. Habet Palat. Endomirienſ. Petrus Zborovvsky fratrem D. Andream egregia quadam indole præditũ & valdè Catholicum, in quo multa præclara Dei dona videre licet, illũ quoq; Maiestas eius ornandũ ſuſcipiat: & omnibus hoc planũ faciat, quod amet Catholicos, nõ amet hæreticos. Habet Palat. Craccouienſ. Firleus filiũ in Gallijs educatũ, qui dicitur eſſe valdè conſtans in fide Catholica, agat cum ipſius parente, vt cõſcientiæ ſuæ cõſulat: quãdoqdem Euangelicũ & nõ Chriſtianũ ſe profitetur, neq; p Chriſtiano Regem ſuũ agnoſcit, vt ne ſit in cõſilio ſiue ſenatu Chriſtianorũ, ſed filio ſuo cedat ea dignitate & ijs muneribus qbus fungitur, libenter Maieſtatem eius factum hoc ipſius approbaturam. Quod ſi cognitum hoc fuerit, intra vnius aut alterius anni ſpacium erunt per Dei gratiam oẽs Catholici: cùm non ad alios, quàm ad Catholicos, honores, pręfecturas, & publica munera deferri viderint. Et hac ratione etiam nulla vi, nulliſq; armis adhibitis, ſpes eſt oẽs hæreſes ex illo regno facilè propulſari poſſe, præcipuè ſi quos miſit Synagoniſtas in Poloniam Theodorus Beza ante annos plus minus ſeptem, eos omninò curauerit ex regni ſui finibus exterminandos. Ac poterit initio precario rogare, vt in præſentia ſua ſeorſum rem ſacrilegam potius, quàm ſacram ne faciant: ſed aut in idem, in quod Regia Maieſtas iuerit templum, cõueniant, aut à ſuis ſacrilegijs abſtineant, ſucceſſu temporis faciet, p imperio, id illius Maieſtas ſi fecerit, multum hoc illi ad diuinam gratiam cõciliandam pertinebit. Bonaq; ſpe ſum, quod nõ ſolùm hæreticos ad fidem Catholicam amplectendam his rationibus adducet, verũ ſucceſſu temporis nouas etiam Indias lucrifaciet, Moſchorum videlicet terras longè ampliſsimas. De hædis meis Elbingenſibus, omnia quæ tibi mandaui diligenter eius Maieſtati explicabis. Addes & hoc, quod cõmuni omniũ Regni Poloniæ ordinum decreto cõſtitutũ fuit, ſi quis aliqua vi vſus eſſet, Interregno durante, aut in cauſa religionis motus aliquos excitaſſet, vt cõtra eum executio decreti fieret, quod Kaptur vocatur. Intereà tũ hædi mei, qui nec diuinis nec humanis legibus vllis teneri ſe perſuaſum habent, ex Eccleſia Paroch. Regiæ ciuitatis Elbingenſis ſacerdotes pios & benè doctos eiecerunt: & eos Euangelium Xpi prædicare, diuinam quoq; rem Chriſtiano ritu facere prohibuerunt. Supplicabis Regiæ Maieſtati, vt & ad Sereniſsimum infantem, & ad R. D. Archiepiſcopum Gneſnenſem regni Primatẽ ſcribat, eiſq; negotiũ det, vt mandent hædis iſtis Elbingenſibus, quò primo quoq; tempore Reuerend. Domino Martino Cromero coadiutori meo viro quàm multis præclaris Dei dotibus prædito, templũ Parochiale reſtituant, & pulſos inde ſacerdotes reducant, eoſq; liberè ſacra pagere, Deiq; verbũ prædicare p mittant, nec expectẽt dum ipſa Maieſtas eius in regnum veniat, ne, quod nollet, durius aliqd in eos cõſulendi cauſam illi deditſe videantur. Exaggerabis hoc hędorum meorum facinus, quod cũ etiã apud Turcas nõ prohibeantur Chriſtiani rem diuinam ritu ſuo facere: nihilominus ipſi, quãuis ea ciuitas Chriſtiano, Catholico, & orthodoxo Regi ſit ſubiecta, tantũ hoc facinus patrare nõ dubitauerint, & omnia facies, quæ ad animum illius Maieſtatis cõmouendũ ptinere putaueris. Notũ eſt tibi deſideriũ noſtrũ, nouiſti labores, quos in reducendis iſtis hędis ad ouile Xpi, & in Eccleſia Parochiali recuperanda grauiſsimos ſuſcepimus. Nõ minore ſtudio & cõtentione ages quoq; de templo Baal in ciuitate Craccouiẽſi erecto paulò ante quàm Sigiſmũdus Rex in Chriſto obdormiuiſſet. Fabricatũ id eſt è domo quadam, quæ dicitur aceruus, atq; Theodoro Bezæ cõſecratũ præter voluntatẽ defuncti Regis. Cùm aũt ea ciuitas regni totius caput ſit, nec vnq; antea iã inde à 600 & amplius annis tale qdquã in ea aggredi q; ẽ auſus fuerit, ſupplicabis illius Maieſtati, vt priuſquã in eã ciuitatẽ ingrediatur Maieſtas eius, tẽplũ Bezę cõſecratũ demoliri, & ſolo æquari iubeat. Nã pter irã Dei, quæ grauiſsima in illo omnium blaſphemiarum aceruo coaceruatur, res etiam valdè indigna foret, vt in ea ciuitate, quæ regni caput eſt, hæreticis tanta licentia permittatur, vtq; in primo illius Maieſtatis ingreſſu modò nõ inſpectante atq; audiente illa, ſacra ſeorſum execrãda in ea domo fierent, & dum in alijs templis Xpi Euãgelium annunciatur, in aceruo illo malorum omniũ aceruus, Bezæ verbũ, p Dei verbo prædicetur. Quibus de rebus cũ etiã ſcripſerim pluribus ad Illuſtriſsimũ Cardinalem Carolũ Lotharingũ, quarũ literarũ exemplũ tibi mitto, nunc lõgior nõ ero. Tu, quod iã dixi, virum te preſta. Si Deus, p nobis, quis cõtra nos? Mamalucũ qui ſe vocat Epm Valentiæ, primo quoq; tempore cuperem ex patria noſtra ablegari. Nã is animoſiores hæreticos reddere creditur. Cætera cognoſces ex inſtructione noſtra. Video te cogitare de Anglia Flandriaq; perluſtrãda, quam ob cauſam etiã Vlyſsis in literis ad me tuis meminiſti, ſed orbis luſtrationem in aliud tempus reijcias oportet. Illuſtriſſ. Cardinalis Tridentinus intra menſem te eſſe rediturũ dixerat, nunc is præterijt, & vixdum ad Regem peruenisſe videris: quamobrem vt redeas primo quoq; tempore ad nos, curæ tibi ſit. Iam te, nõ literas tuas expectamus. Cęterùm ages etiam diligenter cum Sereniſsima Regina matre, eamq; de rebus omnibus informabis, vt illa filium ſuum à cõprobanda iſta confœderatione tam impia modis omnibus deterreat, ſi diu vult ea, quam nunc ex eius electione capit, voluptate frui. Facere me dices, quod Cardinalem, quod Catholicum Epiſcopum, quodq; fidelem ſubditum, & regni cõſiliarium facere oportuit, ſi qd perfecero meis admonitionibus agam Deo gratias, ſi minus, quod nollem, culpa tamen carebo: quandoquidem ei muneri, quod ſpeculatoris proprium eſt, non defui. De priuatis rebus noſtris nihil ages omnino cum quoquam, ſed neq; de tuis priuatis, ne quod noſtrum eſt, quęſiuiſſe videamur, non quę Dei. Solum Deum habeas pre oculis, ſicut tibi coram diximus, & res omnes cædent fœliciter. Alia iam tibi mandata non dabo, quàm vt, his omnibus diligenter confectis, in viam te des primo quoq; tempore. Nunc enim magis te, quàm literas tuas expectabimus. Vale, Romæ III. Calend. Iulij Anno &c. LXXIII.

Gre-

Gregorio XIII. Pontif. Maximo. Epiſt. CLXXXXI.

Agit gratias de munere maioris Pœnitentiarij ſibi collato, & ſpatium deliberandi dari ſibi petit.

CVm eſſet allatum ad me, quod S. V. Pœnitentiarij maioris munus cumprimis honoratum ad me detulerit, eqdem ſic affectus fui ſtupore, vix vt eſſem apud me: nam cum, quæ ſit mearum virium imbecillitas, mecum expendiſſem, quamq; ſit hoc onus graue, quod meis humeris imponendum eſſe S. V. putauit, in magnam quandam perturbationem, ac modo nõ exanimationem incidebam, quod ne non ſolùm premerer eo grauius, verumetiã, ne opprimerer, metuebam: rurſum, cùm, quod eſſet iudicium de me Sanctiſsimi & eiuſdem ſapientiſsimi, grauiſsimiq; Pontificis, reputabã: deinde quanta in me ſuę pluſquàm paternæ voluntatis inclinatione propẽſa fuerit, quã toties iam inſigni ſua in me liberalitate mihi teſtatam fecerit, quin ex ea non mediocrẽ voluptatẽ acceperim, obſcurè ferre nõ poſſum. Quid. n. in hac vita mortali cuiq; magis & iucundum, & optabile accidere poteſt, q; eius iudicio, qui Xpi Vicarium in terris agit, cuius prudentia teſtata eſt orbi vniuerſo, tam honorato munere dignum iudicari. Quamobrẽ, p hac in me tanta benignitate Sanctitati V. nõ quas debeo, ſed quas poſſum gratias ago maximas, omni officij, obſequij, & ſeruitutis genere gratum vt me, memoremq; præſtare queã, per omne vitę meę tempus obnixè omnia facturus. Cęterùm quando cum hoc honore tanto quantum ſit onus cõiunctum, diligentius mecum reputo, fateor V. Sanctitati, quod totus perhorreſco. Venit mihi in mentem illius, quod à Xpo dictũ legimus, ſi quis turrim ędificare velit, prius eum ſedentem cõputare ſumptus, qui neceſſarij ſunt, debere, num eos ad pficiẽdum opus habeat, ne ſi minus fecerit, illudatur poſtea. Deinde ſi cui prelium cõmittendum eſt, prius eum cogitare debere, num poſsit ei cum decem millibus occurrere, qui cũ viginti millibus venit ad ſe, alioquin adhuc illo procul agente roget ea, quæ pacis ſunt. Mihi nunc ingens turris ędificanda, mihi nunc cum viginti millibus non hominum, ſed legionũ, cum viginti millibus peccatorum alienorum, cùm proprijs ipſe quoq; meis vehementer ſim obrutus, prælium cõmittendum eſt, ſupplex à S. V. peto, patiatur me prius ſumptus computare, quàm turrim ædificem: patiatur me prius expendere, num cum vno vel altero mille poſſim occurrere tot millibus peccatorum: velit mihi paululum temporis ad deliberandum concedere. Vt prius diſcam, quid ſit illud, quod mihi mdanatur à S. Veſtra, quod & quantum onus cum hoc honore tanto cõiunctũ ſit, num ei ferendo humeri mei pares eſſe queant, ne ſi maius aliquod mihi ſit impoſitum, ſuccumbã, & quã de me cõcepit S. V. opinionẽ eam fallã, neq; parua mea cũ ignominia. Agnoſco quã S. V. debeo ſubiectionẽ & obedientiam, & procul hoc abſit à me, cõtra eam vt venire velim vnq;. Sed iterum atq; iterum ſupplex oro, cõcedat mihi veniam hanc, prius vt ſumptus cõputẽ, prius vt vires meas accuratius expendã, poſteà qd poſsint, qd nõ poſsint humeri mei ferre, Sanctitati V. ſumma cum animi mei ſubmiſsione exponam. Puto, quod intra paucos dies hos egredietur ex vrbe S. V. vbicunq; locorum fuerit, eo me cõferam, vt beatos S. V. pedes exoſculer, illi pro tanta in me benignitate gratias agã: Deinde quod ſpiritus Dei ſuggeret, qui ne mihi deeſſe velit in hac animi mei tã graui perturbatione, ſupplex hos dies precabor, id S. V. exponã. Sed ſi tñ illi viſum fuerit, vt in vrbẽ ad illũ veniã, & illud ſumma cũ alacritate faciã, dũmodo ſaltẽ octo dierum ſpatiũ, ad ſuſcipiendam hac tanta de re deliberationẽ, obtinere poſsim. Quod ſupereſt, Deum ſupplex precor, vt S. Veſtram, p Eccleſiæ ſuæ cõſolatione q; diutiſsime ſaluam & incolumẽ cõſeruet, cuius pedes humillimè exoſculor. Datum Sublaci 30. Septẽb. 1573.

Ioanni Cardinali Morono. Epiſt. CLXXXXII.

Reſpondet ad gratulationem de munere maioris Pœnitentiarij factam.

AGnoſco ſingularem in me beneuolentiã Illuſtriſsimę D. V. qua tanto ſtudio Pœnitentiarij munus mihi gratulatur delatum à S. D. N. quod quantò magis eſt honoratum, tantò plus illius Sanctitati debere me profiteor, quæ me præ cæteris dignum eo iudicauit. Quo iudicio illius, quin plurimũ delectatus fuerim, obſcurè ferre non poſſum. Sed quando mecum diligẽtius reputo, quanto cum periculo munus hoc ſit cõiunctum, quantaq; ſit in eo ſuſtinendo difficultas, quantum delectat honos, tantum ac plus etiam terret onus. Quamobrẽ ſupplex à S. D. N. petiui, dies vt aliquot mihi ad deliberandũ cõcederet, vt prius cõputarẽ ſumptus, quã ædificare turrim cœpiſſem: prius expenderẽ vires meas, q; cum tot myriadibus peccatorum alienorum, ſatis ipſe proprijs meis obrutus, cõgrederer: prius etiam diſcerẽ, cuiuſmodi ſit munus hoc, & illius expenſa grauitate, ſimul & mearũ virium imbecillitate, quod ſpiritus Dei ſuggeſſerit, id ſtatuerẽ. Hodie ſpero me Sanctitatem illius cõſuturum, q; me terreant exponam, quam ſim ad hoc munus parum aptus & idoneus, & quàm longè ab eo abſim, vt eius expectationi de me reſpõdere queam, ſignificabo. Quæ ſi volet me hoc onere tanto leuatũ, agam gratias, ſin minus, officij mei memor, qd aliud poſſum, quam vt imperata faciam. Sed hac de re plura poterit dicere Illuſtriſsimæ D. V. R. D. Fabricius Illuſtriſsimi Bauariæ Ducis orator, quò cũ tertiũ iã menſem iucundiſsimã habui cõſuetudinem, & propter multas dotes, qbus eum Deus affatim ornauit, eſt mihi lõgè cha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

risſimus. Exponit is etiam negotia ſui Principis, & de decimis, quas ab initio petiuit, & de Hildeſemenſi Eccleſia, ad quã ante vnũ aut alterum menſem filius Illuſtriſſimi Ducis fuit poſtulatus: in cuius expeditione, cur tanta mora adfertur neſcio, verum hoc ſcio, quod ſine magno diſcrimine res in lõgius tempus extrahi nõ poteſt: nam quę ſit illius Eccleſię cõceſsio, quemadmodum ex magna parte, direpta iam ſint, vt eorum pars perexigua reſtet, Illuſtriſſ. D. V. nõ ignorat, piculũ eſt, ne hoc ipſum, qđ reliquũ eſt pexiguũ, in hoſtiũ Eccleſię manus pueniat, ſi cũctatũ diutius fuerit. Quãobrẽ hęc illius negocia, qn & ipſum hoiẽm diligenter cõmẽdo, atq; vt eum adiutũ velit, quò poſsit earũ rerũ, de qbus miſſus eſt, optatũ exitũ citò cõſeq, maiorẽ in modũ ab illa peto. Datũ Groteferatę 21. Septẽb. Año &c. 1573.

Philippo Boncompangnio S.R.E. Cardinali S. Sixti. Epiſt. CXCIII.

Reſpondet ad gratulationem.

QVas ad me dedit Illuſtriſſ. D. Veſtra literas, ijs variè ſum affectus: nam & ex iudicio de me S. D. Noſtri maiorem quàm facilè credi queat, cõcepi lætitiam, & cùm expenderem, quantum onus humeris meis imponeretur, non potui nõ perturbari vehemẽter, vt vix apud me fuerim, cùm hoc nouum accepiſſem, quod verè mihi nouum accidit: nam de nulla re minus vnquã cogitaui, quã vt hoc tam graui pondere me preſſum iri putarem, cui me ferendo nõ parẽ eſſe video. Singularem hanc gratiam in me Sanctitatis eius, & pluſquàm paternam bñuolentiam exoſculor, & illi tantum me debere profiteor hoc nomine, vt ſi omnia fecero, ſi vitam etiam profudero, vix vllam meritorum illius in me partem aſſecutus videar. Sed illud interea fateor, quod obſtupeſco, quando mecum reputo, quantum ſit hoc pondus, qđ ab illius Sãctitate meis humeris imponitur. Quamobrem maiorẽ in modum ab illa peto, vt ab illius Sanctitate mihi deliberandi ſpacium impetrare velit, vt expendere poſsim accuratius, qd valeant humeri, qd ferre recuſent: ſimul vt egreſſum Sanctitatis illius ex vrbe cognouero, vbicunq; locorum fuerit, eo me conferam, & ibi gratias agam quàm maximas de tam Sanctitatis illius præclaro de me iudicio, cui ſatisfacere voluntate magis ſum prõptus, quàm facultate paratus, deq; propenſa ornandi me voluntate, qui cùm ſim ex minimis Sanctitatis illius ſeruitoribus, tantam gratiam neq; ſum adhuc meritus, nec quemadmodum deinceps mereri potero, video. Cùm alloqui coram Sanctitatem illius licuerit, id quod mihi ſpiritus Dei ſuggeſſerit, id illi conobar explicare. Exiguam autem vt hanc moram in bonam partem Sanctitas illius intercesſione ſua accipiat, vt efficere velit, maiorem in modum peto, ſimul ago gratias, quod mihi tanta animi ſuæ voluntatis in me propenſione munus iſtud ab illius Sanctitate delatum gratulatur. Sed certè conſolationis magis, quàm gratulationis indigere videor, tantum in animo meo luctum cerno, tantum etiam timorem, ne ſi grauius fuerit mihi onus impoſitum, quàm cui ferendo par eſſe queam, nõ premar eo tantũ, verũ & opprimar. Verũ hæc Deus viderit, cuius clemẽtiã ſupplex implоro, vt mihi ſalubre cõſilium ſuggerat. Quam ad rem dierũ aliquot ſpacium vt habere poſsim, iterum atq; iterum oro atq; obſecro. Datum Sublaci XXI. Septemb. Anno LXXIII.

Ptolomæo Cardinali Comenſi. Epiſt. CXCIIII.

Reſpondet ad gratulationem.

CVm in hac ſolitudine degens nihil minus expectaſſem, allatæ mihi ſunt ab Illuſtriſſ. Dño meo Cardinale S. Sixti literæ, qbus mihi ſignificat à S. D. N. Pœnitentiarij maioris munus honoratum q dem illud, ſed nimio plus oneratũ eſſe mihi delatum: Eędem obſtupui cùm earum particulam literarum legiſſem, neq; ſatis mirari potui, quomodo potuerit in mentem venire S. D. Noſtro, tantũ vt hoc mihi onus, cui ferendo me parem nõ eſſe fateor, meis humeris imponeret: cum & linguæ gentis huius vernaculæ, quæ requiri videtur ad hoc munus, rudis & imperitus, & in hac materia, ſi quiſquam alius, ego minime ſim exercitatus: Cùm audiendis confeſsionibus nunquam vacauerim. Et quamuis, quæ ſcripſerunt S. Patres, in libris eorum legerim, tamen qui modus ab his ſeruatur, qbus Pœnitentiarij munus mandatum eſt, prorſus ignorare videor. Mihi quidem dubium non eſt, quin hæc ex gratia quadam ſingulari Sanctitatis eius in me profecta ſunt, qui me voluerit hoc munere mihi delato honoratũ, quo nomine plurimum me debere Sãctitati illius profiteor, neq; poſſum ex hoc illius iudicio de me nõ magnam capere voluptatẽ. Sed onus hoc tantum eſt, vt mihi, ne ſuccumbam, eſſe metuendum videam: nam eſt mihi cum infinitis millibus peccatorũ prælium cõmittendum, & quidem alienis, quàm, q̃ propria mea ſunt, cum his pluſquàm ſatis eſt negocij, vt alienis me grauari neceſſe nõ ſit. Scio quũ Sanctitati illius debeam ſubiectionem & obedientiam, ſed intereà mihi & illud vid᷑dum eſt, an illius de me iudicio ſatisfacere queam, an meæ vires tantæ ſint, vt huic oneri tam graui ferẽdo par eſſe poſsim. Quamobrem ab Illuſtriſsima D. V. maiorem in modum peto, velit meas preces adiuuare, qbus illius Sanctitati qua sũma poſsim animi mei ſubmiſsione ſupplicaui, vt mihi ſpacij ad deliberandum nõnihil cõcederet, quo poſsim prius, quale ſit munus hoc, diſcere, &, quid ab eo requiratur, p quem adminiſtrari debet, cognoſcere: vt cùm accuratius per me expenſa fuerint omnia, quod à S. Spiritu, quem ſedulis intereà votis implorare conabor, mihi fuerit inſpiratum, id re bene deliberata Sanctitati illius expo-

exponere queam, quam ſimul vt egreſſam ex vrbe cognouero, ſtatim ad beatos illos pedes exoſculandos accedam, deq; tanta gratia, qua me nihil tale meritum, ſed mereri tamẽ cupientem, proſequitur, quàm plurimis etiam argumentis declarauit, illi nõ quas debeo, ſed quas poſſum gratias agam. Iterum atq; iterum, vt hoc obtinere velit, rogo, oro, & obſecro, vt perexigui temporis moram hanc Sanctitas illius ne moleſtẽ ferat, ſed mihi dies aliquot, quibus tanta de re deliberationem ſuſcipere poſsim, clementer concedat, multum Illuſtriſsimę D. V. hoc nomine debiturus, ſi mihi veniam hanc impetrauerit: nam ita ſum nunc anxio & perturbato animo, vt, quid mihi de re tam graui ſtatuendum ſit, prorſus ignorem. Datum Sublaci XXII. Septembris Anno M. D LXXIII.

Guilielmus Cardinalis Sirletus Staniſlao Hoſio Cardinali Epiſt. CLXXXXV.

Gratulatur munus maioris Pœnitentiariæ, & D. Tomaſium commendat.

QVm primùm audiui tibi à Pontifice Maximo Pœnitentiariæ munus collatum eſſe, lætatus ſum, vt debui, & rectum prudentiſsimi Pontificis iudicium probaui, quod Cardinali optimo, viro integerrimo, atq; innocentiſsimo curam iniunxerit, quæ ſummam innocentiã & integritatem requirit. Non dubito, quin tu hoc ægerrimè tuleris, quod, vt quidam aiunt, tanto oneri te imparem eſſe dicas: ne dubites Cardinalis clariſsime, adiuuabit, qui vt illud tibi imponeret, optimi Pontificis menti ſuggeſsit Deus. Facit hoc modeſtia tua, & quæ in te eſt ſingularis μετριοφροσύνη vt tu quidem ſummiſsius de te ſentias, ſed cœleſtis iudex ad ſublimiora te prouehit. Scio quàm vehementer ſanctæ memorię Paulo quarto te ad Cardinalatum inuitanti ac propè indignanti reſtiteris. Effugiſti Pauli quarti manus, ſed eius ſucceſſoris Μᾶλλον δὲ τοῦ παντοκράτορος θεοῦ χεῖρας ἐκφυγεῖν οὐκ ἠδυνήθης. quemadmodum illud magna cum Dei gloria, & Eccleſiæ ipſius vtilitate factũ, atq; indies magis atq; magis fieri cernimus: ita & hoc fiet σωτηρίου τέλους τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. Adiuuabunt te multi, atq; imprimis Thomas doctor inſignis, multis annis in vrbe, & officio Pœnitentiariæ magna cum laude verſatus, qui vt eſt nominis tui obſeruantiſsimus, ita & ad inſeruiendum tibi paratiſsimus: quare pro ea, quam tibi debet, obſeruantia, ſe cõtinere non potuit, quin primo quoq; tempore te adiret, & patrem ac Dñm ſuum agnoſceret. Fuit ille charus Illuſtriſsimo & Reuerendiſſ. Cardinali Borrhomęo, à quo inter Pœnitentiariæ miniſtros cõnumeratus eſt: fuit charus Illuſtriſsimis & Reuerendiſſ. Cardinalibus Alciato & Aldobrandino: non dubito, quin eo tibi futurus ſit charior, quo & illũ Tridenti nouiſti, p ſancta Dei Eccleſia laborantẽ, virtutum tuarum obſeruantiſsimum, quẽ & ego maximè idoneum iudicaui, q has literas tibi afferret, priſci mei in te amoris, & nouę huius gratulationis teſtes fideliſsimas. Bene vale Cardinalis optime. Romæ die 15. menſis Septẽb. 1573.

Guilielmo Sirleto Cardinali. Epiſt. CLXXXXVI.

Reſpondet ad gratulatorias, deq; muneris delati grauitate & virium ſuarum imbecillitate diſſerit.

QVin magis quàm ego lætatus fueris, de hac, qui mihi delatus eſt, honoriſne dicam an oneris, acceſsione, mihi dubium nõ eſt. Et certè ſi quod mihi tu tribuis, iudicij teſtimonium eſſet, & nõ veteris potius in me bñuolentiæ tuæ, cauſam tñ ali q̃ lætandi, mihiq; gratulandi, iuſtam habere potuiſſes. Nunc aũt, quis eſt q ſcire melius poſsit q̃ ego q̃ ſit mihi curta ſupplex earum rerum quæ ptinent ad hoc munus rectè gerendum: quę tibi tamẽ, propter amorem in me tuum, cum primis ampla videtur & copioſa. Crede mihi, quod obſtupui, cùm primum eſſet mihi renunciatum, hoc tãtum onus humeris meis imponi, & vix apud me fui. Nam cùm quæ ſit illius grauitas, quę mearum virium imbecillitas, q̃ etiã eſſet periculoſæ (quẽadmodũ ille Poeta dixit) plenã opus aleæ, mecũ diligenter expẽdiſſem: qduis & ferre & pati ſatius eſſe iudicabã, q̃ vt huic tanto diſcrimini, caput meũ obijcerẽ. Sed quẽadmodũ illius auctoritatẽ defugere mihi liceret, cui præcipienti nõ parere, eſt Chriſtianũ nõ eſſe, nõ videbã. Itaq; ſpacio deliberandi impetrato, cùm quas ego cauſas attulerã, qbus ab hoc munere tanto capeſſendo deterrebat, ijs illũ minimè moueri ꝓpexiſſem, illius memor qđ ſcriptũ eſt, peccatũ ariolandi eſt repugnare: & ſceſus idololatriæ, nolle acquieſcere, vel opprimi tanto onere ſatius duxi, q̃ cuius mandatis refragari fas nõ eſt, ei non acqeſcere, & grauiſsimi ſceleris idololatriæ reũ fieri. Nunc tu, p tua veteri in me bneuolentia, ſupplex vna mecũ Deum precari non intermittas, quando qđẽ illi parendũ eſſe putaui, p vicariũ ſuũ hoc mihi tantũ onus imponenti, vt vires ad id rectè ſuſtinendum ſuppeditet. Quin illius, quẽ vt ſanctiſsimũ ita prudentiſsimũ & grauiſsimũ eſſe conſtat, de me iudicio delector, & magnã ex eo voluptatẽ capiã, obſcurè ferre nõ poſſum: ſed eo contentus, maiorẽ cœpiſſem ſi me leuatum hoc onere, & fortioribus alterius humeris magis idonei, id impoſitũ eſſe vidiſſem. Nunc quando iacta iam eſt alea, quo minus in me virium agnoſco, hoc maiorẽ in diuina miſericordia fiduciã collocatã habeo, qđ ope ſua me nõ deſeret, gratiãq; ſuã impartietur, vt quã requirit munus hoc integritatẽ, eã ꝓſtare poſsim: quã

nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec illis defuturā cōfido, quorū adminiculis erit mihi vtendū, quos etiā habere maiorem vsum scio rerū, quæ ptinent ad hoc munus tractandarū. Quò magis charus mihi futurus est is, quē tu literis tuis mihi cōmēdas, Thomas doctor, cuius mihi cōsilia nō paruū fructū allatura spero. Nā tuo de illo iudicio plurimū tribuo, nec aliū inuenire potuit, cuius cōmēdatio maius apud me pōdus esset habitura. Quod supest precibus atq; sacrificijs tuis, iterū atq; iterū me diligēter cōmēdo. Nā certè, si vnq; antea, nūc mihi Deo ꝓpitio cūprimis opus est, q nisi custodierit nos, fruſtrà vigilauerimus. Grotiferratæ 22. Septemb. Anno D. 1573.

Henrico Valesio Polonorum Regi electo. Epist. CLXXXXVII.

Dolet, quod hæretici Regi imposuerint, quodq; persuaserint nescio quibus terroribus propositis vt confœderationem approbaret, & epistolam Gregorij Theologi mittit de simili causa scriptam.

QVid scribam, aut quomodo, nescio, sed nec loqui scio, Quod factum est, probare non possum. Itaq; cùm ipse neq; scribere iam, neq; loqui sciam, eius, qui per excellentiā quandam à Græcis Theologus dictus est, epistolam viri & doctissimi, & sanctissimi Maiestati V. mitto, quā vt legi sibi iubeat, supplex oro: nam quod ego, si prēsens adessem, dicturus fuissem, dicet hoc vir ille sanctissimus atq; doctissimus. Ego nihil aliud habeo quod dicam, quàm peccatum esse grauiter: hoc me consolatur, quod non Herodem Regem habemus, qui, quod impiè promisit, maiore cum scelere adimpleuit: sed eum, quem ad Regem Dauid accessurum quàm proximè speramus, iurauit & ille se Nabal occisurum, cum quadam etiam execratione: sed magna cum laude sua, quod incautè iurauit, non præstitit. Hic non vnus Nabal occidendus promittitur, sed multa millia animarum in diaboli potestatē tradenda supplex Maiestatem V. peto, sicut peccando Petrum est secuta, sic & pro peccato suo satisfaciendo Petrum imitetur, errorem suum corrigat, & sciat, quod iuramentū non est vinculum iniquitatis, nec vllius absolutionis indigere se ab hoc iuramento, sibi certò persuasum habeat. Quandoqdem cassa & irrita sunt omnia omni iure, quæ p Maiestatem tuam parum cōsideratè facta sunt. Hęc ego cum magno animi mei dolore scribo, tanquam Cardinalis & Eps, cui nil salute animæ sui Regis & Dñi prius esse debet & antiquius. Quæso, vt in eam, in quam scribuntur, partem accipiat, quod eam tantò libentius factura mihi psuadeo, quòd extortum hoc ab illa iuramentum esse, nō impetratum certò scio. Quò maiorem in Dño spem, & fiduciam habeo collocatam: quod hanc meam admonitiunculam ex summo meo studio & obseruantia erga Maiestatem Vestram profectam boni sit cōsultura. & quam omnes Christiani Catholici de illius in fide orthodoxa tuenda, cōseruanda & propagāda, omniq; perfidiarum genere procul ex regno suo propulsando, spem & expectationem conceperunt, eam non fallet vnquam, sed magis indies atq; magis confirmabit. Datum XIX. Octobris Anno M. D. LXXIII.

Gregorius Nazianzenus Nectario Constantinopolitano Episcopo.

Hic Nectarius Gregorio in Episcopatu Constantinop. subrogatus fuerat. Ab eo petit Theologus, vt Apollinaristarum furorem per Cappadociam longe lateq; grassantem, sistendum & comprimendum curet.

DEI cura & prouidentia, quæ ante tempora nostra Ecclesiat tueri solebat, vitam hanc deseruisse in vniuersum videtur. Ac mihi calamitatibus ita demersa atq; obruta est anima, vt priuatas vitæ meæ molestias ne in malorum qdem numero habeam (tot aliq; tamq; graues & acerbas, vt si cui alij, accidissent, intolerabiles existimarētur,) verū ad solas Ecclesiæ afflictiones respiciam: qbus sanandis nisi hoc tempore cura aliqua adhibeatur, in omnimodam desperationē sensim res prouoluentur. Qui Arij siue Eudoxij hęresim profitentur, haud scio, à quō in hanc amentiam audaciamq; perpulsi atq; incitati, velut libertate quadam arrepta, morbū suum insolēter ostentant, Ecclesias colligentes, 2. quasi ex permissu hoc facientes. Macedoniani autem factiosè contendentes eo temeritatis & vesaniæ proruperunt, vt Episcoporum nomen sibi ipsis asciscant, atque in his locis appareant, caputq; exerant, Eleusium suæ electionis auctorem garrientes. At verò intestinum nostrum malum Eunomius parum iam habet, quoquo numero esse: verùm nisi omnes in perniciem suam, exitiumq; pertraxerit, detrimenti loco ducit. Atq; hæc tamen ferenda. Quod autem ex omnibus Ecclesiasticis calamitatibus acerbissimum, Apollinaristarum licentia est: quos haud scio, quonam modo pietas tua conuentuum æquè ac nos habendorum auctoritatem sibi arrogasse, atq; vsurpasse passa fuerit. Quanquam autem omninò Dei beneficio mysterijs diuinis instructus & eruditus, non modo rectæ doctrinæ patrociniū nosti, verū ea etiam omnia, q aduersus sanā atq; orthodoxā fidē ab hęreticis excogitata sunt: honorificētiam tū tuam à tenuitate nostra certiorē fieri, haudquaq; intēpestiuū fuerit, mihi in manibus esse libellū Apollinarij, in quo ea quæ astruuntur, hęreticā omnem peruersitatem excedunt. Affirmat enim, nequaquam aduentitiam esse carnem illam ob

ob naturę nostrę transformationem ab vnigenito filio secundum dispensationem assumptam: verùm carnalem illam naturam in filio iam inde à principio esse. Atq; Euangelicum quoddam dictum perperam acceptum ad huiusmodi absurditatis testimonium prætēdit, quod ita habet. Nemo ascendit in cœlum, nisi quis descendit de cœlo, filius hominis: tanq; prius etiam, quàm ipse descendisset, filius hominis esset, ac descendens carnem suam secū aduexerit, quā in cœlis habebat ante secularem quandam videlicet, essentięq; suæ insitam. Profert. n. rursus Apostolicum quoddam dictum, à toto cōstructionis corpore auulsum. Secundus homo de cœlo, deinde hominem illum cœlitus venientem mentis expertē esse asserit: diuinitatem aūt vnigeniti, naturam mentis explentem, tertiam humanæ coagmētationis & cōiunctionis partē extitisse: quod nimirū anima & corpus iuxta humanitatē in eo sint, mens aūt minimè: verū eius locum verbi diuinitas suppleat. Nec hoc adhuc graue est, sed quod omnium indignissimū atq; atrocissimū, ipsum vnigenitū Deum omniū iudicem vitæ auctorē, mortis extinctorem, mortalem esse docet, ac probare nititur, propriaq; sua diuinitate passum est, atq; in triduana illa corporis morte, diuinitatem quoq; simul cū corpore mortuam fuisse, sicq; rursus patris opera ad vitam reuocatū. Alia aūt, quæ huiusmodi absurditatibus adijcit, lōgum fuerit cōmemorare. Proinde si ijs, qui talia sentiunt, cœtus habere licet: illud velim cogitet atq; expendat tua in Xpō illustris prudentia, quòd cū nobis cū eorū dogmatibus nō cōueniat, cœtus habendi potestatem illis factā esse, nihil aliud est, quàm eorū doctrinā nostra verioré existimare. Nā si illis vt pijs & orthodoxis, ea quæ sentiunt docere, libereq; promulgare pmittitur: quis nō videt Ecclesię doctrinā condemnari, pinde ac veritate ab illorū partibus stante? Neq; n. rerū natura fert, duas de eadē re cōtrarias doctrinas veras esse. Quomodo igitur excelsus & præstās animus tuus ad tāti mali depulsionem & correctionē cōsueta libertate nō vti sustinuit? Verū etiāsi nōdū hoc factū est; nunc saltē inimitabilis tua, numerisq; omnibus absoluta virtus excitetur, pientissimūq; Imperatorē doceat, nihil ex reliquo ipsius erga Ecclesias studio rediturum esse vtilitatis, si tale malū ad fidei sanæ euersionem per eorum libertatem licentiamq; præualeat.

Guilelmo Ruzeo Episcopo Andegauensi Confessori Regio. Epist. CLXXXVIII.

Rogat vt illicitum promissum de confœderatione hæreticorum à Rege factum rescindendum curet.

NOn solùm ex literis D. V. verùm & ex Rescij mei sermone cognoui, quanta sit in me clementia, & beneuolētia Serenissimus Rex & Dñs meus, quantis etiam virtutibus excellat, pietate præsertim & religione. cuius semper habitus est propugnator acerrimus, quæ res magnā animo meo lætitiam attulit, & egi Deo gratias, cuius beneficio singulari talis patriæ meæ Rex cōtigisset. Quanti aūt emptū voluissem, vt ne tale qd euenisset post literas D. V. ad me datas, quod lætitiam hanc meam de Serenissimo Rege cōtaminaret. Quid velim dicere facilè pro sua prudentia D. V. intelligere potest, qtin grauiter peccauerit, negari non potest. Sed qui princeps fuit Apostolorum, eum quoq; peccasse legimus. Respexit eum nihilominus oculis misericordiæ suæ Deus: & cùm peccatum suum lachrymis purgasset, nō modo remisit peccatū, verumetiam pastorem totius Ecclesiæ cōstituit, & locum suum in terris obtinere voluit. Vtinam quem imitatus est peccando, similiter imitaretur ꝓ peccato suo satisfaciendo. Quidnis prius futurum existimassem, quàm quod magno cum animi mei dolore factū esse cognoui. Quamuis autē quod factū est infectam reddi nequit, medicina tū salubris adhiberi potest. Certū est & indubitatum, quod prēstitit iusiurandum, id esse prorsus nullū, & quod eo nulla ratione teneatur, cùm prēsertim protestati Catholici fuerint, quod ea particula, qua Christus offendebatur, nō abalijs, quàm ab hęreticis profecta sit, & quod in eam nunq; oēs regni ordines consenserint. Qui si maxime consensissent etiā, quod non esse factū constat, non magis tū hoc iureiurando teneretur, quàm tenebatur Dauid Rex, cùm occisurum se Nabal iurasset: quin multò grauius peccasset, si quod iurauerat prætitisset, sicut & Herodem grauius deliquisse manifestū est, quod ad instātiam saltatricis prætitit quod iurauerat, quàm si non prætitisset. Scitū est. n. illud, in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vouisti, ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Quod aūt potuit esse magis abominandum scelus, quàm quod vt patraret Serenissimus Rex, ab hæreticis tanta contentione laboratū est. Petebat illa saltatrix Herodias decollari Ioānem Baptistā, quo non surrexit maior inter natos mulierū. Horrendū scelus fuit illud, sed magis horrendū est, quod petunt isti, saltatores ne dicā an saltatrices: nam si variū est & mutabile semp fœmina, quid est magis variū, est & mutabile? qui fides habent annuas & menstruas, dum de vna fide subinde saltant in aliam, nec saltandi finem vnq; faciunt, donec eo pueniant, vt dicat insipiens in corde suo, Non est Deus. Petunt n. saltatrices istę non Ioānē, sed cuius minimè dignū se confitetur Ioānes, vt soluat corrigia calceamēti Xpm ipsum decollari: nec sunt eo contēti, si corpus à capite sit separatū, sed volūt insup in minutissimas particulas dissecatum, nulla vt spes reliqua sit, vllam vnquam adhibitā iri medicinā, vt reintegrari queat. Potestne vel cogitari facinus vllum, quod sit magis turpe, magis immane & detestādum. Impij milites, cū in crucē Christū egissent, integrū illius corpus in cruce reliquerunt, & sicut futurū Propheta ꝓdixerat, os ex eo non cōminuerunt. Isti verò ꝓfani milites, q̄uis illos impios immanitate

nitate sua longè superant, nec rabies eorum satiatur, si corpus à capite quoquomodo videant separatum, sed omnia ossa cupiunt ex eo comminuta. De mystico Christi corpore loquor, quod in Symbolo nostro quotidie sanctam Ecclesiam Catholicam profitemur. Quam vt colligeret Christus, & nos omnes in se credentes, vnum secum corpus efficeret, verum & viuum illud corpus suum omni suppliciorum genere prius excruciatum, in ara crucis mactandum obtulit. Hoc igitur corpus, quod ille sui sanguinis precio comparauit, cuius causa viuo & vero suo corpori non pepercit, sed illud in acerbam & ignominiosam mortem tradidit, hoc tam charum Christo Christi corpus, vt à capite suo Christo perpetuò separatum, vt in minutissimas partes liceat videre dissectum, vt omnibus modis caueatur, ne quod remedium, quo reintegretur, aliquando possit adhiberi, summo studio flagitant istæ saltatrices. At promisit iam Rex. Promiserit, verùm impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Non Herodem, verùm Dauidē Regem habemus: promiserat is se occisurum Naabal, & quod mingentem ad parietem non esset relicturus, etiam iureiurando suum promissum firmauerat, sed magna cum laude sua rescidit fidem in malo suo promisso, mutauit in turpi voto decretum. Hunc igitur imitetur Serenissimus Rex, non Herodem: Non patiatur decollari Christum, non patiatur corpus eius Ecclesiam à capite suo separari, non patiatur illud in minutissimas partes dissecari: nam si Christum diuidi permiserit, regnum etiam suum, quod pro sua misericordia Deus prohibere dignetur, diuisum videat necesse est, sicut in Gallijs proximis istis temporibus factum esse videmus, posteaquàm Christum & Belial in eodem regno coli permissum est: Duæ fides, quarum altera non potuit esse nisi perfidia, duos Reges pepererunt, & aduersus Christum & D. Regem coronatum & vnctum arma parricidialia commouerunt. Non hoc ideo scribo, quod velim Serenissimum Regem in primo statim in regnum ingressu, durius aliquid in Christi perduelles hæreticos statuere: facilè patior, vt initio, id quod absq; magna Dei offensione facere poterit, ad nonnulla conniueat. Sed si quæ fortè fuerit per Catholicos de iureiurando, quod præstitit, iniecta mentio: non solùm non molestè ferat, si minus id sibi probari palàm testati, vt id irritum esse velit, petiuerint, verùm & errorem suum agnoscat. Interea verò prius omnia se velle experiri promittat, quam ad aliqua duriora remedia veniat, nec vllum in se mitis & mansueti Regis officium desideratum iri polliceatur. Hoc sibi certò Serenissimus Rex persuadere potest: quod reliquit sibi adhuc Deus in Polonia nō septem, sed 77. millia, quæ non curuarunt genua sua ante Baal, vel Islebiensem vel Geneuensem, vel quemcunq; tandem alium, nullum vt sit periculum futurum, etiamsi id omnibus testatum faciat, quod eum erroris sui pœniteat, & quod hoc illicito iuramento teneri non vult. Video quod iam inde à 73. & amplius annis in Gallijs tempori ferè seruitum est, & non Deo. Num autem res propterea quietiores fuerunt? imò si non tempori satum, sed aliquid plus fiduciæ in Deo fuisset collocatum, nunquam regnum istud in tantas calamitates incidisset, quę siccis oculis commemorari possunt. Etiam atq; etiam à D. V. peto, det operam, vt Serenissimus Rex errorem suum agnoscat, & eum corrigat, ne quod horrendum esse dicit Apostolus, in Dei viuentis manus incidat, quem certè placatum oportet, si regnare fœliciter cupit. Plura scribere me dolor prohibet, Deum precor, vt misereatur nostri, & illuminet vultum suum super nos, conuertat nos, & auertat iram suam à nobis. Romæ XVIII. Octobris Anno &c. LXXIII.

Ioanni Moruillero Episcopo Aurelianensi, Regis Christianissimi Consiliario. Epist. CLXXXXIX.

Dolet, quod Rex Catholicissimus ab vno & altero hæretico passus sit sibi imponi.

REuersus isthinc Rescius meus, & literas tuas mihi reddidit, & de singulari, qua complexus es eum humanitate, multa mihi prædicauit, quo nomine plurimum me tibi debere profiteor: & occasionem mihi dari cupio, qua gratum & memorem animum tibi declarare possim. Narrauit idem plurima de minimè vulgari in me clementia benignitateq; Serenissimi Regis & Domini mei, quæ mihi non potuêre non esse iucundissima. Sed quæ post literas à te scriptas acciderunt, sic meum animum perturbarunt, vt neq; quid, neq; quomodo scriberem, ita citò statuere possem: quæ causa fuit, quod per hebdomadas aliquot à scribendis literis abstinui, mœrore quodam ingenti prohibitus. Quidquis enim euenturum citius existimassem, quàm quod euenisse cognoui. Rex tam excelso animo, qui tot adeò præclara dedit insignis pietatis, & in fide Catholica constantię suę documenta, qui tantam vim & roburin ea tuenda toties declarauit, qui cùm consisterent aduersus eum castra, nullum trepidationis signum cuiquam dedit, cùm exurgeret aduersus eum prælium, in Deo sperans, quamlibet multis telis appetitus, & inter machinarum æuearum terribilia iacula versatus, non modo nō exhorruit, verumetiam de Christi perduellibus hæreticis cum laude sui nominis sempiterna, glorioſos triumphos retulit, ab vno vel altero hæretico se vinci passus est, & in eas, quas illi præscripserant leges, frustrà reclamantibus Catholicis, per quos tantum solos inuitis portis inferorum, electus fuerat, iurauit. Equidem cùm hæc accepissem, sic fueram affectus, vt vix essem apud me præ dolore nimio. Sed ea tamen res non parum mihi consolationis attulit: Quod iuramentum hoc extortum ab eo, non impetratum fuisse certò scio. Quid igitur faciendum restat? de præteritis consilium non est. Quamobrem in eam curam toto pectore, quod aiunt, nobis incumbendum est, vt errorem suum Rex corrigat, & sicut peccauit cum Petro, sic pœnitentiam agat cum Petro, sibiq; certò persuadeat, quòd cum iuramentum non sit vinculū iniquitatis, nequaquam eo teneatur: neq; grauiore scelere adimpleat, quod iurando peccatum est. Nam quod esse potest scelus magis abominandum, quàm ad quod patrandum Hæretici Regem adigere conantur. Vale 18. Octob. Anno 1573.

Aloysio Cardinali Estensi. Epistola CC.

De iuramento per Regem facto super articulum Confœderationis conqueritur, & pro officijs Rescio præstitis, gratias agit.

REuersus isthinc ad me Rescius, multa mihi narrauit de beneuolentia in me Cels. T. minimè vulgari, & de studio quodam ardenti, quo causam Christi tuendam susceperit. Vtroq; nomine plurimum debere me Celsit. T. profiteor. Vtinam autem tui similes plures haberemus, qui pari studio in Christianam Religionem tuendam incumberent: esset ea nunc loco multò meliore, quin & Regnorum statū longè videremus fœliciorem. Sed nescio quæ sit temporum horum infœlicitas? Quòd omnia nobis parum fœliciter cessura existimamus, si Christum apertè confessi fuerimus. Olim in Ecclesia precantes dicebamus, Deo seruire regnare est, dicitur idem & nunc, verùm vtinam non ore solo, nam factis longè diuersa nonnulli sonare videtur, nimirum, Tempori seruire, regnare est: Deo seruire, Regnum est perdere. Videtur hoc quibusdam persuasum, fortiorem esse Deo Diabolū, & minore periculo Deū offendi posse, q̄ illum. Hæc persuasio multis iam annis durat in Gallijs, quàm fœliciter autem ea cedat, videmus & ingemiscimus. Percussum est aliquoties fœdus cum morte, facta sunt pacta cum inferno: quod hac ratione pacata & secura fore omnia credebantur. An autem paulò post non euenit, quod per Prophetam suum olim Deus denunciauit: Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cùm transierit, eritis eius conculcationem. Videmus iratum Deum pactis istis & fœderibus nostris, plagas etiam sentimus quas nobis infert, neq; tamen vlla resipiscentiæ signa damus. Equidem vehementer metuo (nam illudere Deum quodammodo videmur cum viris illis illusioribus dicentibus. Manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.) ne citius flagellum inundans veniat, & ei simus in conculcationem. Credibile non est, quantam animo meo ea res perturbationem attulit, quod Serenissimus Rex meus adduci se passus est quamlibet inuitus, vt quæ sibi fuerant à Christi perduellibus hæreticis positæ leges, in eas iuraret, cùm ad Christianæ interitum pertinere viderentur. Sed cùm iuramentum iniquitatis vinculum non sit, certum est quòd eo non tenetur: quandoquidem id quod est contra proprium Regis officium, iurauit. Nam quod est magis proprium officium, quàm potestatem Regiam ad Dei cultum maximè dilatandum famulam sibi facere? nunc famula facta videtur ad eum minuendum, & ad omnem impietatem Diaboliq; cultum propagandum. Quæ magis propria virtus est, quàm iustitia? qua suum cuiq; tribuitur. At quæ potest iustitia, quæ Deo tollit hominem cuius est creatura, & eum subdit immundis dæmonibus, quod factum esse per iusiurandum, hoc videtur: Traduntur in potestatem dæmonis, vt ille possit in animas hominum liberè grassari: sed ego peccatum hoc pluribus exaggerare nolo. Hoc tantum Serenissimo Regi persuadere cuperem, quem imitatus est peccando Principem Apostolorum, vt eundem imitetur precibus, eleemosynis, & lachrymis pro peccato suo satisfaciendo: cumq; suum in Regnum aduenerit, ne molestè ferat, si non defuerunt, qui iuramentum hoc oppugnent, & illud irritum postulent, sicut ipso iure nullum est. quin apertè potius coram omnibus errorem hunc suum confiteatur, vt eos præcæteris gratia fauoreq; suo Regio dignos existimet, per quos hoc iusiurandum, quod nullum esse constat, oppugnatum viderit. Non imitetur Herodem, qui quod iurauit, magno cum dedecore suo præstitit, sed sanctum potius Dauid imitetur, qui iurauit & ipse per Deum, nō sine quadam, execratione. Si reliquerit de omnibus, quæ ad Nabal pertinent vsq; mane, mingentem ad parietem, quò eos omnes esset occisurus, neq; tamen quod iurauerat præstitit, & magnam est ex non præstito iuramento laudem consecutus. Plura scripturus eram, sed ita sum animo perturbato, vt vix etiam hæc scribere potuerim. Itaq; nil aliud hoc tempore, quàm scire Cel. T. cupio, quòd illius hæc cura & vigilantia, in prouidendo, ne quid fieret, ex quo maius detrimentum aliquod Religio capere posset S. D. N. valde grata accidit, cui me præsente omnia quæ gesta sunt Parisijs, & quæ priuatim ab Ill. D. V. facta sunt, pro religione in patria nostra conseruanda Rescius meus exposuit. Sed quid ego dico S. D. N. etiam, cuius est ille vicarius, Christus Deus noster, quin fuerit operum illius tam sanctorum & inspector & approbator. Cel. T. dubitare non debet, quin non obliuiscetur huius operis illius tam boni, & ei suo tempore mercedem tribuet sempiternam. Pergat ita, vt cœpit C. T. Serenissimum Regem etiam atq; etiam admoneat, vt errorem hunc suū detestetur, nec vllo se vinculo teneri persuasum habeat, ne noxia promissa complendo, Deiq; iussa contemnendo, & proximis impia crudelitate noceat, & seipsum crudeliori gladio trucidet. Ego verò supplex precari Deum nunquam intermitto, vt ei peccatum suum, quemq; commisit errorem detestanti veniam concedat, ac non modò culpam, verùm & pœnam omnium pro sua misericordia condonet. Romæ 18. Octob. Anno 73.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alberto Friderico Duci in Prussia. Epistola CCI.

Gratulatur matrimonium cum filia Ducis Cliuensis contractum, & monet vt ad Ecclesiæ gremium redeat.

QVM huc allatum fuisset, Illustritatem Vest. cum filia Illustriss. Ducis Cliuen. matrimonium contraxisse, magnam ex ea re voluptatem accepi, neq; tenere me potui, quin hoc tam sanctum illi matrimonium gratularer: nam præterquàm quod sponsa ex familia cumprimis illustri prognata est, etiam esse dicitur in fide Catholica & Orthodoxa perquam religiosè educata: nec dubito nunc etiam & magnum illius tuendæ & propagandæ zelum habere. Quamobrem in spem venio, minimè dubium futurum, vt pijs illius precibus apud Deum, salubribus etiam monitis, qui populus est Illust. V. subiectus, & fuit hactenus doctrinis varijs & peregrinis abductus, ad priscam illam Christianam nostram Religionem paulatim redeat: cum præsertim videat, quàm nil sit fixum & stabile in istis nouis religionibus, quæ singulis annis, & modò non mensibus, mutantur. Legi proxima æstate Scholæ Vittembergen. librum vulgari lingua scriptum, De persona & incarnatione Christ. Bone Deus, quàm horrendas hæreses ea schola vicinis suis impingit, quos appellat Flaccianos, Marcionitarum, Samosatenium, Manichæorum, Sabellianorum Arrianorum, Nestorianorum, quas nunc ab Orco reuocatas, in Saxonia spargi tragicè vociferantur: vt iam impletum esse dicant illud, quod à Christo fuit in Euangelio prædictum. Putáne Filius hominis veniens, fidem inueniet in terra? Vocant eos in suspicionem, quasi nullum esse Deum in Ecclesia credant. Monent etiam Principes, vt oculos tandem aperiant, quibus tam fœdos eorum & execrandos errores contemplari possint, fidemq; aduersus eos, omnium eorum præsertim, qui cum potestate versantur, implorant: atque vt maturè venientibus malis obuiam ire velint hortantur & obtestantur, simul & pœnarum admonent, quibus grauissimis affectus est Oriens, cùm eiusdem generis hæresibus infectus esset, vbi quondam insignes Ecclesias videre licuit, quæ ab Apostolis & eorum successoribus plantatæ fuerunt, vbi nunc horrendam quandam desolationem & vastitatem cerni: nec enim ferre Deum tot & tantas blasphemias potuisse, & quas merebantur pœnas, tandem de illis persequutum fuisse, quin & hoc illis tribuūt, quod in Mahometismum inclinent. Hoc est scholæ Vittembergen. iudicium de ea secta, quæ nunc præ cæteris viget apud populos Ill. V. subiectos. Ac insimulant vicissim Flacciani Eberianos (nam sic appellãt eos qui Philippi doctrinam sequuntur) & Nestorianismi, & Pelagianismi, & Caluinismi, & quod vtinam verum esset, Papismi & Christianismi. Est quidem ita, quòd propius ad Papismum, hoc est, Christianismum accedunt Eberiani, sed non in omnibus tamen cum Ecclesia Dei consentiunt: non quod non intelligant, rectum esse quod in ea docetur, sed quidam ex ijs, quos semel imbiberunt erroribus, ita repentè discedere, pudore quodam humano prohibentur. Quo magis laudo consilium Ill. V. quàm ab hoc importuno hominum genere vehementer abhorrere audio. Deumq; precor, vt hoc illius matrimonium fortunet ad sui nominis gloriam, & Ecclesiæ suæ vtilitatem: quò paulatim eò fiat reditus, vnde discessum est initio ad vnam Sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam. Nihil est enim eo verius, quod ab illo sancto dictum est: Volunt vnam linguam, veniant ad Ecclesiã: quia & in diuersitate linguarum carnis, vna est lingua in fide cordis. Spiritus vertiginis apud eos est, qui discesserunt: spiritus charitatis & veritatis apud eos est, qui permanserunt in ea Ecclesia, cuius membra fuerunt aui, proaui, & ataui nostri. Vtinam autem ille nobis dies citius illucescat, quo mihi liceat videre Illustritatem V. subiectum q; sibi populum ad eam Ecclesiam esse reuersum, in qua maiores nostri magna cum laude constantiæ, piè sanctè q; viuentes, Christianæ fidei mysterijs imbuti, pium illud Euangelium & expressum Dei verbum, quod nunc apud istos valdè factum videmus impiorum & obscurum, amplexi fuerunt. Pertineret hoc ad Ill. V. & ad animas multas Christo lucrifaciendas, & ad temporale dominium, quod nunc possidet, stabiliendum & corroborandum, quà in re, pro meo perpetuo studio erga Ill. V. meam illi operam magna cum alacritate defero.

Stanislao Carnecuio Episcopo Vladislauiensi. Epistola CCII.

Dolet, quod Rex confœderationem approbauerit, & hortatur vt laboret quo rescindatur.

QVem exitum Legatio nostra Parisijs habuerit R. D. V. proculdubiò non ignorat. Vellem quidem rem aliter cecidisse, nam quod factum est probare non possum. Sed hoc D. V. certò sciat, iuramentum hoc extortum non impetratum fuisse, multum reluctantem edductam esse M. Regiam vt id faceret, quod reuera illum est, nec eo Rex vlla ex parte obligatur, quemadmodum ex illis, quæ illi descripta mitto, D. V. cognoscet. Nunc quid aliud nobis faciendum restat non video, quàm vt fidelibus Christianis, quos sthic esse multò plures infidelibus Idololatris Hæreticis, in Domino confido persuadeatur, vt ij iusurandum hoc illicitum omnibus machinis, quod aiunt, oppugnent, atq; cassum & irritum

irritum decerni magna contentione laborent. Non solum hoc Maiestati Regiæ non est molestum futurum, verumetiam quanto quisq; magis illud oppugnauerit, tantò maiorem apud illius Maiest. gratiam inibit, & vberiorem suæ in fide Christiana constantiæ mercedẽ suo tempore consequetur. Multum prædicari audio singularem quandam animi fortitudinem D. V. in fide Christiana tuenda & conseruanda. Fertur etiam dixisse Palatinus Vratislauien. Quòd si Collegam haberem hic Episcopum Vladislauiensem, virilius nobis agere liceret, quo nomine plurimum D. V. gratulor, quod hanc de illa conceptã esse opinionẽ video, quæ & S. D. N. pectori inhæsit, qui magnam in hac illius constantia spem repositam habet. Quamobrem, si vnquam antea, nunc viriliter agite, & confortetur cor vestrum, neque vos ea quoque res perturbet, quod iuramentum istud parum licitum inuitus præstitit Rex noster, quin hoc de illo certò sibi persuadeat, quod est ex animo Christianus, Catholicus, Orthodoxus, vix vt alius Princeps in orbe Christiano reperiatur, qui magis à Christi perduellibus hæreticis abhorreat, quique maiore studio fidem Christianam propagatam cupiat. Fortassis autem abs re non esset futurum, si per ipsorum hæreticorum libros, ipsorum hæreticorum testimonio, hæreticos à se inuicem capitalibus odijs dissidentes, hæreticos esse demonstraret. Quam ad rem aliquid adferre possit Stancari libellus, in quo quas hæreses Oratores Pinceuiensium ad Geneuenses atque Tigurinos missi, ab eis retulerint, indicatur. Prodijt autem nunc liber quidam Scholæ Vvittembergensis, de persona & incarnatione Christi, qui & ipse magno futurus est vsui. Quod autem in eo libro tribuitur Flaccianis, idem à Flaccianis tribuitur Eberianis, quandoquidem isti iam nil valere volunt nec Pontificem, nec Imperatorem, aut Regem, aut Conciliorum Decreta, quibus istæ omnes hæreses pridem sunt condemnatæ, valeant ipsorum de se mutuò testimonia: saltem illis dare locum cogentur, cum nunquam verius loquãtur aut scribant ex vtra que parte, quàm quando se vicissim hæreticos appellant. Quidam ex Legatis placatam iri dixit ab hæreticis Maiestatem regiam, simul vt in regnum suum venerit. Facturos enim illos, vt rogent Maiestatem eius, ne velit omnes hæreses approbare, nam Trideistas & Anabaptistas in Regno tolerari non oportere. Vetus est hæc hæreticorum Cantilena, quam si cœperint occinere, tum dabitur optima occasio supplicandi Regiæ Maiestati, ne velit, salua matre, liberos interfectos. Quamdiu non extincta fuerit mater omnium hæresum, hæresis Lutherana, nil est quod speremus, hæreses alias aboleri posse. Mihi certè non magis tolerandi videntur Lutheristæ & Anabaptistæ, quàm Trideistæ & Caluinistæ, cum omnium hæreseon fuerit fons & origo Lutherana, Petent illi proculdubio Confessionem Augustanam, sed sub hoc pallio teguntur omnes hæreses. Et fuit quoddam Conuenticulum non procul à regni finibus, in quo Confusio Augustana calceus siue ocrea Polonica vocabatur, vtrique pedi apta, nam illam æquè sibi Caluinistæ vendicant atque Lutheristæ, & quæ nouissimis temporibus fuit edita, longè diuersa est ab ea quæ fuit anno XXX. Carolo Imperatori primum exhibita, quemadmodum ex Actis Aldemburgens. Colloquij facilè cuiuis perspicere licet, & est magna pugna de illa inter Flaccianos & Eberianos: nec eunt hoc inficias Eberiani, qui sunt à Melanthonis partibus, quod eam certis in locis mutarũt, præsertim vbi videntur ad Manichæismum inclinare, quem apertè profitentur Flacciani, quin & alias multas hæreses objcit Flaccianis Schola Vvittembergens. & eas horrendas, quemadmodum ex eo libro, cuius antea memini, cognoscere licet. Equidem bona spe sũ, quod omnia futura sint irrita, quæ Parisijs ad importunam hæreticorum instantiam facta sunt, dummodo se viros præstent ij, quorum proprium est officium, vt se murum opponant pro Domo Dei Reuerendiss. D. Archiepiscopus Gnesnen. præclarè se gesserit in hoc Interregno, quo nomine sum illi gratulatus. Hortetur illum D. V. vt extrema cum primis contexat, & eius meminerit quod scriptum est: Non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque ad finem, saluus erit. Erit autem breui iam tempus etiam de hœdis vtriusq; nostrum agendi, quandoquidem coniuncta est vtraq; causa, quæso ne mihi deesse velit. Qui factum sit, qui proscripti fuerant ante quinque annos, vt nunc tantum apud hœdos meos nihilominus auctoritate valeant, mirari satis non possum, Mihi quidem audaciores nunc facti videntur, quam fuerant antea. Tam grauis illa caussa ioculariter agi visa est. Non modo proscripti non sunt, qui læsæ Regiæ Maiestatis rei facti fuerant, verum ipsi potius Christũ & ministros eius ex Elbingensi ciuitate proscripserunt, idque post seuerum quoddam interdictum de consensu omnium Regni Ordinum factum: quam certè tantam audaciam non impunè ferre deberent. Quanquam ego sanguinem illorum non sitio, si Regia tamẽ Maiestas propter hoc tantum facinus in eos animaduertendum esse duxerit, mihi non est ingratum futurum. Hoc tantum cuperem, vt sicut ipsi Christi ministros, qui per me constituti S. Euangelium illis annunciabant, exterminarunt è ciuitate Regia: sic Sathanæ minister ab illis constitutus expelleretur, expulsi verò per ipsos in locum suum restituantur. Hoc si per me fuerit impetratum, facilè acquieuero. A Gedanens. tale nihil factum est, quos vna cum reliquis duabus ciuitatibus Augustanam Confessionem sibi dari postulaturos nihil ambigo. Sed ego cuperem cum ista postulauerint, vt esset in promptu Colloquium Aldemburgense, in quo Confessionem hanc aliquot in locis mutatam & peruersam, Flacciani grauiter conqueruntur: tam & liber ille De persona & incarnatione Christi: deinde sex sermones hoc ipso anno editi Andreæ Smidelini, quorum sextus grauiter Scholam Vvittembergensi insectatur, & ab illis quæreretur, eámne Confessionem velint, quam esse Flacciani deprauatam quæruntur, an eam quæ fuit oblata Cæsari, de qua Regio montani gloriantur, quorum Prædicantes acerbis conuiciis Gedanensium Prædicantes insectari feruntur. Sed hæc notiora sunt D. V. quam vt à me scribi sit necesse, det operam, quæso, ne quid ab eis impetretur. Si non poterit à nobis obtineri, vt in ipso statim initio

Universidad de Deusto
Biblioteca

sectæ prohibeantur: saltem hoc impetrare conetur, vt ex Ecclesia Parochiali Ministri Sathanæ eijciantur. Hoc sibi cerrò persuadere debet, quod nihil magis Serenissimus Rex cupit, quàm hæreses omnes exterminatas: nisi quòd motus aliquos grauiores, causa religionis excitari nollet. qui si metus illi ademptus fuerit, nihil faceit libentius, quàm vt se verè Christianum, Catholicum, & Orthodoxum Regem esse declaret. Erit ibi Nuncius Apostolicus Montis regalis Episcopus, vir pius, & doctus, & prudens, & magnis in rebus versatus, is causæ nostrę defuturus non est: & quo maiorem habet linguæ Gallicę peritiam, hoc plus est apud Maiestatem illius auctoritatis habiturus: huius etiam consilijs vti poterit D.V. Datum Romæ XIIII. Octobr. Anno 1573.

Alberto Laskij Palatino Siradiensi. Epistola CCIII.

Hortatur, vt Confœderationem per Seren. Regem approbatam irritandam & inducendam curet.

Reddidit mihi literas D. Vestræ Resçius meus, quem ad Christianissimos fratres Galliæ & Poloniæ Reges miseram, ex quibus, quæ sit illius pietas, quæ constantia, quod animi robur in fide Christiana cõtra CHristi perduelles hæreticos tuenda & propaganda, cognoui: sed multò plura ex ipsius sermone didici, qui zelum ipsius admirabilem, hac in re, satis prædicare non potuit, vnde maiorem cœpi voluptatem, quàm facilè credi queat. Et quamuis antè quoq; D.V. propter insignes dotes, quibus eam Deus ornare voluit, feci semper plurimi: tamen ad meum pristinum erga illam studium ex hac illius tanta pietate, quæ etiam in literis ad me datis elucet, tanta est facta accessio, vt maior iam vix vllus relictus esse locus videatur. Est ita, vt scribit D.V. quod non alia est via compendiosior ad gloriam & immortalitatem nominis consequendam, quàm si quis pię Christũ colat, & in eius confessione constans ad extremum vsque diem perseueret, nec vllum eius rei causa periculum adire detrectet: quo cùm D.V. sit ingenio prædita, cum q; nullũ in hac sua Legatione verè Christiani, Catholici, & Orthodoxi Senatoris officium prætermiserit, & Hæreticorum furori fortiter se opposuerit, nihil dubitet, quin & apud Cœlestem, & apud hunc nostrum terrestrem Regem proximis superioribus Comitijs electum, magnã sit gratiam initura, & ingentem ab vtroq; sibi mercedem positam consequetur: nec vlla vnquam ætas de hac illius in Christiana fide tuenda fortitudinis & constantiæ laude conticescet. Extorserunt quidem ab inuito Rege nonnulla Hæretici, sed quæ tamen eiusmodi sunt, vt ea suapte natura concidere sit necesse. Nam quòd pugnant inter se, quæ sunt (vt vulgato Dialecticorum verbo vtar) contradictoria, quomodò possunt ab eodem præstari? Sed hoc, posteaquàm in Regnum ventum fuerit, videbimus. In Domino confido, quod plures existent, qui contradicent huic formulæ, quæ producta est per hæreticos, quàm qui cupiant eam ratam habere. Cùm autem D.V. præ cæteris in communi patria nostra, gratia & auctoritate plurimum apud omnes valeat, certò mihi de illa polliceor, quod omnia sit factura, quam plurimos vt excitet, qui Iusiurandi formulam hanc oppugnent: quod nõ solùm ad nostri Poloniæ Regis, verumetiam ad summi Regis Regum & Imperatorum gratiam illi demerẽdam plurimum pertinebit. Apud S.D.N. semel & iterum eam, quam debui, de præclaris D.V. virtutibus mentionem feci: cui cùm Resçius meus literas illius dedisset, cum primis illas hilari fronte accepit, & quæ præstitit in Gallijs officia, fuerunt illi valdè grata. Vtinam autem breui mihi videre liceat D.V. ad Sedem S. hanc à Serenissimo Rege nostro missam, vt ei, quam debet, illius verbis obedientiam præstet, tum diem cum primis hilarem ducturus essem: nec eam alio, quàm ad ædes meas diuertere cuperẽ. Quicquid officij præstari poterit ab homine D.V. addictissimo, pro virili mea præstabitur à me. Sanctissimus quoq; D.N. quanti faciat cùm alias virtutes, tũ præcipuè fortem hunc & constantem animum, in Christiana, Catholica & Orthodoxa fide tuenda, & conseruanda, nõ tam verbis, quàm rebus etiam ipsis declarabit.

Henrico Valesio Poloniæ Regi. Epistola CCIIII.

De eodem Iuramento differit, copiosè, illiusq; turpitudinem, & periculum proponit.

Quoties accuratius expendo, quale sit hoc, quod nunc à M. V. quidã petunt, totus animo perhorresco. Nec enim quid horribilius peti potuerit, video. Petebat olim Saltatrix Herodias amputari caput Ioanni Baptistæ, quo nõ surrexit maior inter natos mulierum. per quam horribile fuit illud, sed multò crudelius est, & horribilius, qđ nunc petitur à quibusdam saltatricibus, ne dicã an saltatoribus. Nã si varium est semper & mutabile fœmina, nihil istis dici potuit magis varium & mutabile, qui de vna fide subinde saltãt in aliam, nec saltandi finem vllum faciunt, donec eò perueniatur, vt dicat insipiens in corde suo: Non est hic Deus. Petunt Saltatrices istæ non Ioannis, verùm cuius Ioannes corrigiam calceamenti soluere se non esse dignum iudicabat, ipsius Christi caput præcidi. Nec in eo, si corpus à capite suo separatum esse videant, acquiescunt, sed volunt insuper, vt in minutissimas partes dissecetur. Voluit sibi prætereà caueri, nullam vnquam adhibitam iri medicinam, vt redintegrari possit. Equidem non video, quid vel cogitari possit magis horrendum & execrandum. Cùm impij milites Christum in Crucem egissent, integrum illius corpus in Cruce reliquerunt, & sicut futurum Propheta prædixerat, os

os ex eo non comminuerunt. At isti præclari milites, quamlibet impios & crudeles, illos immanitate sua longè superant: nec enim in hoc rabies illorum satiatur, si corpus à capite præcisum cernant, sed omnia ossa illius cupiunt comminuta. Corpus est hoc vna, Sancta, Catholica Ecclesia, quam quanti Christus fecerit, vel ea res documento nobis esse potest, quòd vt eam colligeret, & nos omnes vnum suum corpus efficeret, verum & viuum suũ corpus, quod assumpserat ex Virgine, mactandum in ara Crucis obtulit. Hoc igitur corpus, quod ille sui sanguinis precio comparauit, cuius causa vero & viuo suo corpori non pepercit, quod omnium suppliciorum genere prius excruciatum in mortẽ tradidit, hoc tam charum Christo Christi corpus, vt à capite suo Christo perpetuò separatum, vt in minutissimas partes liceat videre dissecatum, vt nulla spes sit reliqua, remedium vllum aliquando, qui redintegrari possit adhibitum iri, tanto studio flagitant istæ saltatrices. Et interea volunt Euangelici vocari, cùm Euangelij sint hostes infestissimi. Quid enim aliud Euangelium, quàm pacem, quàm charitatem, quàm vnitatem nobis inculcat? Aut quæ fuit alia causa, quam obrem Christus mori dignatus est, quàm vt filios Dei, qui dispersi, fuerant, colligeret in vnum. Factus est pax nostra, ex duobus populis fecit vnum. At isti pacem ruperunt, charitatem extinxerunt, vnitatem conciderunt, & non ex duobus vnum, sed ex vno duo, quin plura etiam, quàm duo fecerunt. Nam quæ sexcentis annis vna fuit in Regno Ecclesia, eam in multas particulas nunc diuiserunt, vt seorsum cuique suum cœtum colligere licuerit. Ac quò facilius cogitata sua perficere, maioresq; scissuras in dies in Ecclesia Dei facere liceat, impunitatem huius tanti flagitij sibi concedi magna contentione laborant. Et quod sceptrum, qui gladius ad eos coercendos, qui scindunt vnitatem, à Deo Regiæ M. datus est, eum illi per summum nefas eripere conantur. Conuenerũt in vnum Principes, in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, vt dirumperent vincula eorum, & proijcerent à se iugum ipsorum, vt liberum vnicuiq; foret, quascunq; fidiculas velint videre, vbicunq; vellet seorsum cœtus colligere, & sacerdotium & sacrificiũ, & oẽm cultum, quo Deus agnoscitur, abrogare, Sãctiss. Trinitatẽ impunè blasphemare, Mahometum etiam ipsum complecti, Deiq; Filium Christum esse negare. Sed q habitat in Cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Admontit eos aliquando sanctus ille Rex & Propheta, qui cum summa potestate versantur: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, Seruite Domino in timore. Nunc isti diuersam cantilenã Regi suo occinunt: Non intelligas, aiunt, Rex, non erudiaris, qui iudicas terrã, non seruies Dño in timore. Tunc enim Reges seruiunt Dño in timore, quando, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibent atq; plectũt, aliter enim seruit potestas quia homo est, aliter quia & Rex. Quatenus homo est, ei seruit viuendo fideliter: quatenus autẽ Rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes cõuenienti rigore sanciendo, & pridem sancitas exequutioni mandando: Sicut seruiuit Ezechias lucos & templa Idolorum (quod nomẽ hæreticis tribuere scriptura solet) & illa excelsa, quæ contra Dei fuerunt constructa, destruendo: Sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam Ciuitatem ad placandum Dñm compellendo: Sicut seruiuit Darius Idolum frangendo, in potestatem Danieli dando, & inimicos leonibus obijciendo: Sicut seruiuit Nabuchodonosor, omnes in Regno suo positos à blasphemando Deo, lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt Reges Dño, quatenus sunt Reges, cùm ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges. Nunc saltatrices istæ, contra tã expressum Dei verbũ, cogere volunt Regem, vt ne Dño seruiat in timore. Cumq; proprium sit Regis, potestatem Regiã, ad cultum Dei maximè dilatandum, famulam sibi facere: cõtendunt isti, famulã vt eam faciat ad minuendum Dei cultum, & ad oẽm impietatem propagandã. Nulla Regis virtus est magis propria, q̃ iustitia, qua suum cuiq; tribuitur. At q̃ potest esse iustitia, quãdo à vero Deo tolluntur homines, cuius creaturæ sunt, & subduntur immundis Dæmonibus: vt in eos liberè grassari queant. Quod quo minus prohibeat, saltatrices istæ summa contentione laborant. Nõ tibi curæ sit, aiunt, à quo vel defendatur, vel oppugnetur in Regno tuo Ecclesia Dñi Dei tui: nil ad te ptineat, quis in eo velit esse vel religiosus, vel impius, & omnis religionis prorsus expers. Quasi verò ad Regem magis pertineat, sicarios, veneficos, parricidas, & quorũ uis aliorum criminũ capitalium reos plectere, q̃ animicidas hæreticos. Cùm omnia, quotquot cogitari possunt flagitia, in vnum congesta, cum vno hæreseos crimine collata, festuca sint cum trabe comparata, minus vt Rex peccaturus videatur, si rapinas, si furta, si cædes, si quæuis quamlibet atrocia crimina, impunè in Regno suo grassari permittat, quàm si CHRISTI corpus Ecclesiam à capite suo separari, si omnia ossa ex eo comminui, si tot hæreses in ea grassari, quot sunt hominum in ea voluntates, patiatur. At hoc est, quod isti tanto studio contendunt. Volunt enim vt Rex non sit Rex: volunt vt frustrà ei sceptrum præferatur, vt frustra gladium ipse portet, in Christi causa præsertim. Quasi verò non magis Dño seruire in timore, & eius causam pro virili sua defendere, q̃ aliam quãcunq; Rex tueri teneatur. Qui fuit autor Confessionis Augustanæ, qui suos eam digitis scripsit Melanchtõ contra discipulos suos scribens, qui se maximos eiusdem Confusionis propugnatores esse prætendunt, & eam adulteratam à Professore suo in plerisq; locis contendunt, statum religionis apud suos describens, non alio spectare scribit res, q̃ ad Anarchiam, nec vnq̃ in vita sua vel dixit, vel scripsit verius quidquam, q̃ hoc. Nam genus hoc mirabilium hominum, quod ille tam grauiter insectatur in præfatione eius libri, quem inscripsit, Corpus doctrinæ Christianæ, qui suo arbitrio damnant quidlibet, neq; personis auditis, neq; rebus dijudicatis, qui cogunt Concilia, quando & vbi ipsis placet, & vendicãt sibi maiorem magisq; intolerabilem auctoritatem (sic. n. ipse loquitur) q̃ Papa Romanus vnquam, hoc agere videtur, vt sicut sunt absq; sacerdote, absq; sacrificio, absq; Deo, sic etiã

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint absq; lege, absq; Rege, vt suo cuiusuis arbitratu quiduis credere, quiduis etiam facere liceat. Est adhuc, opinor, in Regno M. V. Stancarus. Is ante annos plus minus vndecim, ad Regem, q proximo superiore anno in Christo obdormiuit, scribēs, ijs verbis vsus est: quòd si M. T. hoc sacrosanctum & necessarium officium neglexerit, nobiles tui, qui & ipsi gladiū gestant, auctoritate diuina tenentur & debent Sathanę, & eius Religioni valedicere, atq; Christo, & eius verbo se totos cōsecrare. Num autem ab hoc homine consilia eorum profecta non videntur, qui M. T. gladium à Deo tibi concessum, quo minus eo contra Sathanę ministros vti queas, eripere conantur? ac nisi feceris, quod impetratum à subiectis tibi nobilibus fuerit, ipsis potius contra te, & contra Christianam religionem, quam apertè profiteris, gladiū stringendi potestatē sibi datā persuasum habent. Quæ nā verè dici pōt Anarchia, si non est hæc? Quam isti Cōfœderationē vel cōspirationem potius aduersus Dīm & aduersus Christum eius fecerunt. Cùm sit simplex veritatis oratio, sic est scripta, vix vt intelligi queat, quid velint dicere. Nam, quod aiunt, qui sumus dissidentes in religione, pacem inter nos cōseruabimus, neq; propter diuersitatem fidei, aut mutationem in templis, sanguinem effundemus, aut pœnis afficiemus, siue confiscatione bonorum, ademptione honoris, carceribus & exilio, id tolerari tamen adhuc possit, nisi quod stultum est, in dissidio pacem seruari posse, sperare. Cùm vt ne dissidia sint, & si quæ sunt, facilè subleuari possunt. Propterea Princeps vnus constituatur, cuius opera tolli dissidia possint, sed hæc tantum tolerari possunt. Nam reuerà nulli priuato fas est sanguinem alicuius effundere, aut pœnis aliquibus alium afficere, cùm par in pacē eiusmodi potestatem habeat nullam. Cæterùm quod addunt, neq; superioritati vlli aut magistratui ad talem progressum vlla ratione adiumento erimus, quin potius si quis sanguinem effundere vellet, ex ista causa opponere nos debebimus omnes. An hæc iam Anarchia non est, an hoc non est gladium contra gladium stringere, gladium subditi contra gladium Principis, vt liceat cuiuis aduersus Regem insurgere, nec ei quam debet fidem, quam subiectionem & obedientiam præstare. Est ne hoc M. Regiam agnoscere, & non potius cum puluisculo, quod aiunt, prorsus eā omnem velle tollere? Quòd si Rex etiam indicta causa tale designaret aliquid, quale metuūt isti, qui sibi cōscij sunt, q; sint hæretici, ferendus tantū esset potius q̄ vt statim omnes in eum insurgerent. Sed iudicat M. V. quod isti etiam si iustè, quod est officium suū Rex facere velit, qui non sine causa gladium portat, vt ne possit eo vti, sibi prouidere conati sunt, ijs verbis additis, etiamsi quis hoc ipsum prætextu Decreti aut aliquo iudiciali processu attētare velit. Quid est rebelles esse si hoc nō est? Etiamsi Rex causæ dicendæ potestatē reo faciat, etiamsi legitimo processu vtatur, etiamsi nihil eorum omittat, quæ ad iustū de eo iudicium ferendum pertinere videntur, nihilominus insurgant omnes contra potestatem ipsam à Deo datam, gladium quem non licet eis stringere, nisi permissu potestatis contra potestatem ipsam stringat, quoties illa prohibere conata fuerit, ne Christi nomen impunè blasphemetur, ne sectæ pernicioſæ introducantur, ne Christi corpus Ecclesia multas in particulas dissecetur. An idem hoc non dixerant illi Principes, qui conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius, dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Vincula quibus alligati sunt per legem & Regem, imò per ipsum Regem Regum, qui voluit, vt omnis anima potestati subdita sit, tanq̄ à Deo constitutæ disrumpere, iugum, quo sunt illi deuincti proijcere conantur. quod q; pridem fecerunt de Papatu, cuius vincula disrumperunt, cuius iugum proiecerunt, idem nunc de Regia quoq; faciunt potestate, nec id sine scriptura. Nam vbi scriptum est: Quòd Sacerdotes sumus omnes, ibidem scriptum est, quòd Reges quoq; sumus omnes, vt nil verius vnquam scripserit auctor Confessionis Augustanæ, q̄ hoc, quòd istorum, qui segregauerunt semet ipsos, omnia consilia tandem in Anarchiam euadunt, quod quò magis intelligi queat, videamus etiam ea, q̄ paulò post sequuntur. Per hanc, aiunt, Confœderationem aduersus Dominum & aduersus Christum eius, superioritati Dominorum in subditos nil derogamus. Quos autem hic Dominos intelligi volunt? proculdubi non alios, q̄ eos, qui licet Regi subiecti sint, habet tamen & ipsos sibi subiectos. Hūic ergo superioritati siue potestati, q̄ Rege inferior est, nil derogatum, nec obediētiam subditorum erga illam sublatam volunt. imò aiunt, si eiusmodi licentia sub prætextu Religionis exoriatur, tunc tanq̄ sibi non obedientem subditum, liberum erit vnicuiq; Domino secundum quod illi videbitur punire. Videsne Serenis. Rex, quemadmodum quem tibi gladium eripiunt, eum sibijpsi tribuunt. Cùm tātum gladij stringendi ius nullū habeāt, nisi quatenus id illis à te pmittitur. Omnem itaq; Regiam potestatem transferunt in se, sed quid dico Regiam, imò plus q̄ Tyrannicam potestatem sibi vsurpant. Nam vbi de te sermo est, gladij ius tibi non permittūt, etiamsi nescio quam Iuris formam obseruaueris, etiamsi legitimo iudiciali processu vsus fueris. Vbi autem de seipsis verba faciunt, nihil tale, sed liberum, aiunt, erit vnicuiq; Dño, non secundum leges, non seruata debita forma Iudicij, sed secundum quod illi videbitur subditum punire. Iámne perspicis, quorsum isti spectant? Sis, aiunt, Rex, verùm nomine tantum: portes gladium, sed eum ne stringas nisi iussu nostro, quando nobis visum fuerit. Nobis autem nisi debitam subiectionē præstiteris: Tibi non obedire, liberum sit vnicuiq;, nobis verò si quis q̄ dicto audiens non fuerit, plectatur, & quidem arbitratu nostro plectatur, nulla Iudicij forma seruata. Videntur homines isti cæcitate quadam & amentia à Deo percussi, qui talia Regi suo præscribere non verentur, & eum iniquissimarum legum vinculis adstringere. Sed qui habitat in Cælis irridebit eos, & Dñs subsannabit eos. Nisi me fallunt omnia, q̄ commemorari de te magna cum laude nominis tui audiui, nunq̄ facies, vt his tam diris vinculis adstrictum te esse persuasum habeas. Nec illius obliuiscēris, quod à sancto quodam Patre scriptum est: In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta de-

decretum: Quod incautè voqisti, ne facias: Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Non imitaberis Herodem illum Regem, qui quòd impiè iurauit, executioni maiore cum impietate mandauit: Sed sanctum illum Dauid, qui iurauit & ipse parum cautè, quòd Naabal esset occisurus, & magna cum pietatis laude, quod incautè iurauerat, non præstitit. Peccatum quidem est, in iurando, sed quia mens est iniurata, minus grauiter peccatum est, procul enim ab ea cogitatione abfuisti, vt iurares al quid, quo Deum grauiter offensum iri sciebas. Quoniam verò periculum esse dicebatur, ne graues in Regno tuo motus existerent, nisi feciſſes, quod magna cum importunitate à te flagitabatur, vt subiectorum tibi populorum tranquillitati prospiceres, vt Regni salutem cōseruares, importunis quorundam petitionibus cedendum esse putasti, quo tuo facto quin sit offensus Deus, negari non potest, sed minor fuit offensio, vbi mens ea præstandi quæ petebantur, defuit. Sed si, quod pro misericordia sua Deus auertat, quod promisisti præstares, triplex iam hoc esset peccatum, quod ad internecionem Regni & animæ tuæ interitum allaturum. Quamobrem cum certum hoc sit, Iuramentum non esse vinculum iniquitatis, nunq̄ tibi persuaderi patiaris, vlla te ratione ad ea, quæ promisisti, præstanda teneri. Humanum aliquid passus es, quandò, quod illicitum esse sciebas, promisisti, sed multò magis enorme peccatum foret, si, quod promisisti, præstares.

Diego Gusman Catholici Regis apud Venetos Oratori. Epistola CCV.

Respondet ad literas, & gaudet sibi datam fuisse occasionem amicitiæ cum eo contrahendæ.

EXiguum illud, ac planè leuidense (quod est in prouerbio) munus, quod Magnus Angliæ Prior verbis meis obtulit, tam tibi gratum accidisse, non potest non esse mihi valdè gratum. Videris enim animum in te nostrum spectasse magis, q̄ rem ipsam. Quòd si lucubrationes nostræ fructum aliquem attulerunt, est quòd agamus DEO gratias, q plantātibus & rigantibus nobis incrementum dare dignatus est. Ipse est Magister ille, q docet intus, quo si Doctore sit aliquis destitutus, frustrà foris humana verba perstrepunt, frustrà calamus vel manus potius in scribendo suo fungitur officio. Quod superioribus sæculis quidam dixerat, se Tarentinis & Siculis scribere, quod iudicium doctorum reformidaret: hoc nos rectius etiam dicere possumus, Polonis, Lithuanis, & Pruthenis nostris nos scripsisse, non ijs, quæ sunt omni doctrinarum genere expolitæ, exteris nationibus. Sed si quem per nostros quoq; labores ad Ecclesiam fructum redundare voluit is, qui etiam ex ore infantium & lactentium laudem perficit suam, tanto maiores illi gratię sunt agendæ. sit nomen illius benedictum in sæcula. Nobis quoq; voluntas ad succurrendum Ecclesiæ calamitosis temporibus non defuit, quam & ipsam acceptam diuinæ voluntati referimus. Videris autem ex abundantia quadam amoris in me tui plura mihi tribuere, q̄ quæ agnosci à me queant. Sed notum est illud: quod ex suis quisq; moribus libenter singit alios. Vt quisq; optimus est, ita de alijs quoq; non alia credit libentius, quàm q̄ sunt optima. Quos tu Christianæ Religionis tuendæ causa, cùm verè Catholici Regis Oratorem ageres in Anglia, labores tuleris, quanto studio promotam illam cupiueris: in quas etiam potentiorum offensiones incideris, quantaq; cum laude Catholici Regis Oratoris munus obieris, & lippis & tonsoribus, quod aiunt, notum est. Itaq; qualem te gessisti ipse, dum inter hæreticos versāreris, haud aliter tanquàm lilium inter spinas: talem esse quoque me libenter credis. Ego verò nil ardētius Deum precor, quàm vt eam opinionem, quam de me concepisti confirmet, meq; qualis à te scribor, talem esse faciat: in magna hoc fœlicitatis parte ponerem, Conatus mihi quidem defuit nunquàm, sed ei facultas minimè respondet, cum sint vires meæ tenuiores, quàm vt quæ magna sæpè cogito, ea perficere possim. Cæterùm occisionem hanc oblatam mihi esse gaudeo, per quam vsus aliquis tecum mihi intercedere queat. Nam cum ex Anglis propter Christi confessionem exulibus, quo tempore Catholicæ M. agebas in Anglia Oratorem, multa de te præclarè prædicari audiuerim, quòd eò tādem res perducta est, vt aliquod inter nos saltem esset literarum commercium, non potest ea res non esse mihi grata & iucunda, tibiq; studium meum in quibuscūque rebus gratificari tibi potero, magna cum alacritate defero. Magnus Angliæ Prior, etiamsi tibi multa de me dixerit, quæ ne dimidia quidem ex parte vera esse probare poterit, mihi tamen propter multas præclaras dotes, quibus eum Deus cumulauit, & propter constantem fidei Christianæ Confessionem fuit semper, & est, eritq; deinceps etiam charissimus, vtinam possim aliquid eius causa, nil est, quod magis cupere. Spero breui futurum, vt illius præsentis mihi potestas detur, & erit eius consuetudo mihi longè gratissima. Vellem autem, quòd tua Legatio, sicut ex Anglia Venetias, ita Venetijs ad hanc S. Sedem Apostolicam transferri possit. Satis enim iam Venetijs Oratorem egisse videris, huc tuam Legationem transferri iam tempus foret. Datum Romæ.

Abrahamo Zboxzkij. Epistola CCVI.

Monet vt Confœderationem abrogandam curet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN his difficultatibus, quibus nunc premimur, non mediocrem ex ea re consolationem accepi, q̃ Cõmitia Sredeñ. magna cũ trãquillitate peracta fuisse feruntur, & quod nefariæ conspirationes factę aduersus Dñm, & aduersus Christum eius, nulla fuit in eis mentio. Bona spe sum, minus iam ardentes futuros in eius approbatione extorquenda, qui tantoperè de ea laborarunt. Sed magis etiam ea res me consolatur, quòd in Palatinatu Plocensi, & Mazouiæ, nuncijs ad Comitia, quę coronandi Regis gratia habebantur mittẽdis, mandatum est, vt huic impiæ Cõfœderationi modis omnibus intercederent. Cæterùm in minori Polonia quod actum est, eo non potui non commoueri. Mirum est, quam sibi potestatem arrogant, qui semel à Christo & eius corpore Ecclesia discesserunt: mihi quidem non alio, q̃ ad Anarchiam spectare videntur. Ad hoc, volunt esse multas fides, vt nulla sit, nec erga Deum, nec erga Regem, quem sibi subiectum esse, nõ autem ei subijci cupiunt. Volũt, vt sit Rex absq; sceptro, absq; gladio, vt ne sit vindex in iram ei, qui malè agit. Quis autem est, qui peius agat, q̃ Hæreticus, aut quod potest cogitari crimen abominabilius, q̃ sit hæresis? Omnia crimina si congerantur in vnum cumulum cum vna hæresi collata, festuca sunt cum trabe comparata. Nunc isti, qui sibi sapientes videntur in oculis suis, qui se doctiores esse persuasum habent, q̃ Ecclesia sit vniuersa, qui præse cau dices oẽs esse putant, nec vllã scripturarũ intelligentiæ lucem habere summa cõtentione laborant, vt liberum sit vnicuiq;, quamcunq; voluerit hæresim profiteri, abrogato & Sacerdotio & sacrificio, quo solo Deus agnoscitur: & qui debetur illi cultus, ab eo quem præstare mortalibus quoq; licet discernitur. Deum in ordinem quodãmodò cogere, veritatem de veritate sui corporis & sanguinis dicentem, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, mendacij arguere, sacrosanctam Eucharistiam pedibus conculcare, sacrosanctam Trinitatem blasphemare, deniq; Christum ipsum Deum à sęculo esse negare, & quasi suis in ipsum & in Sanctos eius blasphemias eiaculari, & quod iam in vicina nobis Saxonia schola VVittembergeñ. queritur, in Mahometismum inclinare. Ego verò si pmittat impunè Regia M. omniũ furta, rapinas, latrocinia, homicidia, parricidia, & q̃cũq; tãdẽ alia crimina quãlibet atrocia, minus eam peccaturã existimo, q̃ si solã hæresim in suis terris grassari liberè patiatur. Volunt habere plures fides. Cur & non duos Christos, cur & nõ duos Reges? qđ in Gallijs vsu venisse scimus. Ac si dissidium permittatur, mederi se posse dissidio Religionis, vt pax atq; tranquillitas in Regno conseruetur, existimant. Ego, qualia sint hæc, non satis intelligo. Mihi quidem ab ijs, qui sibi mente parum cõstant, proficisci videntur: qui nil aliud q̃ suum ipsorum, & fortunarum & animarum interitum quærunt, quorum certè me valdè miseret, & eos quamlibet inuitos omnibus modis ab interitu seruatos cuperem. Est autem cumprimis celebre D.V. nomen, quòd ea, quãuis in erroribus aliquando versata fuerit, nunc tantum admirabili quadam fit in fide Catholica tuenda & propaganda constantia. Quæso quam est præclaram apud omnes opinionem consequuta, vt eam in dies magis augeat atq; confirmet, ac eos q̃ cupiunt dissectum, ac in multas particulas concisum Christi corpus velis, qđ aiunt, remisq; fugiat: Cum illis aũt se coniungat, q conīpiratione hanc verius q̃ Confœderationẽ aduersus Dñm, & aduersus Christũ eius factam, totis viribus oppugnandam susceperunt. Neq; dubitet, quin apud Seren. Regem nostrum electum tantò sit maiorem gratiam initura, quanto maiore cum animi robore conatus impiorum refutauerit. Nam illud certò sciat, quòd eo pręditus est ingenio Seren. Rex noster, vt à nullis magis, q̃ ab hæreticis abhorreat: quos verò pietate, religione cæteris præstare videt, eos beneuolentia quadam prosequatur singulari. Fuerunt hæreticis aliquando præmia posita, nunc solis erunt Catholicis, solis illis ad munera publica, ad honores, ad Magistratus aditus patebit. Quamobrẽ fortem se virum p̃beat in Christi causa contra Christi perduelles hæreticos tuenda, & apud sempiternum illum Cœlorum, & apud nostrum electum Poloniæ Regem, erit illi merces posita copiosa. Datum Romæ 21. Nonemb. 1573.

Georgio Edero Cęsareæ Maiestatis Consiliario. Epist. CCVII.

Consolatur eum, quòd eius libri contra hæreticos scripti fuerint à potestate tenebrarum intercepti & prohibiti.

QVòd ingẽti te Deus gloria & honore coronauit, plurimũ hoc nomine tibi gratulor: Nec. n. vllam capitis diminutionem passus es, sed posuit Deus super caput tuum coronã de lapide precioso: cuius vita prior mors quædam existimari poterat, ea nunc est eiusmodi, nihil vt magis illa expetendum videatur, nã immortalitati nomen tuũ conseraſti: nunc veram es dignitatem consecutus, & qui prius homo fueras mortalis, nũc in Diuorum numerũ relatus esse videris. Quãobrem est quod gaudeas, est quòd exultes. quandoquidem in eorum album Deus te retulit propter cõstantem sui nominis confessionem, quibus dixit aliq̃n: Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis. Nihil nunc te beatius, nil gloriosius, q̃ censeri poteras ante opprobrium hominum, & abiectio plebis. Hanc igitur beatitudinẽ iterum atq; iterum tibi gratulor, reposita est tibi eorona iustitiæ, quã reddet tibi Dñs in illa die iustus Iudex, quandoquidẽ propter nomen illius persequutiones pateris, quod in magna fœlicitatis parte ponere debes. Verùm nec in hac lachrymarum valle spero quicq̃ tibi defuturum. Qticquid adferri à me poterit ad te iuuãdum & ornandum, p virili mea cõferam lubens, nec vllum amantissimi hominis officium in me reqri patiar: Filium tuũ nõdum vidi, sed cũ semel videro, quibuscunq; potero humanitatis officijs complectar: neq; dubites, quin alij quoq; plures hic futuri sunt, qui paterna quadam beneuolentia eum prosequantur. Quamobrem bono sis animo: Deo gratias age, qui tanto te honore & gloria coronauit. Librum tuum legi auidè, nec magis quidquam cupio, quàm vt eum primo quoq; tempore videre possim.

Patri Alfonso Salmerono Societ. Iesu Theologo. Epistola CCVIII.

Respondet ad gratulatorias de munere Pœnitentiaria.

TRiplex tibi pœnitentia, pro triplici, quod in vnis literis ad me commisisti, peccato, debetur. Vnum, quòd Regem tuum omnipotentem vocas, vt quod solius Dei proprium est, illi tribuere videaris, secundum, quod illudis mihi, quando nescio quæ ornamenta & adiumenta sim consecutus, cùm de nullis ornamentis & adiutamentis mihi constet. Quod verò tertium, id capitale peccatum est. Gratularis nanque mihi pœnitẽtiam. At pœnitentia luctum habet comitem: lugentibus consolatio solet adhiberi, non gratulatio. Cùm in luctu Musica res importuna sit. non contentus illusisse mihi, de nescio quibus ornamentis insuper etiam insultas. Quid enim est aliud lugenti gratulari, quàm insultare? Pridem ego tuis illis literis & illusorijs, & insultatorijs respondissem, sed quam tibi pœnitentiam pro peccatis tuis imponerem, non habebam hoc triduo primùm Venetijs est allata. Quamobrem pro eo munere, quo fungor, pœnitẽtiam hanc tibi mitto, & vt eam patienter feras, hortor & moneo, simul etiam cui illudis & insultas, eius in orationibus & sacrificijs tuis ne sis immemor. Nam & hanc tibi pro tuis peccatis pœnitentiam iniungo. Benè vale, & noli amplius peccare.

Andreæ Comiti à Gorka. Epistola CCIX.

Hortatur vt ne erubescat esse & dici Papista, & ex sectarum varietate Catholicæ fidei veritatem ostendat.

REdditæ mihi sunt literæ D. V. quibus causam quandam Iurispatronatus mihi commendat, cui quoad potero defuturus non sum. Fuerunt mihi eæ tanto gratiores, quòd in ijs, quanti faciant sanctam hanc Sedem Apostolicam ostendit, ad cuius iudicium in causis Ecclesiasticis se refert. Semper ego D. V. Papistam, hoc est, Christianum esse iudicaui, quamuis vt hominum vocalas, quibus cum versatur, effugeret, minus aperte Christum quandoq; confessa fuerit. Inter vacillantes quidem Do. V. numeraui, sed quæ tamen ad Christianorum Ecclesiam magis inclinare videretur, quàm ad nescio quorũ Synagogam, qui malunt Euangelici q̃ Christiani vocari: quasi possit extra Christum Euãgeliũ esse, quibus adeò nil est cum Christi Euangelio commune, vt ab eo remoti maximè esse videantur. Quid. n. Euangelium Christi magis inculcat q̃ concordiam, charitatem, & vnitatẽ? quã isti rupisse oẽm prsus videntur: Propterà Christus mori & crucifigi dignatus est, vt filios Dei, q̃ erãt dispersi, congregaret in vnum, vt sicut ipse vnum est cũ Patre, sic & nos vnum secum, & vnum inter nos faceret, factus est pax nostra, & fecit vtraq; vnum, ex duobus populis fecit vnũ, at isti ex vno faciunt duos. Quid autem dico duos, ex vna Christi Ecclesia faciunt infinitas Antichristi Synagogas, vt nomen nullum eis, q̃ Euangelicorũ minus cõpetere videatur: nec scio, quo nomine rectius appellare possint, q̃ si dicantur Hæretici. Sed est illis perquã odiosum nomen hoc. Vtinam res ipsa potius esset odiosa, nec esse velint, quod audire nolunt. Non appellatio reddit hominem infamem, sed crimen quod patrauit. An autem ficũ ficum, ligonem ligonem dicere peristos nobis iam non licebit? Vellem, q̃ seruatarentur diligentius, quid. fit, Hæreticum esse. Sancti Patres nos docuerunt, quòd Hæreticus est, q nouas opiniones eligit. Hæresis. n. Græcè, dicitur electio Latinè. Si non elegerunt isti nouas opiniones, si quod à parentibus, auis, proauis, atauis per manus traditum fuit Euangeliũ, id adhuc retinent, reuerà fit illis iniuria si dicantur Hæretici. Sed si certum est, eos in aliud Euangelium translatos ab eo, quod maioribus nostris prædicatum fuit, doctrinisq; varijs & peregrinis abductos, cur tantoperè nomen hoc refugiunt? quandoquidem rem ipsam non effugiunt? Quanq̃ est & aliud huius nominis ἐτυμὸν. nam αἱρέω Græcè dicitur, Latinè diuido, separo: qua ratione dicitur hæreticus, qui se diuidit ac separat ab Ecclesiæ vnitate. Quam etiam ob causam quas hæreses Græci vocant, Latini sectas. An isti se non diuiserunt? an non se separauerunt ab illa? An eadem, q̃ cæteri Christiani, more maiorum suorũ, templa frequentant? an seorsum cœtus & conuenticula non faciunt? An illis cum Cypriano recte dicere non possumus? Non à vobis nos, sed vos à nobis discessistis. Cùm itaq; certũ hoc sit & indubitatũ, quòd se diuiserunt à reliquis Christianis, & à maioribus nostris, & quòd 600. annis prædicatum est in Polonia Euangelium, illud reiecerunt, & in aliud se transferri passi sunt, cur tantoperè nomen horrent, nec abhorrent ab ipso crimine? Nam crimen ipsum agnouisse certe videntur, qñ proximo superiore mẽse Ianuario nouã quandã Cõfœderationẽ aduersus Dñm, & aduersus Christũ eius fecerũt. Nam qualis Cõfœderatio facta fuerit à sanctis maioribus nostris in noua Ciuitate Korczin, obscurũ D.V. nõ est: expressis in ea verbis cautũ fuit inter alia, Si quis hęreticales errores facere vel promouere vellet, q̃ cõtra talẽ siue tales oẽs cõsurgere vellẽt in eorũ destructionẽ. Si nullos isti faciũt vel promuẽt hæreticales errores (plurimũ. n. delector vocib. his, q̃ & si parũ Ciceronianæ videtur, tñ sunt Christianæ, maiorumq; nostrorũ piã simplicitatẽ redolent) si nullos, inq̃ faciunt hæreticales errores, cur ab hac tam sancta Cõfœderatione sibi tãtoperè metuunt? cur eam induci

Quis sit hæreticus.

Antiquorum Polon. confœderatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

duci cupiunt & antiquari? Cur nouam quandam edunt, non aduersus hæreticos, sed aduersus Dominum & aduersus Christum eius factam, & in eam Christianum & Orthodoxum Regem, qui nulla magis abs re, quàm ab hæreticis abhorret, inuitum & reluctantem iurare quodammodo compellunt? Non hæreticales errores isti profligatos, sed Regem & Dominum suum in ordinem coactum, & ei sceptrum, quo coërcere possit hæreticos, ereptum volũt. Qua quidem re, se puros hæreticos esse manifestè declarant, nam alioquin non haberent, cur vel à Confœderatione hac maiorum nostrorum, vel à sanctis Constitutionibus per pientissimos Reges nostros iam à ducentis propemodum annis factis tantoperè sibi metuerent? Videntur isti mihi non esse dissimiles eorum, quos viros illusores vocat Propheta. Qui cùm se à tribu Iuda separassent, & eis multa mala Prophetæ euentura prædixissent, Percussimus, aiebant, fœdus cum morte, & cum inferno pacti sumus: flagellum inundans iam non veniet super nos. Videbantur sibi securè iam in vtranque aurem dormire posse: quandoquidem sicut Varsauiæ proximo superiore mense Ianuario factum fuit, percusserant fœdus cum morte, & cum inferno pacti erant, iam ab omni periculo se liberos fore existimabant: sed quid ad hæc Dominus? Audite, inquit, verbum Dei, viri illusores. Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit, flagellum inundans cum pertransierit eritis ei in conculcationem. Conculcabit, vos, inquit, flagellum: conteret, & comminuet etiam omnia ossa vestra. Quam ego metuo, ne citius opinione multorum hæ plagæ nobis eueniant: quas per Prophetam Dominus comminatur. Nam quod conuenerũt in vnum, quod aduersus Dominum & aduersus Christum eius impiam Confœderationem cum morte & cum inferno fecerunt, quid aliud ex eo cõsequetur, q̃ quod in eodem psalmo scriptum legimus? Qui habitat in Cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos: Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Quantò rectius isti facerent, quandoquidem hæretices se agnoscunt esse, sua ipsorum dictante conscientia, & quæ hæreticis debentur pœnæ eas metuunt, si suum errorem corrigerent, si redirent, vnde discesserunt, ad matris Ecclesiæ gremium, quæ redeuntes, quod aiunt, obuijs vlnis exciperet, & esset non solùm in terris, verumetiam in Cœlis maius gaudium super vno hæretico conuerso, q̃ super nonaginta nouẽ Catholicis. Hæc est ratio certissima, qua possent pœnas effugere, quæ sunt Regni Constitutionibus aduersus Hæreticos sancitæ. Nunc isti non solum tale aliquid nõ cogitat, verumetiã ea petunt à Rege Christianissimo Catholico & Orthodoxo, quæ quoties mecum accuratius expendo, totus horresco: deinde verò, quam habent isti potestatẽ? Petiuit olim saltatrix Herodias decollari Ioannem Baptistam, quo non surrexit maior inter natos mulierum, fuit illud perquàm crudele, sed multò crudelius & horribilius est, quod petierunt saltatores, ne dicam, an saltatrices istę. Nam si varium est & mutabile semper fœmina, nil potest istis magis esse varium & mutabile, qui de vna fide subitò saltant in aliam, nec saltandi finem vllum faciant, donec eo perueniant, vt dicat insipiens in corde suo: Nõ est Deus. Petunt saltatrices istæ non Ioannem, sed cuius Ioannes vt vel corrigiam calceamenti soluat, se minimè dignum esse, confitetur. Christum ipsum decollari, nec satis illis fuit, si corpus à capite viderent separatum, sed in minutissimas insuper partes id esse cupiunt dissecatum: quin & illud caueri sibi postulant, nullam vnquam adhibitam iri medicinam, vt redintegrari possit. Potéstne vel cogitari vllum facinus magis immane, & magis horrendum? Cum impij milites Christum in Crucem egissent, integrum illius corpus in Cruce reliquerunt, & sicut futurum Propheta prædixerat, Os ex eo non comminuerunt. At isti præclari milites quamlibet impios & crudeles illos immanitate sua longè superãt, nec enim in eo furor ipsorum acquiescit, si corpus à capite sit separatũ, nisi omnia ossa videant ex eo comminuta. Corpus hoc Ecclesiam voco, quam Christus quanti fecerit, vel ea res nobis esse documento potest, quòd vt eam colligeret, ac nos omnes vnum suum corpus efficeret, verum & viuum suum corpus in ara Crucis mactandum obtulit. Hoc itaq; corpus, quod ille sui sanguinis precio comparauit, cuius causa viuo & vero suo corpori nõ pepercit, sed id omni suppliciorum genere prius exercuciatum in mortem tradidit, hoc tã charum Christo Christi corpus, vt à capite suo Christo perpetuo separatum, vt in minutissimas partes liceat videre dissecatum: & vt omnibus modis caueat Rex, nullum vnquã se remedium, quo reintegrari quandoq; possit adhibiturum, summa contentione flagitãt istæ saltatrices. Vna fides, vnum Baptisma, dicit D. Paulus, vnus Dominus, vnus Deus & Pater omnium. At isti dicunt, Volumus duas fides, volumus diuersas religiones inter se pugnantes, volumus vt impunè cuiquam credere liceat, quodcunq; illi visum fuerit. An hæc sunt sanorum hominum postulata? Mihi quidem febricitantiũ esse videntur, & eorũ qui graui paroxismo laborantes ab omni mente prorsus sunt deserti. Fides nisi vna sit, fides dici potest. Nã est illud verissimũ, quicquid est extra vnã fidem, non fides sed perfidia est: perfidiam igitur isti permitti postulant, vt impunè perfidis esse liceat. An aũt hæc illorũ petitio cum ipsa quoq; ratione non pugnat? Quis enim vnquam crediderit, quòd permisso dissidio religionis, mederi dissidio liceat? omnia hæreseon portenta q̃ fuerunt à sæculo cupiunt ex Orco reuocata, vt in patria nostra liberè grassari queant. Qui modo non principem locum obtinẽt in Polonia minore, suum quoddam Idolum colunt Stancarum, cuius verbum tãquam Dei verbum recipiunt, qui fuit à Schola Pinczouiensi hæreticus declaratus: & eius libri traditi sunt Vulcano corrigendi: ac nisi fuga sibi cõsuluisset, fortassis idem de ipso quoque factum fuisset: de quibus narrat in quadam historica narratione Stancarus, quod ad Geneuenses atq; Tigurinos pro consilio suos quosdam miserunt, qui cùm inde redijssent, abominandas hæreses Arrianam, Eutichianam, Appollinaristarum, Timotheanorum, Acephalorum, Theodosianorum, Gaianitarum, Manicheorum loco fidei Catho-

Catholicæ secum in Poloniam asportarunt. An & hæc hæreseon tam horrenda portenta Rex ferre, vt in Regno suo liberè grassentur iusiurandi sui religione erit obstrictus. Hic fortasis dicet aliquis. Non hoc volumus, imò pestes istas procul ex Regni finibus externis natas cupimus: Augustanam tantum Confessionem concedi nobis postulamus, vt illius vbique dissemināndi potestas libera detur. Vellem quòd legisset D. Velt. Colloquium, quod est inter Lutheranos habitum Aldemburgi ante tres annos: deinde quæ scripta sunt à Flacco, Vigando, à Gallo, ab Heshusio, & ab eiusdem sectæ hominibus, ex his cognouisset: quòd quæ fuit oblata Cæsari Confessio Augustæ Anno XXX. ea iam ferè in his præsertim locis, vbi Lutheri doctrina primùm prædicari cœpta est, non reperitur: quod eam in multis locis Philippus Melanchton, & quidem in præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, mutasse, vertisse, peruertisse, deprauasse, adulterasse dicatur: nec minus eam sibi vendicant Caluinistæ, quàm Lutheristæ, cùm eam cothurnũ vocent vtrique pedi, hoc est, vtriq; sectæ aptum. Et fuit ante annos quinque Confessio quædam scripta in Graitz, Geravv & Schenburge. Vbi vocatur ocrea Polona: & pallium, quo conteguntur omnes hæreses. Volunt igitur isti, vt articulus ille deleatur, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, & illius loco scribatur, Credo fœtidam ocream Polonam. Omnes quotquot sunt Lutherani, Confessionem sibi vendicant Augustanam, quam, qui non degenerarunt à Luthero Vitembergæ corruptam esse quæruntur. Ac vidi hoc ipso anno Scholæ Vittembergen. librum contra Flaccianos editũ, qui inscribitur, De persona & incarnatione Christi. Vix vllum potest esse hæresis genus tam abominabile, quod eis non attribuant. Marcionitas eos appellant, Samosatenses, Manichæos, Sabellianos, Arrianos, Nestorianos, Eutichianos, Monotelitas, quin & in Mahometanam perfidiam & in Alcoranum inclinare dicuntur. Insuper & hoc affirmant: quòd etiam Deum in cœlis esse non credant. At nonnulli magis addicti sunt Confessioni Augustanæ ei, quæ primùm oblata Cæsari fuit, quàm illi ipsi, quos præclaris his titulis ornat schola Vvittembergensis, & non dissimilibus vicissim ab illis honestatur. Num igitur & hæc portenta Christianissimum Catholicum & Orthodoxum Regem ferre iuxta præscriptum istorum oportebit? Quanto verò prudentiùs ait Schola Vvittembergẽsis, quæ, qui cum potestate versantur, eos admonet, vt oculos tandem aperiant, & execrandas hæreses has abolere conentur: commemorat calamitates, quibus grauissimis totus Oriens affectus fuerit, quod eiusmodi venientibus malis maturè non iuerit obuiam: vnde factum esse dicunt, quod graui nunc Tyrannide Turcarum prematur. Idem Germaniæ quoque metuendum esse, nisi maturè blasphemias istorum cõpescuerit. An autem hoc admiratione dignum non est? quod etiam ipsi hæretici Principum fidem aduersus hæreticos implorant, & in eos animaduerti petunt? At isti cõtrarium flagitãt, vt omnibus impunè permittatur, oẽs hereses quãlibet horrendas profiteri nec. n. potest esse vlla hæresis tã horrenda q̃ ij, qui se gloriantur esse Confessionis Augustanæ, mirabiliter inter se pugnantes ex vtraq; parte sibi inuicẽ nõ impingãt, & vtriq; alteros è synagogis suis nõ eijciãt, vtriq; in alteros Magistratus armẽt, etiã ipsi Lutheristæ in suos ac magis etiã in Caluinistas, q nunc extinctis Lutheristis regnare propè soli videntur, & in Germania, & in Gallia, & in Polonia: de quibus Philippus aliquandò scripserat, quòd non stylo, neque disputatione, sed sceptro Magistratus coercendi forent & refutandi, quin & ipse Caluinus & successor illius Beza libros ediderunt, quibus hæreticos extremo supplicio afáciendos esse docuerunt: quod etiam exequutioni mandandum curauerunt. nam & Geneuæ Caluinus, vt Seruetus comburetur, auctor fuit. Quos igitur auctores isti sequuntur, qui Regem pro suo nescio quo Imperio prohibere conantur, ne qua in hæreticos animaduersione vtatur? Certè quotquot ab Ecclesia Dei discesserunt apud nos, ex magna parte Lutheristæ sunt & Caluinistæ, at hi vtrique monent Principes, vt sumant de hæreticis supplicium, tam de Lutheristis, quàm de Caluinistis. Apud Catholicos id nunquam fuit in dubium vocatum. Testantur hoc Leges Imperatoriæ, & Regni statuta, quæ sarta tecta se conseruaturum iureiurando se obstrinxit Rex. Saltatrices autem quædam ea cupiunt antiquata, quibus contra eos, qui hæreticales errores faciunt, graues pœnæ sunt sancitæ. Cæterùm isti (si DEO placet) Euangelici, duo contraria vt iuraret, à Rege sunt extorquere conati. Sed qui habitat in Cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Puto quòd viderit Domin. Vest. volumen quoddam paulò ante mortem à Philippo Melanchthone editum, quod ille inscripsit (vtinam verè) Corpus doctrinæ Christianæ. In eo grauiter de discipulis suis Flacco & Gallo queritur: quòd sibi maiorem, magisq; intolerabilem ac minus excusabilem potestatem vendicarint, quàm Papa Romanus vnquã, & eò rem perductam esse scribit, vt in Anarchiam euaserit. An autem istorum quoq; consilia, qui Regem sceptro suo spoliatum esse volunt, ad Anarchiam non spectant? Sis, aiunt, Rex noster, sis Dominus noster, sed solo nomine tantum. Gladium ne portes, aut si portaueris, frustrà portes: nec cum stringas contra maleficos, contra eos præsertim q CHRISTVM blasphemant, qui nouas sectas introducunt, qui CHRISTI corpus Ecclesiam in multas particulas lacerant. An hoc est verbo Dei, de quo tantoperè gloriantur, consentaneum? Anita nos Paulus docuit? Principes, inquit, non sunt timori boni operis, sed mali. vis autem non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in malum ei, qui malè agit. Vis Regem non timere, vt dicit Paulus, Hæreticus esse desine: nec vllum tibi futurum est ab illo periculum, quin si desieris hæreticus esse, & officio boni Christiani functus fueris, tantum abest, vt aliquid tibi metuendum sit, vt etiam præmium rectè factorum expectare possis: sin autem resipiscere nolueris, & hæreticus esse perrexeris, time. non enim sine causa gladium portat.

Isti

Universidad de Deusto
Biblioteca

Isti verò, volumus, aiunt, hæretici esse, neque tamen à potestate metuere nobis volumus. Volumus, vt impunè nobis liceat nouas fidiculas condere, Christum blasphemare, sacrosanctam Trinitatem conuicijs insectari, & in omne sectarum genus, quamlibet ille sint abominabiles, quin & in ipsum Mahometismum ruere. Quæso qualia sint hæc, accuratius vt secum expendat Dom. V. de qua mihi renunciatur, quod nimiam istam petulantiam non probat, quodq; multò se gerat modestius, quàm alij multi, qui cum Christo suum honorem detraxerint, & eum in ordinem quodammodo coëgerint, & Sacerdotio, & Sacrificio abrogato: cum eius Vicarij iugum excusserint, & ei debitam obedientiam subtraxerint: quandoquidem esse Papistæ desierunt, Registæ quoque esse nolunt: aut si volunt esse Registæ, prius Regem suo gladio sceptroq; spoliatum cupiunt, vt in Regem ipsi non in ipsos Rex potestatem vllam habeat. Ego verò mirari satis non possum, quomodo vel cogitare talia in mentem istis venire potuerit, qui certè percussi videntur cœcitate & amentia. Iterùm atq; iterùm D. V. hortor, moneo, rogo, & obsecro, vt vel eos in mentem saniorem impellat, vel si locum sanis consilijs dare nolunt: nihil commune enim illis habere velit, sed primùm illi, qui regnat in Cœlis, postea qui Rex ab eo constitutus est in terris Poloniæ Regno subiectis, quam debet subiectionem, obedientiam, & reuerentiam præstet, & memor illius, quod scriptum est: Omne Regnum in se diuisum desolabitur, quodq; dixit ille Propheta, Diuisum est cor eorum, nunc interibunt, velis quod aiunt, remisq; fugiendũ existimet. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, ne patiatur diuidi atq; dispergi, quod precioso sanguine suo congregare, & vnum quoddam corpus, vnumq; spiritũ efficere dignatus est. Quæ sint in Gallia calamitates consecutæ, posteaquàm Christi corpus Ecclesia diuidi cœpit, nihil est necesse me commemorare, cum non minus nota sint ea D. V. quàm ipsi mihi. Duæ fides, duos Reges pepererunt. Caueat per Deum immortalem ab istis fidiculis, quæ malorum omnium lernam secum trahunt, & ad vnam illam priscam Patrum nostrorum fidem, quæ totis iam 600. annis in Polonia semper fuit, eadem reuertatur. Ita futurum est, vt non magis eum, qui nunc terris Regni Poloniæ præest, quàm eum, qui regnat in Cœlis, Deum sibi propitium habeat, qui D. V. omni fœlicitatis genere cumulabit in terris, in cœlesti verò patria gaudijs faciet perfrui sempiternis. Romæ. 73. 20. Nouemb.

Ioanni Chodkeuicz Capitaneo Samogitiæ Liuoniæ Gubernatori. Epistola CCX.

Rogat & obtestatur, vt Confœderationem Regio iuramento approbatam, irritandam curet.

EXaudiuit preces nostras Deus, quas ad illum anno ferè toto fudimus. Regẽ qualem petiuimus, nobis dedit acerrimum Catholicæ fidei propugnatorẽ. In cuius electione præcipuę partes esse dicũtur D. V. quæ nõ potest bonorum omnium iudicio non vehementer probari. Cæterùm non defuisse feruntur, in quos rectè quadrare possit illud, quod in Psalmo legimus. Conuenerunt Principes in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Nam, vt in Catholicum Regem assentirentur, adducti quidem sunt quamlibet inuiti. Sed ei prius Regiam potestatem adimere, prius eum sceptro suo spoliare, prius ei gladium eripere conati sunt, quem à Deo sibi, cuius minister est, concessum habet, vt sit vindex in iram ei, qui malum agit. Qui videntur ex eorum numero fuisse, quos Propheta quidem viros illusores appellat, ad eos dixisse scribit: Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno pacti sumus. Flagellum inundans cùm transierit super nos, &c. quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Verùm quid ad hæc Dominus? Audite, inquit, verbum Domini, viri illusores, delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit, flagellum inundans cùm pertransierit, eritis ei in conculcationem, quandocunq; pertransierit tollet vos. Mirum, ni fuerint Euangelici, qui fœdus hoc cum morte percusserunt, qui pactum cum inferno fecerunt, Sed quam ipsi doctrinam amplexi sunt, non aliter Euangelium dici potest quàm quomodo, lætum lethũ, bellũ bellũ dicimus. Nam vbi docet Euangeliũ, vt fiant coniurationes aduersus legitimam potestatem? vt conspirent omnes, quòd ei se velint opponere, & contra eum insurgere, si patrias leges, in quas iurauit aduersus hæreticos latas, exequutioni mandare voluerit, etiamsi hoc ipsum prætextu decreti, aut aliquo iudiciali processu attentare conetur. Certè quod in Papatu, hoc est, in Ecclesia Christi docetur Euangelium, longè diuersum est ab hoc. Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonũ fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit. Sed nescio quomodo posteaquàm peruersa doctrina tantas radices apud nos egit, rerum quoque nomina conuersa & commutata sunt. Nam quos esse constat infestissimos hostes Euãgelij, qui pacem ruperunt, qui charitatem extinxerunt, qui Christianam vnitatem scinderunt, quæ præcipuè nobis in Euangelio commendantur, & quorum causa Christus in hũc mundum venire, tot contumelias, & opprobria, tot grauissimos cruciatus perpeti, morté etiam acerbissimã, & ignominiosissimã ad extremũ oppetere dignatus est, vt esset pax nostra, vt faceret vtraq; vnum, & non ex vno duo, vel plura, sicut isti, vt filios Dei, qui dispersi fuerant,

fuerant, congregaret in vnum, vt exemplo suo nos ad mutuam charitatem & vnitatem inuitaret, vt omnes vnum essemus. sicut & pater in ipso, & ipse in patre, sic & nos in patre & filio vnum essemus. Hæc igitur, qui nefario scelere violarunt omnia, volunt nihilominus Euangelici dici, cùm ignis & aqua non magis dissideant inter se, quàm eorum & vita & doctrina cum Euangelio pugnat. Quod si quis eos appellet suo nomine, si dicat hæreticos, molestissimè ferunt, cùm tamen, quod audire nolunt, id omnibus modis esse contendant. Nam siue quis ab electione, siue à diuisione aut schismate dici velit hæresim, vt hæreticus dicatur, qui nouam disciplinam eligit, vel qui se diuidit ac separat à Christi corpore Ecclesia, quid ab illis factum sit, secum diligentius reputent, ac tum demùm, an hæretici rectè dici non possint considerent. An idem Euangelium, eandem illi doctrinam retinent, quæ fuit à 600. annis in Polonia prædicata? Quod si non retinent Priscam illam Patrum nostrorum doctrinam, quemadmodum ipsi quoq; fatentur non inuiti: nouam igitur disciplinam elegerunt, & hæretici sunt. Tum autem an à sanctis maioribus nostris non se diuiserunt? an quibus in templis eorum ossa sepulta sunt, illa non abominantur, & sanctorum communionem deserunt seorsim à Rege suo, seorsum ab Episcopis, seorsum à reliquo populo Christiano, qui priscam fidem & religionem retinent, conuenticula faciente? Quod si nil tale faciunt, iniuria fit illis, quando vocantur hæretici: si verò, quod palàm est omnibus, nouam disciplinam elegerunt, si seorsum à Rege suo, & ab alijs Christianis conuenticula faciunt, quæ patrijs etiam legibus esse prohibita sciunt. si, quod statuendum erat in ipsos, ab Ecclesiastica potestate vt eijcerentur ex cœtu piorum, id ipsimet fecerunt, ipsi vltrò ab Ecclesia Dei se præciderunt, vt sint, sicut Paulus loquitur suo ipsorum iudicio præcisionis & hæreseos condemnati. Cur audire nolunt, quod ipsi esse volunt? Cur nomen ipsum adeò detestantur? cùm rem ipsam tanto studio complectantur. Deinde verò, si non sunt hæretici, cur istas coniurationes faciunt aduersus Dominum & aduersus Christum eius? Cur etiam alijs auctores sunt, quos rectè possis dicere Ialonos Catholicos, vt ei subscribant? Cur ipsam quoq; R. Maiestatem contra ius & fas omne, nec illius dignitatis, nec suæ personæ satis memores, adigere conantur, vt iuret se leges patrias, quæ sunt aduersus hæreticos latæ, debitæ exequutioni non mandaturam, & vt suam, hoc est Catholicam fidem, quodammodo condemnet, illorum autem perfidiam approbet perfidiam dico, nam quicquid est extra vnam fidem, non fides, sed perfidia est. siue sit ea Augustana siue Geneuens. siue quocunq; tandem alio nomine vocetur. Dicit sanctus ille Confessor Hilarius, quicquid est extra vnam fidem, non fides sed perfidia est. Principes, ait D. Paulus, non sunt timori boni operis, sed mali. Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Volunt isti non timere potestatem, bonum faciant, Ne sint hæretici, & si qui sunt esse desinant, & habebunt laudem ex illa, non erit opus vllis coniurationibus. Tantum abest, vt aliquid illis metuendum sit, vt ego sponsor illis esse non dubitem, quod etiam laudem & honorem expectare possint à Regia Maiestate, & erit maius gaudium super vno hæretico conuerso, quàm super nonaginta nouem iustis sicut in cœlo & in terra. Non error facit hæreticum, sed pertinacia. Humanum est errare, diabolicum perseuerare. Si posset errorem agnoscere suum diabolus, saluus esse posset: sed quia sic est ingenium illius, vt eum nunquam agnoscat, saluus fieri nunquam potest. Audio, quod in Comitijs Sredensib. nulla fuit facta mentio coniurationis istius, & sunt electi nuncij Catholici, quo nomine plurimum gaudeo. Videtur enim ibi studium hæreticorum refrixisse. In Mazouia verò, quæ ferè sola ex omnibus Prouincijs regno subiectis verè Catholica dici potest, mandatum est nuncijs ad Comitia coronandi Regis designatis, vt omnibus machinis coniurationem hanc oppugnarent. In solis Prussouiensibus Comitijs, cùm Graccouiæ præsedisset conuenticulum hæreticorum, in quo nescio quam nouam fidiculam condiderunt ad instar illius, quæ fuit in Sandomirienſi conuenticulo ante triennium condita, vel potius quendam syncretismum facere conati sunt, circumlatæ sunt literæ in charta pecorina conscriptæ, cum subscriptionibus & appensis multorum sigillis, ac qui nondum id fecissent, vt ipsi quoq; subscriberent, & sigilla sua apponerent, admoniti sunt, quin & de nouis iuribus condendis, deq; nouo processu iudiciali instituendo fuisse dicitur iniecta deliberatio. Num autem hoc non est auctoritatem Regiam sibi arrogare? Sed vbi scriptum est, quod sacerdotes sumus omnes, ibidem scriptum est, quod Reges quoq; sumus omnes, vt non omninò videantur hac in parte scriptura destituti. Qui potestatem sibi vendicant nouas fidiculas condendi, cur non eandem sibi vendicent in nouis legibus figendis? Non paruam ex ea re consolationem accepi, quod D. Palatinus Sandomirienſis, nec in illo Graccouienſi conuenticulo, in quo de syncretismo tractabatur, nec in Comitijs Possouiensibus præsens adfuerit. Nam inde coniecturam capio, quod ab ista coniuratione sit iam factus alienior, quod si ita est, mihi quidem sapere videtur. Sat scio, quod R. Maiestas egregia quadam in illum suæ voluntatis inclinatione propendet. Sed si vult, vt etiam deinceps eundem animum erga illum retineat, ab ista conspiratione sibi caueat. Quoniam verò D. V. sororem eius habet in matrimonio, si nondum satis refrixit in eo studium confœderationis istius, quæso, deroperam, vt eum ab illa deterreat. Nam si se cum illis coniunxerit, qui conuenerunt aduersus Dominum & aduersus Christum eius, vtrumq; Regem grauiter offendet: & eum qui regnat in cœlis, & eum quem loco suo constituit in Poloniæ terris. ne velit inter eos numerari, quos dixisse scribit Propheta. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum: dirumpamus vincula, quibus & Pontifici, & Regi addicti sumus, & vtriusq; iugum à ceruicibus nostris excutiamus. Audio, quod eius quoque studium enituit in hoc Rege eligendo, cuius rei, quin se gratam & memorem ostensura sit R. Maiestas, dubium non est. Cæterùm conspirationes istæ fieri non potest, quin Maiestatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

statem eius grauiter offendant, quod ipsi illi noua iurisiurandi formula obtruditur, ac durioribus etiam vinculis alligatur, quàm superioribus seculis quisquam alius ex ijs, qui sunt Poloniæ Reges electi. Quibus autem causis adducti sunt, vt has tam duras leges ei Regi præscriberent, cuius virtutes testatæ sunt omnibus, cuius res præclarè gestæ merentur, vt eius ratio maior haberetur. Verùm & hoc ab hæreticis proculdubio est consilium profectum, qui non aliud quàm Anarchiam, (si quid ijs credimus, quæ paulò ante mortem scripsit Philippus Melanthon) meditari videntur. Sunt illi CHristum de gradu suo deturbare conati, sublato sacerdotio & sacrificio, nullus vt ei cultus præcipuus præ mortalibus exhiberetur, nec esset vllum discrimen inter Deo debitam seruitutem, quam λατρείαν vocant, & eam quæ debetur hominibus, qui cum potestate versantur. Fecerunt idem do CHristi Vicario, cuius omne iugum prorsus excussérunt: nunc idem cogitant facere de Rege, non illi se, sed illum sibi quodammodo subiectum esse cupiunt. A D. V. peto, dare velit operam, vt hæc istorum hominum consilia, ne quem progressum habere queant, quæ non aliò pertinent, quàm ad regni totius interitum. Cur autem solus hic Rex idoneus est habitus, cui noua iurisiurandi formula proponeretur? qui nouis quibusdam quibus nullus Rex ante eum obstrictus fuit, vinculis alligaretur? cui nouæ leges præscriberentur? Me certè consiliorum istorum vehementer pudet. Quoniam verò de beneuolentia in me Illustris D.V. multa mihi polliceor, hæc ad illam confidenter esse scribenda putaui. Quod si quis dixerit, iam iurauit Rex, fateor quod iurauit, & peccauit, peccatū peccato non addat. Iurauit lingua, mentem iniuratam seruauit, & eò leuius est peccatum. Quod si verò quod parum consideratè iurauit, id præstare conaretur, iam peccatum illius multò futurum esset grauius. Verum est, quod agamus Deo gratias, non habemus Herodem Regem, qui quod crudeliter iurauit, crudelius præstitit, sed habemus Regem, qui quàm proximè accedit ad Regem sanctum illum Dauid. Iurauit & ille parum cautè, se Naabal occisurum, nec in eius ædibus mingentem ad parietem superstitem vllum relicturum: sed magna cum pietatis laude quod iurauit non præstitit. Noster quoq; Rex iurauit, non vnum Naabal, sed multa millia animarum occisurum, & in Sathanæ potestatem traditurum. Sed hanc de misericordia Dei certam spem concipio, quod se nunquam in eam impelli mentem patietur, vt quod lingua iurauit, re præstet. Deinde verò, qui sibi nescio, quam in eum potestatem arrogarunt, duo pugnantia inter se eum iurare coëgerunt. Vt & seruaret leges patrias, & violaret: Vt & puniret iuxta regni constitutiones hæreticos, & impunè grassari permitteret. Prius illud iusiurandum & diuinis, & humanis legibus consentaneum est: posterius cum illis ex diametro pugnat. Cùm autem iuramentum non sit vinculum iniquitatis, quod iniquè iurauit, eo non tenetur, nec absolutionis vllius indiget, quandoquidem natura sua nullum est hoc iusiurandum: hoc D. V. certò sibi persuasum habeat, & alijs etiam persuadere curet. Inter omnes regni, Magniq́ue Ducatus Senatores vix quisquam est, cuius hîc nomen maiore cum laude celebretur ab omnibus, quem in oculis magis ferant omnes, quàm D. V. quæ nefariæ conspirationi nunquam subscribere voluisse dicitur, & ita se gessit in hoc interregno, vt eius & prudentiam & magnanimitatem, & quod caput est, pietatem, in cœlum laudibus ferant omnes. Quamobrem quam hic de suis virtutibus habet conceptam opinionem, eam auctam potius & amplificatam velit, quàm vt aliquid imminui de illa patiatur. In primis cœlestis Regis dignitati & gloriæ studeat, vt ne quid fiat, quo meritò possit offendi: deinde Poloniæ quoq; Regis, quem elegit, vt ne durioribus vinculis adstringatur, quàm qui præcesserunt Reges. Et quotquot habet sibi necessitudine coniunctos, vel quibuscunq; rationibus alijs deuinctos, eos ab istis nefarijs coniurationibus dehortetur, atq; in eorum societatem adducere conetur, qui & Regis Regum, & qui subiectus est illi Poloniæ Regis, electi dignitati studebunt. Apud omnes mortales gloriam, apud Regem ingentem gratiam, apud DEVM eam mercedem consequetur, qua nullus animus maiorem capere potest. Romæ XII. Decemb. M. D. LXXIII.

Vincentio Laureo Episcopo Montisregalis Nuncio in Poloniam. Epist. CCXI.

Consulit quid faciendum censeat, si à Regia Maiestate concessio Confusionis Augustanæ petita fuerit.

QVOD D.V. silentium suum ruperit, magnam ex ea re consolationem accepi. Non sunt adeò res in patria mea deploratæ, sicut à nonnullis D. V. dictum est. Est quidam, de quo scripseram in literis meis prolixioribus per Abbreuiatorem datis lepore timidior, qui vel ab vmbra sua sibi metuit. Sed reperiet alios proculdubio satis animatos, & modò se virum præstet initio Maiestas Regia, demittent illi cristas, qui nimio plus eas erexisse videbantur. CHristi causa agitur, quominus metuere debet Maiestas eius, cùm sæpè iam sit, quàm illi præsens adfuerit, in rebus multò magis arduis & periculosis experta. Fiduciam nostram in Domino positam habeamus, non ille deseret sperantes in se. Reperiet adhuc in Polonia non plus quàm septem, sed plus quàm septuaginta septem millia, quæ nunquam curuarunt genua ante Baal, vel Islebien. vel Geneuen. vel quemcunque tandem alium, & quidem virorum fortissimorum. Sat scio, quod quæ sunt in Prussia tres ciuitates, quarum vna meæ quoq; Iurisdictionis est Ecclesiasticæ, petituræ sunt à Maiesta-

testate Regia confusionem Augustanam, vt in eius possessione confirmentur, proferent etiam fortasse literas defuncti Regis, quibus eam sibi permissam fuisse dicunt. Sed eæ literæ non sunt eius generis, vt pondus aliquod habere queant. Qua de re pluribus verbis cum hædis meis egeram, cùm ad eos Elbingam venissem, & eis ostendi literas, quibus defunctus Rex negauit, vnquam eam confessionem se illis permisisse. Misi etiam descripta omnia, quæ per me fuerunt acta cum Elbingensi Scholastico Cathedralis Ecclesiæ Craccouiensis, quem audio Christianæ fidei, cõtra CHristi perduelles hæreticos acerrimũ esse propugnatorem: ab eo petet D. V. aut si fortasse interceptæ sunt meæ literæ, quod huius Interregni tempore non fuit insolitum, à Patritio petet, aut à Vladislauiensi Episcopo. Multum à me laboratum est in illis ad Ecclesiam Dei, à qua se per summum sacrilegium præciderunt, reducendis: sed quantum adhuc profecerim, vehementer me pœnitet. Nam eo iam audaciæ progressi fuerunt, vt etiam fideles Dei ministros, quos ad sacra Christiano ritu peragenda, & ad purum CHristi Euangelium, non autem Islebiensis Antichristi cacangelium prædicandum eò miseram, non è sua, verùm è Regia ciuitate duobus lictoribus comitatos turpiter eiecerint. Si cilli Christianam fidem non ferunt, non in sua, sed in Regia ciuitate: & intereà volunt, vt Rex ferat perfidiam Augustanam. Sed hac de re pluribus aget cum D. V. Petrus Costka Ecclesiæ meæ Canonicus, ad quem & ipsum eius rei cura pertinet, cùm sit in partem sollicitudinis nostræ vocatus. Nunc aliud nihil quàm hoc illam admonendam duxi: velit Regiæ Maiestati persuadere, aut per alios persuaderi curet, cùm ea de re tractauerint. Si nollet illis præcisè negare, quod petiuerint hæ tres ciuitates. Nam nescio quomodo, quod ego sine magno animi mei dolore commemorare non possum, eò res iam redacta videtur, vt si Deo potius, quàm tempori seruiendum esse putauerimus, cœlum esse statim ruiturum, persuasum habeamus. Olim dicebamus in precibus nostris, Deo seruire regnare est, nunc dicimus: Tempori seruire regnare est, Deo seruire Regnum est perdere. Tanta est in Deum diffidentia, tanta in temporis ratione confidentia, quæ tamen quàm fœliciter ceciderit in Gallijs videmus. Quamobrem si non vult Maiestas illius præcisè negare, quod etiam illi Deo tribuendum aliquid existimat, quem nunc tempus vocant, saltem nihil promittat, nec vllas eis literas confirmationis det, saltem hoc respondeat: Sui non esse muneris, esse Pontificem Romanum, esse nuncium hic illius, esse Episcopos, cùm ijs agant de ijs, quæ ad fidei causam pertinent, se in alienam messem falcem immittere nolle, nec Polyticum Pontificem agere velle, Regia sua potestate se cõtentũ fore: quæ pertinent ad religionẽ, in ijs quominus Regia quoq; sua potestas Pontificiæ subiecta sit, minimè recusare se. Tale responsum si dederit insanis illis capitibus, qui sibi non solùm Regiam, verùm & Pontificiam potestatem, in ciuitatibus Regiæ Maiestati subiectis arrogant, mihi quidem videtur, quod erit responsum placidum, nec habebunt vllam quiritandi causam. Quantò plus autem Maiestas illius largiendum illis putauerit, tantò ad quiduis audendum eos promptiores reddiderit: & qui nunc nolunt esse Papistæ, non ita multò post desinent etiam esse Registæ, sciens loquor. Nam hominum ingenia noui, nec mihi sunt etiam ignotæ eorum practicæ. Qua de re plura cognoscet ex alijs, quibus notiora sunt quæ gesta sunt in hoc Interregno. Quàm autem cuperem, vt hædos meos Elbingenses aliquando ad se vocaret, & ex eis quæreret, cur me Pastorem & Episcopum animarum suarum reiecerint, & suis auribus seruientes alios acciuerint, qui verò missi fuerunt à me, eos è ciuitate Regia exterminauerint, priusquàm autem his de rebus cum illis ageret, vellem, quod non grauaretur sumere laborem acta Elbingensia perlegendi. Sic enim de rebus omnibus informata, maiore cum fructu cum illis agere posset. Verùm hæc de meis hædis dicta sufficiant, contra quos, vt non mihi, sed ipsi CHristo, cuius causam agimus, operam suam diligenter nauare velit, maiorem in modum ab illa peto. Quod autem ad Iusiurandum attinet, bona spe sum, quod cassa & irrita reddentur omnia, quæcunq; sunt Parisijs extorta, qua de re apud eosdem illos duos, quorum antea memini, pleraq; scripta reperiet, & apud Excellentissimum Ducem Niuernensem, nisi fortè, quod nollem, intercepta sunt, quæ per me scripta fuerunt. Vt autem in hanc spem veniam, hæc me ratio maximè mouet, quod inter illos ipsos, qui ludunt fidibus, de religione magnum est dissidium, vt si quæsitum fuerit, quam fidiculam confirmari velint, quod respondeant, habituri non sint. Nam quidam volunt Sendomirien sem, de qua multa tractata fuerunt proximo superiore mense Septembri Craccouiæ: quidam Augustanam, alij Tigurinam, vel Genenensem, alij Blandratanam, alij aliam. Omnes autem vt confirmet Regia Maiestas, in hoc nunquam consentient omnes. Deinde verò à quo coronabitur Maiestas eius, in eius manibus solitam iuramenti formulam in Pontificali præscriptam recitare debebit: quæ certè non conueniet cum illa, quam Parisijs recitauit. Alia multa poterunt ab ijs, qui præsentes adsunt inueniri, quibus effici possit, vt inducantur omnia, & sempiterna obliuione obruantur, quæ Parisijs acta fuerunt: cùm præsertim & hoc perspicuum sit, quod aliter mandata fuerint oratoribus missa, quàm erat in regni comitijs decretum. Cùm enim præcipui Catholici Senatores, fortasis vt sumptum fugerent festinatò discederent è Comitijs electo iam Rege: hæretici, qui sicut olim Iudas in prodendo CHristo, sic & ipsi solent esse vigilantiores in CHristi causa oppugnanda, soli prope remanserant, & iuxta quod illis visum fuit defignatis oratoribus mandata scribi curauerant. Quæ certius & vberius omnia D. V. cognoscet ex ijs, qui melius quàm absens ego cùm præsentes adfuerint, ea perspecta habent & explorata. Forti animo opus est & in DEVM fiducia, quem si Regia Maiestas ostenderit in ipso initio, habebit regnum pacatius, & omnes subditos multò sibi magis morigeros. Palam omnibus faciat, se neminem timere præter

Universidad de Deusto
Biblioteca

DEVM, & eius timore, quo minus quæ petuntur contra DEVM concedat, prohiberi. Talem si se declarauerit, non solùm nulli motus erunt pertimescendi, verumetiam quietiora erunt deinceps semper omnia. Timebitur ab omnibus timens DEVM, reuerebuntur Maiestatem eius omnes, in oculis ferent omnes. Hæc D.V. subinde Maiestatis eius auribus inculcet. Cui tradi Venetijs iusseram lucubrationes nostras in ea vrbe nuper editas, in quibus duæ sunt epistolæ dedicatoriæ, vnam ad S. D. Nostrum, altera ad Regem, quas si legere grauata non fuerit, fortasis non erunt inutiles. Nam si nihil aliud cognoscet ex illis ipsorum inter se Lutheranorum plusquàm capitalia disidia: quæ & ipsa magnum adferre momentum poterunt ad persuadendum, ne perfidia Augustana recipiatur: quandoquidem inter ipsos tantæ rixæ sunt atq; dissensiones, & inuicem tam atroces hæreses exprobrant. Vellem autem vt haberet eos libros, quorum in illis epistolis memini, quos vt secum perferendos in Poloniam curaret, familiari meo Stanislao Drozinio, si modò reperiri Viennæ possint, mandaui: quod ab eo factum esse non dubito. Præcipuè verò vellem, vt haberet Euangelicam inquisitionem Georgij Ederi, præclarum librum, & lectu dignissimum, tantoq; magis expetendum à Catholicis omnibus, quantò minus eum ferre possint hæretici, in quorum oculis sudes quidam libellus hic esse videtur. Datum Romæ II. Ianuarij M.D. LXXIIII.

Ioanni Regi Suetiæ. Epist. CCXII.

Rogat & hortatur, vt ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ redeat, & de vsu Sacramenti sub vtraq; specie instruit.

REdditas esse Maiestati V. meas literas gaudeo, quæ de singulari meo studio in se & obseruantia, & in omnibus inseruiendi prompta & alacri voluntate, nil est quod sibi rectè polliceri non queat, non solùm in ijs quæ pertinent ad fortunarum atq; dignitatis illius augmentum, verumetiam (quod mei muneris magis esse proprium videtur,) in his, quæ spectant ad illius animæ salutem sempiternam, libenter illi semper meam operam sum nauaturus. Quò magis miror, quòd qua de re potissimum ad Maiestatem V. à me scriptæ literæ fuerunt de religionis causa, nullam in his quibus meis respondet literis mentionem faciendam esse putauerit: cùm tamen ego nihil magis in votis habuerim, quàm vt si quis adhuc in V. Maiestatis animo scrupulus resideret, eum, Deo mihi suppeditante gratiam, eximere possem. Iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus, quoties de causa religionis exortæ fuerunt controuersiæ, non aliò quàm ad hanc S. Sedem Apostolicam de illis referebatur: illius iudicium requirebatur, quod illa docuisset, in eo semper acquiescebatur. Nec à Catholicis magis, quàm ab ipsis etiam hæreticis, quin & ab Ethnicis Imperatoribus, hoc non raro legimus factitatum, quod copiosius à nobis demonstratum est in 28. cap. eius libri, qui nuper Venetijs editus, & confessio Catholicæ fidei Christianæ inscriptus est. Varijs etiam in locis antea in Polonia, in Germania, in Belgio, in Gallijs, in Italia propè triginta vicibus typis mandatus: quem ego librum Vestræ Maiestati mitto, simul vt exordium huius anni fœlix, faustum, & fortunatum illi DEVS velit, precor & opto, & vt caput istud vigesimum octauum succisiuis horis perlegere ne grauetur, maiorem in modum peto. Cognoscet ex eo, quanta fuerit apud omnes in toto orbe Christiano, sanctæ sedis huius reuerentia & obseruantia, quamq; fuerit hoc infixum fidelium cordibus, vt non alium Catholicum esse persuasum haberent, quàm qui sacram sedem hanc agnosceret, & in ijs quæ pertinent ad religionem, illius iudicio se submitteret. Quod si Maiestas V. certis aliquibus quibuscunq; tandem ex causis, non putauit suis literis appellandum eum, qui sedet in Petri Cathedra, quàm, qui se præciderunt à Christi corpore Ecclesia, plusquàm Vatiniano odio prosequuntur, saltem ad me scribens, quid esset in literis meis, quod illi non satisfaceret, breuibus perstringere potuit. Sed ego, quod nunc neglectum est, alio tempore sarcitum iri spero. Interea quod scribit Maiestas Vestra se pacta conuenta matrimonij cum Serenissima pientissimaq; coniuge initi rata semper habuisse, nec vnquam contra ea venisse, magnam ea res voluptatem animo meo attulit: cùm ex eo non obscurè colligere liceat, quanta sit illius in seruandis promissis fides & constantia, quam vt deinceps etiam tueatur, nec ab ea se cuiusquam persuasionibus deduci patiatur, Maiestati V. supplico. Multò magis autem illud oro, si qui sunt, qui Serenissimam coniugem Vestræ Maiestatis deterrere conantur, quò minus eos ritus retineat in vsu sacramentorum, in quibus à teneris educata fuit, vt eos cohibere velit. Nam si Maiest. V. quam semel Serenissimæ coniugi suæ fidem obstrinxit, quod pacta & conuenta matrimonij perpetuò seruare nec impedire velit, quò minus in prisca religione nostra Christiana perseueret, acritibus etiam externis Id testatum faciant, eam inuiolatam illi seruare cupit, certè permittere non debet, vt alij, qui sunt imperio Maiestatis Vestræ subiecti, plus in eam sibi iuris vendicent, & eam ab hoc sancto instituto suo, minis etiam quibusdam interpositis, arcere conentur, nec ad intermissum alterius tantum sacrosanctæ Eucharistiæ speciei vsum redire patiantur: ad quem nisi qui prius redierint, eis ab hac sancta Sede Apostolica quamlibet instanter petant calicis vsus concedi non potest, quem quod Ecclesia prohibendum esse duxit, non propterea fecit, vt illius vsum prorsus illicitum esse perpetuò iudicaret, sed vt quæ quorundam animis inhæserat opinio, quod extra calicis vsum

saluus

saluus fieri nemo possit, eam aboleret. Nunc ita calix vrgeri videtur, quasi nisi quis ex illo biberit, vitam æternam consequi non possit. Qui cum tali opinione calicem petunt, ijs eum sancta Sedes Apostolica omninò censet esse negandum. Nam ad mortem æternam, non ad vitam æternam eo potiri volunt. Quàm multos abstemios reperire licet, qui nec odorem vini ferre possunt, num à regno cœlorum arcebuntur ij, propterea quòd ex calice non bibunt? Quot autem gentes videre licet, apud quas vel nulla, vel perexigua vini copia est, vt vix etiam ad sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum sufficere possit: num excludentur & hæ à salute sempiterna? Quod si certum est & indubitatum, (quemadmodum hoc illi ipsi confitentur, qui discesserunt à nobis hoc infœlici sæculo nostro, primiq; tot sectarum inter se dissectarum authores fuerunt,) nullum esse CHristi præceptum de calice necessariò sumendo, cur tantoperè nunc à quibusdam vrgetur, & Serenissimæ coniugi Vestræ Maiestatis violenter obtruditur: minis ac terroribus quibusdam adiectis, nisi fecerit imperata, quod eiectis ex regno sacerdotibus quos alit, quò minus externo sacrificio Deum agnoscere, Christianoq; ritu colere possit, prohibere velint? Sic illi plusquàm Regiam sibi potestatem in Vestræ Maiestatis coniugem Reginamq; Dominamq; suam vsurpant. Quale per Deum immortalem est hoc, quod isti vocant Euangelium, quod non subijci subditos Principibus, sed Principes subditis subiectos esse vult? Nostrum quidem Euangelium docet, quod omnis anima sublimiori potestati subdita sit, at quod isti proferunt, longè diuersam canit cantilenam, vt rectè quidam dixerit, duobus id verbis scribi posse, sursum deorsum: vt quod sursum est, hoc deorsum esse velit: quod verò deorsum est, sursum. Sed ego mihi de Maiestate Vestra certò persuadeo, quod sibi sceptrum suum ab istis eripi non patietur, pactorumq; & conuentorum, quæ, priusquàm matrimonium esset contractum, inita sunt, memor, non permittet, vt quisquam Serenissimam coniugem Vestræ Maiestatis impediat, quo minus auita religione, ritibus etiam autis, quibus omnes iam inde à sexcentis annis & in Suetia & in Polonia semper vsi sunt, vtatur & ipsa. Sub immani Turcarum tyranno non prohibentur Christiani, quò minus apertè CHristum confiteantur, & eum ritu suo colant: & quam ille sæuitiam in Christianos non exercet, eam exercere Satrapæ Maiestatis Vestræ volunt in Dominam suam, quæ est vna caro cum Vestra Maiestate, cui non minor quàm Maiestati Vestræ debetur reuerentia. Volunt ab ea sacerdotes Christianos expellere, ne Christiano ritu, quem in Suetia & Polonia per longam Episcoporum & sacerdotum successionem per manus nobis traditum accepimus, Sacramentis & sacrificijs vti possit. Si (quod pro sua misericordia procul Deus auertat, nec ego futurum vnquam puto) tale quid eueniret, non facilè quisquam crederet, id non consentiente Maiestate Vestra factum esse. Non ignorat autem illud, quod facientes & consentientes eadem à Deo pœna plectuntur. Quamobrem iterum atq; iterum à Maiestate Vestra supplex peto, vt ne velit nomini suo maculam hanc inuri, quasi pactis & conuentis matrimonialibus non steterit: nec vila ratione sibi persuaderi patiatur, tam esse calicis vsum omnibus necessarium, vt nisi quis ex eo biberit, ad vitam æternam peruenire non possit. Nam quid hoc aliud foret, quàm patres nostros, auos, proauos, atauos, abauos omnes condemnare? quos nec in Suetia, nec in Polonia calice potitos vnquam fuisse constat ante nouum hoc Euangelium. Scilicet illi vel cœci prorsus fuerunt, qui tam expressum, vt isti volunt, Dei verbum non viderunt, vel quod multò grauius est, extremè improbi & impij, qui scientes, prudentes, viui, videntesq; contra tam apertum Dei mandatum venire non dubitauerunt. Patrum fidem commendans Athanasius, cùm aduersus Arrianos dimicationem suscepisset, qui, sicut nunc Lutherani, noua quædam dogmata proferebant, & Euangelium sub scamno sæculis aliquot latuisse, per se verò tandem erutum esse vociferabantur. Quod si, inquit, malè senserunt Patres nostri, & scriptis suis orbem terrarum seduxerunt, cesset omninò eorum memoria, & scripta eorum abijciantur. Ite ergo vos ipsi, & eruite eorum reliquias ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & eos fuisse seductores, & vos esse parricidas. An autem quibus ille sanctus Pater Arrianos olim affatus est ijsdem illis verbis & nobis, Lutheranos istos Satrapas adoriri non licebit? Si tam cœci fuerunt Patres nostri, vt claram adeò scripturam non viderent, vel potius tam extremè improbi, vt videntes contra eam venirent, Ite ergo vos Satrapæ, & eruite Patrum vestrorum, auorum, proauorum, atauorum, abauorum reliquias è monumentis, etiam eorum, qui primi verbo Dei plantauerunt Ecclesiam in isto regno, & sanguine suo rigauerunt beatorum Ansgari, Adaluardi, & Stephani, etiam sancti Regis illius Erici, qui dum Episcopos fidem CHristi propagantes pro suis viribus tueri conaretur, mortem gloriosam oppetere non dubitauit: etiam sanctæ viduæ Brigidæ, & eius filiæ Catharinæ, quæ regnum istud admirabili quadam vitæ sanctimonia, multis arcanis misterijs Dei singulari munere nobis patefactis, plurimis miraculis editis cumprimis clarum reddiderunt & illustre: eruite omnium horum & parentum vestrorum reliquias ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & eos fuisse seductores, & vos esse parricidas. Cùm itaq; certum sit & indubitatum, etiam propria illorum confessione, qui primi fuerunt ab Ecclesia Dei discessionis auctores, nullum esse de calice necessariò bibendo CHristi mandatum, quorsum tanta contentione calix à Satrapis istis vrgetur? quasi nisi quis ex eo biberit, æternæ damnationis reus esse iudicetur. Charitas & vnitas est, quam solam Christus nobis tam diligenter esse voluit commendatam, vt non alia nota, quàm hac à filijs diaboli, filios Dei discerni posse docuerit. Nunc extinctam charitatem, scissam vnitatem, proh dolor, esse videmus. Mysticum illud Christi corpus, pro quo viuum ille suum & verum corpus multis ante supplicijs excruciatum hostiam pro nobis in ara crucis mactandam obtulit, in plurimas particulas miserandum in modum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dissectum cernimus. Truculenti milites illi, qui CHristi corpus in crucem egerunt, integrum illud in cruce reliquerunt, vt impleretur scriptura, os non comminuetis ex eo: at isti præclari milites nostri sæculi, qui malunt Euangelici, quàm CHristiani vocari, quamlibet impios illos immanitate sua longè superarunt. Quot.n.ex mystico CHristi corpore, quæ est Ecclesia, particulas non fecerunt? Quod vt ipsa Maiestas Vestra cernat oculis, nolo iam proferre Catholicorum ea de re testimonium, quibus per istos fides derogari potest, qui satis esse putant, si Papistam probri loco vocent aliquem, ad sanam eius doctrinam refutandam. Sed mitto Maiestati Vestræ librum, quem hoc ipso anno Schola VVittembergensis edidit aduersus eos, qui sunt accerrimi Confessionis Augustanæ propugnatores, vt videat, quàm horrendæ sectæ, posteaquàm ab vna sancta Catholica, Apostolica Romana Ecclesia discessum est, ex Orco reuocari, & pro Dei verbo populo venditari cœperunt. Eò iam perductam esse rem per discipulos suos Magistri VVittembergenses queruntur, vt vix vnus in cœlis Deus esse credatur. Monent omnes, vt oculos tandem aperiant, quibus tam fœdos & execrandos eorum errores contemplari possint. Fidem aduersus eos omnium eorum præsertim, qui cum potestate versantur, implorant, vt maturè venientibus malis obuiam ire velint, hortantur: quod periculum sit, ne quas pœnas Oriens grauissimas dedit, ijsdem hæresibus infectus, in eas etiam incidat Germania, & immani Turcarum potestati subijciatur. Discipuli verò suos præceptores modò non earundem hæreseon, insuper & Pelagianismi & Caluinismi insimulant, neq; minus contra illos tragicè vociferantur, neq; dissimiliter eorum qui cum potestate versantur, aduersus Magistros suos VVittembergenses fidem implorant. Nullum est fermè fidei dogma, de quo inter VVittembergenses, cæterarumq; Saxoniæ ciuitatum Theologos satis conueniat, in hoc vno mirabiliter inter se consentiunt, vt & de calice bibant omnes, & cùm benè poti fuerint, Romanum Pontificem omnibus sannis, dicterijs, maledictis incessant omnes. Quod cùm strenuè peregerint, tum se maximam laudem in Euangelio consecutos esse persuasum habent. Quodq; magis mirum est, nec inter ipsos Flaccianos vlla est consensio. De peccato originis quantæ pugnæ sunt inter Heshusium, Vigandum, & Flaccum. Sed ego modum excederem epistolæ, si vellem omnes eorum controuersias enumerando recensere. Poterit ipsa legere Maiestas Vestra, cùm per otium ei libuerit, in libro quem mitto Scholæ VVittembergensi de persona & incarnatione CHristi, tum & in sex sermonibus Smidelini, qui dum audacia pro sapientia vtitur, eorum dogmata quæ magis inter se dissident, quàm ignis & aqua, impudenter, ne dicam, an imprudenter, conciliare conatur. Quæ verò non impingit ille Scholæ VVittembergensi in sexto sermone? Cùm itaque sic se res habeat, cùm quod nunc vocatur Euangelium ab illis ipsis, qui volunt præ cæteris Euangelici dici, mutuis ipsorum telis tam grauiter oppugnetur, faceret Maiestas Vestra rem Christiano Rege dignam, si seriam ea de re cogitationem susciperet, non vt de calice biberetur, (in qua re salus nostra non consistit,) sed vt ad pristinam illam charitatem & Ecclesiæ vnitatem rediretur. Quod si perficeret in regno suo, si perductam eò rem opera Maiestatis Vestræ videre liceret, vt quale fuit ante quinquaginta plus minus annos regnum Suetiæ, terram vnius labij & sermonum eorundem, multitudinis credentium cor vnum, & animam vnam in eo cerneremus, vt etiam esset iuxta CHristi promissum vnus Pastor, & vnum ouile, nomen suum immortalitati consecraret, & longè gratissimum Deo sacrificium offerret: nec minorem ex restituta religione laudem & gloriam reportaret, nec minus ampla premia consequetur, quàm quæ consequuti sunt illi Reges, qui primi in regnis Maiestati Vestræ subiectis Ecclesiam sanguine suo rigauerunt. Quò magis autem adduci possit, vt hanc præclaram cogitationem suscipiat, qua nullam vel Christiano Rege digniorem, vel Deo gratiorem suscipere possit, mitto Maiestati Vestræ perelegantem librum quendam, & ad rem præsentem vehementer accommodatum: cuius auctor est Consiliarius quidam Cæsareæ Maiestatis, vir insigni pietate, neq; vulgari doctrina præditus, & inscribitur Euangelica inquisitio de vera & falsa religione aduersus communem illam multorum hoc nostro sæculo vociferationem, quod iam vix quisquam scire queat, quid, aut quomodo credere debeat: quem si perlegere dignata fuerit, nil dubito, quin sit ad veritatis cognitionem facilè peruentura, neq; magno negotio perfectura, vt sicut vnus Deus, & vnum Baptisma, sic etiam sit in regno Maiestatis Vestræ vna fides, vt vnanimes vno ore glorificemus omnes Deum & patrem Domini nostri IESV CHristi. Magnum ea res imprimis ad gratiam Dei conciliandam, deinde verò quæ curari Maiestas Vestra vult per me in regno Neapolitano fœliciter peragenda, adiumentum adferret. Quam ad vtramq; rem, & precibus meis quamlibet indignis apud DEVM, & iugi interpellatione apud eius Vicarium, & apud eos, quorum nobis ad eam rem fauor est necessarius, meam operam promptam & alacrem defero. Datum XXIIII. Ianuarij M. D. LXXIIII.

Lutherani post calicem maledicunt Pontificem.

Catharinæ Reginæ Suetiæ. Epist. CCXIII.

De vsu vtriusq; speciei permittendo respondet, & ad constantiam in fide Catholica adhortatur.

Quod

QVod pervenerint ad Maiestatem Vestram binæ meæ literæ, valdè mihi gratum fuit & iucundum ex his, quibus illa respondet, cognoscere. Debet autem hoc sibi Maiestas Vestra certò de me polliceri, quod nil curæ, laboris, diligentiæ prætermittam, vt illi possim vtiliter inseruire, cùm in ijs, quæ ad fortunarum accessionem, tum in his quæ pertinent ad illius animæ salutem sempiternam: idq́ue tantò maiore cum alacritate faciam, quantò mihi fidem suam pluribus obstringit, pondus aliquod literas cohortationesq́ue meas apud Maiestatem Vestram habituras, nec se quibuscunque tandem persuasionibus adductam iri CHristi corporis vnitatem vt deserat, & ab illa se disiungat. Vtinam autem aliquod eius rei documentum dare Maiestas Vestra voluisset, in eius Sacramenti vsu, per quod vnum CHristi corpus efficimur omnes: quod sicut verum & viuum CHristi corpus, ita mystici quoq; corporis CHristi Ecclesiæ Symbolum quoddam est, incredibilem quandam ex ea re voluptatem accepissem. Iam in eius rei spem adductus fueram his literis, quas ad me dederat Maiestatis Vestræ Capellanus Ioann. Herbestus, & omnino futurum existimabam, vt ad intermissum alterius tantum sacrosanctæ Eucharistiæ speciei vsum rediret: quod quia non fecit, multò difficiliorem causam suam reddidit. Nunc si maximè vellet S. D. Noster illi gratificari, nulla ratione potest. Nam quod antea me scripsisse Maiestati Vestræ puto, non in vsu Sacramenti huius, verùm in præcisione vitium est. Præcisionem autem vt approbet CHristi Vicarius, & legitimus Petri successor, nunquam faciet. Siue quis vtatur vna, siue vtraq; specie, modò ne deserat obedientiam Ecclesiæ, proficit dignè sumentibus ad salutem. Quamobrem in vsu Sacramenti vitium non est: sed existimare, quod necessariò calicem sumere oporteat, & quod aliter salutem consequi nemo possit, hæc iam est præcisio, iam hæc est à CHristi corpore Ecclesia quædam separatio. Damnantur enim omnes, quotquot superioribus sæculis vel in Suetia, vel in Polonia, vel quibuscunq; tandem alijs in regnis vnica tantum Eucharistiæ specie contenti fuerunt, quasi vel non intellexerint expressum Dei verbum, Bibite ex hoc omnes, vel, quod multò sceleratius est, scientes, prudentesq; contra illud venire non dubitauerint. Cùm in sacro Concilio Tridentino Legatum egissem, de calicis vsu multa disputata fuisse recordor, decretum tandem hoc fuit: Si quis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes & singulos CHristi fideles vtramq; speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit: ac rem quidem totam de eo, quibus ex causis, & quibus conditionibus quibusdam petentibus rectè concedi posset, ad arbitrium S. D. Nostri relatam: inter alias autem conditiones & hanc adiectam esse, Ne cui calicis vsus permitteretur, nisi prius ad intermissum vsum alterius tantum speciei reuertisset, ne tanquam necessarius ad salutem exigi videretur. Quamobrem hoc sibi certò persuadeat Maiestas Vestra, quandiu maiorum suorum exemplo ad alterius tãtum speciei vsum non redierit, frustrà se de calice laboraturam. Nec enim committet vnquam S. D. N. vt quod esse decreuit anathema, sacrosanctum Concilium id approbet: hoc est, opinionem istam, quod nisi quis ex calice biberit, saluus esse non possit, quodq; nostri maiores, quos cùm in Suetia, tum in Polonia nunquam ante quinquaginta plus minus annos ex calice bibisse constat, omnes in æternum fuerint condemnati. Quare ipsa Maiestas Vestra, quò minus illius precibus loci quicquam daret, S. D. Noster magnum impedimentum attulisse videtur. Scripseram autem superioribus mensibus Maiestati Vestræ, daret operam, vt aliquod in isto regno signum ostenderetur ad Ecclesiam Dei reditus, vt Missæ sacrificium cum suis cœremonijs restitueretur, ac tum demum de calice deliberatio susciperetur. Nunciſti, de quibus Maiestas Vestra scribit, hoc vnum contendunt modis omnibus & elaborant, vt Maiestas Vestra in eius sacramenti vsu, quo maximè designatur vnitas, & per quod vnum CHristi corpus efficimur, signum aliquod ab Ecclesiæ vnitate discessionis det: cùm ipsi nullum accessionis vel reditus ad illam indicium exhibere velint. Quale est autem hoc, quod subditi præscribunt Principi, qualem in religione se gerere debeat? Eorum qui cum summa potestate versantur Ecclesiastica proprium hoc est officium. Sed audiui quendam nouum hoc Euangelium duobus his verbis describentem, Sursum deorsum, vt quod est sursum sit deorsum, quod est deorsum sit sursum. Scilicet qui subditi sunt, & quidem laici Principi formam religionis præscribere debent? Nam quod ad ipsam attinet Maiestatem Regiam, ea suis in literis ad me disertis verbis testatur, se pactis & conuentis matrimonij stetisse, stareq; velle semper. Ac fatetur hoc ipsa Maiestas Vestra, quod eam nunquam ad vtriusq; speciei communionem compulerit. Quod itaq; Rex ipse sibi non arrogat, quo iure sibi sumunt subditi? Sed nouum hoc, vt ipsi vocant Euangelium verius & compendiosius describi non potuit, quàm duobus hisce verbis, sursum deorsum. Volunt vt Maiestas Vestra cum illis in vsu Sacramenti conueniat, cur non ipsi potius cum Maiest. Vest. de cuius ego in auita religione constantia mihi certò polliceor, quod etiamsi fractus illabatur orbis, nullum ab Ecclesia Dei discessionis indicium datura sit vnquam. Videtur aliquam spem ostendere Maiestas Vestra Serenissimi Regis & coniugis sui reditus ad vnam Sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam. Conferatur ea spes ad rem, ac tum demum de calice tractetur. Quod autem Suedos minas etiam interponere dicit, quasi passuri non sint, vt apud se Maiestas Vestra Catholicos sacerdotes habeat, nisi fecerit eorum imperata: mihi quidem stupenda res hæc videtur. Quod sibi subditi tantum in Reginã ac Dominam suam imperium arrogant, nec pati se velle denunciant, quod ipsum Regem pati vident. Itáne sibi sublimiorem potestatem, non se sublimiori potestati subiectos volunt? Sed non possum adduci, vt credam Serenissimum Regem sceptrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

trum suum ab illis eripi sibi passurum: regere proculdubio subiectos sibi populos, nec ab illis regi volet, nec vnquam contra illa pacta & conuenta matrimonij veniet, quibus Maiestati Vestræ priusquàm eum in coniugem acciperet, fidem suam obstrinxit. Quamobrem bono sit animo, nunquam faciet Serenissimus Rex, vt eam fidem fallat, qua semel illi fuit obstrictus. Nunquam eò loci redactam iri Maiestatem Vestram certò mihi persuadeo, vt sacerdotibus, quos habet, priuetur: sed si tale quid contingeret, (quod pro sua misericordia Deus prohibere velit,) consilium hoc illi dare non dubitauerim, vt ab omni potius Eucharistiæ communione prorsus abstineant, quàm signum aliquod ab Ecclesia Dei discessionis dare velit. Nam vbi promptam & alacrem voluntatem in rem conferre non licet, ibi voluntatem illam pro facto DEVS accipit, fitque, quod in quodam loco scribit Augustinus, Crede & manducasti. Verùm tale nil metuendum erit: habebit proculdubio Maiest. Vest. Serenissimum Regem & Dominum suum acerrimum propugnatorem aduersus eos, qui Maiestatem Vestram compellere quodammodo nituntur, vt in Sacramentorum participatione cum illis potius, quàm cum Ecclesia Dei consentiat. Quare diligenter sibi caueat Maiestas Vestra, ne det vllum discessionis ab Ecclesia Dei signum, & in eam curam toto pectore (quod aiunt) incumbat, vt Serenissimum Regem & coniugem suum, & si quos possit alios ad Ecclesiæ gremium adducat: neq; sibi, præter solum DEVM, metuendum esse quenquam existimet. Prouidebit is Maiestati Vestræ, prouidebit & serenissimis liberis eius, modò certam in illius misericordia spem defixam habeat: nunquam ille deseret sperantem in se. Nos quoq; quamlibet indigni, precibus hic nostris ad sancta Apostolorum limina Maiestatem Vestram adiuuare conabimur, vt ei spiritum consilij & fortitudinis largiatur, vt eam spiritu principali confirmet, quo possit in illius charitate radicata minas omnes ac terrores quorumcunq; tandem hominum contemnere: Prius omnia se & facere, & pati paratam ostendat, quàm vt vel minimum signum det, quæ CHristi corpus est, ab Ecclesia Dei discessionis. Sed ego longior esse nolo. Habebit isthic breui Maiestas Vestra P. Varsauitium sacerdotem pium, & benè doctum, vt isthic degens, & ipsam Maiestatem Vestram de rebus religionis instruat ac informet, & illius consilio atq; auxilio interueniente simul cum D. Herbesto det operam, vt in illo regno quamplurimos CHristo lucrifacere possit. Versatus est in Germania aliquandiu, & habet eorum mores probè perspectos, qui se ab Ecclesiæ vnitate segregarunt, vt in optimam spem veniam, non futuram infructuosam profectionem hanc illius. Quò diligentius ego virum hunc Maiestati Vestræ commendo, vt eum patrocinio suo tueatur, & quo possit quamplurimos in viam veritatis reducere, pro virili adiuuare conetur. Quod ad hospitale Suedorum attinet, egi cum S. D. Nostro, qui mihi respondit, vt in alium locum transferantur, quæ sunt huic loco destinata, minimè licere: verùm sex adolescentulos ex subditis Vestræ Maiestatis huc mitti Sanctitas illius cupit, quos liberaliter alendos, & ad Christianam pietatem instituendos exemplo Gregorij VII. Pontif. curabit. Quod si pfectum fuerit opera Maiestatis V. rem pietate sua dignam fecerit. Præstaret aũt, vt ex nobilibus aliqui mitterentur: hoc tamen erit in arbitrio Maiestatis Vestræ positum. Datum XXIIII Ianuarij M.D.LXXIIII.

Sigismundo Duci Finlandiæ. Epist. CCXIV.

Admonet ad auitam maiorum religionem colendam, & munera mittit.

INgentem animo meo lætitiam attulit, quod ad S. Sedem Apostolicam à Serenissimis parentibus tuæ Serenitatis quendam isthinc missum videre mihi licuit. Magnam in spem venio futurum, vnde discessum est, vt eò tandem aliquando redeatur. Ante quinquaginta annos erat regnum Suetiæ, quin & orbis totus Christianus terra labij vnius, & sermonum eorundem: erat multitudinis credentium cor vnum, & anima vna: nec aliò quàm Christianorum nomine, quo nullum gloriosius cogitari potest, censebamur omnes: Simul vt autem in Saxonia turris Babel, cuius culmen pertingeret ad cœlum, ędificari cœpta est, tanta linguarum confusio est consecuta, vt non audiat vocem vnusquisq; proximi sui, totq; iam existant fides, quot voluntates. Ab ea confusione Deus vt seruet Serenitatem V. supplex illius misericordiam imploro. Futurum autem id omninò confido, quandoquidem Deus illi matrem largitus est fœminam lectissimam, insigni pietate religioneq; præditã: cui nullius rei cura prior est & antiquior, quàm vt in ea, quam à suis maioribus accepit, prisca religione Christiana sic Serenitatem tuam educare queat, vt illius amore inflammata, præ illa posthabenda putet omnia, vitamq́ue prius deserendam, quàm ab ea fide, qua sanctam Catholicam Ecclesiam nos credere profitemur, vllam re sibi discedendum existimet. Præclarè dixit ille, quod à teneris assuescere multum est. Nam quo semel est imbuta recens seruabit odorem, testa diu. Ne sis autem nescius, Princeps Serenissime, quæ sit illa Catholica Ecclesia, quam in symbolo nos credere profitemur, atque vtinam vnanimiter id faceremus omnes, Typum illius tibi mitto: tum & breuem quendam libellum, ex quo nonnulla præceptor tuus, quem esse Catholicum persuasum habeo, prælegere tibi quandoq; poterit. Mitto & alia quędam leuidensia (quod aiunt) munuscula tum tibi, tum Serenissimę sorori tuę, vna cũ libellis, in quibus

qũibus piæ preces ad Deum continentur: Cuius tu nunc es ætatis, eius preces Deo cumprimis esse gratæ consueuerunt. Quò te diligentius hortor & moneo, ne precari Deum vnquam intermittas vna cum Serenissima sorore tua, quale fuit nobilissimum Suetiæ regnum ante 50. hos annos, vt id nostro quoq; sæculo tale nobis videre liceat, hoc est, vt quæ Babel turris instar ædificatur, ex ea factam ciuitatem Hierusalem videamus, cuius participatio in idipsum, vt sit multitudinis credentium cor vnum & anima vna, vt idipsum dicamus, idipsum sentiamus, idem sapiamus omnes, Et cùm impletum fuerit illud, quod à CHristo prædictum est, Erit vnus pastor, & vnum ouile, vno ore vnanimes glorificemus omnes Deum patrem Domini nostri IESV CHristi. Datum Romæ XXIIII. Ianuarij M.D.LXXIIII.

Henrico Regi Poloniæ. Epist. CCXV.

Gratulatur quod se verè pium & Catholicum Regem, Fuldæ cùm esset, declarauit.

MItto Maiestati Vestræ exemplum literarum, quæ scriptæ sunt in hanc vrbem de eo, qualem se gesserit Maiestas Vestra cùm Fuldæ fuisset, erga Deum in proximis superioribus CHRISTI festis Natalitijs. Quas ego cùm legerem, incredibili quadam lætitia sum affectus. Nam videre mihi videbar, quasi reuiuiscentem in Maiestate Vestra virum illum insigni pietate Sigismundum primum Poloniæ Regem, qui & ipse magna cum religione cum alios omnes festos dies, tum illos præcæteris obseruabat, quibus & incarnationis, & passionis, & resurrectionis CHristi beneficia nobis mater Ecclesia repręsentat, ad cuius exemplum tota se Polonia componebat, cùm se non magis admirandum, quàm imitandum subiecto sibi populo proposuisset. Florebat eo regnante religio, florebat non vulgaris erga Deum deuotio, nullus tum erat in Polonia fidium ludus, nullus in societatem CHristi Belial admittebatur: nullus patrijs etiam legibus prohibita conuenticula seorsim à Rege suo, & ab Episcopis faciebat: sed vnanimes in vno & eodem templo vno ore glorificabant, & adorabant oẽs vnũ Deum, Deiq; filium D. N. IESVM CHristum. Integrũ fuit illo tempore sacrosanctum corpus eius, nec vllas in partes diuisum: quod nunc, proh dolor, mirandum & miserandum in modum in tot abominabiles adeò sectas dissectum videmus, quodq; magis etiam est admirandum, quoad vel vmbra tantum superarat sancti Regis illius, qui fuit norma quædam pietatis & religionis in regno suo: qui se palàm hæreticum profiteretur, dicataq; soli Deo templa suis idolis colendis, & prauis opinionum commentis in vulgus spargendis profanare auderet, nullus tum reperiebatur. Tanto vel vmbra illius terrori fuit CHRISTI perduellibus hæreticis: qui quamuis non defuerunt fortasse nonnulli, verùm hi pauci, tamen quoad ille saltem spirabat in terris, nunquam eò audaciæ sunt progressi, vt in religione palàm aliquid innouarent. An autem hæc non est singularis Dei virtus & potentia, quod cùm ille pientissimus Rex vno vel altero anno, antequàm è diuersorio sui corporis in cœlestem illam domum migrasset, nihil aliud ferè quàm cadauer quoddam esse videretur, tamen continuit in officio religioneq; suos subditos sola quadam vmbra sua. Quantò magis id facere poterit Maiestas Tua, quæ tot præclaras victorias atq; triumphos, dum vixdum ex ephœbis egressa, prælia Domini præliaretur, de CHristi perduellibus hæreticis reportauit, quibus magnam de se Christiani totius orbis expectationem concitauit, & nomen suum immortalitati consecrauit. Si potuit ille propè mortuus iam, quantò magis poterit Vestra Maiestas in hac florenti ætate sua, viuidaq; virtute, modò parem, vt ille, fiduciam in Deo defixam habeat, nec illos audire velit, qui ruiturum esse cœlum persuadere fortasis conabuntur, si CHristum apertè coram hominibus confessa fuerit. Ego verò magnam in spem ex ijs erectus sum, quæ Fuldæ per Maiestatem Vestram gesta sunt, reditura iam illa tempora, quæ fuerunt sub illo sancto Rege Sigismundo Primo: quem sibi Maiestas Vestra magna cum sua laude proposuit imitandum, nec vllam deinceps partem Principem dæmoniorum Beelzebub in regno Maiestatis Vestræ sibi vendicaturum. Quam spem nostram vt confirmare velit, supplex Dei misericordiam imploro: nec mihi quicquam est longius, quàm diem illum videre, quò nobis renuncietur, Maiestatem Vestram in sua fœlici coronatione Christum apertè confessam fuisse, nec illorum insanis clamoribus aures suas accommodasse, qui vel Islebiensem vel Geneuensem, vel quemcunq; tandem aliũ Antichristum in eius societatem vt admitteret, summa contentione flagitaturi ferebantur. Cùm autem in calce literarum illam particulam legerem, in qua scribitur, Maiestatem Vestram promisisse, quod societatem IESV commendatissimam esset habitura, tum verò multò magis exultabam gaudio. Nam certò mihi promittebam, qui sunt per hædos meos Elbingenses ex ciuitate M. V. quæ iurisdictionis est meæ Ecclesiasticæ ejecti, magna cum ignominia duobus lictoribus comitantibus: cùm fuissent in ea ad propagandum Christi Euangelium per me collocati, futurum vt ij non solum restituerentur cum honore, verumetiam per quos hoc tantum scelus Interregno durante patratum fuit, in eos exemplum aliquod ederetur, & qui pro Christo Antichristum prædicant Islebiensem, ij procul è ciuitate Maiestatis Vestræ facessere iuberentur. Quod vt ita fieri Maiestas Vest. curet, supplex ab illa peto. Videat autem per Deum immortalem quale sit hoc? Ciuitas Vestræ Maiestati subdita, quæ semel Islebiensem Antichristum pro Christo prædicandum & adorandum susceperit, non pati-

Universidad de Deusto
Biblioteca

patitur, vt in ea CHristus annuncietur, & fideles eius ministros plus quàm tyrannica potestate non è sua, verùm ex Vestræ Maiest. ciuitate proscribit, & interea petitur à Maiestate Vestra, quò velit ipsa pati, vt in CHristi societatem Antichristus aliquis in regno V. Maiestati subiecto admittatur. Quanti suam regni & sui salutem facit Maiestas Vestra, tantum det operam, vt se virum præstet in hæreticorum nefarijs & impijs conatibus refutandis: nec præter vnum Deum sibi quenquam esse putet extimescendum, quem fortiorem esse non dubitet, quàm mille millia legionum diabolorum omnium: cùm præsertim habeat adhuc in regno suo Maiestas Vestra non septem tantum, verùm plus quàm septuaginta septem millia, quæ non curuarunt genua ante Baal. Quod si virum se præstiterit in CHristi religione tuenda, certò sibi de misericordia Dei polliceri poterit, quod sicut nunquam satis laudatum illum Sigismundum primum Poloniæ Regem, sic & Maiestatem Vestram omni fœlicitatis genere cumulabit. Vix enim quisquam hoc nostro seculo, quàm ille, fœlicius atq; diutius imperauit, tot memorabilibus victorijs de Moschis, de Tartaris, de Valachis, de & alijs omnibus, quotquot eum ausi fuerunt armis prouocare, clarus: qui cùm piè, mansuetè, iustè, prudenter etiam regno suo 42. annis præfuisset, & per omne vitæ suæ tempus in omnium amore delitijsq; fuisset, ad annum vsq; suæ ætatis 82. peruenit, rebus multis fortiter & fœliciter domi forisq; gestis, tandem in Christo obdormiuit, magno sui omnibus desiderio relicto. Quam ad ætatem Maiest. Vestram pari cum fœlicitate peruenturam in Domino confido, si sanctum illum Regem sibi proposuerit imitandum. Quam vt spem nostram firmam & ratam esse velit, vt videamus in regno Maiestatis Vestræ terram vnius labij & eorundem sermonum, & multitudinis credentium cor vnum & animam vnam, vt quæ post Sigismundi primi mortem ædificari cœpta est Babylon, in qua tanta est linguarum confusio, destructam, & in eius locum, qualis fuit eodem imperante, Hierusalem ciuitatem, cuius participatio in idipsum, denuò constructam cernamus, Dei misericordiam supplices hic implorauimus ad sanctorum Apostolorum & martyrum thecas sexto ab hinc die, quo Vestra Maiestas Craccouiam ingressura ferebatur. Et accidit, quod eo ipso die primus Psalmus in horis nostris Canonicis occurrebat, quem Rex Dauid, priusquàm vngeretur in Regem, recitasse narratur, quod à Vestra Maiestate quoq; priusquàm vngeretur, quæ pietas illius est & religio, factum esse puto, Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropiant super me nocētes, vt edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei infirmati sunt, & ceciderunt: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: Si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Quæ cùm ego verba recitarem, venit mihi in mentem Vestræ Maiestatis, neq; videbam cui magis quàm illi competere possent. Nam reuera nocentes illi, de quibus loquitur sanctus ille Rex & Propheta, inimici illi qui tribulant Maiestatem Vestram, qui appropiant, vt edant carnes Maiestatis Vestræ, non alij sunt quàm hæretici. Hos igitur sanctus ille Propheta infirmatos esse dicit & cecidisse. Magnam ea verba mihi consolationem attulerunt: nec enim aliud mihi persuadere possum, quàm quod euenit iam, quod sanctus ille Rex euenturum prædixit, quod infirmati sunt, quod ceciderunt homines illi nocentissimi, qui appropiarunt ad Maiestatem Vestram, vt ederent carnes illius, vt diuiderent regnum illius, vt lacerarent sanctum Christi corpus, quod ille sanguine suo redemit, vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam. Quam vnam rem à Domino petijt Maiestas Vestra, quam tanto studio semper requisiuit, vt inhabitaret in domo Domini, hoc est, in Ecclesia Dei, quam domum Dei viui vocat Apostolus, omnibus diebus vitæ suæ, vt videret voluntatem Domini, & visitaret templum eius, eam iam & suis & piorum multorum precibus est proculdubio consequuta. Quoniam abscondit Maiestatem Vestram Dominus in tabernaculo suo, in die malorum protexit Maiestatem Vestram in abscondito tabernaculi sui. In petra exaltauit Maiestatem Vestram, & nunc exaltauit caput eius super inimicos eius, qui sunt ijdem CHristi hæretici. Mirum est quantam in spem hæc me verba sancti Dauidis erexerunt, quantam animo meo confidentiam attulerunt, quod exaudiuit iam supplicum preces Deus, quod ardentis nostri desiderij nos compotes fecit. Cùm hæc scripsissem, redditę mihi sunt Maiestatis Vestræ literæ, quibus meis respondet, quas ad Maiestatem Vestram Octobri mense dederam, eas ego qua par est reuerentia accepi. Quoniam verò temporis angustijs excludor, ad proximum Sabbathum responsum differre cogor: Nunc nihil aliud, quàm iterum supplex Deum precor, vt coronationem hanc, quam esse factam existimo, cùm ipsi Maiestati, tum regno illius & Ecclesiæ vniuersæ faustam, fœlicã & fortunatam esse velit. Cuius gratiæ, clementiæ, protectionisq; Regiæ, qua summa possum animi mei submissione, me & Ecclesiam meam diligenter commendo. Datum Romæ XIII. Februarij.

Henrico Regi Poloniæ. Epist. CCXVI.

Admonet vt vnam tantum in regno suo fidem Catholicam esse velit, & non solùm exemplo vitæ subditis suis præeat, sed etiam potestate à Deo sibi concessa vtatur.

Ad

AD decimum Calendas Martij accepi responsum Vestræ Maiestatis ad literas meas Octobre mense datas, quo mirificè sum recreatus. Nam in eo pietas quædam illius & religio singularis visa fuit elucere. Cumprimis autem illud mihi gratum fuit cognoscere, quòd quam ego miseram epistolam Gregorij Nazianzeni legit, & eam Christianè scriptã esse testatur, quo maiorẽ fiduciam concipiebam, quæ tam Christianè scripta sunt, ea cordi Maiestati Vestræ fuisse. Quid autem dici potest magis Christianè, quàm quod ab illo S. Patre dictum est? quibus in dogmatibus nobiscum non conuenit, eis cœtus habendi potestatem permitti non debere, ne qua detur occasio, doctrinam eorum esse nostra veriorem existimandi. Nam si, quæ sentiunt atq; docent, ea liberè promulgare permittuntur hæretici, quis non videt Ecclesiæ doctrinam condemnari, quasi veritas ab illorum stet partibus, cùm rerum natura non ferat, vt eadem de re duæ contrariæ doctrinæ veræ sint. Hæc Maiestas Vestra cùm in epistola Gregorij legeret, facilè perspicere potuit subreptum illi fuisse, quando Lutetiæ petitum ab illa fuit, & obtentum præter animi sui sententiam, vt hæreticis habendi cœtus potestatem faceret. Hoc enim erat eorum impiam doctrinam approbare, Catholicam verò condemnare. Sed errorem hunc iam esse correctum à Maiestate Vestra non dubito. Quis autem illius hanc equanimitatem satis laudare poterit, quod liberius admoneri se non modò molestè non fert, verùm & grato animo accipit. Ego verò quod res est fatebor, cùm totis quatuor mensibus & amplius responsum ad meas literas nullum accepissem, sollicitus esse cœpi, ne scribendo liberius animum illius offendissem, nisi quod me rectæ voluntatis meæ conscientia sustentabam. Sed hoc metu tam clemens & benigna Vestræ Maiestatis epistola me liberauit, & hunc illius tam facilem & mansuetum animum exosculari satis non potui. Quod si quæ virtus alia cumprimis hæc est in his, qui cum imperio potestateq; versantur, omni laude digna, nec ad illorum statum dignitatemq; conseruandam quicquam potest esse accommodatius, quàm si non tam blanda, quàm salubria consilia libenter & audiant & sequantur. Non aliud autem ego reperio salubre magis consilium, quàm vt vnum Deum coli, vnam & eam priscam fidem in regno suo retineri iubeat: nec in CHRISTI societatem vllum Belial, vel Illebiensem, vel Geneuensem, vel quemcunq; tandem alium admitti patiatur: cùm nulla sit contentio CHRISTI cum Belial, nulla societas lucis cum tenebris, nulla participatio iustitiæ cum iniquitate. Sola mihi videtur, hæc est ratio, qua regni sui tranquillitati Maiestas Vestra consulere possit. Verùm hac de re nolo nunc pluribus, cùm in epistola, qua Maiestati Vestræ librum Christianę confessionis nostræ nouissimè Venetijs impressum dedicaui, satis ea de re multa scripserim. Quod autem ad Nobilitatem Polonam attinet, de qua suis in literis facit ad me mentionem, hoc sibi certò de ea persuadere potest, quod ea nihil vnquam eorum permittet, quæ ad fideles suiq́ue Regis cumprimis obseruantes subditos pertinere videbuntur, & qua superiorum temporum Reges omnes obseruantia prosecuta est, eadem Vestram quoq; Maiestatem perpetuò colet, ac in omnibus dicto se præstabit audientem. Quod ego tamen de his, qui citra vllam dubitationem Catholici sunt, certius Maiestati Vestræ polliceri possum. Nam qui subinde fidem erga Deum variant in ea fide, quam Principi suo debent, non esse constantiores consueuerunt. Qui nolunt esse Papistæ, (sic enim Christianos CHRISTI perduellibus hæreticis appellare visum est,) hi nec dici, nec esse plerunq; Registæ volunt: cùm non alio fidium hic ludus, qui cepit exordium in Germania, longiusq́ue, proh dolor, progressus est quàm expediat Reipub. Christianæ, spectare videatur, quàm ad Anarchiam, quod ipsimet auctores hæreseon in Germania fatentur, & res ipsa clamat: Quid in Germania, posteaquàm similiter vt nuper in regno Maiestatis Vestræ fœdus cum morte percussum, & pactum est cum inferno factum, quid in Scotia, quid in Flandria, quid in ipsa Maiestatis Vestræ patria tandem euenerit, quomodo qui desierunt esse Papistæ, simul & Cæsaristæ, & Registæ, & Reginistæ esse desierunt, scit Maiestas Vestra melius, quàm vt à me commemorari sit necesse. Nec Imperatoris nomen quidam in Germania Principi suo, cui iureiurando fuerant obstricti, tribuere dignati sunt, sed eum armis sumptis, Carolum tantum à Gandauo nominarunt: In Gallijs verò Ludouici XIII. nomen sibi quidam vsurpasse ferebatur. Quamobrem hoc Maiestati Vestræ certum & indubitatum esse debet, solam hanc esse regni tranquillitatis conseruandæ rationem, si nulla religionum diuersitas in eo permittatur, nec eos audire velit, qui cœlum ruiturum existimant, si CHRISTVM apertè confessa fuerit, nec vllum à subiectis imperio suo populis Antichristum coli permiserit: quin aliter si fecerit, tum demum citius id esse ruiturum certò sciat: nec se muneri suo satis feciisse Vestra Maiestas existimet, si subditis suis exemplo præiuerit. Quamuis ea res magnum adferat momentum ad commouendos animos eorum, qui sunt imperio subiecti, cùm non temerè dictum sit à quodam Poëta, Regis ad exemplum totus componitur orbis, tamen quæ temporum horum est infœlicitas, eò iam impietatis progressos multos videmus, vt nihil tam piè, tam religiosè, tam sanctè fieri possit, quod non in deteriorem ab illis partem rapiatur. Qui non dubitant etiam, nescio qua potestate Regem suum inauditum grauissimi idololatriæ sceleris condemnare. Quid igitur contra tales profuerit, si Rex vitæ præeat exemplo. Quin exemplum potius in illos ædendum est, quo deterreantur, alij à simili audacia. Cuius rei gratia potestas à DEO constituta est, à qua plus aliquid, quàm à priuato requiritur: nam in illo satis fuerit exemplo præiuisse. Rex autem DEI minister est in bonum

Universidad de Deusto
Biblioteca

num bona facientibus, his autem, qui malum agunt, DEI minister est vindex in iram. Propterea, Rex pientissime, gladium te portare DEVS voluit, quem hæretici per summum nefas extorquere tibi conantur, ne eis impunè Christum blasphemare, sanctum corpus eius lacerare, & omnia eius ossa comminuere liceat. Quod iam esse factum ab illis in regno tuo multis in locis vides. Cùm itaq; Dei minister à Deo sis constitutus, vindex in iram his qui malè agunt, (peius autem agere nemo potest, quàm qui blasphemat, qui diuidit Christum, qui corpus eius lacerat,) caue putes te satis esse munere tuo functum, si cæteris exemplo præeas: verùm illud etiam semper meminisse velis, quod non sine causa gladium Deus te portare voluit, quem ab hæreticis eripi nunquam tibi patiaris. Quod ego non ideò scribo, quod in ipso statim regni tui exordio durius aliquid aduersus eos, qui Christum diuiserunt à Maiestate tua, statui velim, quin illud potius, vt omnia consilio prius tua Maiestas experiatur, omni lenitate, clementia, mansuetudine vtatur, suaserim: sed extorqueri tamen sibi gladium, quo suo tempore possit in pertinaces vti, ne ferat: & paulatim de eo, quomodo redintegrari possit CHristi corpus, quod ab illis miserabiliter dissectũ vides, cogitationem suscipias. Datum Romæ XXVII. Februarij Anno M.D.LXXIIII.

Balthasaro Abbati Fuldensi. Epist. CCXVII.

Gratulatur in fide Catholica constantiam, & hortatur ad perseuerantiam.

MAgis in dies atq; magis grati rumores ad nos perferuntur de tua in fide Catholica tuenda & conseruanda constantia, animiq; robore singulari, quod ita sis supra petram fundatus, nullæ vt pluuiæ, nulla flumina siue fulmina, nulli venti de statu mentis tuæ te dimouere posse videantur: quæres maiorem quàm facilè credi queat, animo neo voluptatem attulit. Nam quò rarior hæc virtus est in Germania is præsertim calamitosis temporibus, quibus in errorem induci videmus ipsos etiam propemodum electos, hôc est magis illustris hæc tua laus & gloria. Cùm de te quoq; rectè possit illud vsurpari, sicut lilium inter spinas, ita amica mea inter filias. Ingens hæc est fœlicitas tua, quod cùm sis hæreticorum spinis & vepribus ex omni parte circundatus, eorum tamen aculeis non offenderis, quamq; religionem à sanctis maioribus nostris per manus nobis traditam accepimus, non solùm ipse constanter tueris, verumetiam eos, qui deflexerunt ab illa, reducendos in viam, & confirmandos curas. Hanc igitur fœlicitatem, hanc etiam laudem & gloriam quin tibi literis meis gratularer, quamuis de facie nec ego tibi, nec tu mihi notus sis, tenere me non potui. Quoniam verò non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsq; ad finem, hic saluus erit. Etsi nullius te monitoris egere persuasum habeo, cum currenti, quod aiunt, calcar addere necesse non sit: pro meo tamen erga te non vulgari studio faciendum & hoc putaui, vt hortarer te diligenter, vt extrema cum primis contexas, & maius in dies huius tuæ constantiæ specimen præbeas. Quis sit nunc patriæ tuæ status, vides, & ingemiscis proculdubio, quæ fuit ante 50. hos annos terra vnius labij, & eorundem sermonum, in qua multitudinis credentium fuit cor vnum & anima vna, fuit vnus pastor, & vnum ouile, tantam in ea nunc linguarum confusionem cernimus, vt non exaudiat vnusquisque vocem proximi sui. Qui semel ab Ecclesia Dei discessionis fecerunt initium, nullum eius finem reperire possunt. Tot iam fides existunt, quot voluntates: tot religionis doctrinæ, quot sensus hominum. Et est illud verissimè dictum à sancto quodam patre, quod posteaquàm excessum est ab illa fide quæ sola est, ad id esse multæ cœperunt, vt nulla sit. Ipsi de se mutuum testimonium hoc dant hæretici, non iam dicam Caluinistæ, vel Anabaptistæ, vel Trideistæ, vel illi ipsi qui se volunt Euangelicos vocari (cùm nulli sint Euangelij magis hostes infesti) Lutheristæ. Testatur hoc liber ille, quem schola VVittembergensis nuper edidit de persona & Incarnatione CHristi, quæ possunt esse tam abominabiles hæreses, quarum illa discipulos suos non insimulat, à quibus earundem vicissim arguitur, & plurium etiam, & vtriq; alteris, quod ad Mahometismum inclinent, obijciunt. Quem quod à tuis ditionibus propulsare conaris, nec permittendum esse putas, vt ad sua desideria subditi tui sibi coaceruent magistros & ministros. Quin illud potius contendis & elaboras, vt ne desint illis qui purum Euangelium prædicent, & eos ab idolorum cultu deterreant, magnam apud pios omnes laudem es consequutus. Quid enim aliud quàm idola sunt? qui reiecto CHristi Euangelio, quod iam inde à mille quingentis annis per longam Episcoporum & sacerdotum successionem per manus nobis traditum accepimus, nouam quandam doctrinam ante 50. annos excogitarunt, cui nomen Euangelij tribuerunt, & suum ipsorum verbum, Dei verbum vt esse crederetur, imperitæ multitudini persuaserunt, Cùm tamen ipsi non modo non consentiant, verumetiam pugnent inter se mirabiliter, haud aliter quàm illi Dij, quos inter se dimicantes, Homerus aliquando describit. Ad hanc igitur idololatriam extirpandam, quod fideles Dei sacerdotes & ministros, qui sunt de societate IESV in ditionem tuam accersendos curaueris, est hoc factum tuum omni laude dignum. Fremunt inferorum portæ, nihil intentatum relinquunt, quo possint eos inde profligare, per quos regnũ suum euerti vident. Sed ego de tua constantia mihi tantum polliceor, si fractus etiam illabatur orbis, futurum vt impauidum te ruinæ

potius feriant, quàm vt ab officij tui religione declines, & præclaros istos Christi milites è ditione tua propulsari patiaris. Nil est quod à Sathana tibi metuas: Fortior est vnus Christus, cuius tu contra Christi perduelles hæreticos causam tuendam suscepisti, quàm sint mille millia legionum Diabolorum omnium: non ille deseret te sperantem in se. Tu modò, sicut cœpisti forti & imperterrito animo illos tueri perge, ac in eam curam potissimũ toto pectore (quod aiunt) incumbe, quo possis Ecclesiam Catholicam fortissimis quibusq; militibus, Christianæq; fidei defensoribus, aduersus eos, qui Mahometismũ inuehere conantur, augere & locupletare, cuius vt maiore etiam studio inflammeris, eius typum tibi mitto, quo meæ simul erga te beneuolentiæ pignus & monumentum habere queas. Bene vale. Datum 13. Martij 1574.

Henrico Regi Poloniæ. Epistola CCXVIII.

Mittens Christi crucifixi imaginem petit, vt sicut corpus eius in cruce fuit integrum per milites relictum, sic Rex idem corpus eius mysticum integrum vt sit in Regno suo procuret.

DEderam negotium propinquis isthic meis, vt in signum debitæ subiectionis meæ V. M. perexigua quædam offerrent munera, q̃ cùm essent oblata, noluisse Maiestatẽ Vestram accipere, fortassis quia tanta Maiestate digna non fuerunt. Sed interea cogitare posteà non desiti, quod nam esse munus posset V. Maiestate non indignum, vt illud ei reijcere non liceret. Interim oblata mihi fuit imago Christi crucifixi, cum breui quadam illius declaratione, quam eorum qui sunt rudiores, Catechismum ei qui pinxit & finxit Thomæ Heteroro familiari meo inscribere visum est. Quod ego munus quamlibet exiguũ nõ indignũ M. V. quin eius generis esse iudicaui, vt illud aspnari nullo modo possit, nõ q̃ illa Catechismi alicuius indigeret (cum omnia fidei mysteria satis perspecta & explorata habeat) sed vt immensam hoc, nec vnquam satis prædicandum Christi beneficium recolendo, & causam eius memoria sæpè repetendo, tanti beneficij fructum in se transferre conaretur. Quam enim ob causam fons ille totius bonitatis & misericordiæ pati, crucifigi, mori dignatus est? nisi vt filios Dei, qui dispersi fuerant, congregaret in vnum, vt fieret vnus pastor & vnum ouile. Quod etiam extensis in cruce brachijs indicauit, quibus ad se inuitare, ac dispersiones Israël conuocare & congregare visus est. Quod cum illius exemplo fecerit M. V. cùm quos videt Sathanæ fraudibus in Regno suo dispersos, eos colligendos, & ad vnum ouile Christi reducendos curauerit, ingentem in se fructum huius tanti beneficij transtulerit, & maiorem, quàm dici queat, gloriam, nullo vnquam fine terminandam consequuta fuerit. Hoc tantum crucis & mortis beneficium euacuare conantur, qui M. V. inuitam & reluctantem non rationibus, verùm quod indignum est, minimeq; ferendum facinus, vi quadam impellere student: vt quæ pacificata, quæ congregata fuerunt per crucem & mortem Christi, Sathanæ verò fraudibus posteà dispersa, ea perpetuò dispersa esse velit: nec vllam vnquam de colligendis & congregandis illis cogitationem suscipiat. Videat autem V. Maiestas, quàm sit istorum hominum (si modò dici merentur homines) efferata quædam immanitas & crudelitas. Christus propterea verum & viuum suum corpus horrendo & ignominioso crucis supplicio affici voluit, vt mysticum suum corpus, quæ est Ecclesia, colligeret in vnum: isti verò, quod illius preciosa morte collectũ est, dispergere & dissipare nitũtur, vt illius Crucis & mortis beneficium euacuetur. Quin & hoc vt efficiant, modis omnibus contendunt & elaborant, spes vt omnis eius aliquandò colligendi & reintegrandi per Maiestatem Vestram præcidatur. Impios illos milites immanitate superant, qui Christi cõpus integrum in Cruce reliquerunt, & sicut Prophetæ futurum prædixerat, Os ex eo non comminuerunt. Isti verò quorum crudelitas nullis verbis satis explicari potest, quas ex mystico Christi corpore Ecclesia, pro qua colligenda verum & viuum ille suum corpus tradidit affigendum, particulas non fecerunt? in quot illud sectas non dissecarunt? vix vt earum iam numerus iniri queat. Magnam ex ea re laudem est consequuta Maiestas Vestra, quod hactenus eorum nefarios & sceleratos conatus repressit, nec eorum importunis clamoribus loci quicquam dedit. Sed quoniam non dormit aduersarius noster Diabolus, ac tanquam leo rugiẽs circumit, & quærit subinde, quos deuorare queat, quo maiore cum animi robore illi resistere Vestra Maiestas possit, Crucis hoc signum frequenter intueatur, in illud non corporis magis quàm mentis oculos defixos habeat, in Cruce & morte, quam Saluator noster pro nobis oppetijt, spem & fiduciam suam omnem collocet. Neq; dubitet, sicut ille per Crucem superauit mortem, superauit mortis & dispersionis auctorem Diabolum, qui sicut scriptura loquitur, diuidit inter fratres: quod & Vestra Maiestas illius ope subnixa, nullo negotio superatura sit, iugi huius Crucis meditatione & contemplatione, potestates has tenebrarum omnes, quæ non alia in re curas cogitationesq; suas omnes consumunt, quàm vt dispergere possint, quod per Christi crucem & mortem fuit congregatum. Ne dubitet, vincet leo de tribu Iuda per signum Crucis leonem illum rugientem, qui circuit, & quærit quos dispergat, ac dispersos deuoret. Quam ad rem vt Serenissimæ Maiestati V. gratiam impartiat, diuinam misericordiam supplices hic imploramus. Datum Romæ 1574.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petri Canisio Theologo Societatis Iesu. Epistola CCXIX.

Monet vt fortes permaneant in persecutionibus.

TEnere te memoria non dubito, quæ scripta sunt à Sapiente de eo, cũ quo Societas vobis est (sic enim inducit Eberianos, aut eorum, similes loquentes) Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Quo minus mirari debes, si vos quoq; graues estis hominibus istis etiam ad videndũ, si vias omnes & rationes peruestigant, quibus è finibus suis propulsare vos queant. Verùm tantò maior est vestra fœlicitas & beatitudo, quantò maiores à Christi perduellibus persecutiones toleratis: A quibus nihil est, quod vobis metuatis, quandoquidem capilli capitis vestri omnes numerati sunt, &, quod ille futurum promisit, ne vnus quidem eorum peribit: In patientia vestra possidebitis animas vestras, nec vestras tantum animas possidebitis, verùm & eorum animas Christo lucrifacietis, qui vos non minore nunc odio persequuntur, q̃ olim Iudæi Christum, in cuius Societatem adsciti estis, vt sitis socij passionum, olim futuri socij consolationis & gaudij sempiterni. Quamobrem viriliter agite, & confortentur corda vestra. Quibus nunc graues estis ad videndum, ij non ita multò post vltro magnis precibus ad se vos inuitabunt, & vt salutaribus præceptis, & exemplis vestris instrui possint, modis omnibus contendent & elaborabunt. Quamuis si vera sunt quæ nobis hic renunciabantur, ab Eberianorum Principe nihil contra vos actum est serio, quin ille dixisse fertur: Etiamsi mille volet ad se vocare Abbas Fuldensis, per me licet. Non ille multum suæ referre putat, qua quisq; sit religione. Lutherus hæreseos condemnauit Zuinglianos, & eis receptum dari vetuit in his terris, quæ verbum illius, tanquam Dei verbum adorare cœperunt. At apud Eberianos eodem loco sunt Zuingliani quo Lutherani, quin grauius etiam eos persequuntur, qui sunt Germani Lutherani, qualis est Illyricus cum sua factione: Quòd nisi de restitutione bonorum Ecclesiasticorum periculum esset metuendum, etiam à Christianis (quos lepidis istis hominibus Papistas vocare visum est) non abhorreret ille Princeps, & eos in terris suis facilè pateretur, cùm istarũ inter se tam dissectarum sectarum vehementer eum iam sit pertæsum. In Suetia res meliore loco futuras in Domino confidimus, nisi quòd posteaquam qui missus huc inde fuerat, discessit, nullas posteà literas accepimus. Pontificis institutum de reuocandis ad Christum ijs, qui in Germania doctrinis varijs & peregrinis ab eo sunt abducti, nemo pius laudare satis potest. Etiam in Suetiam scribere me iussit, vt inde quoq; mitterentur aliqui. Deus optimi Pontificis conatus prosperet, & consiliorum fœliciẽ progressum & exitum largiatur. Nihil is eorum prætermittit, quæ ad reuocandos ad mentem saniorem Germanos, & ad oues quæ perierunt ad vnum ouile Christi perducendas pertinere videntur. Romæ 8. Maij 1574.

Andreæ Patricio Nideckij. Epistola CCXX.

Iudicium suum de Parallelorum libro perscribit.

PArallela tua vidi, quibus, quòd nullas alias literas adiunxeris, non potui non mirari. Gratulabor tibi, quòd Ægyptiorum ollas reliqueris, & ad Hebræos eorum spolijs locupletandos animum induxeris. Epistolam tuam legi & præfationem, & primum caput. Quod scribis in præfatione, duo esse capita nostræ Religionis. Petrum & Paulum, id ne quis durius accipiat, metuo. Mallem Principes, quàm capita: cùm vsitatius hoc sit in scripturis. Constitues eos Principes, Glorioſi Principes terræ, &c. Ex quo tempore sum Sacerdos factus, nihil, aut parum admodùm, mihi fuit cum Ægyptiorum ollis rei. Sed animaduerti tamen quædam in his scriptis, quæ cùm in illis versarer, vidisse me non recordor, quale est illud in epistola. Nihil est quo minus possit apparere. Fieri potest, quòd aliquando sit vsus eo genere loquendi Tullius tuus: sed quantum ego meminisse possum, insolenter admodum. Nam hoc illi est vsitatius. Nihil impedit, Nihil prohibet, quo minus apparere possit, Aut, Causæ nihil est cur non apparere possit. Verum hæc tu iudicare poteris melius, sicut & illud in primo capite, sua sapientia sapere. Quo genere loquendi num quis ex probatis auctoribus vsus fuerit, nescio. Sed missas faciamus ollas Ægyptiacas, quibus ego sic aliquando me fuisse memini delectatum, vt ex omnibus Ciceronis opusculis flosculos quosdam decerperem, quibus, quæ scriberem, ornari putabam. Nunc eos ex Biblijs excerpere malo, nec aliam orationem esse magis elegantem iudico, quàm quæ Bibliorum verbis scatet plurimis. Quæ vellem à te quoq; non fastidiri, etiamsi parùm esse Ciceroniana videantur. In hoc solo præcipuè nobis elaborandum est, vt quoad fieri maximè poterit, perspicuè, quod sentimus, explicare queamus, nec esse dictio nostra nimis elaborata videatur. Præcipua laus orationis est perspicuitas. Etiamsi quis aberret nonnũquam à puritate Latinę dictionis, modò sic scribat, vt intelligatur, nec omninò barbariem sapiat eius oratio, non magna mihi reprehensione dignus esse videtur. Datum Anno 1574. die Septembris.

Danielis

Danieli Archiepiscopo Moguntino. Epistola CCXXI.

Gratulatur quod fidem Ecclesiæ Catholicæ præclarè tueatur, et monet vt studium suum ad Ducem Saxoniæ Augustum conuertendum conferat.

GRatissimi rumores ad nos perferuntur, te non solùm Principem, verùm quæ magis est propria vocatio tua, Archiepiscopum etiam agere laudatissimum. Nam quòd in Germania Principes constituti sunt Archiepiscopi & Episcopi, quòd illis tanta sæcularis quoq; iurisdictio fuit attributa, quòd sublimior præ cæteris locus assignatus, id eo consilio potissimum factum esse videtur, vt maioribus copijs & facultatibus instructi, sicut honore cæteros præeunt, sic doctrina simul & exemplo præeuntes, veræq; religionis duces facti, maiorem in ea tuenda & propaganda fructum adferre possint. Vix vnquam auditum esse puto, non solùm hoc infelici nostro seculo, verùm & alijs aliquot quæ præcesserunt, quòd Archiepiscopus aliquis Moguntinus talem in Prouincia sua se gesserit in causa fidei, qualem tu proximis superioribus diebus gessisse te diceris. Nam fateamur oportet, quod res est, qui præfuerunt Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesijs, tum alibi, tum in Germania præsertim, eos ex magna parte Principum secularium officio functos esse magis, quàm vt se vel Archiepiscopos, vel Episcopos esse meminissent. Tu verò primus inter Archiepiscopos Moguntinos non solùm nostra, verùm & seculorum aliquot memoria fecisse diceris, vt quem gregem precioso suo sanguine redemptum Christus tibi pascẽdum tradidit, eius vultũ cognoscere conareris, veriq; speculatoris munere functus, quod infirmum erat solidares, quod ægrotum sanares, quod fractum alligares, quod abiectum reduceres, quod perierat quæreres, & in viam reuocares. Qui gregi tuo venenum exitiabile, pro salutari DEI verbi pabulo propinabant, eos loco moueres, & in eorum locum legitimos puri DEI verbi ministros surrogares: hoc est verè bonum speculatorem, verè bonum Archiepiscopum, & Germaniæ Primatem agere: si factum hoc fuisset per annos istos quinquaginta, longè diuersam nunc Germaniæ faciem cerneremus, nec vnquàm in eas quibus obrui iam propemodum videtur, tempestates incidisset: nec eo loci redacta, proh dolor, esset, vt reiecto Christianismo cumplures in Mahometismum inclinare dicantur. Fatetur hoc ipsum Schola Vittembergen. ex qua malorum coruorum tot oua pessima prodierunt, dum hoc ipsum de illis ipsis ouis ex se prognatis dolenter admodum & lamentabiliter queritur in eo libro, quem superiore anno edidit De persona & incarnatione Christi, in quo Samosatenium, Marcionitarum, Manichæorum, Sabellianorum, Arrianorum, Nestorianorum, Eutichianorum, Monotelitarum abominandos errores per suos discipulos ab ouo reuocatas esse, & Mahometismo atque Alcorano viam præparari tragicè vociferantur. Quamobrem est quòd in Domino gaudeamus, est quod immortales illius misericordiæ gratias agamus: est quod non solùm tibi, verùm & Germaniæ gratulemur vniuersæ: quòd nunquam satis prædicando Dei beneficio te talem Archiepiscopum est consecuta: qui, quam debes gregis à Christo fidei tuæ concredidi curam & sollicitudinem geris, nec eorum quicquam prætermittis, quæ ad salutem, & quidem sempiternam salutem illi procurandam pertinere videntur. E cœlo iam quidem delapsum esse dicunt illum Germaniæ, præcipuè verò Saxoniæ magnum Apostolum Bonifacium, qui ad eiusdem Ecclesiæ, cui tu nunc fœliciter præes, gubernacula sedebat aliquandò: quo Christi Euangelium prædicante, Saxonia fuit ab Idolorum cultu, liberata, & ad veri Dei veram agnitionem adducta. Sed quod Paulus olim Galatis dixit: Miror, quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi Iesu in aliud Euangelium: Hoc nunc proh dolor, Saxonibus quoque rectè dici potest. Nam translati sunt à Sancto Bonifacio, qui vocauerat illos in gratiam Christi Iesu in aliud Euangelium, si modò tam pestilentem doctrinam hoc præclaro nomine vocari fas est, à Malefacio quodam ante 50. annos prædicari cœptum. Ex quo factum est, vt post reiectum Euangelium, quod annunciauit Sanctus Bonifacius, in Idololatriam inciderint non minus abominandam, quàm illa fuit, in qua, priusquam audissent Bonifacium, versati fuerunt. Nam quot habent magistros errorum, qui sparguntur in ea, tot colere Deos videntur, dum singulorum verbum quamlibet inter seipsos Homericorum Deorum instar pugnantium, tanquam Dei verbum adorant, & coram eo incuruantur. Qua quidem vna re quid magis fœdum & abominandum cogitari queat, non video. Quò maior tibi laus debetur, qui Sancti Bonifacij vestigia secutus, hanc tam fœdam Idololatriam à Prouinciæ tuæ finibus tanta cura, vigilantia, labore propulsare conaris. Iampridem ea de re non obscuros iactari sermones audio: quòd Princeps Elector Saxoniæ non procul absit à Regno Dei, tanto q; propius ad illud accedit, quanto maiores eorum inter se pugnas, grauioraq; videt esse dissidia, qui Christianum nomen fastidientes, Euangelici quàm Christiani dici maluerunt: Cùm tamen etiam de vocis huius, Euangelium, vi, significatione q; non satis conueniat inter eos: tantum q; abest, vt de sensu conueniant. Quamobrem inclinare dicitur in illud Euangelium, quod à Sancto Bonifacio fuit prædicatum, de quo totis 800. annis nullæ fuerunt altercationes in Germania, nulla iurgia, nullæ contentiones. Sed fuit multitudinis credentium cor vnum, anima vna, & esse tota Germania visa est, quasi Ciuitas quædam vnius labij, & eorundem sermonum, cùm Euangelium Christi, quod à Bonifacio sibi traditum acceperant, admirabili quodam consensu, qui fuerunt ad hoc mu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus legitimè vocati, prædicarent. In quod Euangelium, si verum est Principem illum inclinare, & quod nostra memoria per Maleficium disseminatum est Cacangelium (nec enim aliud nomen tam impiæ flagitiosæque doctrinæ tribuere fas est) ei nuncium remittere velle. Præclarè munere tuo functus fueris, & verum ac legitimum Bonifacij successorem esse te declaraueris, si fluctuantem adhuc illius animum, eo quo propendere videtur impuleris. Nil in omni vita tua tibi gloriosius accidere poterit. Est autem præclara tibi occasio nunc diuinitus oblata. Quærit ille Princeps veritatem: non reperit inter illos ministros, quibus Maleficij doctrinam Euangelium, Deiq; verbum vocare visum est. Quod si poteris illi persuadere, vt alios ministros ad se vocet, qui, quod primus in Saxonia disseminauit Euangelium Bonifacius, id vel subiectis illi populis annuncient, vel ipsi Principi priuatim explicent, bona spe sum, non ita magno negotio te perfecturum, vt illud obuijs, quod aiunt, vlnis amplectantur omnes. Iam enim vehementer eum pertæsum esse dicitur istius cacangelij, quod instas Prothæi mutari quotannis, cuius proceres furialibus odijs inter se dissidere, seq; mutuis conuicijs proscindere, quin & hæreseos inuicem condemnare videt. Hactenus laborauit, sicut Propheta loquitur, in multitudine viæ, vt non potuerit dicere, quiescam. Accersat illos ad se, qui viam vnam, viam Regiam, viam veritatis (quæ non potest esse nisi vna) illi demonstrent, & eis aures pauli per accommodet. Certam in Domini misericordia spem defixam habeo, quòd ab istis laboribus, quibus nunc plurimum fatigatur, quiescet. Quot hactenus habita sunt Conuenticula siue Colloquia per ministros eius doctrinæ, quam sparsit Malefacius? Num autem aliquid ea re profectum est? quantò diligentius veritas per eos est indagata, tantò longius ab ea fuit aberratum: nec aliud quàm plaustris quibusdam conuiciorum alteri in alteros, ita petulanter & acerbè sunt inuecti, vt negent Flacciani (de præceptoribus autem suis loquuntur) donec terra stetit & sol illuxit (hæc enim illorum verba sunt) ab vllo mortalium vnquam tam impudentia, tam licentiosa, tam tetra crebráque maledicta prolata, audita, lecta, visa fuisse. Talem itaq; cum videat ex Conuenticulis & Colloquijs suis fructum se tulisse, cur non alios ad se venire iubet? qui commonstrent illi viam Regiam, viam veritatis, viam vnam, à qua posteaquàm deflexum est, in ista tot diuerticula ventum, & si verum est quod scribit schola VVittembergen. in Mahometismum inclinari cœptum est. Non puto, quòd iste Princeps, ex illo sit mirabilium hominum genere, cum quo nihil agi posse queritur Philippus Melanchton, qui suo arbitrio damnant quidlibet, neque personis auditis, neque rebus dijudicatis. Prius audiri persona, prius dijudicari debet res, quàm ad sententiam condemnationis veniatur. Nunc isti doctrinam Bonifacij non auditam condemnant: eum tamen de ea, quam professus est Malefacius, inter illos nulla ratione conuenire possit, & vtriq; alteris, tam Eberianis Flacciani, q̃ Flaccianis Eberiani grauissimum hæreseos crimen impingant. Ex quo perspicuum cuiuis esse potest: quòd vtriusque partis doctrina sit hæretica, meritò vt abominari Princeps vtramque debeat, & quæ Catholica sit inquirere: ne velit esse tanquam aspis surda, & obturans aures suas, quæ nolit exaudire vocem sapienter, & salubriter incantantium. Quis autem neget illum, si Bonifacij doctrinam audiuerit, vt eam statim recipiat? erit in illius potestate, si volet, vt reijciat. Nolle autem audire, & velle nihilominus condemnare, quis non videt, quàm sit ab omni iustitia, & æquitate, quin & humanitate prorsus alienũ. Ego verò, quantò mihi meliora de Principe polliceor, tanto maiorem & certiorem in spem venio, dummodò diligenter instes & vrgeas, quod non difficulter obtinebis, vt Bonifacij doctrinam audiat: quæ prius codemnata est, quàm audita. Veritatem ille quærit. In Cathedra vnitatis, sicut præclarè scribit Augustinus, posuit Deus doctrinam veritatis. Ab vnitatis Cathedra missus fuit Bonifacius, vt in Saxonia prædicaret Euangelium: ab eadem illa Cathedra posteà missi sunt, quotquot illi successerunt in Ecclesia Moguntina omnes. Malefacius autem à pestilentiæ, non ab vnitatis Cathedra missus est. Audeat ergo super vnitatis Cathedram sedentes: quandoquidem, quod imprecatus est ille sanctus Propheta, Præcipita Domine, & diuide linguas eorum, quia vidi iniquitatem & contradictionem in Ciuitate, id illis accidisse videt, qui Maleficij, quàm Bonifacij doctrinam in animos vulgi spargere maluerunt, cùm interpretaretur hæc Psalmi verba Sanctus ille Pater Augustinus. Qui se malè, inquit, extulerunt, expedit eis, vt submergantur siue præcipitentur, qui malè conspirauerunt: expedit eis, vt eorum linguæ diuidantur: ad bonum consentiant, & concordent linguæ eorum. Ac mox tractans illum locum de turri Babel ædificata. Per superbos, inquit, diuisæ sunt linguæ, per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ: spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus sanctus congregarit linguas. Quando enim Spiritus sanctus venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt: linguæ dispersæ in vnum congregatæ sunt. Ergo si adhuc sæuiunt, expedit eis diuisas habere linguas. Volunt vnam linguam, veniant ad Ecclesiam: quia & in diuersitate linguarum carnis, vna est lingua in fide cordis. Præclarè sanctus ille Pater, qui sæuiũt in Christi corpus Ecclesiam, qui diuidunt illam, qui per summum scelus, ab illa se præcidunt, eius expedire dicit, habere diuisas linguas. Volunt vnam linguam, inquit, veniant ad Ecclesiam: ad quam quousque non redierunt, semper diuisas linguas habebunt. Nam extra illam dissensionis Deus est, non pacis, & dilectionis: extra illam vertiginis spiritus est non charitatis, per quam retinetur vnitas spiritus in vinculo pacis. Cum itaque suis ipse cernat oculis Princeps ille, quod imprecatus est Propheta, suis id ministris & magistris contigisse, præcipitasse Dominum, & diuisisse linguas eorum: ex quo factum est, vt inter eos tanta sit in Saxonia contradictio, tam atroces pugnæ, tanta animorum acerbitas, vt spes

spes omnis esse sublata videatur, concordiam dogmatum ine tr illos aliquando conciliari posse, cur informari de his, quæ docentur in Cathedra vnitatis, recusei? vt cognoscere possit, an vera sint omnia, quæ Malefacius ille per summam impudentiam affinxit, cur quod permittit Cæsarea Maiestas in hæreditarijs suis ditionibus, vt in eis Malefacij doctrina spargatur, non permittit idem in suis terris de Bonifacij doctrina Princeps illi subiectus? Volunt iudicium de doctrina penes populum & Principes esse, sed quomodo iudicabunt, si prius non audierint? Audiat vtramque populus, audiat & Princeps, ac tum demum quandoquidem hoc sibi sumit, quamlibet frementibus Flaccianis, iudicium ferat. Dicitur Princeps eos, qui Caluini doctrinam sunt amplexi, suis in ditionibus ferre nolle: grauiter etiam in illos animaduertere (quod ego factum illius non possum non vehementer probare.) Nam immedicabile vulnus ense rescindendum est, ne pars syncera trahatur. Sed quid si dicant illi, quid causæ est, quòd in nos grauius animaduertitur, qui paulò longius, quàm qui prior ab Ecclesiæ doctrina discessit Malefacius, progressi sumus? Licuit illi quàm longè, quamque latè patet Orbis Christianus ab eo toto dissentire, eum Idololatriæ reum facere, eum ignorati CHRISTI & beneficiorum eius omnium obscuratorum non accusare modò, (quod videri tolerabilius poterat) verumetiam inauditum condemnare: cur nobis non liceat saltem in vno aliquo dogmate, ab ipsius Malefacij opinione dissentire. An & ille non æquè fuit homo, vt nos? An illi soli reuelata sunt omnia? nihil vt eum fugere queat? An ab illo verbum Dei processit, & in illum solum peruenit? Probet se esse Deum, si vult, vt ne latum quidem vnguem ab illius sententia, tanquam à Dei verbo discedamus. Mihi quidem hæc magna ratione dicere posse videntur: cum non minus verbum Dei videri possit, quod vel Tiguri, vel Genuæ docetur, quàm quod primus VVittembergæ seminauit Malefacius, & eiusdem criminis Idololatriæ sit reus, qui VVittenbergen. cuius qui Tigurinam aut Genuensem doctrinam, tanquam DEI verbum adorant, cum non sit alius DEVS, quàm DEVS Patrum nostrorum: non sit aliud verbum DEI, quàm quod à Sanctis Patribus nostris, auis, proauis, atauis per longam Episcoporum & Sacerdotum successionem iam inde ab ipso Sancto Bonifacio ad vsque Malefacij tempora fuit in Saxonia constanter & vnanimiter perpetuò prædicatum: vt hominis alicuius priuati verbum pro Dei verbo recipere, nihil aliud sit, quàm Idololatram esse, & contra diuinum interdictum Deos alienos adorare. Vult ille Princeps Idola euertere, laudo: verùm incipiat ab Islebiensi Idolo, quod quandiu fuerit adoratum, quo minus etiam alia colat Idola, Germania non poterit prohibere. Quamobrem iterum atque iterum abs te peto diligenter, vias vt oẽs rationes q̃ persequaris, vt quod opera tua Fuldæ factũ esse dicitur, idem vel VVittembergæ, vel vbi Princeps cum sua degit aula, vel in quocunque tandem alio celebriore Saxoniæ loco fiat. Audiantur etiam illi, qui quod 800. propemodum annis à Bonifacio prædicatum, & per vniuersam Germaniam receptum fuerat Christi Euangelium, id populo annuncient, de eo Principem etiam ipsum edoceant: quò rectius, quæ sit illi doctrina sequenda, quæ verò fugienda cognoscere queat. Quem autem ego Malefacium hunc vocem, quæ tua prudentia est, intelligis proculdubiò. Sed cur illi nomen hoc tribuendum existimauerim, paucis accipe. Pugnat ex Diametro quod aiunt, illius doctrina, cum Euangelio Bonifacij. Nam sicut huius bona omnia sic illius, quod sæculis aliquot sub scamno latuisse, per se verò tandem erutum esse gloriatur Euangelium κατὰ τὴν ἀντίφρασιν ita vocatum, mala facere docuit omnia. Quales fuerint homines post Euangelium à Bonifacio prædicatum, testantur tot ædes sacræ magno sumptu magnificè fabricatæ, tot Collegia Sacerdotum instituta, tot Monasteria fundata, tot etiam ptochodochia. Non illi rapiebant aliena, verùm de suo liberaliter in pios vsus quamplurima conferebant. At contraria videre nobis licuit omnia, posteaquàm suum quoq; Malefacius in medium protulit. An templa non videmus diruta, & alicubi vel in horrea, vel in equorum stabula conuersa? An Sacerdotes multis in locis, omnibus facultatibus suis exutos? An Monasteria partim euersa, partim suis prouentibus non videmus spoliata? Fatetur hoc ipse quoque Malefacius, posteaqàm nouam suam doctrinam in vulgus protulit, quòd multò, quàm anteà sceleratiores homines, ac decies ipsis etiam Sodomitis peiores facti sunt. An autem rectè Malefacius dici non potest? cuius hæ sunt voces, Euangelium pati non posse, vt prædicetur de bonis operibus, ouiculam Christi horrere, vbi prædicari ea audit. Fidem nullum opus bonum posse iuxta se ferre. Qui bonis operibus operti sunt, eos vix posse Cœlum penetrare, quod ea etiam iustificationem consequentia sint impura, cùm opus optimè factum sit peccatum. Pestilentes esse magistros, & radicem germinantem fel, qui in Nouo Testamento conscientias operibus vexant, nec esse simul in Ecclesia fidei magistrum & operum. Quantò sceleratior est homo, tantò citius ei Deus gratiam infundet. Talia docere, quid aliud est, quàm ad omnia mala facienda classicum canere? Intereà tamen Dei verbum & Euangelium vocatur, quod ab eo docetur: cùm tamen ipsemet fateatur, quæ scripsit contra Sacerdotium & sacrificium, quæ propriè diuinitati debita seruitus est, ea se à Sathana doctum, & illius argumentis cum quo plus quàm vnum salis modium comederit, cõuictum scripsisse. Verùm ego longior esse nolo, tantum hoc dico breuiter, si, quod auctore te, magna cum laude tua, Fuldæ factum esse dicitur, idem in quacunque tandem Ciuitate fluctuanti Principi huic subiecta, vt fiat curaueris: hoc est, vt accersantur, qui semen diuini verbi, quod à Sancto Bonifacio, dum in viuis esset, fuerat in Saxonia seminatum, & multis iam annis seminari intermissum, in ea denuò spargatur: futurum vt illud paulatim vberiorem multorum opinione fructum ferat. Et præterquam quod nomen tuum

Universidad de Deusto
Biblioteca

um immortalitati consecraueris, eadem te, quæ tuum illum antecessorem, præmia manebunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt vnquam. Quam ad rem vt gratiam suam tibi Deus impartiat, supplex illius misericordiam petere non intermittam. Datum Grotoferratæ. 1574. V. Octobr.

Hieronymus Osorius Stanislao Hosio Cardinali. Epistola CCXXII.

Gratulatur illi quòd Romam venerit.

EX literis Antonij Pinti viri propter singulare ingenium & non vulgarem in me beneuolentiam mihi carissimi, quibus significabat te Romæ versari atque benè valere, incredibilem voluptatem cepi. Cùm enim animum istum omnibus virtutibus ornatissimum summæq; sapientiæ disciplinis instructissimum amare cœpi, necesse continuò fuit, vt ardenter expeterem, fieri crebrò de valetudine tua certiorem: Quod cum propter terrarum longinquitatem fieri non posset, curis sæpenumerò distinebar. Nunc igitur gaudeo, & quòd sciam te prospera valetudine esse, & quòd sperem fore, vt frequentius de te, quos cupio, nuncios accipiam. Ad nos enim Roma amicorum literæ sæpè deferuntur. Aliud etiam fuit in causa, cur te hoc tempore Romæ commorari valdè lætarer. Quamuis enim Varmiensis Ecclesia tuis monitis & exemplis instituta, & singulari vigilantia custodita sit, & in eo munere diuinam laudem consequaris, non tamen id te impedire debet, quo minus etiam in Romanam Ecclesiam, quæ est mater omnium, & ex cuius salutari imperio & maiestate, admirabiles vtilitates in alias Ecclesias deriuantur, plurimum operæ & industriæ conferas. Quod erat valdè bonis omnibus expetendum, id summo CHRISTI beneficio temporibus difficillimis consequuti sumus, nempè, vt illum Pontificem Maximum haberemus, quem nec humanarum rerum cupiditas incenderet, nec aura popularis in sublime tolleret, neque gerendi muneris difficultas desperatione frangeret, neque postremò sanguinis respectus ab ardentissimo cultu pietatis, & à studio communis salutis auocaret. Sed vides, Pater Amplissime, quàm multæ sint insidiæ illis qui præclara moliuntur, improbitate hominum, qui virtutis splendorem sustinere nequeunt, comparatæ? quid exigat auaritia: quid appetat libido: quid sibi proponat ambitio, non ignoras: & quo denique cogitationes & studia eorum, qui multum de commodis suis, & parùm de CHRISTI gloria cogitant, referantur, pro tua singulari prudentia perspectum & cognitum habes. Nihil igitur vtilius ab illis, qui sapientia & pietate multùm reliquis antecellunt, fieri posse videtur, quàm opera & consilio Sanctum Pontificem iuuare, quò facilius insidias vitet, & impetus hominum perditorum, vt facit, inuicta constantia retardet: vt ita tandem, quod est sapienter institutum, exitum fœlicissimum consequatur. Cùm igitur tu is sis, in quem maximè propter virtutis tuæ magnificentiam omnes boni intueantur: plurimum gaudeo, te Romæ nunc esse, vt pro parte tua plurimum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ lucis afferas: & ita longè præclarius in cœlum viam munias. Quod verò ad me attinet, breuiter te de statu rerum mearum admonebo. In Pontificio munere perfungendo, non valdè negligenter me gero. Partim crebris concionibus homines ad studium pietatis alliciendo, partim fluxos mores seuerè coercendo, id Christi benignitate consequutus sum, vt conuersio multorum insignis fieret. Quod tempus ex his occupationibus eripere possum, ad scribendum confero. Multa habeo domi compressa, quæ confido nonnullam vtilitatem bonis allatura. Vltimum opus à nobis absolutum, quinque libris verissimæ sapientiæ rationem complectitur, quæ vt noster Paulus ait, in Christi Cruce tota consistit: Quomodo autem hoc opus cum alijs in lucem prodeat, explicare non queo, & interdum metuo, ne, si morte, quæ nunquam, vt sunt res humanæ, procul abest, oppressus fuero, laborum meorum fructus intereant. Aliquid tamen excogitabo, ne videar mihi tantum, vt aiunt, atque Musis ceciniſſe. Ab inuidis otium non est: Multi mihi insidias nefariè moliuntur. Semel de mea pernicie coniuratio facta est. non semel admonitus sum, vt à venero cauerem: Dei tamen propitio numine tela retusa sunt, & multos ex illis, qui in me teterrimi fuerant, obstrictos habeo. Maior hominum Algarbiensium pars me diligit: reliqui sunt infesti. Quidam homines perfidi, quorum in me scelus veniam nanque postularant, beneficijs obruere concupieram, nomen meum detulere. Neque defuere, qui aures illis libentissimè præberent. ego verò recti conscientia sustentor: & ea cogitatio me præterea sollicitudine liberat, Quod omnem meam dignitatem Christo commiserim. De meo autem amore, studio, & pietate erga Amplitudinem tuam, multa possem dicere, quæ nunc, ne longior sim, quàm ratio postulat, silentio præteribo. hoc tamen tibi affirmare verissimè possum, me sæpissimè in votis & sacrificijs Deum pro tua salute & incolumitate, & amplitudine venerari. Vale Pater Amplissime, nostrique memoriam ista tua singulari pietate conserua. Villanoua Portimanensi XX. April. M. D. LXX.

Hiero-

Hieronymus Osorius Stanislao Hosio Cardinali. Epistola CCXXIII.

Commendat Petrum Cugnam.

ANNO proximo binas ad te literas dedi, quas non ita pridem intellexi, tardissimè ad te perlatas fuisse. Fero, profectò molestissimè, cùm nihil ardentius cupiam, quàm te sæpissimè, quandò aliter non licet, per literas salutare, istam tabellariorum, vel perfidiam, vel negligentiam, qua mihi hunc officij fructum eripiunt. Hoc tamen incommodum nuncijs de valetudinis tuæ firmitate facilè consolabar. Petrus Cugna vir mihi carissimus per literas significauit, se tuis domesticis atque familiaribus adscriptum esse, quod mihi non mediocri voluptati fuit. Est enim vir pius, integer, atque moderatus, & non vulgari eruditione præditus. Eius familiaritate diu & valdè libenter vsus fui, & hominem magnorum Principum qualis tu es, humanitate dignissimum, vtriusque igitur gratia lætor: Tua quidem, quòd opera hominis optimi, & fidelissimi, magnis in rebus vti poteris: illius verò, quòd hoc tam insigni beneficio, illum non mediocri dignitate cumulatum arbitror. Quid enim ad dignitatem illustrius esse poterit, quàm Principi summis virtutibus ornatissimo probari? Quamuis autem hoc non valdè necessarium arbitror, amor tamen meus in Cugnam me impellit, vt à te maiorem in modum petam, vt ad illam voluntatem, qua in eum propensus es, aliquis etiam, mea gratia, cumulus accedat. Vix aliquid à te, Pater Amplissime, mihi vel gratius, vel iucundius acciderit, de meis rebus nihil possum aliud dicere, quàm me fuisse diu atque vehementer oppugnatum. Sed vtiam me videre videor, veritas intercluſa respirat, & calumnia testimonio verissimo redarguta, conticescit. Rex me inuitat per literas, vt hac Ecclesia relicta, alterius, cuius fructus vberiores esse putat, curam suscipiam. Illi gratias egi quas debui: nondum tamen, quid sim facturus, habeo constitutum. Interim certum est, mihi omne consilium ad Christi mentem & sententiam referre. Quem assiduè precabor, vt te diutissimè ad Ecclesiæ sanctæ fructum incolumem conseruet. Balsæ XXIX. Maij. Anno M. D. LXXIIII.

Hieronymus Osorius Stanislao Hosio Cardinali. Epistola CCXXIIII.

Iterum gratulatur, quòd Romæ in luce Reip. Christianæ viuat.

QVO iucundiores mihi fuerunt literæ tuæ, eo molestius tuli, eas fuisse ad me tardissimè perlatas. Sed eam molestiam earum benignitas facillimè compensauit. Vt verò ad singula respondeam, Deus, vt reor, Regem vestrum virtute regia præcellentem, in eam mentem impulit, vt vellet tuæ virtutis fructu, & consuetudinis suauitate carere, dum in ista vniuersæ Christianæ Reipub. luce, & celebritate, multò clarius lumen tuæ pietatis & eruditionis porrigeres, quàm in patria facere potuisses. Vrbs enim ista communis patria est omnium, qui fidem Christo debitam sanctam habemus, & pro illius Religione mori cupimus. Et præterea si in ea, vt sperandum est, indies acrius studium pietatis exarserit, eiusdem pietatis fructus in reliquas omnes Ecclesias, quasi ex perenni fonte sanctitatis facilè redundabunt. Non igitur solùm egregio officio fungeris, dum Sanctissimo Pontifici in tam præclaro munere operam nauas, verum & Ecclesiæ Varmiensi benignè consulis. Nam quòd de affecta ætate conquereris, qua peregrinationis molestiam suscipere coactus es, id quod molestum erat, iam est de labore detractum. Iter enim tuum fuit fœliciter Christi benignitate confectum: quod reliquum est, non est viribus corporis, sed animi robore & constantia gerendum. De Coadiutore verò tuo Cromero tantis opibus animi culto tibi gratulor. Quòd verò mihi omnia tam prolixè, de tua singulari voluntate polliceris, immortales tibi gratias ago, & quandiu vita frui licuerit habebo. Illa verò cohortatio, qua mihi stimulos admoues, vt contra inuidiæ furorem, contra sceleris improbitatem, contra inimicorum insidias ita me comparem, vt nulla sint impedimenta, quæ me ab Ecclesia mihi commissa, vigilanter regenda & erudienda deterreant, mirũ est, quantam mihi alacritatem, ad munus meum ardentius subeundum addiderit. Lucubrationes autem, in quibus cùm est otium, quod sanè exiguum est, operam & studium cõsumo, me valdè solicitum habent. Librarij enim, aut non sunt apud nos, aut si aliqui sunt, ita imperiti sunt, vt illis quidquam committere non audeam. Quo minus autem foras mittam, multa sunt impedimento. Nam & casus ancipites, & hominum perfidiam, & artificum, me absente, negligentiam perhorresco. Attamen aliquid excogitabo, ne, si me mors oppresserit, ea quæ mandaui literis, & domi compressa contineo, immanitate mortis ipsius obruantur. In quoquidem non me valdè nominis mei cura solicitat, sed, ne fructus fortasse aliquis communis vtilitatis intereat, anxiè reformido Sed exitum Deus, cuius gloriæ omnia mea studia conseraui, vt confido, præstabit. Interim verò pro vita tua, quam Christus ad Ecclesiæ suæ fructum ad multos annos perducat, perpetuò vota faciam. Vale Syluijs 3. Calend. Februarij. Anno M. D. LXXI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hieronymus Osorius Staniſlao Hoſio Cardinali. Epiſtola CCXXV.

Significat de ſuo in Aulam aduentu, de morbis illius, & de ſuis libris edendis.

VENI in hanc vrbem accerſitus : quam reperi conſilijs certorum hominum conturbatam. Pro mea quidem parte operam dedi, vt odioſas quaſdam ſuſpiciones, quæ in animis altius quàm Reipublicæ ſalus flagitabat, inſidebant, euellerem. Morbi quibus affligitur hæc noſtra Reſpublica, multis inſanabiles eſſe videntur : mihi verò non item. Cùm enim Principes noſtri ſint optimo animo præditi, & idem ſit omnibus propoſitum, ſpes eſt, vt omnis diſſenſionis memoria penitus euellatur : maximè cùm Pontifex Sanctiſſimus huius regni curam & patrocinium patria benignitate ſuſcepe rit. Hic literas à te tertio propè menſe datas accepi. Et quanquam ad me longo interuallo perlatæ fuiſſent, non minus mihi tamen voluptatis attulerunt, quàm ſi valdè recentes extitiſſent. Quid enim Pater Ampliſſime, poterit à te quouis tempore mihi contingere, quod non ſit ad ornamentum meæ dignitatis honeſtiſſimum, vel ad animi oblectationem iucundiſſimum? In quo verò oſtendis te, ſi libros meos Romam miſero, curaturum, vt breui in lucem prodeant, præ te fers egregiam in me voluntatem : Cuius ſignificatione fit, vt amor meus in te in dies miris acceſſionibus augeatur. Vtrum verò id faciam, an potius eos Antuerpiam ad Plantinum mittam, cùm primùm in Algarbio conſtitero, quo cras profiſciſci cogito, per otium deliberabo, ea verò de cauſa breuior ero, quod ſim iam in procinctu. Ex Algarbio longiores dabo literas. Interim nullo modo pro ſalute tua, pro vitæ longitudine, pro dignitatis amplificatione vota facere deſiſtam. Vale Olyſiponæ VIII. die Octobris. Anno M. D. LXXI.

Hieronymus Osorius Staniſlao Hoſio Cardinali. Epiſtola CCXXVI.

De libro recens edito, de Regia diſciplina & inſtitutione ſignificat.

SI in vltimis terris apud Sinas exularem, crebrius arbitror potuiſſe me fieri de tua valetudine certiorem. Tabellarij enim vel tempeſtatibus excluſi, vel negotiorum difficultatibus impediti, rariſſimè ad nos commeant : ita vt annus elabatur, priuſquam ad me Roma literæ deferantur. Eram igitur valdè ſolicitus. Hac tamen cura nudius tertius Antonij Pinti literis liberatus ſum. is enim mihi ea, quæ valdè cupiebã de valetudine nunciauit, & præterea me admonuit, vt ſi quid eſſet à nobis editum, id tibi deferendum curarem. Mea quidem ſponte fuit editus liber De Regia diſciplina & inſtitutione, in quem multũ operæ & ſtudij contuleram. Huius tamen meæ facilitatis me valdè pœnituit. Nam cùm ego abeſſem, librarij partim imperitia (rudimenta nanq; nunc deponunt) partim auaritia (cupiebant enim, vt citius ad pecuniam perueni rent opus abſoluere) totum corpus mendis innumerabilibus inquinarunt, ſunt præterea multa notis minimè cohærentibus perturbata & inuerſa: in quibuſdã locis verba deſunt: in alijs ineptiſſimè redundant, ita vt non mediocrem moleſtiam cœperim. Quamuis tamen id mihi malè proceſſerit, impediri tamen non potui, maximè cum me Antonius Pintus admoneret, quin tibi librum mitterem. Gratum autem mihi facies, cum fuerit tibi otium à rebus Amplitudine tua digniſſimis, aliquod tempus huius noſtræ lucubrationis lectioni tribuere. Si enim ſapientiæ tuæ teſtimonium fuero conſecutus, arbitrabor me non mediocrem mei laboris fructum percepiſſe. Interim verò minimè deſiſtam Chriſtum optimum maximum precari, vt vitam tuam cum ampliſſimo virtutis & ſapientiæ tuæ fructu diutiſſimè conſeruet. Vale. Villanoua Portimanenſe. Anno M. D. LXXII. Die XXI. Maij.

Hieronymus Osorius Staniſlao Hoſio Cardinali. Epiſtola CCXXVII.

De muneribus Regi Luſitaniæ ab Hoſio miſſis, de libris ſuis & inuidorum obtrectationibus.

LITERAS tuas decimoquinto die Aprilis datas, non ita pridem accepi, quibus materiam, quam tractandam accepi, mirificè laudas. Ego verò conatum meum laude dignum arbitror, ſi perfecero, quod valdè concupiui. Sed quis eo poterit peruenire, quò iamdudum animus meus aſpirat? Is certè qui crucem amplexus tota mente fuerit, & ſimul ingenio & eloquentia excellens extiterit, à quibus laudibus, tantum abſum,

abſum, vt me noſtri ſtatus valde pœniteat. Dabo tamen operam, vt volumen deſcribatur, vt ad te breui deferri poſſit. Rex noſter an munera tua, quæ planè diuina iudico, acceperit, ab ipſo intelligam. In hoc enim Algarbij Regnum ſe contulit, vt hoſtibus Chriſtiani nominis, qui ſtragem in his oris maritimis, vt rumor eſt, edere cogitabant, inſita virtute repugnaret, illum ego inuiſam, & quod iudicium de tuis muneribus faciat, percontabor. Quanquam ætas illius apta minimè ſit ad res tanti ponderis acri iudicio examinandas : non dubito tamen, quin omnia quæ à te profecta fuerint, illi valdè grata atque iucunda ſint. In quo verò tantum officia tua erga nos, Eccleſiaſq; noſtras attenuas, & oſtendis te nullum magnum in nos beneficium contuliſſe, præ te fers illuſtrem iſtam virtutis amplitudinem, & animi alti & excelſi magnificentiam, quæ ſponte ſua ita in benignitatis ſtudio verſatur, vt gratiam minimè requirat. Sed quò minus gratiam à nobis exigis, eò vehementius nos tibi excellentibus meritis aſtringis. Quod autem ad me adtinet, dabo certè operam, ne vnquam ingrati animi crimine meritò condemner. Sed tam inſignis eſt in malis temeritas, vt nondum nobis liberè licitum ſit, decretorum ſanctitate frui. Quid de aduerſarijs meis (aduerſarios enim quam inuidos appellare malo) hoc tempore dicam? Haſtenus operam ſtrenuè dederunt, vt me varijs calumnijs exagitarent: nunc autem videntur impetum nocendi remiſiſſe. Ego tamen illos, ſi potero, & ſi mihi fuerit oblata facultas, vlciſcar. Duplici autem ratione iniurias mihi vehementiſſimè perſequendas ſtatui. Vna eſt, eas minimi faciendo : altera, ſi occaſionem nactus fuero maleficia beneficijs compenſando. Sic enim non contemnendum triumphum duxero, & naturæ meæ minimè repugnauero. Alia ſunt quæ in aliud tempus reſeruanda puto. Vale Pater Ampliſſime, quem Deus incolumem diutiſſimè conſeruet. Balſæ XV. die Auguſti. Anno M. D. LXXV.

Hieronymus Osorius Cardinali Hoſio. Epiſtola CCXXVIII.

Agit gratias pro Typis Eccleſiæ Catholicæ, & Crucis, & de ſuo libro De ſapientia diuina.

BEnignitas tua non ſatis habet ornare me beneficijs, quæ ad dignitatem meam, & gerendi muneris commoditatem pertinent, niſi etiam illã diligenter accumulet, quibus pietatis ſtudium acrius inflammetur. Itaque liceat pro Eccleſiæ ſanctitate mori cupiam, & Crucis memoriam in mente perpetuò defixam habere deſiderem, mirum tamen eſt, quantum mihi alacritatis ad hoc ſtudium literæ tuæ cum ſanctiſſimis Reſcij tui & Treteri typis addiderint. Quod verò ad explicationem adtinet. Poëta quidem noſter, quoad ingenio peruenire potuit, elaborauit. Quod conatus eſt, laudo, quod aſſequi nequiuit, ignoſco. Hæc tamen explicatio, quam cum literis accepi, clariſſimum nobis lumen ita prætulit, vt omnem obſcuritatem ſuſtulerit. De Chriſti verò crucifixi typo quid dicam? Nullum enim argumentum magis appoſitum cogitationibus meis mihi dari potuiſſet. Nam quinque libris, quos de ſapientia inſcripſi, qui nondum in lucem prodierunt, id ago, vt demonſtrem. Omnem veriſſimæ ſapientiæ rationem Chriſti crucifixi diſciplina contineri, mirificè igitur delectatus ſum typo, quo multò acrius exarſi ad cupiditatem edendi operis à me : ſi non admodum fœliciter, at certè valdè diligenter elaborant, ſtudium verò, quo plurimum tui fauoris & gratiæ in cauſam Eccleſiæ noſtræ contuliſti, minimè ſum admiratus. Nam cum minimè mihi nouum ſit, te libentiſſimè noſtri patrocinium in rebus omnibus ſuſcipere : tum in hac noſtræ Iuriſdictionis cauſſa, tuum munus erat, Eccleſiarum Luſitanarum Iuri, certorum hominum importunitate vehementer oppreſſo, patrocinari. Quibus autem verbis pro tantis beneficijs gratias agam, non reperio. Quod ſi quandiu aliter non licet, beneficiorum multitudo ſingularis amoris magnitudine rectiſſimè compenſatur, hoc ſtatuas velim: te à me adeò vehementer amari, vt vix quidquam fieri poſſit ardentius. Atque vtinam mihi aliquando liceat, omni opera, ſtudio, & pietate hunc animum in Amplitudinem tuam teſtificari. Perficiam certè ne me quiſquam, vel caritatis in te magnitudine, vel officiorum crebritate facilè ſuperare poſſit. De me nihil habeo quod ſcribam, niſi me Dei gratia & benignitate benè valere : ab occultis tamen hoſtibus oppugnari, quibus minimè reſiſtendum puto. Certum eſt enim mihi omnes defenſionis rationes in CHRISTI præſidio collocare : qua fide ſubnixus, omnia inuidiæ tela facilè retundam. Antonius Pintus vir mihi cariſſimus, tractabit cum Amplitudine tua negotium valde ad rem meam pertinens. Te igitur maiorem in modum oro & obſecro, vt illum audiat, & fauore ſuo proſequatur. Deum precor, vt Illuſtriſſimam Dominationem Tuam diutiſſimè conſeruet. Syluijs XVIII. Ianuarij. Anno M. D. LXXV.

Hieronymus Osorius Cardinali Hoſio. Epiſtola CCXXIX.

De ſu

Universidad de Deusto
Biblioteca

De suo ex Lusitania discessu, de Regio animo, deq; cupiditate videndi Hosij.

OMNIS longa mora est, inquit ille, quæ gaudia differt : & quò gaudium est magis expetendum, eò dilatio grauius animum cruciat. Cùm igitur multis ab hinc annis tui salutandi cupiditate vehementer exarsissem, & nunc me propediem voti compotem fore confiderem, ægerrimè passus sum, casum interuenisse, qui meum iter ad aliquod tempus remoretur. Rex Dominus meus binis literis in eandem sententiam scriptis se non mediocriter offensum significat : quòd iniussu suo iter hoc adeò longum & periculosum susceperim : Monet deinde vt continuò reuertar. Respondi, me vt fides, & officium facere admonet semper in illius potestate futurum : ita tamen, vt prius Religioni satisfaciam, me ea religione atque promisso teneri, vt non possem vllo modo sine scelere nefario consilium itineris huius abijcere : Ideo autem consilium secretum tenuisse, quia sciebam postulatum meum ab inuidis meis, qui magnum locum apud Maiestatem illius obtinent, derisum iri. Exposui deinde multos, & iustas, & graues causas, cum modestissima quadam iniuriarum querimonia, quæ mihi illatæ fuerunt : non auctore illo quidem, sed non ita repugnante : vt esset notum aduersarijs meis, se nihil vnquam fauore erga illos Antistites, qui munere suo cum nonnulla laude funguntur, antiquitus habiturum. Me non honores exquirere, cùm maximè diuina suscipiam, & ex humanis eo honoris gradu contentus essem, in quo me benignitas illius collocarat : Nec me in hoc iter dedisse, vt æmulorum nomina deferrem, cum libentissimè erratis eorum, qui in me furenter inuehuntur, ignoscam, & cupiam beneficijs maleficia compensare : sed vt animum meum religione, qua erat adstrictus, exoluerem : eoque animo profectum esse, vt cum primum nuncupata vota persoluerem, & quæ ad meliorem Ecclesiæ Algarbiensis rectionem pertinerent, à Domini nostri benignitate impetrarem, continuò in Lusitaniam redirem. Hæc in summa erat literarum mearum sententia. Nec dubito, quin Rex, cùm sit optima mente præditus, excusationem meam accipiet. Quomodocunque tamen res accidat, non reuertar in patriam, antequàm Romam petam, & Sanctorum Apostolorum sepulchra debita pietate & veneratione colam, & Domini nostri pedes osculer, & te quem mirificè diligo, cuius virtutem & sapientiam admiror, cuius beneficijs me perpetuò nimis astrictum fore confitebor, ea qua debeo obseruantia salutem, & benignitate tua frui aliquo tempore possim. Sed, inquies, cur id non statim facis ? Quia sunt mihi denunciati terrores inanes illi quidem, sed aliquantulum molesti : quos facillimè mihi posse vitare videor, si tempori seruiam, & me contineam vsque eo, dum Regis responsum videam, quod plenum benignitatis fore confido. Nihil est enim illo clementius, & offensio interiecto temporis spacio mitigabitur, & ministros illius multò in me æquiores experiar. Hoc satius esse puto, quàm dum me quisquam violatæ fidei forsan insimulare conetur, falsum crimen verissima defensione refutem. Cur igitur quod tempore nulla cum molestia sanari poterit, cum molestia nonnulla curandum suscipiam ? Interim dilationem hanc vt potero feram, ea spe quæ me tenet fore, vt fructus omnes tuæ erga me voluntatis cùm Romam peruenero, sanè frugaliter, atque valdè diligenter exigam : neque tempus in hac Ciuitate sine aliquo fructu elabi aliqua ratione patiar. Interim verò te vehementer, Amplissime Pater, & Domine, oro & obsecro, vt Antonio Pinto credas, quæ tibi nomine meo dixerit. Fœlicissimè valeat Illustrissima D. Tua, quam Deus omnipotens diutissimè conseruet. Bononia 2. die Octobris. Anno M. D. LXXVI.

Hieronymus Osorius Hosio Cardinali. Epistola CCXXX.

Respondet quo consilio dedicatoriam epistolam scripserit, & quòd in vnius Hosij grauissimo iudicio libentissime acquiescat.

HVMANITAS tua singularis erga me, quamuis omnibus se rebus semper ostenderit, his tamen literis multò se clarius indicauit : erant enim & officij plenissimæ, & consilium, quod illis continebatur, satis apparebat, fuisse ex amicitia non vulgari, & è prudentia summa depromptum. Antonius Pintus mihi significauit, quanto studio postulatorum meorum causam susceperis : quorum vnum iam, vt cupiebam obtinui : alterum me impetraturum confido. Iacto enim gratiæ tuæ fundamento, quid est quòd mihi de Domini nostri voluntate polliceri non audeam? Dicis te libentissime legisse epistolam dedicatoriam, quam libris nostris adiunximus : sed finem epistolæ non improbare quidem, sed subuereri, ne offensionem afferat illis, qui sunt de nobis sententiam laturi. Etenim si hominibus quibusdam, magis studio pietatis incensis, quàm prudentiæ disciplinis eruditis, in mentem venire potuisset imbecillitatis illius, de qua perditissimi homines, in principio pestis huius, quæ nondum vires amisit, triumphabant: gratiam habere debuissent illis omnibus, qui fortius hæreticorum incursionibus occurrere. Imbecillitas autem erat maxima ex parte in barbarie constituta. Vnde sequitur, cum Barbara pietas sit imbecilla, eam pietatem, quæ se armis paulo magis splendidis instruxerit, fortius & vehementius hostiles impetus repressuram. Hoc qui secum reputauerint, molestiam non exhibebunt illis, qui gladium diligentius exerunt, vt hostibus importunis altius vulnus infligant. Pietas verbis luculentis non inuentitur: piæ tamen disputationis acumen, interdum oratione luculenta retunditur. Præterea mihi opera danda videbatur, ne vel Lutheranis, cum quibus nobis perpetuum certamen est, aliquo pacto deriderer: vel Iudæis, qui nobis imperitiam Hæbræi sermonis objiciunt, ansam calumniæ darem: & ea de causa vt pietati clariorem operâ nauarem, quoad fieri posset, omne verbum insolens aspernabar: & verissimum scripturæ sensum, ex Hæbræo fonte, vt sanctissimi homines factitarunt, hauriebam. Sed quid faciam? Morbus enim, quo multi laborant, est prorsus insanabilis: & offensio est illis, qui prudentiam sequi student, summo opere declinanda. Quare summas tibi gratias ago, Princeps Amplissime, cùm me admonuisti, vt finis epistolę ne in offensionem incultæ pietatis incurreret, tollendum iudicarem. Præterea illud etiam mihi succurrit: illam postulati cautionem non eam esse, quę offensionem leniret: Sed quæ animaduersionem acriorem excitaret. Mihi quidem satis erat iudicium tuum, quod grauissimum semper habebo, vt totum illum locum delendum esse ducerem. Cùm verò eadem ratione victus idem sentiam, quod tu, prorsus tollendum arbitror. Totum autem librum iudicio tuo committo. Itaq; non tantùm epistolæ finem, sed quidquid aliud est expungendum iudicaueris, meæ tuæ sententiæ poteris sanè fidenter adscribere. Fœliciſsimè valeat Amplitudo tua, quam deus diutissime seruet incolumẽ. Bononiæ. 29. Decembris Anno 1573.

Hieronymus Osorius Hosio Cardinali. Epistola CCXXXI.

Significat quanto desiderio Hosij familiaritatis teneatur.

SI potuissem explicare vim amoris, quo tuæ virtutis & religionis, atque sapientiæ magnitudinem complexus sum: possem similiter exponere, quantum me tuæ iucundissimæ familiaritatis & beneuolentiæ desiderium teneat. Hærent in animo meo verba, quibus, dũ à te discedebam, à me scisciatus es, an libenter iterùm Romam peterem: Respondi, senectutem fore impedimento, quò minus in eandem viam rursus ingrederer. Hæc tum dixi: Verùm si fuerit à summo rerum omnium Domino constitutum, ne tu, antequam virtutis sempiterna præmia in altera vita consequaris, in hac in amplissima sede locatus, ampliorem materiam exercendæ pietatis obtineas, renouabitur, vt aquilæ, iuuentus mea, ne vllum laborem itineris longissimi pertimescam. Interim hoc statuas velim, te in animo meo semper hærere, & à me sic amari, vt vix quidquam ardentius esse possit. Frater Ludouicus à sancto Francisco, est vir non mediocri religione & eruditione præditus, & mecum amore magno coniunctus, & tui nominis studio acriter inflammatus. inuiset ille Illustrissimam D. T. quam precor, vt eam humanitate tua complectatur. Fœliciſsimè valeat Illustrissima D. T. quam Deus omnipotens incolumem diutissimè cõseruet. Barchinone 19. Augusti Anno Domini M. D. LXXVII.

Diegus Payua Andradius Hosio Cardinali. Epistola CCXXXII.

Obseruantiam suam in Hosium profitetur.

QVanta sit amoris vis, quãta, natura ex eo intelliges, quòd patria mihi iniucunda, meorum consuetudo ingrata, otium molestum laboriosumq; esse videatur: quia neque per literas tecum agere, neq; de rebus tuis audire, atque de tua valetudine, quem non solum diligo, sed etiam amo & obseruo, certior fieri possum, neminem quidem mercatorum, quos isthic negotiari intelligebam, prætermisi, quem non sæpius rogarem, vt literas ad te meas perferendas curaret, quibus tui desiderium leuare aliqua ex parte possem: & ecce modo quidam hodie cõuenit, qui duas dixit ex Polonia naues adesse, quæ portu iam soluere parabant: quare nisi literas festinanter exararẽ, præreptam mihi esse hãc tam præclaram scribendi occasionem, quod certè conceptam iam multò antea molestiam vehementer auxit, quia longitudine literarum moram atq; tarditatem compensare cupiebam. Sed quia ita tempus fert, neq; mihi ipse scribendo satis facere possum, hoc tamẽ velim intelligas: neminem esse eorum, quos tu singulari beneuolentia complexus, innumerabilibusq; beneficijs prosequutus es, cuiin te colendo & obseruando concedere possim: tuorum enim in me meritorum memoria, quæ animum meum mirificè recreat ac reficit, illumq; ad te amandum & obseruandum quotidiè magis ac magis accẽdit, nulla scribendi cessatione minui, absentiáue extingui potest, cùm præsertim in ea Orbis terrarum parte degam, in qua nihil est Illustrissimi Cardinalis Hosij commemoratione iucundius, nihil eius nomine suauis, charius, atq; illustrius. Nam quanquam tibi vniuersa Resp. plurimum debeat, quòd Euangelij fideiq; integritatem ab hæreticorum insania vendicare studeas, atq; pro illa tuenda & amplificanda infinitis laboribus fueris defunctus, nostris tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen hominibus id quidem certè debès, quòd neminem aut amant ardentius, aut colunt & obseruant diligentius, scriptaq; tua ea auditate, obseruantia, & pietate lectitãt, qua Sanctorum Patrum volumina euoluere solent. Quare vt aliqua in re ipsis gratificari possim, Amplitudinem tuam oro & obtestor, vt me de rebus tuis, atq; etiam de Religionis statu in Germania (quem tibi maximè curæ esse scio) certiorem facias: vt si qua salutis spes amplissimæ illi Prouinciæ affulgeat, eos habeat lætitiæ comites, qui eius ærumnas lachrymis continenter prosequi, assiduisq; ad Deum precibus alleuare solent. Librum, quem contra Kemnitij calumnias Tridenti composui biennio antè, cũ Venetijs essem, ad te misi: & cùm tuum de illo iudicium auidè expectarim, scire tamen hactenus non potui, an tibi redditus fuerit. Quare si in tuas manus iam peruenit, rem certè facies non solùm mea in te pietate, & obseruantia, sed etiam tua humanitate dignam: si mihi per literas significaueris, operámne tibi perdidisse videar: Nam si tibi, doctisq; viris laborem nostrum non ingratum, hæreticis verò molestum fuisse intellexero, omnes vires contra perditorum hominum petulantiam comparabo, atq; isto otio ad Ecclesiæ vtilitatem fruar. Libellum ad te mitto Archiepiscopi Bracharensis, quem scis tui esse amantissimum, & studiosissimũ, quo de Episcoporum viuendi ratione, de eorum munere, atq; de officijs Ecclesiæ præstandis ex Sanctorum Patrum sententijs agit: qui quanquam eo inscio & inuito adeò, ab amicis fuerit in lucem editus: illo tamen est sententiarum pondere: vt si Antistites omnem muneris sui rationem breui volumine complexam intueri velint, maximam Ecclesiæ vtilitatem allaturus esse videatur: Cui adiuncta est Concio quædam, quam de eadem re nuper habuit R.P. Episcopus Ludouicus Granatensis, vir ob morum integritatem, vitæ sanctimoniam, eruditionisq; præstantiam dignus, qui ab Amplitudine tua diligatur. Si quid verò fuerit, in quo opera mea vti volueris, maximo me certè beneficio afficies: nemo enim tuorum est familiarium, qui maiore sit erga te pietate, pluribusq; officijs arctissimè deuinctus. Vale Olysiponæ 9. Kal. Iul. 1567.

Iulius Pogianus Hosio Cardinali. Epistola CCXXXIII.

Respondet ad literas, de consuetudine Comendoni Nuncij gratulatur, de profectu nepotis in literis & pietate significat.

Iucundissimas Amplitudinis tuæ literas, quæ mihi & molestiam abstulerunt qua afficiebar ex ancipiti dubitatione, vtrum non accepisses literas meas: an illis redditis, non tantum valuisset apud te excusatio diuturni silentij mei, vt existimares exiguam prætermissi officij significationem esse dignam nouo munere literarum: & cumulum prætereà voluptatis attulerunt. Me enim prior illa pars epistolæ vehementer delectauit, qua tibi non iniucundas fuisse scribis meas literas, spectatum etiam studium, atq; obseruantiam in te meam. Qua in re etsi nemini concedo, tamẽ vel singularem amorem à præstantissima virtute tua commotum, metior ea iudicij regula, qua susceptus est, vt minimè falli posse videatur. Verùm hæc sunt certissima tuæ erga me beneuolentiæ signa: in quibus non nimium illud fuit, quòd causas, quamobrem serius ad me rescripseris, subtiliter commemoras. Hoc verò maximum, quòd ne me quidem ignarum esse voluisti consuetudinis & conuictus tui cum Episcopo Comendono: quem ego virum, quia illius ordinis, qui pluris esset ingenio, virtute, prudentia, pietate adhuc cognoui neminem, semper feci plurimi: pro quo, nisi me Dei prouidentia deterreret, conquererer audacius, & iniquitatem temporum, peruersitatem iudiciorum liberius accusarẽm. Sed difficile est loqui de ea re, vnde rationem diuinam excludere non possis. Quare sustinebo me. Illud certè, quod & Comendono iucundum, qui te solitus sit omnibus anteferre, & tibi gratum esse scio, qui tantum ei tribuis, præterire nõ possum, gaudere me incredibiliter, esse illum apud te præsertim taliistius Regni tempore. Nam si eo loci res est, medicinam vt possit accipere, aut gemina ista virtute ac prudentia singulari sanabuntur, quæ multorum vel inscitia, vel malitia violata sunt, aut aliud agendum, & precibus ac votis modò remedium desperatis rebus quærendum erit. Sed confido fore, Dei fretus benignitate, vt curationem istius morbi, & qui rem exulcerarunt, aperiant, & qui tenent, quid cuiq; committendum sit, intelligant. Vos intereà fruimini bono congressus, sermonis, & consuetudinis vestræ, quam in summa rerum, hominum, temporum difficultate instar vitæ esse non dubito: Causæ autem, quas affers tui reditus in patriam, occupationes item Episcopales, & rationes administrandi munus istud, vt maximum ita hoc tempore difficillimum, sic expressæ sunt tuis ad me literis, vt animus iste tuus infixus in charitate eorum, quos tuæ fidei, prudentiæq; cõmisit Deus, spirare videatur in Epistola. Quã deinde epistolã cùm Borromæo Cardinali eius iussu, cui is fasciculus est redditus, legendam dedissem, Ego, inquit, nisi eximium studium Christianæ Religionis ac pietatis summi huius viri ex eius & scriptis & actionibus haberem cognitum, vel vnis his literis facilè adducerer, vt illi huius laudis tribuerẽ principatum. Commouit videlicet hominem professio illa deuotionis capitis sui pro salute eorum quibus præs. Excitauit magna spes qua teneri te scribis, tibi, si res postularet, animum & studium oppetendæ mortis allaturum Deum. Quod te periculum libentissimè etiam aditurum affirmas, vt eo calice, quam posses gratiam referres ei, qui salutem Orbiterrarum suo calice propinauit. Quæ sicà te scripta sunt, vt appareat, te non ægrius eò deseen

surum, quàm illa expedieris. Nec verò non extat, eundem te (cui ne cupienti quidem certè non petenti delati sunt honores) illo officio, quod à Paulo opus appellatur, sic fungi, vt magis ipse labores, rectè vt administres munus tuum, quam pleriq; faciunt, vt dignitatis gradus consequantur. Sed de te pro re quidem parum, apud te satis ne dicam nimis multa: qui virtutum actione, non etiam commemoratione delectaris. Mandata tua persequutus sum, quæ mihi cum das tuo iure. Quem ego agnosco amorem in me tuum? eum temperas, & quasi condis illi artificio humanitatis, vt excuses libertatem iubendi tuam, quam in admiratione mirifici pudoris tui illum desidero amorem, cuius summa mihi semper illa significatio, si omnia liberè imperaris. Lainius Iesuitarum societatis magister, tametsi preces eas, quas quotidie pro Germania fieri iubet, ad istos etiam homines pertinere arbitratur, tamen propriè & nominatim mandauit de eo, quod scribis. Orabit igitur vtrunque Collegium Iesuitarum pro salute Poloniæ tuæ. Quæ ratio precationis eo die est instituta, quo mandatum tuum exposui Lainio. Postridiè eius diei pransus sum ipsius magistri inuitatu in Gymnasio quod vocant Germanorum: vbi mirificam sobolem Christianæ iuuentutis, & planè seminarium vidi florescentis Ecclesiæ. In illis cognoui Ioannem fratris tui filium ea humanitate ac modestia puerum, ea etiam commendatione ingenij, studij, probitatis, ac religionis, vt non solùm ore, sed etiam illa indole & spe summæ laudis, planè vester esse videatur. Legit ille tuas ad me literas: volui enim, vt intelligeret, & quantum tu pro tua benignitate me amares, & quam ego Amplitudinem tuam colerem & obseruarem. Quid quæris? statim mihi illas reddidit, & capita Epistolæ dixit benè memoriter, à quo cùm quæsissem Gymnasij moderator, an concionari vellet, quod aiunt puerum illa exercitatione delectari, respondit se priusquàm haberet concionem, modum, & rationem eius conscribendæ velle perdiscere. Allata sunt nescio quot corpora Polonicæ Confessionis tuæ proximè, vt aiunt, impressa, quæ euanuerunt eadem illa hora, qua exposita sunt in taberna libraria. Mirum est, quàm multi eorum librorum desiderio teneantur. Archiepiscopus Sipontinorum totus est Amplitudinis tuæ: qui studium & operam suam à me tibi deferri voluit. A Sirleto tibi salutem plurimam refero, quem esse scito in Principibus ijs, qui te & colunt & admirantur, quemq; quis huius officij non appetit principatum? Torrensem audio & valere, & studere sic, vt abdat se in literas: quem ego multos dies non vidi, neq; qui vident, præter vnum aut ad summum alterum, qui illi casu occurrerit, reperire potui. Conueniam omninò hominem, & vrgebo, vt Amplitudinem tuam faciat ipse de rebus suis certiorem, cui commendationes tuæ quanto ad id, quod maximè & cupiebat, & ei necesse erat adiumento fuerint, & ipse intelligit, nec ego ignoro, Deum precor, vt Amplitudinem tuam seruet incolumem, mihiq; concedat, vt aliquandò præsenti studium & operam aliquam nauare possim. Da mihi hoc pro tua benignitate, vt Comendonum Episcopum & nuntium meis verbis saluere, & valere iubeas. Roma V. Kal. Augusti, Anno M.D.LXIIII.

Ioanni VVilhelmo Principi Cliuensi. Epist. CCXXXIIII.

Monet vt constanter fidem Ecclesiæ Catholicæ teneat, & ab omnibus separationis consilijs sibi caueat.

CVM aliquot menses fuisset in hac vrbe commoratus Illustris Princeps Carolus Fredericus frater tuus, ex vno vel altero colloquio cum illo habito, visus est mihi cum primis pius, & vita longiore dignus adolescens. Verùm ita Deo volente non sine magno omnium dolore, raptus est: ne malicia mutaret intellectum eius. Sæpè namq; Deus melius aliquid prouidet pro nobis, etiam inuitis nobis. Amaui pietatem eius insignem: cùm eum à nulla re magis abhorrere viderem, quàm ab eorum varijs, & peregrinis doctrinis, quibus hoc infœlici sæculo nostro multos abductos, prò dolor, videmus, qui suam imposturam vocant Euangelium, & vsq; eò nihil cum Christianis habere cõmune volunt, vt nomen etiam ipsum respuant, & Euangelici quàm Christiani dici malint: quasi verò extra CHristum vllum possit esse Euangelium? Quamobrem cùm hoc ille præditus ingenio fuerit, magnum apud me sui desiderium reliquit. Et quoniam præsentis illius in hac vita mihi potestas iam non datur, meum hunc amorem quo iuuenem illum prosequebar, posteaquàm in viuis esse desijt, extinctum videri nolui: verùm ad te potius transferendum esse putaui, quasi iure quodam hæreditario. Quandoquidem in hac ætate tua teneriore, eos probitatis, veræq; pietatis igniculos iacere diceris, vt non sanguine magis, quàm omni vitæ genere te germanum illius esse fratrem, testatum omnibus facias. Illustrissimi parentis tui piam curam hanc & sollicitudinem, in te piè sanctèq; educando, non possum non vehementer probare. Nihil enim in ea re, studij diligentiæq; prætermittit, nec sumptibus vllis parcit: Nam & de præceptore tibi prouidisse dicitur, viro non solùm egregiè docto, verumetiam ardente quodam Catholicæ religionis tuendæ zelo prædito, vt non nisi optima quæq; de tua in fide constantia sperare nobis liceat. Sed facit eius ætatis, in qua nunc es, imbecillitas, vt omni metu prorsus esse vacui non possimus, cùm grauis admodum ille sit aduersarius, qui tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: neq; tamen se sua forma prodit, verùm in Angelum Sathanæ se transfigurat, ac ex Euangelio contra Euangelium perfæpè pugnat. Et sicut olim fecisse legitur capiti nostro

Universidad de Deusto
Biblioteca

CHristo, vt scripturas contra eum produceret: sic & nunc aduersus eius membra ijsdem armis vtitur, initio nihil aliud quàm illud occinens: Scriptum est. n. Bibite ex hoc omnes: nihil minus habens propositum, quàm vt quibus hoc occinit, eos Dei verbo vellet obtemperare: Sed illud potius nerui, quod aiunt, omnibus contendens, vt assuefaciat homines, in scripturis interpretandis, non Ecclesiæ, cui soli lux sanæ intelligentiæ promissa est, sed suum spiritum sequi, & quem ipse scripturæ sensum adfert, eum Dei verbum vocare: qui verò est communis sensus & consensus totius Ecclesiæ, pro nihilo prorsus eum ducere. Quod posteaquàm in vno aliquo scripturæ loco obtinuit, vt à recepto Ecclesiæ sensu & cõsensu discederetur, idem facere de reliquis etiam aggreditur. Atq; eò rem tandem perduxit, vt nullus ferè sit scripturæ locus, cui non proprium suum & singularem quendam sensum adstruat, nihil vt fide nostra, iam sit apud multos incertius. Quamobrem. rectè monet Ioannes ille non temerè Chrisostomus appellatus, vt ab initijs maximè caueamus. Nã simul vt initium discessionis ab Ecclesia Dei factum est, finem illius reperire longè difficillimum est. Initium autem ab his ferè verbis sumere consueuit: Bibite ex hoc omnes. Quæ si tibi fortè Angelus ille Sathanæ in Angelum lucis transfiguratus, occinere cœperit, obtures aures tuas, & CHristum potius audias, Ecclesiæ placitis obtemperare iubentem, quam qui non audierit, vt is tanquam Ethnicus & Publicanus habeatur, præcipientem: quam si ducem sequeris, cùm ea CHristi corpus, firmamentum etiam sit, & columna veritatis, errare nunquam poteris. Ne putes temerè factum ab Apostolis, quod in symbolo, quod ab illis traditum accepimus, non Biblia, non sanctum Euangelium, sed sanctam Ecclesiam Catholicam credere nos docuerunt. Non illi credere sancta Biblia, vel sanctum Euangelium prohibuerunt: absit enim, vt homo Christianus tale quid vnquam cogitet, sed cùm non in legendo, sed in intelligendo scripturæ consistant, hoc imprimis cauendum esse duxerunt, ne in interpretandis illis, priuatum nostrum, vel cuiuscunq; tandem alterius, verùm communem totius Ecclesiæ spiritum sequeremur. Extra quam pelles haberi siue chartę possunt, atramentum haberi potest, litteræ siue characteres, quibus conscriptum est Euangelium haberi possunt, Cæterùm ipsum Euangelium, hoc est, sanus illius intellectus, extra Ecclesiam haberi non potest. In ea sunt Biblia, in ea est Euangelium, in ea est sanus intellectus Euangelij: quin ipsa potius viuum est Euangelium, scriptum non atramento, sed spiritu sancto, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hanc tu ducem & magistram sequaris, sic futurum est, vt germanum Euangelij sensum assequaris, neca via veritatis aberres vnquam. Verùm ego longior esse nolo, quandoquidem ex his quæ tecum communicabit Elgardus noster, si non fueris ea legere grauatus, plura cognosces ad præsens argumẽti genus spectãtia, Vale. Romæ 6. Ianuarij M.D. LXXV.

Vera sensus sacræ scripturæ ab Ecclesia petendum.

Cur Apostoli in Symbolo non posuerunt credo sanctã Biblia.

Melchiori Pudlousky Regio Secretario. Epist. CCXXXV.

Ostendit extra Ecclesiam non esse Euangelium, & quàm sint in Deum & in Regem iniqui hæretici.

MEtuo ne veriora sint, quam vellemus, quæ scribis de ordine nostro, quod qui duces & authores alijs esse debebamus, ad Christianam religionem tuendam, & conseruandam: quandoquidem à spiritu nomen ducimus, & spirituales vocamur, ad ea quæ sunt officij nostri præstanda, minus etiam adferimus animi, quàm qui nomen à sæculo trahunt. In quorum ego nonnullis zelum quendam ardentiorem cognouisse mihi videor, à quo longius nos abesse existimamus. Nec desunt in ordine nostro, qui cœlum statim ruiturum existimant, si paulò feruentius causam religionis egerint. Cùm interea CHristi perduelles hæretici nihil non audeant, pro sua perfidia defendenda, propaganda; Nec eis infœliciter cedit hæc eorum audacia, qua pro sapientia sæpius vtuntur, cùm nos modo non ab vmbra nostra nobis metuamus, Deus precandus est, vt his qui præsunt Ecclesiæ Dei consilij det spiritum, & fortitudinis, quò se pro domo Dei murum opponant, & viriliter conatibus impiorum resistant. Nam & illud metuo, ne sit nimis verum, quod scribis, patriam nostram, iam animam agere, quò maiore studio Dei misericordia nobis est imploranda. Nam & ista duorum Palatinorum tam acerba contentio, maius incendium excitatura videtur, quàm quod restingui facilè queat. Sed cùm hæc scriberem, allatum huc fuit, causam hanc ad ea regni comitia, quæ proximè habebuntur, esse reiectam: nec parum ea res me recreauit: nisi quod ista apud vos Regum tanta multitudo, non mediocriter animum perturbat meum. Iam inde ab annis aliquot pleriq; sibi plusquàm Pontificiam authoritatem arrogant. Quis enim Pontificum Romanorum (qui cùm CHristi Vicarij sint, Petriq; legitimi successores in Ecclesia Dei, summa cum potestate versantur) hoc sibi sumpsit aliquando, totam vt Ecclesiam non vocatam prius, nec auditam erroris alicuius, aut idololatriæ condemnaret, seorsum ab illa cœtum faceret, neq; cum reliquis Christianis commune templum habere vellet. Non modò de vniuersa Ecclesia, verùm ne de priuato quidem homine tale quid statuit vnquam Romanus Pontifex, vt inauditum condemnaret. Faciunt hoc tamen apud vos multi, ac non tolerantur modò, verùm & in oculis feruntur à multis, plus etiam aliquid audent, extolluntur enim super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, nec scripturâ Canonicam, sed quem ex ea malè intellecta, sibi commenti sunt ipsi sensum, cùm existimari Dei verbum, & ab omnibus tanquam Dei verbum adorari volunt. Ita fit, vt ostendat eorum se quisquam, tanqua

Hæreses & Reges & Pontifices & Deos multos pepererunt.

qtam sit Deus, vt iam non solùm Pontifices & Reges multos, verùm & Deos tot habere videamur, quot sunt hæreticorum portenta, quæ contra ipsum Euangelium ex Euangelio pugnant, & haud aliter atq; Dij illi Homerici infestis armis, vnus aduersus alterum dimicant, dum non qui Euangelij, sed qui proprius eorum cuiusq; sensus est, eum verbum Dei censeri debere contendunt. Nam cùm Euangelium non in scripturarum verbis sit, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis, ille qui proprius est Euangelij sensus cùm reijciunt, & medullam eius, radicem q; rationis posthabentes, verba tantum, superficiem, & folia sermonum adferunt, & illis priuatum suum sensum cum Ecclesiæ Catholicæ sensu & cõsensu pugnantem adstruunt, & vt is Dei verbum esse credatur, omnibus modis imperitæ multitudini persuadere conantur. Vidit hoc Spiritus sanctus, futuros aliquando, qui eò prorumperent audaciæ atq; amentiæ, vt prolatis aliquot scripturæ verbis, opinionum suarum cõmenta, Dei verbum haberi vellent. Quamobrem in eo symbolo, quod ab ipsis Apostolis nobis traditum habemus, non sine graui causa fideles omnes dicere voluit, Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Cur autem non potius, credo sancta Biblia, credo sanctum Euangelium. Absit vt hoc in eum sensum quis accipiat, quasi illa credi nollet, quæ qui non credit, Christianus non est, sed propterea dici voluit, Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, vt non suo quisq;, sed Ecclesiæ Catholicæ sensu scripturas credendas esse sciret. In Ecclesia sunt scripturæ, in Ecclesia est Euangelium, in sola Ecclesia verus est Euangelij sensus. Extra illam pelles haberi possunt, siue chartæ, atramentũ haberi potest, litteræ siue characteres, quibus Euangeliũ scriptum est, haberi possunt, sed ipsum Euangelium, hoc est, verus illius & sanus intellectus, extra Ecclesiam haberi non potest. Est viuum Euangelium scriptum non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, verùm in tabulis cordis carnalibus, est purum & expressum Dei verbum, quod Propheta manere dixit in æternum; de quo CHristus etiam ipse dixit: Cœlũ & terra transibunt, verba aũt mea nõ transibunt. Hanc igitur ducem qui reliquerunt, reliquerunt Biblia, reliquerunt Euangelium, reliquerunt fontem aquę viuę, reliquerunt ipsum vnum verum Deum Patrum nostrorum, & abierũt post alienos Deos, quos ignorauerunt Patres nostri. Alieni autem & recentes quidam Dij sunt, qui suũ verbum, hoc est, quem ipsi scripturæ sensum excogitarunt, cùm tanquã Dei verbum adorari volunt. Hinc ista malorum Ilias, quam nunc in patria nostra videmus & ingemiscimus, dum sibi nouas quisq; fidiculas arbitratu suo condit, capitisq; sui somnia, pro Dei verbo imperitæ multitudini obtrudit. Et qua potestate nouas fidiculas, eadem & nouas leges, noua iura, nouam Reipub. formam instituit, nouum etiam iurisiurandi genus. Quo cautum vult, vt impunè cum Christo liceat Antichristum adorare, quasi possit aliqua conuentio esse Christi & Belial, aliquis consensus templo Dei cum idolis. Et eo iusiurandi genere volunt etiam eum alligatum, ad quem regni gubernacula deferuntur. Qui posteaquàm in regni constitutiones semel iurauit, volunt, vt iterum eadem se violaturum iuret. An autẽ hoc non est extremæ cuiusdam dementiæ, & cœcitatis? qua percussi iam homines isti videntur, & in reprobum sensum à Deo dati. Quorum furoribus & impijs conatibus, quibus perditam patriam nostram volunt, quotquot pij sunt, patriæq; salutis conseruandæ studiosi, totopectore, quod aiunt, opponere se debent. Quò minus consilium istud tuum probo, quod ad fratrem tuum deinceps ad comitia te non venturum esse scribis, quò deploratior est patriæ nostræ status, hoc illi maiore cura succurrendum est. Ægroto dum anima est, spes est. Quamobrem agere licet animam patria nostra, quemadmodũ tu scribis, videatur, non propterea salus illius est deploranda. Reliquit adhuc sibi Deus plusquã septem, imò plusquàm septuaginta septem hominum millia, quæ non curuarunt genua ante Baal, vel Islebiensem, vel Geneuensem, vel quemcunq; tandem alium, vt verè possimus & nos dicere, quod aliquãdo dixit Elizeus Propheta: Plures nobiscum sunt, qui Deũ patrum nostrorum adorant, quam cum illis qui discesserunt à nobis, & post alienos Deos abierunt, quos ignorauerunt Patres nostri. Nec omninò duces vobis defuturos spero. Magna fuit multorũ opinio, multusq; sermo, de magno quodam zelo Vladislauiẽsis Episcopi, quod fortem & excelsum animum ad fidem Christianam tuendam, ad Christi perduelliũ hæreticorum conatus refutandos attulerit. Sed & Plocensis Episcopus D. Myskovvskij à pluribus celebratur, quod imperterrito quodam sit animo, quodq; graues & fortes in senatu dicat sententias. cõfirmet hoc Deus, quod operatus est in illo, & magis in dies eum corroboret. Certũ est, quod in senatu multò sunt plures, qui Deum patrum nostrorũ colunt, quàm qui post alienos Deos abierunt, vt minimè dubiam spem concipere debeatis, duces vobis minimè defuturos, & omnia fœlicius opinione multorum esse cessura: Cùm præsertim vnus iam & alter ex his, qui maximè fuerunt Ecclesiam Dei persequuti, & quibus authoribus maximi motus fiebant, ex hac vita excessisse dicantur. Itaq; bono sis animo, nec vllos labores, aut pericula defugias, quibus patriam ab interitu conseruare possis. Nos autem ad sanctorum Apostolorum & martyrum sepulchra Deum supplices precari non intermittemus, vt vobis consilij det spiritum & fortitudinis, & vt Regem nostrũ cuius rei nobis magna spes ostenditur, incolumem ad vos reducat. Cuius præsentia, facilè tempestates istas, atq; procellas, quibus nunc agitamini, sedatas iri speramus, Vale. Datum Romæ X. Aprilis M. D. LXXV.

Euangelij verus sensus in sola Ecclesia.

Recentes Dij qui sint.

Nicolao Tomicky. Epist. CCXXXVI.

Hortatur, vt de anima patris sui, quamuis in hæresi sit mortuus, curam suscipiat, & rationem eius rei ostendit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VM patre tuo magna mihi quõdam intercesit amicitia, quã diu simul dulces captabamus cibos, & in domo Dei ambulauimus, cum cõsensu. Posteaquã aũt ille serpentis astutia deceptus, ꝓ salutari cibo lethale venenũ hausit, & eo hausto de domo Dei, in qua cum cõsensu ambulabamus excesit, non propterea de meo erga illum studio quicquam decesit: Sed quò magis oderã ac detestabar hæreticum, hõc ardẽtiùs complectebar hoiẽm, quẽ extincta hæresi saluum esse cupiebã, ad quã illi salutẽ procurãdã, nulli mihi neq; sumptus, neq; labores graues vnquã erant futuri. Nunc is vt audio, vniuersæ carnis viã ingressus est. Vtinã aũt de morte transisset ad vitã: nã reuera mors est hęc vita nostra. Nam quotidie morimur, neq; est hora vlla, in qua nõ fiat aliqua vitæ nostrę diminutio, vt qui dies iam pręterijt, ei prorsus mortui videamur. Quãobrẽ optarẽ illi, vt de morte hac temporali transisset ad vitã sempiternã, & cum spiritibus beatorum cœlestibus gaudijs frueretur. Quod vt ita fieret, si præsens adfuisti, cum animã exhalaturus erat, non dubito quin oẽm curã atq; diligentiã adhibueris. Quod si verò vel multum laborãdo nihil profecisti, vel alio casu quopiã factum est, vt qui viã æternæ salutis morituro cõmonstraret, nemo repertus præsens fuerit, non propterea de mortui patris tui salute sollicitus esse nõ debes. Nã qd cum extremum spiritum duceret cogitauerit, an quã tum potuit, peccatorum suorum pœnitentiam egerit? nos scire non possumus. Quod si verò maximè discesit impœnitens, & in his locis nunc versatur, in quibus nulla est redẽptio, nõ propterea negligendus est à filio, cui vel hoc saltẽ enitendum est, vt leuiores ab eo pœnæ peccatorum quæ patrauit exigantur. Quod si diaboli creaturam, hoc est, hæresim, in eo odisti, rectè fecisti, verùm Dei creaturã, hoc est hoiẽm, & nõ quẽuis hoiẽm, sed patrẽ amare, nec eius curã abijcere debes: verùm hic quęres, quam vis vt ego curã adhibeam, paucis accipe. Quæ sint ab eo peccata cõmissa nõ ignoras, nam & Ecclesias spoliauit, & fideles Dei ministros ex illis eiecit, verum verè Dei cultum aboleuit, Euãgelij loco Lutheri, siue Caluini cacangelium prędicari curauit, & multos hoiẽs ad interitum duxit, & quidẽ animarum interitum sempiternum. Quãobrẽ in id studium (toto quod aiunt pectore) tibi nunc erit incumbẽdum, vt quæ per eum errata sunt corrigas, quę sunt ablata restituas, verum veri Dei cultum, quẽ à sanctis maioribus nostris per manus nobis traditum accepimus restaurandum, & ꝓ diaboli verbo, quod sub Euãgelij specioso titulo fuit annunciatum, purum, & expressum Dei verbum, quod à sexcentis annis in patria nostra, plõgam sacerdotum & episcoporum successionẽ de manu in manum nobis traditum fuit, in templis quæ sunt in hæreditarijs tuis bonis, cures prædicandum. Imprimis aũt illud efficere debebis, vt qbus ille fuit author à domo Dei, ab Ecclesia Dei quæ Xpi corpus est discedendi, eos vnde discesserunt, eò reuocandos cures: præcipuè charissimam genitricẽ tuam, vt fias genitor genitricis tuæ, & fœliciùs eam salubribus piorum ac doctorum hominum monitis Christo regeneres, quàm huic illa te sęculo peperit. Idẽ studium collocabis in liberis, & parẽtum tuorum fratribus, & sororibus tuis in viã reuocandis. Deniq; quotquot vel exemplo tui patris, vel verbo de recta via deductos videris, de his vt in viam redire, & ad veritatis noticiam peruenire queant, quam poteris maximam sollicitudinem geras. Hoc si pfectum à te fuerit, qbus illius anima nunc supplicijs afficitur, magnam eorum leuationem attuleris, dum esset adhuc in humanis pater tuus, quamuis illo inuito, magnam tñ in fide Christiana tuenda, & conseruanda cõstantiam præ te ferebas: nunc multò magis id te facturum confido, quando quo minus facias, qui possit impedire nullus est. Ingentẽ apud hoiẽs gloriam, nec mediocrem apud Deum gratiam es cõsequutus hac animi tui fortitudine, & in fide Christiana pseuerantia: de qua vt nihil detractum, quin magnam potius ad pristinam tuam erga Deum pietatem, accessionem esse factam hoiẽs intelligant, omnibus modis tibi cõtendẽdum est & elaborandum. Sic futurum est, vt & animę patris tui leuationem afferas, & magis atq; magis Deum propitium tibi reddas, qui cõsiliorum tuorum omnium fœlices tibi progressus & exitus largietur, & cum in hac vita bonis omnibus te cumulabit, tum ea cõcedet in futuro premia, quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis vnquam ascenderunt. Cęterùm si quod à patre tuo graue peccatum cõmissum est vnq; fuit illud certè lõgè grauissimum, quod ipse præcipuus author fuisse dicitur, cùm ad Regẽ Henricum in Poloniam deducendũ, Lutetiam Parisiorum legatus fuisset, vt is indignum principe Christianissimo iusurandum faceret, quod etiam vt renouaretur, accepta regni corona vehemẽter vrsisse fertur. Quãobrẽ si qd ea de re tractatum fuerit in his, quę proximè instant regni comitijs, omni studio cõtendes & elaborabis, vt eorum conatus refutare queas, qui simile iusurandum extorquere voluerint: quod cum eo prorsus pugnat, quod in Ecclesię totius fide præstitit Archiepiscopo, quo tẽpore coronam eius capiti imponebat, vt exigere tale iusurandum à Rege nihil aliud fuerit, quàm eum periurum facere velle. Nulla est cõuentio Christi & Belial, nulla societas luci ad tenebras, nulla participatio templo Dei cum idolis: itaq; fieri nulla ratione potest, vt Christiana fides, quæ nisi vna sit, fides esse desinit, cum Lutherana vel Caluiniana perfidia copuletur. Eam autem Ecclesiam tibi præ cæteris cõmendo, quam patruus tuus qui fuit Craccouiens. Episcopus, & regni Procãcellarius, in hereditaria villa tua Tomicæ fabricandam, dotandam, & omni necessaria pro diuino cultu supellectili curauit exornandam: in qua cumplures iam annos, vt audio nulla res est habita diuina: Hunc tu patruum tuum, virum & ingenio, & doctrina & morum grauitate præstantem, summaq; dum viueret in patria nostra authoritate prędituin, in his quæ pertinẽt ad fidem imitandum tibi potius, quàm patrem propone, Vale. Datum Romæ X. Aprilis M.D.LXXV.

Ioanni

Ioanni Regi Suetiæ. Epist. CCXXXVII.

Hortatur vt ad Ecclesiam primo quoque tempore redeat, subiectionem suam sanctæ Sedi Apostolicæ deferat, & aliquos subditos suos Romam ad capessenda pietatis studia mittat.

GRatiores huc indies rumores adferuntur de præclaris Vestræ Maiestatis institutis, quod paulatim eò reditum parat, vnde fuit ab annis quadraginta & amplius in regno Maiestatis V. discessum, ad eam quę Dei regnũ est, vnã, sanctã, Catholicã Apostolicam Ecclesiam, quã qui ducem & magistram sequitur, errare nunq; potest. Quamobrem & priscam religionis doctrinam restaurandam, & veteres ritus atq; cęremonias, quæ fuerunt ante sexcentos annos, posteaq; Euangelium prædicari cœptum est, in regno Maiestatis V. receptæ. proximis autẽ superioribus annis intermissæ, restituendas curat. Credibile non est, quantam ex ea re lætitiam Sanctiss. D. Noster, cùm hæc illi renunciarentur acceperit, tum & alij omnes, ad quorum aures hæc fama peruenit, maiore gaudio perfusi sunt, quàm vt id vllis verbis explicari queat. Et oculis & manibus in cœlum sublatis Deo gratias egimus, quod cum tua Maiestate misericordiam hanc fecerit, vt eam de tenebris, in qbus cõplures annos versabatur, ad lucem, de morte ad vitam renocare cœperit, vt iam tãdem agnoscat, quod sub specioso puri Dei verbi & sancti Euangelij titulo fuit per hos quadraginta annos in Suetia prędicatum: id meram impostu ram, & pugnare potius cum Dei verbo, quàm purum Dei verbum & Euangelium fuisse. Supplices misericordiam eius imploraumus, vt q cœpit in Maiestate V. bonum opus hoc id pficiat vsq; in diem Christi, quo possit maiores in dies in puri Euangelij doctrina progressus facere, & vnde discessum est, eò sic reuerti, nihil vt in ea suum, qui diuiditur inter fratres, hostis humani generis reperire queat. Quod ita demum euenturum spes est, si redegerit in captiuitatem intellectum suum, in obsequium Christi, Christum cùm dico nõ caput magis, quàm corpus huius capitis Ecclesiam intelligo. Nam caput & corpus vnus est Christus, sunt. n. duo in carne vna, nec vnq; ab inuicem separari queũt, nec vnq; cum Christo capite cõiunctus esse potest, qsquis ab Ecclesia, quam Christi corpus vocat Apostolus, disiunctus est. Quamobrem quicunq; rectam scripturarum intelligentiam asseq; vult, redigat in captiuitatem oportet intellectum suum, in obsequium Christi corporis Ecclesiæ, nõ suum vel priuatum alicuius, verum Ecclesiæ spiritũ sequatur, ne si qd ab eo secus factum fuerit, illud audiat, quod à Propheta scriptum legimus: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Nihil videt, qui sequitur spiritum suum, ac tantò magis nihil videt, quantò sibi plus videre videtur. Nam dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, inquit Apostolus: Quisquis aũt Ecclesiæ spiritum sequitur, is demùm est, qui videt, & verum scripturæ sensum assequitur. Quod vsq; eo verum est, vt etiam à quodam insigni nostri temporis Antichristi præcursore vis veritatis vocem hanc extorserit, sanæ scripturarum intelligentiæ lucem Ecclesiæ promissam esse, quod etiam peculiariter esse notandum admonet. Et est reuera peculiariter hoc notandum, quamuis ab hoste veritatis, hæc veritas prolata sit: Nam Ecclesię soli promissus est, & missus spiritus sanctus, à quo solo sana scripturarum intelligentia rectè petitur, cùm in omnium Prophetarum ore, q sunt extra illam, spiritum esse mendacij, certum sit & indubitatum. Quò maiore studio Maiestatem V. ꝓ viscera misericordiæ Dei quæso atq; obtestor, ne sibi sumat hoc, melius vt intelligere se posse putet, quæ sit scripturæ alicuius intelligentia, quàm tot patres ex orbe vniuerso in vnum aliquem locum, ad germanum scripturarum sensum explicandum cõgregatos. Quid aũt impedit, quominus propius ad rem accedam? dubitare Maiest. Tua dicitur, de calicis vsu, num sit ad salutem necessarius propter illa scripturæ verba, Bibite ex hoc oẽs, atq; pridem iam inde à 150. annis, tot Oecumenicorum cõciliorum, quæ Catholicam Ecclesiam repręsentant, auctoritate fuit, hęc dubitatio sublata. Quorsum igitur attinet illud in dubium reuocare, quod orbis Christiani tanto cõsensu, tot etiam sæculorum vsu fuit approbatum? Vtinam ô Rex eandem quoq; ex te vocem audire nobis liceret aliquando, quam post absolutũ Chalcedonense cõcilium laudatissimum Imperatorem illum Martianum, cuius immortalis semper erit memoria, protulisse legimus. Cesset, inquit ille, prophana cõtentio. Nam verè impius & sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiã opinioni suæ tractandum aliqd relinquit. Extremę fqdem dementiæ est, in medio & pspicuo die cõmentitium lumen ingrere. Quisquis. n. post veritatem reptam aliqd vlterius discutit, mendacium quærit. Mendacium quærere dicit ille prudentissimus Imperator, si quis post reptam veritatem, aliqd vlterius discutiendum sibi sumit: At reperta iam est veritas de eo quod in disceptationem ætate nostra vocari cœptũ est, nõ in vno, sed in quatuor cõcilijs Oecumenicis tribus in Germania cõgregatis, Cõstãtiensi, Basilien si. Tridentino, vno Romæ Lateranensi. Quid igitur prohibet, ô Rex, quominus eandẽ tu quoq; vocem edas, quam optimum Imperatorem illum ędidisse legis. Cesset iam prophana de calice cõtentio. Nam si secus etiam aliqd ea de re nobis aliquando visum est, redigendus tñ nobis est in captiuitatem intellectus noster in obsequium Christi corporis Ecclesiæ, cum quaille se futurum promisit vsq; ad cõsumationem sæculi, & ei spiritum sanctum missurum, qui doceat eam, & maneat cum ea in ęternum, quam columnam & firmamentum veritatis vocat Paulus, quam qui nõ audierit, eum tanquam Ethnicum & Publicanum haberi vult Christus ipse. Procul à nobis absit, vt nostrum potius, vel hominis arbitrium priuati, qui falli potest, & fallere quàm illius spiritum sequamur, quæ cum sponsa

Ecclesiæ spiritum non suum sequi oportet.

Mendacij querendi qui post reptam veritatem aliquid aliud quærunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi, cum corpus Christi sit: neq; falli potest, neq; fallere, cùm præsertim etiam in Symbolo, quod quotidie recitamus, Ecclesiam Catholicam nos credere profiteamur. Hãc igitur ducem & magistram sequemur, huic firmiter adhærebimus, prius à nostro quàm à Xpi corpore Ecclesia animam nostram & sensum nostrum oẽm separari patiemur. Quàm esset hæc digna vox tanto rege, quantam ea res nomini tuo laudem & gloriam esset allatura, & qdem gloriam sempiternam. Age igitur Serenissime Rex, impera animo tuo, hanc vt vocem ædas aliquando, ad Ecclesiæ matris gremium primo quoq; tempore te cõfer. A qua quod hactenus aululsus fuisti, nõ aliqua tua magna culpa, sed eorum scelere factum est, qbus eum nihil esset prorsus cum Euangelio Christi cõmune, ex Euangelio cõtra Euangelium pugnantibus, tñ suam imposturam, quod etiam Apostolorum temporibus factum esse scimus Euangelium vocare, & sub specioso Euangelij titulo te suam in nassam ptrahere veriti nõ sunt. Vides quæ sit per eos hoc infœlici sæculo nostro Babylõ ædificata, quãta sit inter eos linguarum, quanta opinionum cõfusio, qui turrim hanc erigere, & inflati sensu carnis suæ in cęlũ vsq; cõscendere sunt conati. Quod à sancto illo Rege & Propheta scriptum est: Precipita Dñe, & diuide linguas eorum, quia vidi iniquitatem & cõtradictionem in ciuitate. An hoc istis euenisse nostro sæculo, nõ oculis tuis ipse cernis, nõ auribus audis, non manibus etiam cõtrectas? Quæ potest esse maior iniquitas, quæ maior cõtradictio, quàm sit in illa ciuitate, in illa Babylone, quàm, qui primus fuit nostri temporis hæreseon architectus in Saxonia fabricam cœperat. Quomodo aũt præcipitauit Dñs linguas eam fabricantium, vt ipsi se mutuò nõ intelligant, quin & comeduntur ab inuicem, & cõsumuntur ab invicẽ. Qui primus Christum diuidere conatus est, an ipse quoq; diuisus nõ est? Quemadmodum ex eo libro ante biennium à me Tuæ Maiest. misso, quem Schola VVittembergensis cõtra discipulos suos malorum coruorũ, oua pessima ędidit, & de persona & incarnatione Christi inscripsit, & ex pluribus alijs eiusdem generis postea scriptis, liquido cognoscere potuisti. De Donato scripsit Augustinus, quod sicut ipse Christum diuidere conatus est, sic à suis ipse quoq; quotidiana cõcisione diuiditur. An hoc idem Luthero nõ similiter accidit? Conatus est is diuidere Xpm, conatus est scindere corpus eius Ecclesiam, ecce aũt ipse quoq; nunc à suis quotidiana cõcisione diuiditur. Fuge per Deum immortalem. Fuge diuisorem istum, eum verò sequere potius, qui propterea mori dignatus est, vt filios Israel quos dispersos viderat, haud aliter colligeret in vnum, quã sollicita gallina cõgregat sub alas suas pullos suos. Nõ excidat vnquã ex animo tuo illa diuinitus à sancto Patre quodam prolata sententia, In Cathedra vnitatis posuit Deus doctrinam veritatis. Vis doctrinę sacrę veritatem inuenire? Ad vnitatis Cathedram te cõfer, in ea vera sancti Euangelij luce illustraberis: extra eam lux nulla, sed plusquàm cymmeriæ tenebræ sunt: extra eam Andabatarum more pugnatur in tenebris: quod ab istis fieri vides, qui Cathedram vnitatis deseruerunt: qui, proficiunt indies in peius, & in plures ac magis etiam horrendas indies sectas dissecantur. A re quæ non maximi momenti videri poterat, sumptum fuit diuisionis initium, nimirum ab altercatione de speciebus Eucharistiæ Sacramenti. Quærebatur de speciebus, num sit vtraq; ad salutem necessaria: interea Christi corporis & sanguinis in Eucharistia veritas est amissa. Nam ita calice isto plerisq; fuerunt inebriati, vt nõ dubitarent palã dicere, & docere quantum distat cœlum à terra, tantum ab Eucharistia Christi corpus & sanguinem abesse. Atq; vtinam error hic in tuo quoq; regno nõ esset receptus, in quo non pauci feruntur eò esse fascinati. Quod si minus etiam essent meriti, qui tam impiam doctrinam approbarẽt, tñ tu quoq; Serenissime Rex vereri debes, quamlibet rectè sentias de veritate, præsentiaq; CHristi corporis & sanguinis in Eucharistia, ne loco CHristi corporis & sanguinis merum pãnẽ pistoriũ, & merũ vinum accipias. Nec.n. cõfici Christi corpus, nisi sacerdotis ore potest. At in tuo regno præter eos quos alit serenissima pientissimaq; coniunx tua, vix vlli sacerdotes esse feruntur, quandoqdem, qui primus fuit auctor sacrilegæ separationis à Xpi corpore Ecclesia, is & sacerdotium & sacrificium prorsus omne abrogauit, & per quos sacrilegia potius quàm sacra administrantur, eos ministros nõ sacerdotes vocari voluit: non alio cõsilio, quàm quod inter cultum qui tribuitur homini mortali, & eum qui Deo debetur immortali, nullũ discrimen esse volebat, vt ita Deus in ordinem quodãmodo cogeretur. Nam oẽm alium cultum rectè præstamus hominibus, ijs præsertim, qui eum potestate versantur, solum sacrificium sibi Deus reseruauit, vt hęc vna propriè diuinitati debita seruitus esset. Quæ cùm ita se res habeat, an in hoc tibi studium potius ô Rex, toto pectore, quod aiunt, incumbendum nõ est, vt habere possis qui Christi corpus ore suo conficiant, nec eius loco merum tibi panem offerant, quam vt de speciebus tantoperè cõtendas, cùm hoc tibi certo persuasum esse nõ dubitem, quod nõ in speciebus, sed in eo qui latet sub speciebus panis & vini, in Christi corpus & sanguinem transelementatis, salus nostra cõsistit: quam salutem, vt assequi possis præsentis Christi corporis & sanguinis particeps factus, id verò summo studio tibi contendendum & elaborandum est. Qua in re, si me volueris vti administro, oẽm curam, diligentiam, laborem suscipiam lubens, vt huic sancto desiderio tuo satisfacere queã. Habes in regno tuo proculdubio multos fideles & dilectissimos tibi seruitores, sed ego nõ cõcedo cuiquam eorum, vt magis prospectum cupiat honori dignitati, saluti tuæ, & qdem sempiternæ saluti, quàm ego. Verum illud imprimis curandum erit, vt ad vnitatis Cathedram primo quoq; tempore te cõferas, in qua posuit Deus doctrinam veritatis. Magna cum animi mei voluptate te libenter in sanctorum Patrum lectione versari cognoui, & hesternos istos Theologos, qui populo persuaserunt, vt eorum doctrinam cum Euangelio pugnantem Euangelij loco acciperent, minoris indies facere. Quęso te, ne graueris legere, quæ scripsit qdam ex antiquis illis Patribus, vir insigni doctrina, & admirabili quadam vitæ sanctitate præditus Hieronymus, ad Pontificem Damasum: A sacerdo-

Calice inebriati, corporis & sanguinis veritatem amiserunt.

Sacerdotes non habent hæretici.

cerdote, inquit, victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito, nec alium primum nisi Christum sequens, tuæ beatitudini, hoc est, Cathedræ Petri consocior. Super hanc petram ædificatam Ecclesiam esse scio, quicunq; extra domum hanc agnum comederit, prophanus est: si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quibus ille verbis vsus est, ad sui temporis Pontificem Damasum, si vtereris ijsdem ad Gregorium XIII. quem Damasi legitimum successorem, & suum in terris Vicarium Christus constituit, non dubitanter affirmauerim, quod iam absoluta forent omnia, quæcunq; ad gratiam Dei reconciliandam, & salutem æternam cõsequendam, tibi forent necessaria, præcipuè si quod ille paucis interiectis dixit: Non noui Vitalem, Meletium respuo, Paulinum ignoro, quicunq; tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est: hoc tu totidem verbis mutatis, hæreticorum nominibus repeteres. Non noui Lutherum, Caluinum respuo, Balthasarem Pacimontanum, aut quicunq; tandem fuit alius primus Anabaptistarum erroris auctor, ignoro, quicunq; tecum pater beatissime, nõ colligit, spargit: Christi non est, qui vel Islebiensem vel Geneuensem, vel quemcunq; tandem alium Antichristum sequitur, & eius verbum pro Dei verbo recipit & adorat. Scribit idem Hieronymus, quod illius ætate, tres in partes scissa fuit Ecclesia, quarum vnaquæq; eum ad se rapere festinabat. Ille verò clamitabat ad eundem Damasum scribens: Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Nunc autem Ecclesia non in tres, verùm in trecentas partes, mirandum & miserandum in modum dissecta est. Quò tibi iustior est causa, ad vnitatis Cathedram confugiendi, vt exclames tu quoq; cum sancto Patre illo, si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. A Petri Damasiq; legitimo successore Gregorio XIII. consilium & auxilium tibi dari petas, cùm præsertim videas, posteaquàm à Petri Cathedra discessum est, solutum esse sathanam ex carcere, & vix vllam esse hæresim ex ijs, quæ pridem sopitæ sunt & condemnatæ, quæ non sit hoc infœlici sæculo nostro ex Orco in orbem reuocata: Quæ blasphemiæ non euomuntur in sanctam Trinitatem? & quo nullum potest esse magis horrendum sacrilegium, etiam Christus ipse non obscurè Deus esse negatur. Nec; contenti sunt impij quidam apud eos, qui se vocari malunt Euangelicos, quàm Christianos, eum diuinitate sua spoliasse, verùm nec Domini appellatione dignantur, & quod nos qui Papistæ, hoc est Christiani vocamur, in Ecclesia dicimus, preces nostras quas vulgò collectas vocant, concludentes, per Dominum nostrum IESVM Christum filium tuum, hoc in sua sathanæ synagoga dicunt illi Antichristi, per iustum seruum tuum CHristum, nec Domini nec filij ei nomen tribuentes. Et queritur hoc Schola VVittembergensis in eo libro, quem ante duos plus minus annos Maiestati Tuæ misi, quod iam aperta fiat in Mahometismum inclinatio, nisi quod etiam magis blasphemi sunt in Christum quidam Lutherani, quàm ipsi Mahometani. Supplex Maiestatem tuam iterum atq; iterum oro & obsecro, Serenissime Rex, quandoquidem, quò sit impietatis progressum videt, posteaquàm ab vnitatis hoc est, Petri Cathedra, discessum est, vt ad eam primo quoq; tempore te recipias, & quos tibi populos esse subiectos Deus voluit, eos ad idem faciendum exemplo tuo prouoces, vt videre nobis aliquando liceat, multitudinis credentium cor vnum, & animam vnam, quod prius fieri non potest, quàm fuerit agnitus Ecclesiæ pastor vnus: vt ouile quoq; sit vnum. Hunc si tu volueris vnum pastorem agnoscere, vt exemplo Christianorum Regum, & Principum omnium, quod etiam antecessores tuos, totis quingentis & amplius annis feciisse constat, aliquem hue ex aula tua mittas, qui publicè tuam erga sanctam Sedem Apostolicam obseruantiam profiteatur, atq; semper obedientem illi fore te filiũ, promittat ac spondeat, quam de te nobis magnam expectationem concitasti, prorsus ei satisfeceris: simul & hoc effeceris, vt non amplius fiduciis ludatur in regno tuo, sed vna fides Romana, Apostolico ore laudata retineatur. Magna fuit ante quingentos & amplius annos Gregorij VII. Pontificis in antecessores tuos animi propensio, magnum studium in illo regno, recens tum ad Christum conuerso, in Christiana fide retinendo, cuius epistolas ad Sueonum Visigothorum & Noruegiæ Reges scriptas Maiestati Tuæ mitto, ex quibus cognosces, quanta fuit illius Pontificis charitas, quantus ardor, quanta cura, & sollicitudo in Regum illorum, & regnorum salute procuranda. Hortatur illos Reges, vt aliquos ex regno suo clericos ad hanc sanctam sedem mittant, qui Christianæ fidei doctrinam, qua recens imbuti fuerant, plenius apud eam perdiscant, simul etiam cerimonias Ecclesiæ Romanæ, quo posit regnum illud magis deinceps idoneos in officijs diuinis peragendis ministros habere. Nunc ad Ecclesiæ gubernacula septimus sedet, ab illo eiusdem nominis Pontifex Gregorius XIII. quem ego diuinitus à Deo datum esse mihi persuadeo: quandoquidem hoc tempore non videtur in regno Maiestatis Vestrę melior esse religionis status, quàm fuit sub Gregorio VII. vt vestigijs illius insistens omni studio collapsam in illo religionem restaurandam curet. Quam ad rem promptam illi voluntatem non deesse certò Maiestati Tuæ polliceri possum, dummodo ne quid ipsa impedimenti adferat. Itaq; si volet huc aliquos adolescentes mittere, qui bonis literis & moribus expoliantur, & ad veram pietatem informentur, eis etiam sumptu suo libens prouidebit, quo posint instructiores in antiqua Christiana fide post absolutum studiorum suorum cursum in patriam suam redire. Quam illius tam promptam & alacrem de te, deq; regnis & populis tibi subiectis benè merendi voluntatem, vt obuijs, quod aiunt, vlnis excipias, tantò diligentius Maiestatem tuam hortor & moneo, quantò magis ea de re, te sollicitum esse scio, vt idoneos verbi Dei & officiorum diuinorum habere ministros queas. Quamobrem rumpe moras, & semota quauis cunctatione, mitte Serenissime Rex, qui tam amantis tui Pontificis, ac paternam quandam in te populosq; tibi subiectos beneuolentiam ostendentis, obedientem te filium fore promittat: vt inter Catholicos Reges, & Principes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quos idem facere, & in Suetia quoq; olim feciſſe non ignoras, numerari poſsis, quod etiam teſtatum orbi facias vniuerſo. Nũc ego ſupplex diuinam imploro miſericordiam, vt hanc Maieſtati Tuæ mentem inſpiret, & vt ille dies quo factum id videamus, citius nobis illuceſcat, qui non magis nobis, quàm ipſis etiam Angelis in cœlo maiorem eſſet lætitiam allaturus, quàm quæ verbis vllis explicari queat. Et ad temporalia tua commoda augenda, & amplificanda, & ad ſalutem ſempiternam adipiſcendam, nihil tibi fore poſſet accommodatius. Ego quoque tanto maiore cum alacritate Maieſtati Tuæ ſeruire, maiore eum fructu poſſem. Quam ad rem promptam Maieſtati Tuæ voluntatem defero, nihil eorum in me requiri paſſurus, quæ ad fideliſsimum atq; addictiſsimum ſeruitorem pertinere videbuntur. Quod ſupereſt, opto Maieſtatem Tuam, diu, benè, fœliciterq; valere, cui me ſeruitutemq; meam iterum atq; iterum commendo. Vale. Datum Romæ VII. Ianuarij M. D. LXXVI.

Petro Dunin Volsky, Regni Poloniæ Vicecancellario.
Epiſt. CCXXXVIII.

Hortatur vt de conuerſione Palatini Craccouienſis laboret, & de Regis Henrici ex Polonia inopinato diſceſſu, & de rationibus regni ab interitu conſeruandi.

MInus atrociter eſſe rem geſtam, de prohibitis ab ingreſſu templi Cathedralis Eccleſiæ Craccouienſis Catholicis quibuſdam Senatoribus, quàm huc perſcriptum fuerat, ex D. Veſtræ literis cognoui lubens. Quale fuit autem hoc per Deum immortalem? præfectus Caſtri Craccouienſis in ſanctiſsimo die Paſchæ, proficiſci maluit ad ſathanæ Synagogã, vt in ea Geneuenſem Antichriſtũ ſuũ adoraret, quàm ad Eccleſiam capitalem, in qua recepto more Chriſtianorum à Chriſtianis CHriſtus piè colitur, cùm tamen promiſiſſe dicatur Maieſtati Regiæ (ſi vera ſunt, quæ mihi ſcripta ſunt) quando mandabatur illa præfectura: quod eſſet Antichriſto ſuo Geneuenſi nuncium remiſſurus, & ad Chriſtum in Bethleem natum, quem aſtutia ſerpentis deceptus deſeruerat, ſe recepturus. Audio quod in illa ſathanæ Synagoga duabus fidiculis luditur, Iſlebienſis in ſuperiore loco, Geneuenſis Antichriſtus in inferiore prædicatur: vtriq; ſe mutuo conuitijs proſcindunt, nec vllum verbum proferunt verius, quàm cum vtraq; pars alteram hæreticam eſſe pronunciant. Vel ſenſus ipſe communis indicare poteſt, vbi qui de verbo Dei, deq; puro Euangelio tantoperè gloriantur, vt ſibi ſolis illud arrogent, & eius poſſeſsione cæteros excludant, vbi genus hoc hominum ſic pugnat inter ſe, vt grauiſsimis de rebus nulla poſsit inter eos concordia fieri, quod ibi Chriſtiana fides eſſe non poſsit: quæ quidem niſi vna ſit, fides dici nequit: cùm veriſsimè dixerit ſanctus ille pater: Quidquid eſt extra vnam fidem, non fides, ſed perfidia eſt: Nunc igitur malle amplecti perfidiam & eam pertinaciter tueri, nec vllius adduci poſſe perſuaſionibus, vt eam deſeras, & vt cum pijs Chriſtianis Chriſtum in eodem templo reuerenter colas, tam horrendum facinus mihi eſſe videtur, vt quibus verbis atrocitas illius explicari ſatis poſsit, nõ inueniam. Quo magis oro & obteſtor D. Veſtram, pro ea propinquitate & amicitia, quæ illi cum homine hoc intercedit, vt omnes machinas adhibeat, quibus eum poſsit errantem in viam reducere, quo cum Chriſtianis Chriſtum potius in ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento præſentem adoret, quàm ſeorſum ab illis Antichriſtum Geneuenſem cum Bezanis, hoc eſt, qui ſunt Bieſovvey VViarky, hoc eſt, ſathanicæ perfidiæ, colat, & ei diuinos honores tribuat, & qui veritas eſt, eum proh ſcelus horrendum, arguat mendacij, cùm dixit: accepto pane, Hoc eſt corpus meum, & accepto calice, Hic eſt ſanguis meus: cùm nihil poſsit eſſe veritatis, hoc eſt, Chriſti verbis magis expreſſum atq; dilucidum: necaliud quàm quod ſonant ex his eius verbis, elici debeat. Quod ſi non putat eſſe conſtantiæ ſuæ, deſerere doctrinam, & ab ea deſciſcere, quam ex Italia reuerſus amplexus eſt, ex qua priuſquàm exiret palàm eum Chriſtum fuiſſe confeſſum, & ab iſto nouo cacangelio potius, quàm Euangelio plurimum abhorruiſſe conſtat, etiam atq; etiam videat, ne quam eſſe putat conſtantiam, ea mera ſit pertinacia. Mihi dubium non eſt, quin Eccleſiæ doctrinam, in qua fuit aliquando, nobiſcum eſſe veram & indubitatam, perſpectum habeat & exploratum, cùm videat ſuos, vel ſathanæ potius miniſtros, à quibus faſcinatus eſt, adeò diſſidentes inter ſe, vt formulam ſuæ fidei ſingulis ferè menſibus mutent, nec minus ipſi inter ſe quàm cum Eccleſia Dei, à qua diſceſſerunt, pugnent: ac mutuis vulneribus inuicem ſe conficiant, inſtar Homericorum deorum: dum vnaquæq; ſecta, ſuum verbum, Dei verbum diei debere contendit. Deus noſter nõ eſt diſſenſionis atq; diuiſionis, ſed eſt pacis, & dilectionis Deus: qui diuidit inter fratres, diabolus eſt. Deus autem non eſt diuiſor, cùm non venerit diuidere, ſed qui diſperſi fuerant, eos congregare. Nihil eſt quod eum ad Eccleſiæ matris olim ſuæ gremium reuerti pudeat: cùm habeat præclara multorũ illuſtriũ virorũ, à qbus id, proximis ſuperioribus annis, magna cum illorum gloria factum eſt, exempla, quos oẽs hic enumerando recenſere neceſſe non eſt, quamuis ſororis eius maritus non eſſet ſilentio hic prætereundus, qui magnam nomini ſuo laudem, eare comparauit, quod poſt agnitam ſemel veritatem, in Cathedra peſtilentiæ non ſibi ſedendum eſſe diutius exiſtimauit, ſed ſe contulit ad Cathedram vnitatis, in qua ſola poſuit Deus doctrinam veritatis, tamen ego nec de illo, nec de fratre eius Domino Andrea Iboronſij, quem Curiæ Marſchalcum Regia

Pertinacia eſt non conſtantia, Chriſto deſerto Antichriſto adhærere.

Regia Maieſtas deſignauit, cõmemorandum hoc loco duxi. Verùm recens admodum habet exemplum, alterum fratrem ſuum Dñm Chriſtophorum, qui cùm & ipſe complures annos idolum Geneuenſe pro Deo coluiſſet, tũ afflatu ſpiritus ſancti motus ad Patrũ noſtrorum Deum eſt conuerſus, & eundem in eodem templo nobiſcum Chriſtum adorat. Quamobrem eum & ſororis ſuæ maritum, & duos fratres ſuos, in iſſdem erroribus aliquandiu verſatos, nihil puduiſſe videat, agnitam veritatem cõplecti, & quæ colebãt idola eis vngue medio (quod aiunt) oſtenſo, Deum patrũ noſtrorũ ſequi, quandoq; dem & ipſum certum eſt, agnoſcere velle veritatem, qd eſt, quod cunctatur diutius? quin ille pudorem iſtum noxium, qui ducit ad interitum abijciat, & peccatũ ſuum agnoſcens, ad patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis, Deum patrũ noſtrorum primo quoq; tempore ſe recipiat. Veniam errori ſuo dari ſupplex precetur, neq; dubitet, quin ſicut Euangelicus ille pater prodigum filium, qui diſceſſerat à ſe, ſic & ipſe, qui fons eſt totius benignitatis & miſericordiæ, obuijs (quod aiunt) vlnis eum ſit recepturus: & erit maius gaudiũ in cœlo, quin & in terris ſuper vno peccatore conuerſo, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis. In eadem, in qua nos, Eccleſia Chriſto renatus eſt, & in ea Petri nomen accepit. Negauit aũt & Petrus Chriſtum aliquando, quem ſecutus eſt negando, ſequatur eundem peccatum hoc ſuum amarè deflendo, tantoq; maiore cum fiducia deinceps eum confitendo: quod vt aliquando factũ videre vel audire ſaltem queam, ſupplex Deum orare non intermittam. Fiet aũt proculdubio Deo ſuam gratiam ſuppeditante, ſi non defuerint qui diligenter inſtent atq; vrgeant, & illius animũ ad id faciendũ, cõtinuis adhortationibus, præcibus etiam & perſuaſionibus impellere conentur. Non magis ille ſaxeus eſt, quam fuerunt fratres eius, quàm fuit ſororis maritus, quàm fuerunt complures alij, multos annos in iſſdem erroribus verſati, ſi quid adhuc in eo reſtat lapidei cordis, Deum precabimur, vt auferat illud, atq; det illi cor carneum, quo facilius flecti poſsit, ad ea quę ſalutaria ſunt amplectenda. Non dubito, quin ea de re prima ſit D. Veſtræ cura futura, quò magis illũ amat, & ab illo ſe viciſsim amari perſuaſum habet, hoc ardentius in id ſtudium incumbet, etiam fratrum illius & propinquorum, quos ad Chriſtum, quem deſeruerant reuerſos eſſe gaudemus, conſilio, & auxilio implorato, qui proculdubio libentius & alacrius in ſancti laboris huius cum D. Veſtrę ſocietatem deſcendent, quantò magis ad placandã iram diuinam hoc opportunũ remedium ſibi fore iudicauerint, cùm ſcriptũ eſſe ſciant, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, quoniã qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorũ. Si mandauit hoc vnicuiq; Deus de proximo ſuo, licet nulla ſanguinis propinquitate, coniuncto, quantò magis mandatum videri debet eis, qui ex eodem patre prognati, ex eodem etiam vtero matris prodierunt, vt fratris anima, qbuſcunq; tandem adhibitis remedijs, per eos à morte ſaluetur. Quin grauiter peccarint fratres eius, quod errauerunt ab vtero matris Eccleſiæ, quod ab ea quæ Chriſti corpus eſt, ſe per ſummũ nefas diſiunxerũt, & hac ſua ſeparatione grauiſsimorum errorum alijs occaſionem dederũt. Fortaſsis etiam vt ipſi quoq; ſegregarent ſe, authores multis fuerũt, non magis exemplo quàm etiam verbo, negari non poteſt. Sed multitudinem hanc & grauitatem peccatorum ſuorum aliter operire non poſſunt, quàm per hanc quam impenderint fratri ſuo charitatem, vt eum ab errore viæ ſuę conuerti faciant, & ſaluent animam eius à morte, & qdem morte ſempiterna. Quoniam aũt ego nunc, quamlibet indignus maioris Pęnitentiarij munere fungor, ad quod ſicut & ad alia munera quæ gero, quemadmodũ vocatus fuerim perſpectum iſthic eſſe multis non dubito, pœnitentiam hanc vtriq; fratri, tam illi qui ante quindecim annos, quàm huic, qui hoc ipſo anno, ab errore ſuo conuerſus, & vel Iſlebienſi, vel Geneuenſi Antichriſto nuncio remiſſo, ad Chriſtum in Bethleem natum reuerſus eſt, iniũctam velim: vt hanc in fratrem ſuũ natu maximũ charitatem effundant, oẽs vt vias & rationes perueſtigent, quibus ab errore ſuo conuerti, & ſaluari anima eius à morte poſsit. Hęc erit lõgè gratiſsima Deo, p peccato ſeparationis, ab Eccleſia Dei ſatis factio: ſi cum alijs qbuſcunq; poterint, tum præſertim fratri ſuo natu maximo, reditus ad illam authores fuerint. Quam ad rem, vt neruos oẽs ſuos contendant, nec intentatũ quicquam relinquant, quo poſsint ad Chriſti corporis Eccleſiæ gremiũ fratrẽ ſuũ reducere. Veſtra quoq; D. ſuam & opem & operam impendere non prætermittat. Si diligenter à vobis plantatum & rigatũ fuerit, dabit proculdubio Deus incrementũ, & vniuerſo fideliũ cœtui, quin & ipſis etiam angelis in cœlo, maius eſtis gaudiũ allaturi, quàm quod vllis verbis explicari ſatis queat: Nomen etiã veſtrũ ad poſteros cumprimis glorioſum eſtis tranſmiſſuri, quod q; longè maximũ eſt, nulla poterit eſſe tãta peccatorũ veſtrorum grauitas & multitudo, quàm hoc præclaro veſtro charitatis officio, non ſitis operturi, memoriam q; eorũ oẽm in ſempiternum tempus eſtis deleturi. Deinde veſtro, quæ ſcribit D. Veſtra, de nimiũ, proh dolor, perturbato regni ſtatu, non alia res ad eum tranquillandũ, & ad hoc, vt fœlicem veſtrorum conſiliorũ progreſſum, & exitũ habere poſsitis, maius vobis adiumentũ eſt allatura, quàm ſi q modò nõ principem in Senatu regni locum gerit, eum ab errore ſuo conuertendum curaueritis. Nec. n. dubiũ eſt, quin multi ſint eius exemplũ ſecuturi, magnã ſecũ cæteruam ad Chriſtianam fidem reuerſorum tracturus eſt, à qua poſteaquàm diſceſſum eſt, etiam à Polytica fide diſceſſum eſt: nam neq; ſenatus populo, neq; ſenatui populus credit amplius, vtraq; pars de altera ſentit peſsimè, vtraq; pars alteri nihil fidit: perijt fides Catholica, perijt etiam fides Polytica, ſit vna fides, & ea Catholica, futurũ eſt, vt vna quoq; ſit fides Polytica. Nunc quẽadmodum præclarè ſcripſit ſanctus ille pater. Ad hoc eſſe cœperunt multæ fides, vt nulla ſit: & in Deum apud multos nulla fides, & inter ipſos fratres nulla fides eſt. Non fuit hoc illis temporibus, qbus multitudinis credentiũ erat cor vnũ & anima vna: qbus terram in

Perijt fides Catholica, perijt & Polytica.

Polo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Polonia videre licuit, vnius labij & eorundem sermonum, qbus videre licuit vnũ ouile, & vnum pastorem Christum, & eius in terris Vicarium legitimum Petri successorem, cui suas oues pascendas Christus tradidit. Nunc diuisus est Christus, diuisum est corpus eius Ecclesia, quod corpus nisi redintegratum & coadunatũ fuerit, regni quoq; diuisio sequatur, necesse est: qd aũt postea? quod ille dicit, qui non venit diuidere, sed eos qui sparsi fuerant colligere. Omne regnum, inquit, in se diuisum, &c. Sed horret animus reliqua persequi, totus contremisco, quoties qui sit huius diuisionis exitus futurus, nisi nos oculis misericordiæ suæ Deus respexerit, sanioremq; nobis mentẽ dederit, animo mecũ reputo. Quæso per Deum immortalẽ, quanti cõmiserationis patriæ nostræ salutẽ facitis, tantũ date operã, vt istũ diuisorem diabolum, qui nihil aliud quàm rapit, & dispergit oues, fugiatis, illũ aũt obuijs (quod aiunt) vlnis amplectamini, qui quẽadmodũ sollicita gallina cõgregat pullos, fouetq; sub alis suis, sic & ipse non alia de causa mortẽ, & qdem ignominiosam crucis mortem obire dignatus est, quam vt per illam filios Israel, qui erant dispersi congregaret in vnum: vt eos foueret, vt in ouili suo retentos, & ad extremũ vitæ suæ diem in eo perseuerãtes, gloria & honore coronaret, quod si psuaderi posit his, q se diuiserunt, vt vnde se diuiserunt, eò redeant, in Dño cõfido, sicut vnũ erit Christi corpus Ecclesia, quod etiam regni corpus erit vnũ: & ab eo quem adferre diuisio solet interitu, seruabitur. In cassum aũt speratis, quod erit vna fides Polytica, quãdiu nõ fuerit pfectũ, vt sit vna fides Catholica: quæ ruere non potest, vt simul non ruat etiam fides Polytica, quam vt restituere possitis, omni studio vobis contendendũ erit & elaborandũ: nec. n. est alia ratio regnum ab interitu seruandi. Mihi cõsilium hoc vnũ plurimũ probatur, quod super maximi momenti re deliberandum amplius, & in longius paulò tempus deliberationem hanc vestram reijciendam esse censueritis. Quod vtinam anno superiore quoq; minus præcipitanter acta res, & prius illud expensum fuisset, an vobis Regem, quẽ honorificare, cui subditos vos esse, nõ illũ aũt vobis subijci Deus voluit, quasi citare, & ei diẽ ad quem veniret regaliter præfigere licuerit, cùm denunciatione nisi venisset eum regno suo spoliatum iri. Magis fortasse officio fidelium subditorũ functi videremini, si missis ad eum legatis, quæ calamitates ex hoc inopinato discessu Regis essent regno metuendæ, certiorem eum reddidissetis: simul vt comitijs habẽdis, intra vertentẽ annũ, diem ediceret, & aut ipse veniret ad ea regnũ gubernaturus, aut si tanti regnum hoc non faceret, alium Regem eligendi vobis potestatẽ pmitteret: nam aliter saluti patriæ prospici non posse, cui deesse vos minimè liceret: quod nisi quæ petita forent, suum ad ea præberet assensum, regnum Rege diutius carere non posse. Quamobrem boni consuleret, si, quod ipse regnum tanti non faceret, vt illius cõseruandi curam aliquam susc ipere vellet, de eius incolumitate tranquillitateq; quibuscunq; rationibus tuenda, die certo comitijs constituto cõsilia capere cogeremini. Hac ratione si negotium tractatum fuisset, non incidissetis in eas voculas hominum, quę nobis hic molestiam ingentem attulerunt: Nam quod in Regem, cui iureiurando fidem vestram obstrinxistis, Regiam vobis authoritatẽ arrogastis, probari nõ potuit. Sed vbi Põtifices sunt oẽs, & nouas fidiculas cõdunt oẽs, ibi nihil mirũ est, si Reges quoq; facti sunt oẽs, & nouas leges cõdiderint oẽs. Nos hic Deum precamur, vt gratiam suam impartiat, quo lætã huius fabulæ κατάστροφεν videre, vel audire possimus. Fecerit aũt rem valdè mihi gratã. si Dño CHristophoro gratulata verbis meis fuerit, quod alienos Deos abiecerit, & ad Patrum nostrorum Deum, quasi postliminio sit reuersus, cui & ipse gratulari statui, simul vt cognouero, quod per nuncium Apostolicum absolutus ab hæresi, & Ecclesiæ Catholicæ gremio fuerit restitutus. Quod vt omninò fieri curet, semota quauis cunctatione, simul & oẽs machinas adhibeat, qbus animũ sui fratris expugnare queat, vt quẽ Christum negauit, quãdo se doctrinis varijs & peregrinis abduci, & in cuiusuis alterius potius, quàm Christi Euangelium transferri passus est, eum apertè iam incipiat confiteri: cunctis erroribus, in quibus versatus est renunciet: seq; perpetuò in obedientia sanctæ matris Ecclesiæ permansurum, nec vnquã ab eius vnitate discessurũ promittat: Hoc ab eo cũ factũ esse coram Apostolico nũcio cognouero, meis quoq; literis tam pium hunc animũ illi gratulabor, & oẽm à Deo fœlicitatem precabor, Vale. Datum Sublãci V. Augusti M. D. LXXV.

Petro Braus Comiti de Visingburgh, Regis Suetiæ Consiliario. Epist. CCXXXIX.

Gratulatur quòd non procul absit à regno Dei & hortatur, vt impleat gaudium ex hac eius inclinatione conceptum.

MAgnam ex ea re voluptatem accepi, quod à regno Dei non procul iam abesse diceris, Nam cùm Dei regnum Ecclesia sit, nec enim alibi regnat Christus, quàm in cordibus fidelium, ex quibus vnum Christi corpus, quæ est Ecclesia, cõficitur, indies ad eam accedere propius renunciaris: quin & Sereniss. Regi tuo, vt idem faciat author es, qui magno cum applausu piorum omnium patrum doctrinã, vt sequantur, subiectis sibi populis mãdare dicitur, & vt doctrinas istas varias & peregrinas, qbus factum est, vt fidiculis iã ludatur, nec vna fides in Ecclesia Dei retineatur, prorsus abijciãt. Hoc si te factum est author, magnã in orbe Xpiano vniuerso laudẽ cõsequeris, & eã pmia feres olim, q̃ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽderunt: nullum. n. Deo sacrificium offerri potest gratius, q̃ cùm errãtes in viã veritatis reducuntur. Quod vt facere pergas quẽadmodum cœpi-

Fidibus nunc luditur, non vna fides retinetur.

cœpisti, nec nisi confecta re conquiescas, te diligenter hortor, & moneo, oro etiam & obsecro, quanti salutem animæ tuæ facis. Quorsum enim progressa iam sit hominum impietas vides: nullum. n. est Christianæ doctrinæ caput, quod nunc in disceptationem nõ vocetur. Quemadmodũ ex libello quem ante bienniũ Serenissimo Regi misi, à Schola VVitemberg. contra discipulos malorum coruorum oua pessima, conscriptũ, & editum cognoscere potuisti. Verissimè dixit ille, quod fides non est nisi vna, extra quam vnam fidem quicquid est, non fides sed perfidia est. Quamobrem quod hanc vnam fidem amplecti malis, & à ludo fidicularum abhorrere cœperis, non possum nisi vehementer laudare, cõfirmet hoc Deus quod operatus est in te, tibiq; gratiam suam impartiat, vt ad hanc vnã fidem amplectendam Regem tuũ oratione tua magis indies atq; magis inflammes: sed non video quemadmodũ id effici queat, aut quomodo posimus vnũ ouile videre, in quo fides vna colatur, nisi pastor prius, qui Christi vicem in terris gerit, vnus agnoscatur, vt fiat illud, qd̃ prædixit vnus ille pastor bonus, fiet vnũ ouile & vnus pastor: quotquot ab hoc vno pastore segregati sunt, in quot sectas dissecti sunt, vides. Quamobrem vt hoc fiat, vt vnus pastor in terris agnoscatur primo quoq; tempore, toto pectore, quod aiunt contende & elabora. Quod si perfectum tua opera fuerit, nomen tuum immortalitati consecrabis, & citra dubitationem vllam sempiternam illam gloriam, qua gaudent spiritus beatorum in cœlis, consequeris. Hæc vt ad te scriberem, fecit meum studium in te, quo tãto sim accensus erga te, simul vt hæc audiui commemorari de te, vt me tenere non potuerim, quin hortarer te, vt impleres gaudium hoc nostrum, Vale. Datum Romæ VIII. Ianuarij M. D. LXXVI.

Ioanni Cardinali Morono, Legato Apostolico in Comitijs Ratisbonensib. Epist. CCXL.

Mittit quædam scripta de hæreticis, & vt capita eorum sibi recenseri iubeat, qua hæretici contra seipsos inuicem scripserunt, & Cæsareæ Maiestati referat.

QVæ gerantur in patria mea, cùm propius ad illas partes accesserit, Illustriss. D. V. melius illa scire potest quàm nos, qui longius remoti sumus. Cæterùm quod hebdomada superiori me facturum promiseram, id præsto nunc, & iterum alia quædam fortasis ad rem non ita multum pertinentia mitto: fieri potest, quod eadem etiam semel atq; iterum repetita sunt, & prouerbio dicitur: Bis crambe mors: atqui hoc ego cupio, vt mortificentur elatiores Antonij nostri Syluij spiritus, & legendis his, quam maximam nauseam capiat: quamobrem vt legat mandet, quamlibet magno cum fastidio suo: quo sicaliqua tamen ex parte pro peccato suo satisfaciat. Fortasis autem etiam plura deinceps mittam, vt magis etiam mortificetur. Cæterùm ab Illustrissima D. Vestra peto, ne quid ipsa molestiæ capiat ex ineptijs istis legendis, sed Sylnio pœnitentiæ loco laborem hunc mãdet, meritus enim esse videtur. Et quoniam Ratisbonæ degat aliquamdiu, fortasis operępretium esset factura, si Iesuitarum alicui negotium hoc daret, vt legeret librum, qui inscribitur Antidotum contra impium & blasphemum dogma Matthiæ Flaccij Illyrici, quo asserit, quod peccatum originis sit substantia, authore Heshusio conscriptum, Ienæ M. D. LXXII. impressum. Tum & alium, qui inscribitur Refutatio Pelagianorum spectrorum siue spiritus sancti figuræ &c. cuius author fuisse videtur Matthias Flaccus Illyricus. Et cùm à negotijs vacauerit, quæ lecta per eum fuerint, eorum capita sibi narrari iubeat. Simul & eius libelli, qui fuit ante biennium Ratisbonæ editus, in quo describuntur acta & processus habiti aduersus ministros verbi Lutheri mirabiliter inter se dissidentes, in eadem illa materia de peccato originis: & nouum Paparum genus, de quo maximè querunturIllyricani, nimirum Consules & Senatores eius ciuitatis, quos etiam Antichristos Polyticos appellant sententia pro tribunali sedentes, de re minimè per se intellecta ferunt: quam cùm altera pars non acciperet, & obedire magis Deo quàm hominibus oportere testaretur, à nouis istis Papis proscripta, & è ciuitate facessere iussa est. Imprimis aũt librũ VVittembergæ editum anno XX. de persona & incarnatione Christi, in quo discipulos suos malorum coruorum oua pessima, Schola VVittember. Marcionitarum, Samosatensiũ, Manichęorum, Sabellianorum, Arrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, hæreses insimulat, & eos qui cum potestate versantur, diligenter admonet: vt oculos tandẽ aperiant, quibus tam fœdos, & execrandos eorum errores contemplari possint, ac euentibus malis obuiã eant: ne si cunctati diutius fuerint, in easdem pœnas incurrant, quibus grauissimis Oriens affectus est, cùm non aliud illis propositum sit, quàm vt Mahometismo & Alcorano viam præparent. Fortasis non ab re faceret Illustrissima D. Vestra, si quibus in locis hæc ab illis commemorantur Scholæ VVittembergensi Magistris, ex his descripta eorum verba Cæsareæ Maiestati ostenderet, vt videret, quo tandem res perducta sit: posteaquàm reiecto suaui Romani Papæ iugo, ad istos Polyticos Pontifices vel Antichristos potius ventum est, qui suo arbitrio damnant quidlibet, neque personis auditis, neque rebus dijudicatis. Et quod grauiter communis præceptor eorum Philippus Melanchton queritur, cogunt consilia quando & vbi illis placet, & vendicant sibi maiorem, magisq́ intolerabilem, ac minus excusabilem authoritatem, & potestatem, quàm Papa Romanus vnquã: fieri vix potest, quin hæc illius Maiestati cõmonstrata nõ adeò leuiter animũ illius cõmouerent. Sed hæc pro sua prudentia melius ipsa despicies Illustrissima D. Vestra, currentem, quod aiunt, vt hortari, monereq́ sapientem planè sit su-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit superuacaneum. Plura scriberem, nisi metuerem, ne & hæc nimis multa sint, quã quam si scirem Syluium lecturum, volumina scriberem, non Epistolas, vt ei molestiæ quam plurimum adferre: grauem enim is meretur pœnitentiam. Quod superest, Deum precor, vt legationem hanc Illustrissimæ D. Vestræ fœliciter euenire velit, quó rebus ex animi sui sententia confectis, ad sui nominis gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, salua & incolumis ad nos redeat. Datum Romæ II. Maij M.D.LXXVI.

Ioanni Herbesto Reginæ Suetiæ Concionatori. Epist. CCXLI.

Laudat studium eius in Rege Suetiæ CHristo lucrifaciendo: & vt inculcet, quod vbi non sunt veri legitimi CHristi sacerdotes, ibi non potest consecrari corpus CHristi: & vt Catholicis Ecclesiam saltem vnam assignandam curet, in qua verbum Dei prædicetur.

STudium hoc tuum in Serenissimo Rege Vestro paulatim ad Christianam fidem, & cæremonias quibus eam profiteatur, adducendo, non potest non vehementer probari, & magnam hic apud omnes, præsertim apud S. D. Nostrum ex hac tua tanta cura, & sollicitudine laudem es consequutus: verum quorsum hæc? quamdiu nõ agnoscitur vnus pastor, & vnum ouile, si fierent hæc in charitate, esset Regi merces apud Deum posita. Cæterùm in diuisione, quæ potest esse charitas? quæ vinculum esse videtur vnitatis, extra quã esse ceremoniæ possunt, sed extra illam salus esse non potest. Deinde, quòd ipse Rex agit Pontificem, & arbitratu suo moderatur Ecclesias, quis est, qui probare queat? Nam & Episcopi Vestri non probant, qui tantundem in eiusmodi rebus constituendis habent iuris, quantum Rex. Vellem, quod ab Ambrosio dictum est, ea regi per occasionem inculcarentur: Noli te grauare Imperator, vt putes in ea quæ diuina sunt, Imperiale te ius habere, noli te extollere, esto Deo subditus: Scriptum est, quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari: ad Imperatorem Palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Nisi quod in Rege tolerabilius hoc est, quam in Episcopis istis, quos in eiusmodi rebus constituendis, minus etiam habere iuris constat. Hoc esset ante omnia Regi persuadendum, vt esse conaretur filius Ecclesiæ, non supra Ecclesiam, quam illi debet obedientiam, tanquam parenti suæ præstaret. Verùm eó calamitatis iam redacti sunt etiam Reges, vt quamuis oculis suis ipsi videant, auribus audiant, quin & manibus etiam ipsis contrectent, quæ vera, quæ pia, quæ sancta sunt: CHristum tamen apertè profiteri non audeant: cuius eorum conditionis me vehementer miseret. Metuerunt ne populus insurgat, ne sceptrum ad alium trãsferat: ita fit, vt etiam in conscientiam Regis, populus imperium sibi sumat. Itaq; non reperio aliam viam, qua saluti animæ illius consuli queat, quam si paulatim eò reducat omnia, vnde discessum est. Nihil odiosius est apud vos Papæ nomine, (neq; enim nouum est hoc, quod Cathedram vnitatis, in qua sola Deus posuit doctrinam veritatis, hi maximè persequuntur, qui se ab illa per summum sacrilegium diuiserunt, &, si quid illius iudicio tribuatur, necessariò ruitura vident, quæcunq; noua dogmata profitentur.) Itaq; malunt esse Sathanistæ, quàm Papistæ: malunt eum sequi, qui diuidit inter fratres, quàm eum cuius opera fit, vt vnitas in Ecclesia conseruetur, Sed ego diuinitus id factum esse puto, quòd venit ad vos Norvegius ille, quem esse virum prudentem, & benè doctum, & non vulgari iudicio præditum audio, magna præterea pietate, censerem hunc modis omnibus amplectendum, vt Ecclesiam habere posset, in qua Dei verbum prædicaret. Scis quod ferebat hoc Rex in Polonia, fert Cæsar in Germania, fert Francorum Rex in Gallia, vt habeant Lutherani suas Ecclesias, cur non ferat quoq; ipse in Suetia, vt habeant quoq; suas Christiani? cùm assueuisset populus audire Dei verbum, cùm nihil minus audiuerit per hos annos 40. maiore cum fructu paulatim ceremoniæ restitui, & vt ad vnitatem Ecclesiæ se conferrẽt homines adduci possent. Expedit autem, vt is qui mittitur ad vos, omnem occasionem fugiat, qua possint animi omnium offendi. Poterit fidem in cœlum vsq; tollere, Operibus extra fidem factis nihil tribuere, CHristum vnicum esse mediatorem asserere. Vnicum illud esse sacrificium crucis, per quod saluati sumus docere. Quæ cùm in genere docuisset, tum demum eorum quæ docuit sanum intellectum afferre, & planum omnibus facere, quod nihil aliud, quàm hoc fuit hactenus in Papatu prædicatum, mouebitur proculdubio populus, ea quæ dicitur esse in homine vitę sanctimonia, cùm videat lõge ab ea discrepare suos Episcopos & ministros: Cùm autem is auditorum animos præparasset, tum verò facilius hæc tibi venia concedi possit, vt Romam te conferres, & magno cum gaudio excipereris ab omnibus: nisi quod sumptu in alendos verbi Dei præcones opus esset. Mihi verò curæ futurũ est, vt & is nõ desit, dummodò ne quem ex his, qui sunt isthic dimittatis, verũ eorũ potius numerũ augeatis. Illud aũt Serenissimæ Reginam hortaberis, vt ne tãtoperè sollicita sit, de vtraq; specie, atq; ab ea vrgenda Regem deterreat. Quorsum, n. vtraq; species, si merũ panem, & merũ vinũ accipiunt: siã qbus datur eũ ore suo cõficiendi Christi corpus, potestatem habeant nullam, prius ad Ecclesiæ gremium se recipiant, prius vt legitimos Dei ministros sacerdotes habere queant, omni studi contendant: prius, vt sit vnus pastor & vnũ ouile sint solliciti: de reliquis per eum cui claues regni cœlorum commissæ sunt, suo loco & tempore statui rectè poterit: qui quàmdiu non agnoscitur, fruſtrà de speciebus laboratur. Vale. Datum Romæ VIII. Iulij M.D.LXXVI.

Hiero-

Hieronymo Comiti à Rozrazeu Præposito Plocensi. Epistola CCXLII.

Deplorat quòd patria duos Reges habeat: Nuncium Apostolicum Episcopum Montis Regalis commendat, & de laudibus electi Principis.

QVO grauiorem, sic peccatis nostris exigentibus, communi patriæ nostræ calamitatem impendere video, vt non procul ab interitu abesse videamur, hôc maiore desiderio quæ gerantur, in ea nosse cupio. Habuimus atq; vtinam habere quandoque desinamus fides plures, quàm vnam: Ecce, nunc prô dolor & Reges habemus plures q̃ vnum. Quem sit res hæc habitura exitum, vel ex ipsis Christi verbis quæ mihi magnum terrorem incutiunt, facilè quisque colligere potest. Metuo vehementer quæ fabula per notos in toto orbe terrarũ & celebres admodum Coragos, Mamalucum, & Sbardelatum, agi cœpta est, ne Tragicam sit Catastrophen habitura, nisi nos ex alto oculis misericordiæ suæ, quamuis ea digni non simus, Deus respicere dignatus fuerit. De Reuerendissimo Domino Nuncio Montis Regalis Episcopo, quæ scribit, valdè mihi grata fuerunt, neque celare Dominationem Vestram volo, verum sic vt sibi soli scriptum putet, quod postulatum fuit à me, vt alium in eius locum surrogandum curarem. Sed ego contrarium suasi potius, quamuis fore dicebatur edentulus, si diutius in isto Regno commoratus esset. Verùm ego non tanti faciendum esse iudicaui dentem vnum aut alterum quem esset amissurus apud vos, aliquandiu degendo, quam communis patriæ nostræ salutem. Quod Vestræ Dom. idem & meum est de hoc homine iudiciũ, & vt ipse præ cæteris quos nonnulli volebant mitteretur, statim vt auditum fuit de morte Serenissimi Regis nostri, multum est à me laboratum: neq;.n. præclaræ dotes illius mihi cognitæ non fuerunt. Priusquam in Italiam ingressus essem ante annos decem & septem, à Paulo IIII. vocatus, primus occurrit ille in ipsis quasi faucibus Italiæ, cum quo notitiam contraxeram, & ex eo tempore pluris in dies eũ semper facere cœpi. Quòd à sui capitis authoritate se nõ auellit, laudo, cum præsertim eius viri iudicium sequatur, quo haud scio, an prudentiorẽ senatorem, & Episcopum doctiorem, communisq; patriæ salutis conseruandæ studiosiorem habeat Polonia. Ad nos quoq; multa perferruntur huc, de præclaris Principis dotibus, quã altera pars elegit, nam & Krzi Ianouius, & Patritius multis eum laudibus in suis ad me literis cumularunt. Sed & Serenissima coniunx eius ad me scripsit, cui nihil adhuc respondi, quòd exitum huius fabulæ expectandum esse putaui: nam non esse viri constantis existimaui, cum semel fidem subiectionemq; meam vni detulerim, vt idem præstarem alij, sicut Catholicam, sic & Polyticam fidem nescio nisi vnam, sed benè res habet apud nos, non omnes hic sunt Reges, & Pontifices vt apud vos, vnius ductum sequimur omnes, quẽ ille Regem approbauerit, illum & ego non inuitus agnoscam. Et cum afflictæ nostræ patriæ non videtur alia ratione succurrere posse, prouolutus ad Sãctorum Apostolorum & Martyrum sepulchra, patrocinijs eorum adiutus, Deum supplex precabor, vt gratiam vobis & misericordiam suam impartiat, quo relictis Dijs alienis, quos ignorauerunt Patres nostri, Deum vnum, Deum Patrum nostrorum vnanimiter colere: Vicarium eius in terris vnum agnoscere, tum & Regem vnum habere possitis, & reiecto fidium ludo, quo Deum grauiter offendistis, fidem in illum vnam retineatis. Vale. Datum Romæ, XII. Iulij. Anno M. D. LXXVI.

Ferdinando Cardinali Medices. Epistola CCXLIII.

Consolatur de morte coniugis fratris sui Magni Ducis Hetruriæ, &c.

ALlatum est huc, obdormiuisse in Christo lectissimã fœminam Leonoram, non solum Illustri & excelso loco natam, verum etiam omnibus & corporis & animi dotibus, ita singulari Dei beneficio cumulatam, paucas vt habuisse dicatur, quæ conferri cum ea, vix vllã quæ possit anteferri. Quin ea res animo tuo mœrorem attulerit, fieri nequit, nam homines cum simus, humanum aliquid, vt patiamur aliquando necesse est: quod si nihil aliud, vel sola tamen ab eorum quibus cum coniũctissimè vixerimus, & quos præ cæteris charos habuerimus consuetudine, separatio non potest animum hominis non commouere. Sed audi Princeps Illustrissime Sanctum illum Regem & Prophetam dicentem, Nunquid qui dormit non adijciet vt resurgat? Estne perpetuus ille, somnus futurus, quo proximis superioribus diebus fœminarum illa præstantissima fuit consopita? Dent illi se totos mœrori tristitiæq;, qui non credunt futurum, vt corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem: At nos qui certam spem habemus exemplo Christi magna cum gloria resurecturos, qui in Christo obdormierunt, iure meritò de dormientibus contristari vetat Paulus, quem tu vetantem tanto libentius audies, quanto certius persuasum habes, quòd somnus iste, quem vocare mortem visum est, nihil esse videtur aliud, quàm transitus quidam, ad vitam meliorem, ab ea quæ corrumpitur, cum varijs casibus obnoxia sit, ad eam quæ corrumpi non potest à mortali ad immortalem, à caduca ad sempiternam. Nunc demum illa verè viuere cœpit, posteaquàm illi coniuncta est, de quo dixit cum in hoc sæculo versaretur. Mihi viuere Christus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, & mori lucrum. Translata est hac morte vita illius non ablata, quin illa potius mors dicenda fuit, quam agebat in hoc seculo. Sicut illa vera est vita, quam nunc agit, cum spiritibus Beatorum. Quid enim nos in hac lachrymarum valle nisi morimur quotidiè? num est hora vlla, qua non fiat aliqua vitæ nostræ diminutio? cum illa qua nunc fruitur, in cœlo vita, vita sit sempiterna, nec iam vlli morti deinceps obnoxia. Quamobrem laudo te, quod moderatè tuleris hãc à te tuisq; lectissimæ fœminæ disiunctionem, quæ magis adeò gratulatione, quàm aliquo luctu nimio, fuit prosequenda, cum præsertim fructum nuptiarum partum ediderit, & ludentem in Aula fratri tuo paruum Iulum, à quo subinde recreari posset, superstitem reliquerit. Quo fuisse dicitnr maiore pietate religioneq; prædita, hoc esse dignior videtur, cuius tam fœlici transitu lætemur potius, quàm cõtristemur: quandoquidem certò nobis est persuasum, quòd qui non obliuiscitur bonorum operũ Deus, ea largitus est illi præmia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, & in illis eam sedibus collocauit, in quibus cum spiritibus Beatorum gaudijs fruitur sempiternis, vbi pro nobis, præcipuè verò pro suis propinquis in hac vita, quæ cũ illius vita comparata mors est, de gentibus Deum vt illis propitius esse velit & optatam fœlicitatem largiatur, præcari nunquam intermittat. Hæc ego breuibus tibi scribenda putaui, non quod existimarem alicuius te consolationis indigere: cùm, qui tuus est fortis & excelsus animus, non facilè casibus istis humanis commoueris, verum vt meum erga te studium & obseruantiam testarer, omnia tibi de me rectè polliceri potes, quæ de homine tibi addictissimo, quicquid officij & obsequij præstare tibi potero, nullam, si qua dabitur, occasionem prætermittam. Vale. Datum Romæ, 22. Iulij. 1576.

Hieronymo Comiti à Rozrazeu Præposito Plocensi. Epistola CCXLIIII.

Admiratur & extollit Dei prouidentiam, & bonitatem, qui quorundam hæreticorum in eligendo Rege, improba consilia meliore exitu commutauit.

QVOD Do. Vestra tam diligenter de rebus quæ geruntur isthic me reddit certiorem, in magni beneficij loco pono: sum enim si quisquam alius earum cognoscendarum auidissimus, cum agi communis patriæ nostræ, salutem videam quam certè cunctatio Regis, quem electum esse legittimè constat, in magnum discrimen adduxisse videtur, quod vt ab isto Regno propulsare simul optatam nobis tranquillitatem concedere Deus velit, supplices hic misericordiam eius implorare nunquam intermittimus. Qui posterius electus est, à multis præclaras eius dotes, præcipuè verò pietatem singularem, & aduersus Christi perduelles hæreticos Christianæ fidei tuendæ, zelum non vulgarem audio prædicari. Quod si cõfirmauerit hoc Deus, quod in illo dicitur operatus, vt qualis esse dicitur, talis & sit, & esse deinceps etiam pergat rectè nobis persuadere possumus, in speratam hãc electionem certam Regno salutem allaturam. Mirabilis est in operibus suis Deus, etiam eorum consiliorum, quæ proficiscuntur ab impijs, longè diuersum quam illi cogitabant, quoties misereri vult, progressum & exitum largitur. Quod etiam illo tempore factum esse scimus, quando totius humani generis salutem operatus est in medio terræ, quorum enim opera perfectum id est, vt reconciliaretur Deo Patri mundus vniuersus, & ab interitu seruaretur: eorum certè, qui, per quem seruati sumus omnes, cum varijs probris & contumelijs affecerunt, omni genere suppliciorum excruciarunt, ad extremum etiam in Crucem egerunt. Num autem tale quid euenturum illi cogitabant? imò contraria potius omnia. Extinctum illi CHRISTVM, & obliuione sempiterna memoriam illius omnem obrutam iri per hunc modum existimabant. Fieri potest, vt & nunc diuersum aliquid euenire Deus velit, ab eo, quod in posteriore electione spectatum à plerisq; fuerat: vt non modò non proferibat è Regno Christum, non modò fidem illius non extinguat, & in eius locum vel Augustanam, vel Genecuen. vel Mahometanam perfidiam introducat, is qui posterius electus est, verumetiam cõstantius Christianam fidem, quam ij qui præcesserunt eum, aduersus Christi perduelles hæreticos tueatur atque defendat. Quod cum factum fuerit, nę ego cum primis nos esse fœlices iudicauero. Scribit D. V. cum ab illo petitum fuisse, vt de conscelerato quodam homine, qui sacratissimo Christi corpore, & sanguine fœdissimè tractãdo, crimen atrocissimum designauerat, quas meritus erat pœnas de illo sumeret, quod constanter se facturum receperit, quod autem fecerit non scribit, promittuntur autem sæpe multa, quæ non præstantur. Itaq; num ad rem promissa contulerit scire cuperem. Ego verò nihil agam dissimulanter, cum tali præsertim viro, qualem esse D. V. iudico, cuius & in Deũ pietatem, & in me charitatẽ, satis iam perspectam habere videor. Totis annis ferè quatuor, quibus defuncto Rege nostro Sigismundo, quis illi successor esset deligendus, deliberatio suscipiebatur: eius fabulę quæ tot annis agebatur, præsultores mihi placuere nunq̃. Quis enim fuerit Mamalucus, quis Sbardelatus, quis Blandrata, num est aliquis mortalium qui nesciat? Sed potest etiam prauis malorum hominum voluntatibus bene Deus vti, quamobrem quis huius fabulæ sit exitus futurus expecto, si fecerit is quem tantis D. V. laudibus effert, vt de illo nefario homine, quod meritus est supplicium sumatur, si delubrum Beliał fabricatum in ea ciuitate, quæ Regni caput est, nec alium quam Patrum nostrorum Deum totis sexcentis annis coluit, diruendum curauerit, nec in eo contra Regni constitutiones, in quas iurauit conuen-

tícula

tícula fieri. Deosq; alienos coli seorsum à reliquo Christiano populo permiserit, si hæreticos si non statim omnes, saltem ex aliqua parte, aut saltem eum qui Princeps huius Electionis fuisse creditur, à cultu Belial dimouerit, & vt ritu maiorum nostrorum, quos Christianos fuisse certum est ac indubitatum, in templis quæ sunt per illos Christo cõsecrata, Christum vna nobiscum piè colant, perfecerit: tunc ego quoq; cum Propheta lubens exclamabo: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quid enim accidere potest mirabilius, quàm si qui cogitabant mala aduersus Christum, qui proscriptum illum, qui nomen illius delectum, quo fidem illius ex Regno Poloniæ profligatam, cupiebant, ij contrà facta viderent omnia? & quidem per eum ipsum, quem nonnulli ad hoc fortasse elegerunt, cuius opera perfectum id iri sperauerunt, vt sibi, non nobis iniquitatem congregasse viderentur, sibi non nobis mentita sit eorum iniquitas. Ego verò tenere me non possem, quin iterùm cũ eodẽ Propheta exclamarem, Benedictus Dñs Deus Israël à seculo, & in seculum fiat, fiat: reuixit enim & resurrexit ille, quem impij iam interfectum esse, quodq; nomen illius perijsse putabant, id magis etiam nunc est quàm fuit antea gloriosum. Diuinitus id non humanitùs esse factum, interpretarer. Deo soli gratiam hanc, & gloriam acceptam referrem.

Quod autem ad Nuncium Apostolicum attinet, octo iam intercessisse menses existimo, quòd fuit à me petitum, vt eum istinc amouendum curarem, quod à me factum non esse fateor, nam idem est meum quoq;, quod D. V. de illo iudicium, sed cum non expectandũ putaueritis, vt à quo missus est, ab eo reuocaretur, verum vltrò ipsi eum ex Regno facessere iusseritis, fieri potest, quandoquidem instar rotæ voluuntur omnia, nec vt sunt res mortalium, loco stabili permanent, vt aliqua detur occasio mittendi Nuncium, quem si mittere Sanctissimo Domino nostro deliberatum fuerit, magna cum alacritate faciam, quod à me D. V. fieri cupit. Nec enim facilè reperiri posse puto, qui sit illo fide, prudentia, doctrina, pietate, rerum agendarum dexteritate superior, vtinam pares multos possemus habere. Vale. Datum Romæ, I. Septembris 1576.

Andreæ Fabritio Leodio. Epistola CCXLV.

Sententiam suam de dogmatica historia perscribit.

DOgmaticam tuam Historiam legi lubens: quamuis aũt id præterire non videaris, nec vel minimam eius rei significationem des, facilè tamen conijcio, propositum hoc in ea scribenda tibi fuisse, mẽdacem vt historiam ab hostibus Euangelij superioribus his annis conscriptam confutare, vel eam potius ab erroribus & mendacijs, quibus plena est, repurgare velis. Quod institutum tuum non possum, non vehementer probare. Iudicium de labore hoc tuo, meum, vt tibi scribam vis, ego verò nihil à te non magno iudicio scriptũ esse video, vt iudicio meo minus indigere videaris, sed vt voluntati tuæ paream, quid ego iudicem paucis accipe. Opus esse iudico cumprimis vtile, quodq; multos errantes in viam reducere possit. Sed mihi nimis altè videris historiam hanc exorsus. Iam duos libros conscripsisti, vixdum tamen ad Mathusalem ætatem peruenisti, mirum in Mathusalem annis ad perficiendum hoc tuum opus, opus sis habiturus, si qualem expectamus ei finem imponere volueris. Ego verò tibi precor annos istos, quo possis inchoatũ laborem, qui non poterit nisi maximum Ecclesiæ Dei fructum adferre, qũa cœpisti fœlicitate perficere. Mihi placet inuentio tua, placet dispositio, placet elocutio, sed ne putes me nihil aliud q̃ auribus tuis seruire velle, quid in eo desiderem, audi. Vellẽ in tam præclaram opus ingressum esse paulò magis illustrem: non quod in Theologo Tullianam requiram eloquentiam, sed quod metuo, ne quem offendat, quod in ipso statim scribis exordio, religionis historiam scripturus commodum videtur, cætera omnia mihi quidem videntur, sin minus Tullianè saltem Christianè & Latinè scripta: nec enim in Theologo Tullianum dicendi genus requiro, quod quantò magis affectauerit, tanto minus personæ quàm gerit memor esse videtur: cum esse nos Christianos potius quàm Tullianos oporteat, vt nullis alijs, qàm sacræ scripturæ verbis vtamur libentius. Tuum erit omni studio contendere, quo possis extrema quemadmodum cœpisti cum primis contexere, quam ad rem annos Mathusalem tibi precor. Vale. Datum Romæ, 21. Septemb. 1576.

Stephano Regi Poloniæ. Epistola CCXLVI.

Commendat personam Bernhardi Maczieiouiuskij, & petit vt illi dicenti fidem habeat.

CVM nobilissima Maczieiouiorum familia vetus mihi necessitudo intercedit, propter singularia illius in me merita, & beneficia viri illius longiore vita dignissimi, Samuelis Episcopi Cracouien. & Regni Poloniæ Cancellarij. Confirmauit eam nunc dignus tali patruo nepos D. Bernhardus Maczieiouiuskij, Aulæ V. Maiest. Vexillifer, cum hic mecum in Vrbe aliquandiu familiariter vixisset, qui sua singulari pietate, morũq; suauitate auitos maiorum suorum mores sic expressit, vt non possim illum non vehementer amare, omnibusq; rebus secundissimis & imprimis gratia Maiestatis. Vest. dignissimum iudicem. Gratulabitur is meo nomine M. V. Regni Poloniæ Coronam, quã Deus ante mẽses aliquot M. V. capiti imponere, & ex omnibus molestijs & difficultati-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus, singulari & occulto quodam suo iudicio eximere, dignatus est: simul etiam fidem & subiectionem meam deferet. Quod cum faciet, à M.V. peto, vt illi fidem habeat, & benignas aures præbeat, nec solum vt audiat, sed etiam vt exaudiat rogo, in his præsertim, quæ partim ad conseruandam, partim ad restituendam Religionem Catholicam, in Regno V. M. pertinebunt. Cuius salute, cum salus mea mihi charior non sit, ne qua parte Catholici per Dei gratiam Episcopi & fidelis V. M. Consiliarij munere defuisse videar, nonnulla M. V. significanda esse putaui, quæ ad Regni religionisq; salutem, & ipsius Maiestatis Vestræ dignitatem vehementer pertinere iudicaui: quæ vtinam in hac iam decrepita ætate mea, in rem collata, & patriam meam dulcissimam ab hæresibus, quæ sursum deorsum miscere omnia consueuerunt, opera Maiestatis Vestræ repurgatam, nobis videre contingeret, læti mihi deinceps essent futuri vitæ meæ dies, quoscunq; mihi Deus superesse voluisset, quod ego tamen in his literis longiùs persequi nolo, cum is, quem superius nominaui, D. Maciciouskij coràm omnia fusius sit M.V. relaturus, cui vt benignas aures accommodet, iterum atq; iterum supplex à M. Vest. peto. Interim autem tibi Sereniss. Rex quam debet fidelis subditus & consiliarius Regi & Domino suo reuerentiam, & subiectionem, qua summa possum animi mei submissione, defero, nullam vnquam occasionem prætermissurus, qua fidem & obseruantiam meam erga te Regem & Dominum meum declarare queam, Deumq; precor, vt imperium hoc ad te delatum, tibi Regnoq; tuo fœlix, faustum, & fortunatum esse velit, ac in multos annos te incolumem conseruet, vt plenus dierum, plenus gratia, apud Deum, & apud homines, omnia secundissima expertus, in senectute bona peregrinationis tuæ dies concludas, & pro terreni huius Regni cœlestis & nunquam defuturi possessionem adeas. Comendo me &c. Datum Romæ, 1576.

Instructio, iuxta quam debet Regnum Poloniæ Regi Stephano gratulari.

QVOD iustus vniuscuiusq; meritorũ æstimator Deus, recto iudicio suo te Sereniss. Rex, in hoc Regiæ dignitatis tam sublimi solio collocauit, non tibi magis quàm Patriæ suæ Cardinalis plurimum gratulatur, atq; vt id vtriq; fœlix, faustum, & fortunatum esse velit, ad Sanctorum Apostolorum & Martyrum thecas prouolutus, Dei misericordiam supplex implorare nunquam intermittit. Nam tali Rege pridem opus habebamus, qualis esse tu prædicaris à multis, in quo præter egregias quasdam corporis dotes, præter militaris rei minimè vulgarem scientiam, & ingenium optimis quibusq; disciplinis expolitum, & morum grauitas, & vitæ totius integritas, & animi fortitudo singularis, & non mediocris pietas eluceret. Quæ pietas zelum etiam ardentem excitasse dicitur in te, quo Christianam fidem contra Christi perduelles, non magis Ethnicos, quàm Hæreticos fortiter tuendam ac defendendam suscepisti, magnã vt in ipsẽ veniamus, quod summis votis pij precantur omnes, vt nõ externis tantùm, verùm & q multo sunt perniciosiores domesticis hostibus, ex Regni tui finibus exterminatis, multorum opinione citius factum videamus, vt sit multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, & sit quod aliquã do futurum Christus promisit, vnus pastor & vnum ouile. Quorsum audaciæ & impietatis progressum sit, posteaquàm ab hoc vno pastore Christo, & quem ille suum in terris locum gerere voluit, à multis discessum, & eius suaue iugum excussum est, tuis ipse iam oculis vides Pientissime Rex. Vides & ingemiscis procul dubiò. Potést ne esse tam fœda, tam abominabilis, tam horrenda & detestanda secta vlla, etiam ex his quæ pridem sopitæ fuerunt, quàm nunc ex Orco reuocatam videre non liceat? nullũ vt vnquam seculum à Christo nato spurcissimis quibusq; hæresibus magis, quàm hoc nostrum corruptum & contaminatum fuisse videatur. Fatentur hoc etiam illi ipsi, qui primi fuerunt in Germania, malorum horum omnium authores, à quibus primum hæc pestis ad alias gentes manauit. Fatentur hoc, inquam, non solum fideles multi Christiani, verum etiam perfidi Lutherani. Fatentur hoc in libro, quem de persona & incarnatione Christi scripserunt Magistri & ministri VVittembergen. qui de discipulis suis malorum coruorum ouis pessimis magnas quærimonias contexentes, multas hæreses enumerant, quæ multis ante seculis ab Ecclesia vniuersa condemnatæ & profligatæ nunc exerere caput cœperunt. Quibus enumeratis monent eos, qui cum imperio potestateq; versantur, vt aduigilent, & modis omnibus caueant, ne, quæ fuerunt orientem calamitates ex non dissimili causa consequutæ, eædem ad nos quoq; perueniant. Vbi quondam insignes Ecclesias videre licuit, quæ ab ipsis Apostolis & eorum successoribus plantatæ fuerunt, ibi nunc horrendam quandam cerni desolationem & vastitatem, quod ferre Deus diutius tot & tantas blasphemias non potuerit, quin cum Principes conniuerent, & officij sui parum esse memores, quas merebantur pœnas de impijs persequeretur. Tam graue visum est minimeq; ferendum, etiam ipsis hæreticis, hæreses non prohiberi, nec in earum authores animaduerti, & quod magis mirum est, arguunt hæreseos discipulos suos præceptores, Lutherani Lutheranos, & eiusdem criminis arguuntur ab illis: quin & ipsi discipuli variarum inuicem se condemnant hæreseon, nec vlla manifestior veritas ab illis vnquam pronunciatur, quam quando iudicium hoc ipsi de se mutuum ferunt. Quod à te Sereniss. Rex confirmandum est, & quod ipsi suadent hæretici, non conniuendo, ne quas Deus grauiores pœnas de te, deq; Regno tuo sumat, sed eum omnes prius ratiões persecutus fueris, quibus eos ad officium sanitatemq; reducere possis, apud quos nihil hac tua benignitate profeceris, iuxta leges patrias in eos animaduertendo, quo sic à Regni tui finibus pestem hanc arcere possis, omne stu-

ne studium est adhibendum. Nec eorum importunis clamoribus aures tuas accommodes, qui tanta contentione laborant, vt liberam vnicuiq; potestatem permittas, Deum ne sequi velit an Baal, sed Christum, qui solus & vnus Deus est, & Dñs noster, dicẽtem audias: Nemo potest duobus Dominis seruire. Qui multo ante etiam per Prophetam dixit: Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrunq; operire non potest. Quæ Prophetæ verba quasi interpretatus Apostolus: Non potestis, inquit, calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Et alio loco: Quæ participatio Iustitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? quæ pars fideli cum infideli? qui consensus templo Dei cum Idolis? Loquitur enim de Propheta sub Metaphora mariti pudicissimi, quem inducit adulteræ coniugi loquentem: Vnus lectulus me & adulterum tecum capere nõ potest, & pallio breui maritus & mœchus cooperiri nequit. Huie igitur tu, & per Prophetam ante multa secula, & per seipsum posteaquam venit plenitudo temporis, & per Apostolum suum loquenti potius auscultabis, quàm vt eos audias, qui tibi sunt authores, vt vnum lectulum & maritum pudicissimum & adulterum capere, vt in vno Regno & Christum & Belial colí, vt vno breui pallio velis vtrunq; operiri. Est, Serenissime Rex mœchia quædam siue fornicatio carnalis, modis omnibus prohibenda, est alia spiritualis, quando nonnulli deserunt Ecclesiam, & hæreticis iungũtur, & ædificant Lupanar suum in capite omnis viæ: hæc vero cum sit multo pernicioſior, longè magis est abominanda, multoq; minus ferenda, quam ita grauem esse scribit Sanctus ille Pater Hieronymus, vt exponens illum Hieremiæ locum: Et post te non erit fornicatio, omnem deinceps aliam fornicationem cum ea collatam longe leuiorem esse dicat, vt festuca dici possit, cum trabe comparata. Nam quanto maior est Christus Deus & homo, quam alius quinis purus homo, tanto grauius mœchatur, quisquis fidem, qua semel ei se despondit, deserit, quam, qui coniugio irretitus alienum thorum inuadat. Et hanc tã turpem fornicationẽ qua nulla vel pernicioſior, vel abominabilior cogitari potest, vt in Regno tuo liberam esse velis, vt vnicuiq; potestatem permittas, qua semel Christo se despondit fidem eam deserendi, & cum Baal vel Isiebien. vel Geneuen. vel quocunq; tandem alio fornicandi tanto studio contendit à te semen quoddam adulteræ. Tu vero pientissime Rex, virum te præsta, nec vel precibus, vel denunciationibus, vel quamlibet magnis eorum cõtentionibus, vt aliqd eis loci des moueare, quin qd sibi Lupanar ædificauit in ea q̃ Regni tui caput est ciuitate Cracouien. demoliendũ illud, & solo æquandũ, vt primũ cõmodè poteris, curabis. Nam quod esse potest magis fœdum, & magis abominabile spectaculũ, quã cum, quo tempore, quam semel Deo patrum nostrorum in baptismo suo despondisti fidem, eam tu Rex & Dominus noster in templo illi dicato publicè profiteris, & cum Clero populoq; Christiano, magna cum pietate more patrum nostrorum, quem debes cultum Deo patrum nostrorum præstas, eodem illo tempore semẽ istud adulteræ & à te & ab vniuerso cœtu piorum, qui tecum eundem Deum colit, se segregat, & in Lupanar illud, quod paulò ante mortem defuncti Sigismundi Regis fabricauit, se proripit? In quo recentes quosdam & alienos Deos colit, quos ignorauerũt Patres nostri. Neq; grauẽ illam Dei denunciationem veretur dicentis: Audi populus meus, & contestabor te, Israël si audieris me, non erit in te Deus recens, nec adorabis Deum alienum. Adorant isti non vnum, sed plures etiam Deos alienos, & eos recentes. Nam in eo Lupanari, quod ædificauit ex domo quadam, quæ dicebatur olim Aceruus, & facta est reuera malorum omnium aceruus, in parte inferiori cum Geneuen. in superiori cum Islebien. idolo fornicari dicitur. Et quamuis grauis pugna sit, & implacabile bellum quoddam inter hæc Idola, tamen vtriusq; verbum pro Dei verbo in vtraq; parte populo venditatur, adeò vagi sunt apud hoc genus hominum concubitus. Quos tu modis omnibus debes prohibere, si quæ multorum prædicatione de te concita-

Mœchia carnalis & mœchia spiritualis.

Aceruus hæreseon.

ta est integræ conseruatæ Christianę religionis opinio, eam tueri, si Regni tui quietẽ atq; tranquillitatem conseruare, si consiliorum tuorum fœlices progressus & exitus habere cupis. Quid potest esse eo spectaculo fœdius, quam eum, qui tecum in eundem Senatus habendi locum, vna cum alijs Regni Senatoribus & Consiliarijs, qui Christum confitentur, conueniunt, vt in eo de rebus ad Regni salutem pertinentibus, consilia conferant, ij non dignantur in idem templum ingredi, in quo tu es, vt ad Deum Patrum nostrorum cõmunes tecũ, vna cum clero populoq; Christiano preces fundãt, verùm relicto te, relicto Deo Patrum nostrorũ, haud aliter, quam si te pro Christiano Rege non haberent, ad Lupanar illud suum extemplo se proripiunt, & in eo seorsum à te, seorsum à reliquo senatu, seorsum à clero populoq; Christiano, non sacra, sed sacrilegam rem faciunt. Hanc tu non magis tuam, quam eius qui Rex est Regum, & Dominus Dominantium, CHRISTI iniuriã nulla ratione ferre, verum omnes curas cogitationesq; tuas eo conferre debes, vt ab isto Lupanari cunctos areceas, quin potius illud quoad id citra tumultum aliquem facere poteris, ita submouendum cures, vt ne vestigium quidem illius aliquod reliquum appareat. Nullam offerre Deo Patrum nostrorum poteris victimam gratiorem, cui nihil hoc genus fornicationibus abominabilius accidere potest, & nomen tuum immortalitati cõsecrabis. Illud pectori tuo perpetuò sit infixum, quod fides non est nisi vna, & quicquid extra vnam fidem est, non fides, verum perfidia est. An autem tu perfidiam vt admittas vnquam adduci te patieris? eum præsertim illud obseruatum sit, vbi fides Catholica periclitatur, quod in eodem discrimine fides quoq; Polytica versatur, non enim facilè seruat fidem homini mortali, qui non eam Deo seruat immortali. Cuius rei multa documenta proferri possent, sit temporis breuitas pateretur. Posteaquã discessum est ab eo, cuius ministerio sit, vt vna fides in Ecclesia Dei retineatur ab omnibus, an ab illis quoq; discessum paulò post non est? qui cum imperio summaq; potestate in Regnis suis versantur? an qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

desierunt esse Papistæ, ijdem illi non esse posteà desierunt & Cæsaristæ, & Registæ, & Reginistæ? Quid in Germania superioribus annis, quid non ita pridem in Gallia, quid in Flandria, quid in Scotia factum sit, recens omnium est memoria. Quamobrem quanti tuâ Regnique tui salutem, ac tranquillitatem facis, tantum contendes & elaborabis, vt à Regni tui finibus, tam fœdam fornicationem hanc, qua nihil vel cogitari potest pestilentius, procul arceas, nec in eo recētes aliquos & alienos Deos, verum vnū & solum Deū Patrū nostrorū in templis ei propriè dicatis coli permittas. Impia & sacrilega separationis consilia nusquā fieri patieris, quin quæ patrijs legibus pœnæ constitutæ sunt, in eos qui priuata conuenticula, quocunq; tandem in loco faciūt, pro eo vt officium tuum postulat exequaris. Quem sibi propugnandum susceperunt Magistri Scholę VVittembergen. aduersus ingratos eius discipulos, qui communis etiam præceptor fuit aliquando vocatus Melanchton, is quamlibet à doctrina veritatis fuerit alienus, hanc tamen verissimam vocem protulit: quod posteaquàm ab vna fide discessum est, ex eò fidium ludo, quem in Germania & Polonia, prò dolor, videmus & ingemiscimus, eo res perducta sit, vt in Anarchiam euaserit. Nam vbi Papæ esse volunt omnes, vbi de doctrina religionis arbitratu suo statuere volunt omnes, quid prohibet, quo minus ijdē illi Reges quoq; sint omnes? & sicut seorsum ab orbe Christiano nouas fides, sic seorsum etiam à Rege, & à reliquis regni prouincijs nouas sibi leges condant? Quod etiam apud subiectos sibi populos nonnullis in locis factum esse dicitur, his authoribus, qui sacrilega separationis consilia, quam communem, & eūdem omnium sensum sequi maluerunt. Quamobrem si non vis Anarchiam, ad quam certè spectare multi videntur, in Terris tuis videre sed Regno legibus constituto præesse, magnaq; cum trāquillitate illud gubernare, fidium istum ludum in terris tuis modis omnibus prohibebis, & laudatissimos Imperatores illos imitandos tibi propones, qui, ne disputandi quidem de his, quæ semel rectè fuerunt in Oecumenicis Concilijs decreta, liberam cuiq; potestatem permiserunt. Quorum etiam hoc extat edictum: Cunctus populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione versari, quam diuum Petrum Apostolū tradidisse Romanis, religio vsq; adhucab ipso insinuata declarat: quamq; Pontificem Damasum sequi claret. Hoc edictum totidem tu verbis in Regno tuo promulgandum curabis, mutato Damasi nomine, in nomen Gregorij XIII. sic futurum est, vt quietam in Regno tuo vitam agere tibi liceat, fœlicemq; consiliorum tuorum progressum & exitum tibi Deus largiatur. Nec ea te res ab instituto deterreat, quod nescio qua noua iurisiurandi formula, te semen adulteræ voluerit obstrictum: nam si maximè tale quid iurasses, quale semen istud adulteræ cupiebat, scitum tamen est illud: In malis promissis rescinde fidem: Inturpi voto muta decretum. Quod incautè vouisti, ne facias. Impia est promissio, quę sine re adimpletur. Iurauerat aliquando Dauid se Nabal sanguinem effusurum, & laudatur pietas illius, quòd non impleuerit, quæ iurauit: iurauit & Herodes quod ad Saltatricis cuiusdam instantiam, promiserat se caput Ioannis abscissurum, præstitit quod iurauerat, & hanc illius crudelem exequutionem, reprehendit & abominatur Orbis vniuersus. Fuit horrendum illud, & omnibus modis detestandum, quod eius, quo non surrexit maior inter natos mulierum, Sancti Prophetæ caput saltatrix amputari petebat, at multo magis horrendum quod petebant isti saltatores, ne dicam an saltatrices? fortassis autem rectius dixero saltatrices? nam si varium & mutabile semper est fœmina, quid illis magis varium & mutabile dici potest? qui fides habent annuas & menstruas, ac de vna fide, vel potius perfidia subinde saltant in aliam, nec saltandi finem vllum faciunt, donec eo perueniant, vt dicat insipiens, dicat impius in corde suo, Non est Deus. Petunt enim saltatrices istæ non S. Ioannis, verùm illius caput præcidi, de quo dixit ille, quod non esset dignus soluere corrigiam calceamenti eius: nec sunt eo contenti, si corpus à capite separetur, sed volunt insuper, vt in minutissimas particulas dissecetur, nec vlla spes reliqua fit, adhibitam iri medicinam aliquando, qua reintegrari queat. An potest esse facinus vllum, magis turpe, magis immane, magis detestandum? Impij milites, qui Christum in Crucem egerant, integrum tamen corpus illius in cruce reliquerunt, & sicut Propheta futurum prædixerat, os ex eo non comminuerunt. At isti præclari milites, & Antichristi satellites, immanes illos, qui Christum crucifixerunt, immanitate sua lōgè superant, nec enim rabies illorum satiatur, si corpus à capite videant separatum, nisi cernant etiam omnia ossa comminuta, non de Ioannis, verùm de Christi corpore loquor, & quidem de mystico corpore, quam Sanctam Ecclesiam Catholicam profitemur, quam vt colligeret Christus, qui caput est huius corporis, vt nos omnes in se credentes vnum secum, vnum etiam inter nos corpus efficeret, viuum & verum corpus suum omni suppliciorum genere prius excruciatum, in Ara crucis mactandum obtulit. Hoc igitur corpus, quod ille sui sanguinis precio comparauit, cuius causa viuo suo corpori non pepercit, verum illud in mortem, & quidem ignominiosam mortem tradidit, hoc tam carum Christo Christi corpus, vt à capite suo Christo perpetuò separatum, vt in minutissimas partes liceat videre dissecatum, vt omnibus modis prouideatur, ne quod remedium adhiberi possit aliquando quò videri queat redintegratū, tanta contentione flagitant istæ saltatrices. Quod etiam si te facturum promisisses, impia tamen esset promissio quæ scelere adimpletur, ac sanctū illum Regem Dauidem potius immitandum tibi proponeres, qui cum se Nabal occisurum promisisset, quod incautè promisit, magna cum laude sua non præstitit, quàm impium Herodem, qui, quod crudeliter promisit, crudelius est exequutus. Hortamur te, ac supplices precamur, ne patiaris Christum decollari, ne patiaris corpus eius Ecclesiā à capite suo separari, ne patiaris illud in minutissimas partes dissecari, ne si Christi corpus Ecclesiā diuidi passus fueris, Regnum etiā tuum, quod pro sua misericordia Deus auertat, diuisum videas, quod in Galliæ superioribus annis

nis accidisse tenes proculdubiò memoria, posteaq; Christum & Belial in eodem Regno coli permissum est, duæ fides, quarum altera non potuit esse nisi perfidia, duos Reges peperērūt, & contra Christum Dñm Regem à Deo coronatum arma parricidialia commouerūt. In hāc igitur sententiā ageremus tecū, si tale quid iurasses, ac ne iuramentū esse velles vinculū iniquitatis, peteremus. Nunc aūt per Dei gratiā salua res est, nihil eius generis à te iuratum est, sic enim habent verba iuramenti: Pacem & tranquillitatem inter dissidentes de religione tuebor. Quę tu proculdubiò non alio sensu protulisti, q̄, quo à Christiano Catholico & Ortodoxo Rege, pferri debuerunt. Promisisti te facturū, vt pacē inter dissidētes de religione tuereris. At qūo possis eam tueri, nisi dissidiū tollas? sicut lux nisi propulsatis tenebris existere non potest, sic & pax, nisi sublatis dissidijs conseruari nequit. Sublaturum igitur te dissidia, & omnia facturum recepisti, vt quā Christus Testamēto nobis reliquit pacē, ea possit in Regno tuo conseruari, vt idipsum dicant, idipsum sentiant, idem sapiāt oēs. In hoc igitur studium toto pectore, quod aiunt, incumbes, nec eos audies, qui tibi persuadere conātur, in dissidio pacē cōseruari posse. Lōge diuersam rōnem tuendæ pacis, ac tranquillitatis nostri maiores inierunt, cum ante centū quadraginta plus minus annos, poteri vicinū malum à dissidio Religionis metuendū esse Regno viderēt: Nō illi quod à saltatricibus istis factū est, aduersus Dñm & aduersum Christum eius, sed pro Dño, & pro Christo eius, fœdus inierunt? qñ præclara quadā Cōfœderatione in noua ciuitate Korczin facta, si quis hęreticales errores facere, vel promouere vellet (his .n. verbis vsi tum fuerunt) cōtra talē vt oēs insurgerēt, se obstrinxerūt. Pia fuit hęc & sancta Cōfœderatio, cum qua pugnat ex diametro, quod aiunt, ea quam vt iureiurādo tuo cōfirmares, à te semen adulteræ contēdebat. Deinde omniū ordinū vnanimi cōsensu fuit illa facta, & in Regni statuta relata, q̄ interposito iureiurādo sarta tecta perpetuò te cōseruaturū esse promisisti. Fuisset aūt hoc grauitatis & cōstantiæ tuæ, si solis hæreticis instantibus & vrgentibus, diuersum vel contrarium potius postea iurasses, vt ex eodē ore, quod est in prouerbio, & calidum & frigidū efflare voluisse videreris. Et vide Serenissime Rex quale sit hoc. A te contendunt, quos tuę potestati subiectos, non aūt illis te subiectū Deus esse voluit, vt etiā in his ciuitatibus & oppidis, quarū immediatus, liceat .n. mihi hoc verbo vti, es Dñs, duas ac plures etiā fides permittas? cum ipsi tñ in suis Christianā fidem non ferunt? neq; Christiano ritu more maiorū nostrorū; Christū coli patiantur? Quodq; minus tolerandū est, etiā ex tuis ciuitatibus Christū proscribant, & eius ministros ex illis nō sine quadā ignominia ejiciant. De ciuitatibus alijs exēpla proferant Pastores earum & Episcopi, sed est q̄dam in Prussia tuæ Iurisditioni in Polyticis, Cardinali aūt in Ecclesiasticis rebus subiecta, q̄ vocatur Elbinga: in ea cū partim Sclebien. partim Tygurinus, aut Geneuen. Antichristus pro Christo fuisset adoratus & annunciatus cūplures annos, multū laborauit Cardinalis, vt authoritate eius, q nuper in Christo obdormiuit Regis Sigismudi II. saltē hoc obtineret, vt ei Parochialis Ecclesia restituereturque posset tñ habere Christus vbi caput reclinaret suū. Tandē obtinuit nō sine magna difficultate. Nōdum aūt tres anni intercesserunt, cū Interegno durante, quos in ea ciuitate constituerat Cardinalis fideles Dei ministros, q purum Dei verbū annunciarēt, & ritu Catholico Sacramenta populo ministrarēt, eos Magistratus ex ea Ciuitate non sua sed M. T. lictoribus comitatos facessere iussit, ac quod erat Christo templū dicatū, Antichristo Sclebien. cōsecrauit. Fecit aūt hoc sub illud ipsum tēpus, quo cautum fuerat edicto publico, ne quis Interregno durante, tale quid patraret, quo publica quies atq; tranquillitas perturbari posset: verū illi nec diuinis nec humanis pscriptis parendum, sed suæ tantum libidini esse cēsuerūt indulgendū. Et sunt adhuc in illa ciuitate viri nō pij adeò pauci, q magna Dei verbi fame laborantes, eo refici vehemēter cuperent, quod ab illo Magistratu non pmittitur. An aūt hoc vel maximè animaduertēdum facinus nō est? quod etiam immanes Turci nō prohibēt in terris sibi subiectis, quo minus ritu Christiano Christum Christiani colāt: hoc prohibere Magistratū in ciuitate Christiani Catholici, & Ortohodoxi Regis? nec facerdotes in ea Christianos ferre velle? Supplicat M. T. Cardinalis, vt ne conniuere diutius velis in ista Christi causa, néve Christum & eius ministros è ciuitate tua proscriptos esse patiaris? sed eos electos cum dedecore, iubeas reuocari cum honore. Quod si durius aliquid in hos Christi pduelles, pro eo vt meretur eorum impietas non esse statuendū existimas, in hoc pśertim primo Regni tui ingressu, saltem vt in eum statum res reducantur, in quo fuerunt ante tres annos hos prouidere velles. Sic tibi Deum propitium es habiturus, q te vicissim omni fœlicitatis genere cumulabit, erga quem qualem tu te pstiteris, talē etiā populi tibi subiecti se prębebunt erga te, si solum illū reuerendum, solum illū tibi metuendum proposueris, futurum est, vt etiam subiecti tibi populi te reuereantur, & eam quam debent fidem subiectionemq; tibi præstent. Quod vt ita fiat, atq; vt quamplurimos annos Regnum à Deo fidei tuæ concreditum fœliciter gubernes, supplex illius misericordiam Cardinalis aliorum etiam precibus adiutus implorare nunquam intermittet. Qui si tibi serius gratulari videtur, orat, ne durius id accipere velis. Nam cum aliquot ante mensibus, gratulatus eum locum fuisset proximè defuncto Cæsari Maximiliano, non esse grauitatis, & constantiæ suæ iudicauit, vt qua se fide semel defuncto Cæsari, quē electū fuisse Poloniæ Regem cognouerat, obstrinxit, eam ita facilè, quoad ille superstes fuit, inuitaret. Posteaquàm vero DEO melius aliquid pro patria nostra prouidente, medius paries maceriæ solutus, & quo vinculo Cardinalis fuerit alligatus, eo liberatus est, quam fidem intemeratam Cæsari, quoad in viuis erat seruauit, eandem ad eundem modum pertinuò seruandam tibi nunc defert, teq; Regem & Dominum suum agnoscit, omnia sem per facturus, quæcunque ad fidelem tibi Regnig; tuo senatorem & subditum, pertinere videbuntur. Quamobrem in omnibus his, ad quæ curanda fuerit idoneus per te

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicatus, eo tanquam seruitore addictissimo fidelissimoq; quoties tibi visum fuerit, vtaris licebit, nulli eorum, quos habes tibi addictissimos fide ergate, & prompta inseruiendi in omnibus voluntate, cedat vnquam. Hoc tibi certò de illi polliceri poteris.

Stephano Regi Poloniæ. Epistola CCXLVII.

Hortatur vt Episcopos idoneos vacantibus Ecclesijs præficiat. familiam Coscelectiorum commendat, & vt Ecclesias Elbingæ restituendas curet, supplicat.

IN multis & magnis curis atque sollicitudinibus, quas in hoc suscepti sui regiminis initio V.M. sustinet, quod etiam ad religionem Catholicam diuturna licentia insolentium hominum vehementer fœdatam, pristino nitori suo restituẽdam animum adiecerit, non possum non laudare plurimum. Quid enim aliud à nobis maiore studio contendit Saluator & Redemptor noster Christus, quàm vt primum quæramus Regnũ Dei & iustitiam eius, futurum promittens, vt si serio factum hoc à nobis fuerit, etiam cætera adijciantur nobis. Quod Christi præceptum ad eos præcæteris pertineri videtur, qui cum Imperio potestateq; versantur. Qui si Regnum Dei primum sibi quærendũ persuasum habuerint, & cætera non ita magno negotio deinceps illis adijcientur, dummodo Regnum illud Cœleste, ad quod aspiramus oẽs, initio quærant: & integram atq; inuiolatam religionem à sanctis maioribus nostris per manus nobis traditam, per quam ad Regnum illud peruenitur, tuendam & conseruandam omnibus modis curent, saluum etiam erit Regnum, quod in terris possident, salua erit & Respub. salua simul erit authoritas & Maiestas Regia, q̃ non alijs in locis maius in discrimen adducitur, quam vbi Religio conuellitur, & labefactatur. Quid hoc infœlici nostro sæculo factum sit in Germania, quid in Gallia, quid in Scotia, quid in Flandria, quis est qui non videat & ingemiscat? Posteaquàm Religio violari cœpta est, posteaquàm ab eius obedientia discessum est, quem propterea vnum vniuersæ Ecclesiæ præesse Deus voluit, vt ipsius ministerio vna fides in Ecclesia vniuersa, & vna religio incontaminata seruaretur (nam in Cathedra vnitatis posuit doctrinam veritatis) an simul etiam ab eorum obedientia, q cũ ciuili potestate versantur, discessum non est? an arma parricidialia contra eos sumpta non sunt? sicut Christi vicarium & Petri legitimum successorem, de sua Cathedra deturbare, sic & eos qui cum ciuili potestate versabantur de suo quemq; solio deijcere, & eos sceptro suo spoliare conati sunt, ac sicut Papistam, sic & Cæsaristam, & Registã, aut Reginistam vocari probro ducebatur. Vtin ã Serenissime Rex, in tuum quoq; Regnum eadẽ ista contagio nõ serpat, vel q̃ iam serpsisse & irrepsisse videtur, non maiores in ea progressus faciat, quam vt facilè reprimi possit. Dum omnes Papæ, omnes Episcopi esse contendunt, omnemq; sibi potestatem nouas religiones condendi per summum scelus arrogant, etiam atq; etiam vide Serenissime Rex, ne simul & Reges esse velint oẽs. Et renunciatur hoc, quod quibusdam in terris Maiestati tuæ subiectis, sicut nouas fidiculas seorsum ab Ecclesia, sic etiã nouas leges nouasq; constitutiones seorsum à Regni corpore sibi cõdũt. fœliciter sapit, q alieno periculo sapit: quo maiore cura prouidendum Maiestati Vestræ, ne scintilla initio neglecta maius incendium pariat, quam quod restingui postea facilè queat. Est autem hæc optima prouidendi ratio, si tales pastores atq; rectores auctoritate sedis Apostolicæ, cuius hoc est proprium munus, Ecclesijs præficiendos curauerit, quales hæc nostra tempora requirere videntur, qui, quam debent sui gregis curam habeant, ab eo lupos arceant, & quo maximo possunt studio saluti eius prospiciant. Persuasum autem hoc habeo, quem nunc Sanctissimo Domino Nostro præsentandum esse duxit, quod hoc in eo potissimum spectauerit, qui quanto magis est illustri loco natus, tanto minore negotio lupos ab ouili suo propulsare, ac Deo gratiam suam impartiente, Diocœsim suam ab eorum impetu, saluam & incolumem conseruare potest. Mihi quidem cum eo notitia nulla intercedit, sed familiam eius in optimam partem cognitam habeo, quæ cum ab Ecclesia nomen ducat, nulla vnq̃ in re separari ab ea voluit, nec puto post hominum memoriam fuisse familiã vllam in patria mea, quæ se magis Ecclesiasticã esse declarauerit, & vnius S. Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ traditiones oẽs, pari studio defenderit. Noui fratres illius, Posnanien. vnum, Syradien. Palatinum alterum, & maioris Poloniæ Præfectum, siue quis spectat vitæ integritatem, siue Religionem, siue in tuenda fide Catholica magnitudinem quandam animi singularem, perpaucos his virtutibus in Regno Maiestatis Vestræ sibi pares, vix vllum superiorem habuisse videntur. Cum vtroq; mihi magna interceßit amicitia, posterioris etiam filius in schola Iesuitarum Braunspergæ per me institutus fuit educatus, egregia quadam indole præditus. Palatinus vero Posnanien. qui decessit absque liberis, dignior erat qui Regni primatum, quam qui Palatinum ageret cum esset etiam literis perpolitus, fuissetq; religio multo loco meliore in Patria mea, si Primatus dignitas ad eum delata fuisset: Et erat in vtroq; videre zelum quendam singularem priscæ religionis nostræ tuendæ & conseruandæ, qui si vixissent ad hanc ætatem vsq; nostram, minus multos ab Ecclesiæ gremio diuulsos in illa Poloniæ parte vidissemus. Bona spe sum, quod qui nunc est nominatus per Maiestatem V. non solum sanguine, verũ & moribus se germanum esse fratrẽ vtriusq; declarabit, idq; tanto maiore studio, quanto magis hæc illius ad Pastorale munus vocatio requirere hoc ab eo videtur. Quamobrẽ iudiciũ V.M. laudo, quod etiam à Sanctissimo D.N. comprobatum iri spero, mea quidem opera de futura non est, vt & mãdato M.V. satisfaciã, & illius dignitatem pro virili mea tueat: neq; enim commissurum puto, vt à fratrum suorum, vel potius

potius totius illustris suæ familiæ pietate religioneq;, in qua nullum hæreticum vnquam videre adhuc licuit, vel vnguem, quod aiunt, latum sit discessurus, quin superare potius contendet oẽs, cum ad hoc munus propriè se vocatum esse cognouerit. Verùm interea cumprimis etiam erit hoc necessarium, vt suo quoq; brachio ne desit illi M.V. néve permittat, vt in ipsius Diocœsi, præsertim in Ciuitate Posnanien. quisq; alius præter ipsum Episcopum agat, & in priuatis ædibus pro Dei verbo, diaboli verbum rudi plebeculæ venditet. Quod vtinam in omnibus etiam alijs Diocœsibus, præsertim autẽ in mea VVarmien. prouidere M.V. dignaretur, quandoquidem eo rem progressam esse videt, vt qui volunt Episcopi esse oẽs, etiam Reges velint esse omnes. Quod periculo quoq; suo iam in Prussia M.V. didicit, vbi qui iugum Episcoporum reiecerũt, etiam Regiæ M. iugum ferre non potuerunt. Permagnam ex ea re cõsolationem accepi, quod cum venissent Mariemburgum ad M.V. hœdi mei Burgimagistri Elbingen. qui per multos annos, & Regiam in ea ciuitate sibi Iurisdictionem, & Pontificiam per summũ sacrilegium arrogarunt, & nescio cuius Augustanæ confusionis mentionem feciſſent, eis mandauerit, vt ante omnia mihi vel Coadiutori meo restituerent Ecclesias, quas Interregno durante per vim occupauerant, ejectis ex ea fidelibus verbi Dei ministris, quos ex veneranda Societate Iesu ad eos miseram. Verum ea consolatio diuturna non fuit, nec enim audio quod executioni fuerit mandatum, quod ab illa sanctè pieq; fuit imperatum, quamobrem ad horam tãtum exultaui. Supplex à M.V. peto, vt quam ex hoc nouo lætitiam perceperam, eam perpetuam atq; diuturnam esse velit. Nam cum sparsissem id apud oẽs, quin & ipsi Sanctissimo D. Nostro renunciasse, magnam ex hac tanta pietate religioneq; M.V. voluptatem perceperunt, & eam in cœlum vsq; laudibus tulerunt omnes. Quo maiore studio iterum atq; iterum V.M. supplico, det operã, ne vanus fuisse videar, & quod sanctè mandauit, id exequi primo quoq; tempore iubeat, sic futurum est, vt cum primum Dei Regnũ quæsuerit, & cætera illi adijciantur. Modò Deum habeat placatum, nihil est quòd à diabolo sibi metuat, quem ne offendat, quanto magis caueri, tanto minus prosperos cogitationum consiliorumq; suorum progressus est habitura. Iterum atq; iterum maiorem in modum peto, quandoquidẽ scit, illud quod spoliatus, ante omnia restitui debet, restitui mihi primo quoq; tempore iubeat Ecclesias per summũ sacrilegium p hędos meos ereptas, ita futurum est, vt omni genere fœlicitatis M.V. Deus cumulet, qui si fuerit pro nobis, quis contra nos? Fremant oẽs licet inferorum portæ, modò propitium illum habeamus, non præualebunt. Opto M.V. &c. Datum Romæ, VIII. Martij 1577.

Alberto Archiduci Austriæ S.R.E. Cardinali Epist. CCXLVIII.

Gratulatur illi Cardinalitiam dignitatem.

DIgnitatem hanc, qua recens auctus es, cum in Amplissimum nostrũ Cardinalitũ collegiũ cooptareris, tibi ne potissimum, an ordini nostro, an Ecclesiæ gratularer vniuersæ, hęsitabã aliquandiu, sed quid impedit, quo minus vniuersis id gratulier, ex quo maximũ ad vniuersos & singulos fructũ redundaturum, certã in Dño fiduciã collocamus. Quis. n. est, q dubitare queat, perhonorificũ id tibi accidisse, quod in hac florenti adhuc ętate tua, ad hoc honoris fastigiũ es vocatus, & quidem ab eo vocatu, vnanimi amplissimorũ Patrum omnium suffragio, q prudẽtissimus & iustissimus est vnius cuiusq; meritorum æstimator. Ordini vero nostro qd ad summã gloriã accidere potuit amplius? q̃ quod maximorum Imperatorum filius, frater, nepos, pronepos, abnepos, in eum diuini tus es adscitus? Porrò ad Ecclesiæ dignitatem tuendã & amplificandã, ad Catholicã & Orthodoxã fidem Illustrandã & propagandã, ad hæreticorum perfidiã arcendã, & eorum impios conatus infringendos, q mysticum Christi corpus Ecclesiam, quam ille sanguine suo collegit, propter eam potissimum causam mori dignatus, vt filios Israël, q erant dispersi cõgregaret in vnum, dispergere nunc, & in minutissimas partes dissecare conatur, quæ res maius adferre potuit adiumentum, quam quod in eum ordinem, quo fulciri creditur Ecclesia, tu singulari quodam Dei beneficio vocatus es, columna illius, sicut cæteris excelsior, ita lõgè fortissima futurus, cum quotquot sunt in orbe toto Christiano Reges & Principes, eos arctissima tibi propinquitate coniunctos habeas, certam vt spem concipiamus, si vnquam antea, nunc aduersus eam Petram, super quam ædificata est Ecclesia, portas inferi nequaq̃ esse prævalituras. Quam spem nostram & fiduciam vt confirmet Deus, vt augeat indies in te dona sua, vt progressu temporis eam tibi gratiam impartiat, quo & voluntate promptus & facultate paratus esse queas, ad expectationẽ de te nostram sustinendam, quin etiam superandam, supplices Maiestatẽ illius implorare nunq̃ intermittemus. Ex ea familia prognatus es, qua nulla est in terris illustrior, nec vlla fuit in vera pietate colenda p̃stantior, ex eius matris vtero prodijsti, q̃ cum sit vna omniũ fœmina lectissima, talem se p̃stat, vt singularem illius religionem, & eximiam vitæ sanctitatem in cœlũ vsq; laudibus ferant omnes. Quanto maior est igitur de te omniũ expectatio, tanto minus cõmittes, vt cum ætate, pgressus fueris, ei nõ respõdisse videaris, tanto maiore cura in id studium incumbes, nullos vt labores, nullas molestias, nulla pericula defugias, etiam si vita cum sanguine tibi foret profundenda, pro Christi & capitis & corporis nomine, nõ modò fugiendum, verum etiam dulce & cumprimis expetendum esse iudicabis, cum eius rei te ruber galerus admoneat, qui tibi propterea gestandus in capite, ab Ecclesiæ capite mittitur, cuius rei memoriam ex animo tuo nunquam elabi patieris, vt quoties ad aliquod eiusmodi discrimen vocatus fueris, cum Sancto illo Rege & Propheta dicere possis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sis: Paratum cor meum, paratum cor meum Deus, qui proculdubio piorum conatuum tuorum, quem pij cupiunt omnes, progressum & exitum largietur, ac ad quos uis Ecclesiæ suæ salute atq; tranquillitate labores subeundos, eas tibi vires suppeditabit, quibus inimici Crucis Christi resistere nequeant. Sempiternam ea re nomini tuo gloriam comparabis, & cum ex istius corporis diuersorio cœlestem illam in Domum te migrare Deus iusserit, ea præmia consequeris, q̃ promisit se diligentibus, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Vale. Datum Romæ, X. Martij. Anno M. D. LXXVII.

Petro Myskovvskij Episcopo Cracouiensi. Epistola CCXLIX.

Gratulatur illi, quòd translatus sit ad Ecclesiam Cracou. & hortatur, vt quanta ad dignitatem & opes facta est, tanta etiam ad curam eius gregis, quem pascendum suscepit, fiat accessio.

COllocauerat D. Vest. Deus in loco pascuæ, in quo plus quietis & otij minus erat laboris & molestiæ, sed quoniam scriptum est, Qui non laborat non manducet, in hac affecta ætate sua, noluit vt ita manducaret, vt simul etiam non laboraret, quod hocillius saluti magis expedire iudicaret. Itaq; transtulit eam in terram laboris, terram curarum & sollicitudinis plenam, quo maiorem haberet occasionem, diuinam gratiam vberiorem sibi demerendi. Quo nomine plurimũ D. V. gratulor, est enim hoc abundãtioris cuiusdam Dei gratiæ signum, quod non vult, vt otiosa panem suum commedat, sed vt laborando, non solum ista caduca & momentanea, verum etiam sempiterna præmia consequatur. Neq; minus Ecclesiæ Cracouiensi gratulor, cui præesse, & prodesse D. Vest. Deus voluit, cui plus etiam debet, q̃ vlli alteri, quandoquidem in ea Diœcesi nata est, & à puero educata, quo maiore cura suarum ouium saluti prospicere conabitur, cum & ipsa ex earũ ouium numero fuerit aliquando, & habeat inter eas multas arctissima sibi sanguinis successitudine coniunctas, inter quas vtinam non essent etiam hœdi aliqui, ex quibus, vt factas oues audiamus, ad S. Apostolorum & Martyrum sepulchra prouoluti, Deum supplices precari nunq̃ intermittemus: quem ad exaudiendas preces nostras, promptum & paratũ fore certò nobis persuademus, dummodo meminisse velit, se magnos ad labores, curas, & vigilias esse vocatam, & huic vocationi suæ satisfacere conetur. Dedit illi Deus præclara quædam talenta, quæ fuerunt etiam enumerata per me, cum in Amplissimo Cardinalium Collegio, quo tempore de transferenda illa ad Ecclesiam Cracouiẽsem deliberatio suscipiebatur, loco meo sententiam rogatus dicebam: Nam siue quis generis claritatẽ spectet, siue doctrinam, siue prudentiam, & magnum rerum vsum, siue lenitatem, & affabilitatem, siue in rebus tradendis dexteritatem, siue linguæ donum, dicendiq; facultatẽ, siue quæcũq; tandem alia, quæ spectant ad hoc officium, quod gerit D. V. sic ea liberaliter effudit in illã, vt paucos, qui cum ea conferri, vix quenq̃ habeat, qui possit illi anteferri. Quo magis de tali Episcopo non tam D. V. quàm ipsi patriæ meæ gratulor, in cuius salutẽ, quietem, actrãquillitatem, quin oẽs curas, cogitationesq; suas sit collatura minimè dubito, certaq; sum spe & fiducia, quos illius causa labores & vigilias suscipiet, quod eorũ prosperos exitus Deus largietur: modò manum admoueat, non deerit illi rogatus manum admouenti. Sed certè quomodo proximis superioribus annis res fuit acta, nihil miror, si cõmunem patriam nostram, Patriam autem voco Diœcesim, in qua natus est vterq; nostrum, & in qua prima fidei Christianæ rudimenta sumus edocti melioribus illis temporibus, quando terra erat vnius labij, & eorundem sermonum, quando multitudinis credentium fuit cor vnum, & anima vna, quando pastorem vnum & vnum ouile agnoscebant oẽs, nihil miror, inquam, si patriam nostram, in tot sectas mirabiliter & miserabiliter inter se dissectas, magno cum animorũ nostrorum cruciatu dissectã, & in minutas admodũ partes cõcisam videmus. Magis adeò miror, quòd aliquæ tñ adhuc sunt in ea Christianorũ reliquiæ: cùm non ferè fuerit, qui curam ouiũ gereret, seq; pastorem esse, sibiq; munus pastoris incumbere, meminisse vellet. Nũc ego Dei fretus misericordia, meliora spero omnia, quãdoquidẽ non ita longè tempus illud abest, quo talẽtorum nobis creditorũ rationem Deus est à nobis exacturus, quòd ita se geret in hoc suo munere, vt officio suo fideliter functa, mereatur optatã illam vocẽ audire: Euge serue bone & fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituã, intra in gaudium Dñi tui. Magnus est labor, qui manet D. V. periculosæ plenum opus aleæ, sed magno labori, maior est etiam posita merces, quàm vt quisq̃ illius magnitudinem & copiã, non dicam verbis exprimere, verum etiã cogitatione consequi possit, vt quoties mercedis huius animum subibit recordatio, non labor sed voluptas existimari debeat, quicquid in id studiũ laboris impendetur. Primam aũt curam esse D. V. vellẽ, ne seorsum Antichristus, in vno aliquo delubro, præsertim in ea quæ Regni caput est Ciuitate Cracouiẽ seorsum in templis Deo conseeratis Christus coleretur, vt illa Sathanæ Synagoga, proximis superioribus annis per ministros eius exædificata, si minus radicitus extirparetur, & solo æquaretur, saltem in eum statum, in quo fuit antea, rediret. Cum primis hoc fore difficile dicet & arduum: Est ita, sed nihil est præclarum, quod non idem sit difficile, nec ea res retardare debet fidelem gregis Dominici pastorem, si multum difficultatis & laboris in gregis sui salute procuranda suscipiendum est, cum præsertim illum adiutorem habeat, quem apud Prophetam dixisse legimus: Ne timeas, quia ego tecum sum, ne timeas quia ego DEVS tuus, ecce confundentur & erubescen

omnes

omnes aduersantes tibi, & erunt quasi non sint. Modò virum se præbeat, & fortiter pro Christi causa pugnet, non est illi diuinum auxilium defuturum. Nec autem hoc à me contenditur, vt armis rem aggrediaris, & vim aliquam inuitis adferas, quod munus ad Reges potius quam ad Episcopos spectare videtur: verum vt quæ tibi Deus talenta dedit, ea rectè dispenses, & eis vtaris ad salutem ouium fidei tuæ concreditarum. Imprimis autem eorum, qui sum potestate versantur, inter quos principem locum Palatinus Cracouien. obtinere videtur, quem si Christo lucratus fueris, qua in re summum tibi studium ponendum erit, nullo negotio persuaderi poterit alijs, vt illius exemplo ad Christum redeant: & relictis tot Antichristis, quos indies plures emergere videmus, ad eum, quem falsa quadã persuasione decepti, magno cum animæ suæ detrimento deseruerunt, Christum, qui Deus Patrum nostrorum est, reuertantur: & cum solum Deum agnoscant, & in templis illi soli dicatis, cum reliquo piorum cœtu reuerenter eum colant, & iuxta morem à Patribus nostris traditum, non iam alio quam Christianorum nomine censeamur oẽs. Dicitur is cũ ab Henrico Rege Palatinus designatus fuisset fidem illi suam obstrinxisse, quod paulatim esset eo rediturus vnde discesserat & relictis Idolis quę coleret, ad nostrũ Patrumq; nostrorum Deum reuersurus, dũmodo moræ nõnihil ei concederetur: id si verum est, eo minus habiturus es negotij in persuadendo quod volumus. Et adiungere tibi socium poteris fratrẽ eius Curiæ Marschalcum, qui posteaq̃ semel ex Antichristi castris, in quibus puer fuerat educatus, ad Petri Cathedram se contulit, & in ea docentẽ Christum constanter audire maluit, nec in hunc vsq; diem vt ab ea deficeret vllis rationibus adduci potuit, proculdubiò fidelem & vtilem operã tibi præstabit. Nec deerit etiam ipsius Serenis. Regis authoritas, à quo vocem hanc auditam fuisse, mihi renunciatum est, quod Palatinũ hunc suum, quem propter summã fidem & studium erga se plurimi facit, efficere vellet Christianũ. Et certè nullo posset eũ afficere beneficio maiore, quàm si, quod verbo promisisse dicitur, id re præstaret: nã & illius animæ saluti, ipsi ceret, & suo nomini gloriã pararet sempiternã. Fertur is in D. V. suauiter effusus esse, quo libentius facturus est, vt salubribus illius consilijs aurẽ accommodet, nam quos amamus, monitis eorũ libentius paremus, quæso vt in curã hanc soto pectore, quod aiunt, incumbat, opto te bene valere. Datum Romæ 8 Iulij. 1577.

Stephano Regi Poloniæ. Epistola CCL.

Gratulatur illi, quòd apertè Christum confiteatur, quòd hæretici cuiusdam ineptias prudentissimè refutauit, & de Iuramento in Confœderationem facto instruit, & quod post Lutheri doctrinam facti sunt homines Sodomitis peiores.

ALlatum fuit huc, de sermone, quem habuit M. V. cum quodã ex his, qui nequid habere cõmune cum Christo videantur, Euangelici quam Christiani dici malunt: quod genus hominum Esaias Propheta viros illusores vocat. Hoc ego scriptum cum legissem, credibile non est, quanto fuerim studio videndæ V. M. inflammatus, vt me tenere non possem, quin exclamarem cum illo Sancto Rege & Propheta. Quis mihi dabit pennas sicut columbæ & volabo? Nisi quod ego non sicut columbæ, sed sicut aquilæ pennas, cuius velocitatem in scripturis prædicari memini, dari mihi cupiebam: vsq; adeò mihi fuit omnis mora longa, qua non aduolarem ad M. V. qua tam Christianum illius pectus non exoscularer: qua tantum animi robur, in Christi fide contra Christi perduelles tuenda & conseruanda, non illi gratularer. Hoc sibi certò persuadere potest M. Vest. quod si per ingraescentem hanc meam ætatem, & imbecilles vires licuisset, nihil fecissem libentius & ardentius, quam vt in viam primo quoque tempore me darem, ac ad vultum illius contemplandum semota quauis cunctatione me conferrem. Quo magis enim mihi desideratum hoc accidit, vt V. M. tam apertè Christum confiteretur, etiam eo tempore quo contra Christi suosq; rebelles multorum eiusdem generis hominum opera vti necesse habebat, hoc maiore illius exarsi desiderio, propter tam fortem, & imperterritum animum: quod nulla vsa circuitione publicè testata est, se non nisi vnum Deum, & eum Patrum nostrorum Deum agnoscere: solum illum in Regno terrisq; sibi subiectis coli, nec in societatem eius vllũ Belial admittere velle. Quid. n. aliud postulabat illusor ille, quã quod eiusdem generis homines apud Esaiam Prophetam fecisse legimus, vt fœdus cum morte, vt pactum cum inferno faceret, vt in eodem templo Christum & Belial adorare liceret? Sed ei præclarè M. V. si non ijsdẽ quæ legimus apud Esaiam verbis, in eandem tamen sententiam respondit: Coangustatũ est stratum, ita vt alter decidat, & palliũ breue vtrunq; operire non potest. Vnus lectulus Christũ & adulterũ capere nequit, palliũ breue maritum & mœchũ cooperire non potest, decidat alter oportet: Nõ põt in eodem tẽplo coli Christus & Antichristus, siue sit Islebien. siue Geneuen. siue Tygurinus, siue quicũq; tandẽ alius Antichristus. Nã si vnq̃ alias tũ hoc tempore dici rectè potest, quod nunc Antichristi multi facti sunt. Non dissimiliter magnus etiam ille Propheta Christi præcursor, Vsquequo claudicatis inquit, in duas partes? Si Dominus & Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Nec enim vlla ratione fieri potest, vt in eodem templo Christus & Belial adoretur. Nolite iugum ducere cum infidelibus, monet Paulus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio CHRISTI ad Belial? quæ pars fideli cum infideli? qui consensus templo Dei cum idolis? Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non potestis Domini mensæ esse participes & mensæ Dæmoniorum. Quin & ipsa dixit veritas? Non potestis Deo seruire & mammonæ. Mammonæ verò seruit quisquis, alium Deum præter vnum Christum colit: Etiam in tabulis

digito

Universidad de Deusto
Biblioteca

digito Dei scriptis præcepit Deus, Non habebis Deos alienos coram me, sunt autem alieni Dij, quos ignorauerunt Patres nostri, quos in societatem suam admitti non vult Dominus Deus noster: qui cum sit zelotes, nō modo non præferri, sed nec æquari sibi quenquam in cultu suo patitur. An autem permittunt illusores isti, in quibus locis cum aliqua potestate versantur, posteaquàm semel in eis Antichristus receptus est, vt habeat ibi Christus vbi caput suum reclinet? An periculum non fecit Maiestas Vestra, superioribus mensibus? an ab hœdis meis Elbingensibus non postulauit, vt saltem in his Ecclesijs, quæ sunt Iurispatronatus Vestræ Maiestatis, coli Christum, & eius Euangelium prædicari permitterent? Num obtinuit? Et quod isti non ferunt subditi, non iam dicam in suis, verum in ipsius Maiest. Vest. Ciuitatibus, hoc volunt, vt Vestra Maiestas in his ferat quæ sunt ipsius propria? Potéstne quicquam cogitari magis absurdum? Sed iurasti, aiunt, nobis Euangelicis, hoc enim sibi nomen per summam impudentiam arrogant, Demus hoc: An autem iniquitatis vinculum debet esse iuramentum? cum à sancto quodam Patre, piè sanctéq; scriptum sit: In malis promissis rescinde fidem: In turpi voto muta decretum: quod incautè vouisti ne facias. Impia est promissio quæ scelere adimpletur. Scilicet, impium illum Herodem imitaberis potius? qui, quod sceleste iurauit, maiore cum scelere executioni mandauit, vt quo nullus inter natos mulierum Propheta maior surrexit Ioannis Baptistæ, caput faceret amputari? quàm pium & sanctum Regem Dauid, qui cum & ipse parum caute iurasset, quod esset occisurus Nabal, nec in eius domo, mingentem quenquam ad parietem relicturus, quod parum piè iurauit, magna cum laude pietatis non præstitit. Verùm expendamus quale fuerit, quod obijcitur tibi iurisiurandum. Iurasti, aiunt, Inter in religione dissidentes, pacem & tranquillitatem seruabo, & manu tenebo. Quid autem à te melius responderi potuit, quam quod responsum esse dicitur, seruare iuraui tranquillitatem, non oppugnare, quod autem à te petitur est oppugnare, non seruare, & manu tenere tranquillitatem. Quoties ego, pientissime Rex, quæ tibi erat oblata iuramenti formula, diligentius eam excutio, magis indies in ea sententia confirmor, & violati iusiurandi, te reum fore persuasum haberem, si quod sceleratè à te petitum est, faciendum esse putares. Nec enim alienum à Rege Christiano quicquam fecisti, cum iuxta præscriptam formulam iurasti. Quid enim aliud maiore studio Deus, quàm pacem & tranquillitatem in Euangelio suo nobis commendauit? Potest autem vbi dissidium est, ibi pax atque tranquillitas conseruari? Si potest apparere lux non propulsatis prius tenebris, potest etiam existere pax, non sublato dissidio. Nihil itaq; iuratum est aliud à te, quàm quod esses dissidium religionis omne sublaturus, & quæ fuit in Regno tuo pax atq; tranquillitas, quoad ille Rex Sigismundus primus ad eius gubernacula sedebat, eam esses restituturus, vt esset vna fides, vnum baptisma, esset multitudinis credentium cor vnum, & anima vna: Deus vnus ab omnibus eodem ritu coleretur: Pastor vnus aspectabilis agnosceretur: & esset vnum ouile, ne sibi potestatem hanc quisquam auderet arrogare, vt quæ prohibita sunt Regni statutis, in quæ iurasti, seorsum à Maiestate tua conuenticula faceret, atque alium præterquàm Patrum nostrorum Deum in templis illi dicatis more maiorum nostrorum coleret. An autem hoc expresso illi verbo Dei consentaneum non est? Audi populus meus, & contestabor te, Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum, ego enim sum Dominus Deus tuus. Non recentes & alienos Deos quos ignorauerunt Patres nostri, sed se solum & vnum Deum, quem iam inde à Sexcentis & amplius annis coluerunt Patres nostri, Deus adorari vult: Recentes & alieni Dij sunt Pientissime Rex, quos vt in Regno tuo coli patiaris, illusores isti viri, tantis clamoribus à te contendũt, quos vt admittas in societatem Dei Patrum nostrorum, qui zelotes est, quę tua pietas est & religio, facies nunquam, esses enim violati iusiurandi reus, si tam graue scelus patrares. Cùm præsertim certum hoc sit & indubitatum, non aliud propositum tibi fuisse, cum iuxta præscriptã formulam iurares, quam vt oẽs ex Regno tuo procul hęreses exterminares. Quid ei dato iureiurando promiseris, per quem capiti tuo Regni Corona fuit imposita, tenes procul dubiò memoria: sed nec illud oblitus es, quo sacramento fidẽ tuam obstrinxeris, quod esses Regni constitutiones inuiolatas seruaturus, at in his ne qua fierent, eius generis conuenticula, qualia nunc isti petunt, néve quas hæreses impunè profiteri liceret, piè religioseq; sancitum est. An autem tu pugnantia iurares? an ex eodem ore calidum & frigidum efflares? an aliud stans, aliud sedens promitteres? non cadit hoc in istam tuam testatam omnibus pietatem, grauitatem, constantiam. Nihil itaque tale tibi propositum fuit, cũ hac vtereris formula iuramenti, quale nunc isti exigunt à te. Et est hoc etiam sacris Canonibus cautum, quod iuramenta secundum intentionem præstantis, nō autem recipientis à Deo iudicantur. Si quid igitur aliud ab istis illusoribus iuris cogitatum est, qui te aliqua arte verborum circumueniendum esse putauerunt, vt quem ipsi vellent, eorum sensum adferre possent, quid aliud dicemus? quam quod parturiuerunt iniustitiam, conceperunt dolorem, pepererunt iniquitatem: lacum apperuerunt, effoderunt eum & inciderunt in foueam, quam fecerunt. Conuersus est dolor eorum in capite eorũ, & in verticem eorum iniquitas ipsorum descendit, haud aliter, quã si quis in altũ lapidẽ, iactet, nec satis in iaciendo sit cautus, lapis vertatur in caput eius, suoq; vulnere vulneretur, in laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum. Et euenit illud quod in alio psalmo legimus, Laqueum parauerunt, pedibus meis, & ineuruauerunt animam meam, foderunt ante faciem meam foueam & inciderunt in eam. Reuerà inciderunt in foueam, quam ante faciem tuam foderunt, & in laqueum, quem pedibus tuis parauerũt. Nam his ipsis verbis, quibus te comprehensum iri putauerunt, ipsimet capti sunt, & comprehensi: & quæ tibi statuenda forent, contra viros istos illusores publicæq; pacis perturbatores te docuerunt. Nimirum, vt eos dissipares, qui bella, qui dissidia volunt, q præcisionem à Christi corpore Ecclesia quærunt, qui seorsum ab illa recentes & alienos Deos adorandi potestatem sibi concedi postulant, vt aduersos eos, quæ patrijs legibus pœnæ constituta; sunt, eas exequaris: quod vt facias, exigit à te Deus ipse, qui propterea voluit vnum te tot Myriadibus hominum in Regno præesse, vt seruares vnitatem spiritus in vinculo pacis, hoc à te supplices queq; precantur omnes pij, quotquot in fidem potestatemq; tuam se contulerunt. Cæterùm quod aiebat illusor iste, ante quadraginta annos concessum hoc fuisse, vt seorsum à Rege & ab omni populo Christiano conuenticula facere liceret ijs, qui Deos alienos adorare vellent, rectè eũ arguisti mendacij. Nã ne triginta anni adhuc intercesserunt, cum ex diuersorio sui corporis pientissimus ille Rex Sigismundus primus, cœlestem illam in domum migrauit, quo superstite, quin & aliquot annis post migrationem eius, tale nihil fuisse licitum, testatius est omnibus, quàm vt ire quisquã inficias possit. Fuit sub illo Rege corpus vnum, & vnus spiritus, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium, & quoad illius, vel vmbra supererat, in Episcoporum potestate fuerũt omnia templa, nec sibi quisquam in illis vllam iurisdictionem arrogabat. Quod autem de priuilegio iactatur, per filium & successorem eius quibusdam concesso, prudenter admodum abs te factum est, quod illud exhiberi tibi postulasti. Nam certum est & indubitatum, quod Regia manu subscriptum exhibebunt nunquam. Ante decem plus minus annos, iactabant hœdi quoq; mei Elbingenſi. tale quiddam à defuncto Rege sibi datum esse, verum vt aliquod illius manu subscriptum diploma producerent, nunquam ab illis potuit obtineri, quod protulissent proculdubiò, si reperire potuissent. Multum de templis restituendis, deq; Iesuitis in illam ciuitatem recipiendis, mihi cum illis fuit negotij, quæ restituere tandem coacti fuerunt, quamuis ante quatuor annos Interregno durante per summum nefas eos iterum expulerunt: expostulaueram cum defuncto Rege, quod eis tale priuilegium concessisset, qui datis ad me literis manuq; sua subscriptis (quas etiã V. Maiestati mitto) se tale quid illis indulsisse constanter negauit. Has ego literas hœdis meis ostendi, nec tamen, vt ipsi quoq; suas ostenderent, vnquam obtinere potui. Quo libentius in eam sententiam discedo, in qua Maiestatem Vestram esse video, quod indignum adeo facinus Rex defunctus, quem Christianum, Catholicum, & Orthodoxum fuisse constat, vt patraret, sciens adduci nunquam potuisset. Prudenter autem admodum coniecit M. V. perperam tale quid impetrari potuisse. Nam posteaquàm ciuitates in Prussia cum inferno pactum fecerunt, certum est & indubitatum, quod pluris illis constitit qualis qualis hęc approbatio vel promissio potius, tam detestandi sceleris, quàm facilè quisquam credere possit. Quod meo quoq; periculo didici. Nam quo tempore plurimum apud hœdos meos, de restituenda religione Christiana, deq; propulsandis Dijs istis alienis laborabam, multo minus in his, quæ petebam obtinendis, habuissem negotij, nisi grandi pecunia fuissem oppugnatus. Et verissimum illud esse comperi, quod auro loquente, nihil quæuis pollet oratio. An autem cum Propheta rectè dicere non possumus? Stupor & mirabilia? Cœlum olim pecunia comparabatur, nunc inferorum supplicia multo pluris emuntur. Sed nec in Patriæ defensionem ferè quicquam confertur, nisi prius qui se diabolo mancipare volunt, eius rei libera potestas illis permittatur. Eo statu nunc sunt res, quod nisi magis hæc essent omnibus manifesta, quam vt quisq; dubitare queat, ego Maiestati Vestræ scribere non auderem. Quanq; & ex eo magis hoc perspicuum esse potest, quod in fuit Comitijs postea constitutum, vt ne quod pondus haberent vllæ literæ, quæ non fuissent manu Regia subscripta, præsertim si quid indultum, vel concessum in eis esset, vel hoc solo Comitiorum decreto nixa, rectè Maiestas Vestra cassa & irrita, pronunciare potest omnia, quæ proximis superioribus Regijs diplomatibus hæreticis indulta fuerunt, quæ si forẽt etiam Regia manu subscripta, deq; voluntate Regis concessa? tamen quandoquidem & impia sunt, & pugnant cum patrijs legibus, in quas iurasti, nullum prorsus robur habere debent. Est enim illud longè verissimum, quod à M. V. dictum est, quæ sunt eius generis diplomata, nõ ea tantum habere firmitatis, vt prisęis etiam parochialium Ecclesiarum erectionis literis præiudicare, vel earum robori quicquam detrahere possint, vt interim illud silentio præteream, quod Christianus, Catholicus, & Orthodoxus Rex talia concedendi, potestatem sibi summat nullam. Quod autem ille contendebat posteriora derogare prioribus, quid ex eo colligere volebat? Abominandæ Trideistarum, Anabaptistarum hæreses posteriores sunt ea, quàm amplexus est illusor iste, num autem ipse propterea cõcesserit? vt plus authoritatis habeant, & aliquid suæ sectæ detraxerit. Iam illud impudens est mendacium, quod aliqua fuerit vnquam inter Lutheristas, Caluinistas, & Suencfeldistas inita concordia, quamuis enim vt ea posset iniri, magno studio fuerit à Caluinistis laboratũ, tñ eos nec colloquio suo dignati vnquam fuerunt Lutheristæ. Vix autem vnus atq; alter annus intercessit, quod in suis terris Princeps Elector Saxoniæ, non solum interdixit Sacramentarijs omnibus, & aqua, & igni, verum etiam de quibusdam (inter quos dicitur etiam fuisse gener Philippi Melanchthonis) capitis supplicium sumpsit. Quin & hoc ipso tempore, quid in Palatinorum Rheni terris agatur, non ignorat opinor Maiestas Vestra. Qui proximo superiore anno, ex hac vita migrauit. Princeps Elector duos filios reliquit, quorum vnus natu maior, qui patri successit, Lutheristas: minor qui tot, & tantas Regno Galliæ calamitates intulit, Caluinistas tuetur atq; defendit, & neuter alteros in sua ditione ferre potest. Et scitum est illud Philippi Melanchtonis dictũ, Sceptro Magistratus, non stylo persequendos esse Caluinistas, quos vulgò Sacramentarios vocant. Quod eius consilium etiam Elector Saxoniæ nuper est sequutus, edito in genorum ipsius exemplo, qui tamen à socri doctrina non abhorruit. Sed quorsum attinet longius exempla petere? Est in conspectu Vestræ

Iuramentum non est iniquitatis vinculum.

Iuramenta secundũ intentionem iurantis à Deo recipiuntur.

Regiæ Maiestatis Regiomantana ciuitas, qui fuerit & nunc etiam sit in ea status religionis, ignorare non potest, multis & varijs in eo fidibus per hos annos aliquot lusum est, & cum Sigismundus Augustus Regni Comitia Lublini edixisset, venit ad ea, qui nunc etiam est superstes in Prussia Dux. Quibus aut contentionibus actum non est per eius consiliarios? vt ex omni ditione Ducis illius omnes pellerentur Sacramentarij? concessumq; illis fuit, quod petebant, quin & executioni mandatum est, quod erat in Comitijs decretum: nam cum alij nonnulli, tum Comitij fratres, qui fuerunt ex non postrema nobilitate, quos etiam in aula Vest. Regiæ Maiestatis, proculdubio norunt multi, solum vertere sunt coacti. Quale fuit autem hoc spectaculum? In Senatu Regio, modo non principem locum in illis ipsis Comitijs Caluinistæ obtinebant, & ex vassalli ditione Comitiorum decreto pellebantur. Verum hæc vetustiora videri possunt, cum octo iam anni intercesserunt. Alter iam annus agi videtur, quod vocatus fuit Heshusius, vt esset eius ciuitatis Aposcopus, qualem se gesserit erga Sacramentarios in illa ciuitate, proculdubiò nouit melius Maiestas Vestra. Quoniam verò Magistratus etiam ipse ciuitatis in Caluinismum inclinare fertur, tam imperiosum. Aposcopum ferre diutius non potuisse, & non tam Ducis authoritate, quæ nulla est, quam consiliariorum eius decreto proscriptus, & ex ea pulsus esse dicitur. Habet iam Vestra Maiestas, qualis inter istos inita sit concordia. Mirarer equidem istorum tam impudens mendacium, sed cum has eorum voces apud Esaiam Prophetam, lego: Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus, mirari desino, quandoquidem ex eo patre prognati sunt, de quo dixit veritas, quod est mendax & pater eius, non pudet hos homines vllius vanitatis, vt etiam lucem tenebras, tenebras lucem, dissidium pacem esse, non dubitent affirmare. Et interea volunt Euangelici vocari, cum quantum distat ortus ab occidente, tam longe ac longius etiam facti sint ab ea veritate, ab ea vita doctrina, quam docet Euangelium, vt si quis eorum doctrinæ nomen hoc tribuere vellit, id haud aliaratione facere possit, quam qua lætum lethum, bellum bellum dicimus, cum vtrunq; minimè lætum, vtrumq; minimè sit bellum. Scripsit superioribus annis vir quidam pius, cui nomen Naso est, Centurias aliquot, de Veritatibus Euangelicis, in quibus ex proprijs eorum testimonijs, quicquid ab ipsis profertur, id purum putum esse mendacium, claris argumentis demonstrat, quem librum habet opinor apud se Dominus Palatinus Sendomitienfis Kostka, vulgari germanica lingua scriptum, & eum Vest. Maiestati si quando visum fuerit, exhibebit. Quem ego Regni Senatorem, vel hoc nomine feci semper plurimi, quod eum Christianam fidem, quam à maioribus nostris nobis traditam accepimus, constanter tueri video, & illius cura & sollicitudine factum esse persuasum habeo, ne quid eorum quæ petebant Mariebergenses, vel etiam Dersauienses, qui bus ipse nomine Maiestatis Vestræ præest, impetrarent, & quòd adhuc reliquæ sunt in vtroq; oppido Christianæ fidei reliquiæ. Qui mihi certè dignus videtur, quem Vestra Maiestas cum alijs de causis, tum vel hoc solo nomine, gratia quadam vberiore prosequatur, cum præsertim etiam coniugem habere dicatur, fœminam lectissimam & insigni quadam pietate præditam. Verum his de rebus hæc dicta sufficiant. Sed videat M. V. quantum sit istorum hominum in Christum Deum nostrum odium, quem cum apertè blasphemare non audeant, apud verè Christianum & Orthodoxum Regem, quod hoc eius aures nequaquam laturas esse intelligunt, in sanctissimam eius genitricem, bilem suam omnem effundunt, quem illi sancta mater Ecclesia tribuit honorem, eum detractum omnem cupiunt. Offendit illos, quod Porta cœli, quod spes nostra, vocatur. Quasi verò non hæc verissimè tribuantur illi, quæ peperit eum nobis, quem in Euangelio dixisse legimus, Ego sum ostium, peperit nobis eum, qui totius mundi spes est, per quem solum nos in illud ingressuros, certò confidimus. At quam piè respondit illi Maiestas Vestra, quod nulla possunt illi tot elogia tribui, quin multo pluribus digna sit, cum eam pro dignitate laudare possit nemo. Et est affectus in matrem, pietas in filium, quandoquidem in matre filium, & matrem ob filium veneramur, vt omnis honos matri præstitus, in ipsum redundet filium, & quod illi detrahitur, filio detrahi videatur. Est autem hoc viris illusoribus istis non inusitatum, cum rationibus nihil se proficere vident, vt in maledicta prorumpant: cumq; non habeant quod in causa suæ diuisionis defendant, hominum crimina colligant, eorum præsertim, qui principem in Ecclesia locum tenent, & paucis veris admiscentes falsa plurima, in id studium toto pectore quod aiunt, incumbant, vt eos in odium & contemptum adducere queant. Hoc ab isto factum quoq; esse dicitur, qui cum superari se tuis argumentis videret, nec quod ad ea responderi posset, haberet, Leonem Pontificem conuitijs insectari cœpit. Quam autem pium & præclarum responsum à te tulit? non esse muneri Pontificio propterea detrahendum, si quis longius est à sanctitate Petri remotus: in Cathedra Petri quandoq; sedeat, suum esse Cathedræ nihilominus honorem habendum. Tale quid etiam à sancto quodam Patre, ante mille ducentos annos scriptum fuisse legimus, qui cum quendam sibi obijcientem fixisset. Sed longè à dignitate tu Apostolorum abes? Respondet. Fateor, nec vnquam negabo, non solum illis, sed nec vmbra eorum esse me dignum, sed tamen si nostrum officium vos conseruabitis, nullam inde iacturam facietis, imò magnam etiam vtilitatem consequemini. Nam cum vel erga indignos magna sitis affecti charitate, cum singularem præstetis illis obedientiam, maiora tunc præmia, maiorq; vobis retributio debetur. Non enim nostra prædicamus, quoniam est nobis doctor in cœlis, sed quæ recepimus, ea tradimus. Non dubitauit S. hic pater dicere, quod maiora præmia, maioresq; retributiones debentur his, qui, quam debent obedientiam, etiam illis præstant, qui minus digni sunt, ob hoc tantum, quia pro Christo legatione funguntur, in quo solo suæ mentis oculos defixos habent, quem etiam solum in illis docentem reuerenter audiunt. Quam

Lutheristæ non secus Caluinistas.

Centuriæ Nasi.

Maria rectè vocatur porta cœli.

Cathedræ honorem habendum.

diunt. Quam dissimilis est huius oratio ab eorum cantilena, quam isti viri illusores auribus nostris occinere nunquam intermittunt, dum in mores nostros, & in vitam nostram, atq; vtinam falsò, subinde inuehuntur. Quasi verò propter malos eorum, qui præsunt mores, etiam bona doctrina sit abijcienda, aut quasi sint ipsi nobis sanctiores. Fatetur hoc etiam ille, qui primus hoc infœlici nostro seculo, fuit à Christi corpore Ecclesiæ separationis author, quod ex quo tempore suum Euangelium prædicare cœpit, multo facti sint homines deteriores, quàm fuerunt in Papatu, sic enim ei visum est vocare Ecclesiam Dei. Quin etiam Sodomitis eos factos peiores asserit. Nec diuersum de illis fuit iudicium Erasmi Roterodami in eo libro, quem aduersus Pseudoeuangelicos conscripsit, qui bonam ætatis suæ partem inter eos transegit. Sed hæc testatiora sunt oculis multorum, qui sunt inter eos versati, quam vt longioris probationis indigeant. Quoniam verò de concordia facta fuit mentio, pauca quædam hic adscribere libuit ad rem pertinentia. Decem anni plus minus interceserunt, quod de ea tractatum fuit inter Caluinistas & Piccardistas, quos fratres Valdenses vocant, & erat illis locus designatus in ciuitate Vestræ Maiest. Posnanien. Conuenerunt semel & iterum, quo crebrius autem congressi sunt, hoc longius à concordia disiuncti sunt. Fratrum Valdensium, qui sanctiores alijs videri volunt, fuit propugnator acerrimus, qui tum fuit Generalis Maioris Poloniæ præfectus, cumq; pertæsum eum esset laborum & molestiarum, quas frustra susceperat, nouissimè tandem cum altera parte progressus, ebrietates illis, scortationes, adulteria, & quædam alia crimina obiecit, necq; se commissurum vnquam testatus est, vt cum eius generis hominibus communionem aliquam haberet. Sic illi fabulæ tandem finis est impositus. Sed longius processit Epistola quàm initio cogitabam: quamobrem receptui canendum est. Immortales immortali Deo gratias ago, cuius nunquam satis prædicando beneficio factum est, vt quamuis initio non omnibus volentibus, ad huius Regni gubernacula vocareris. Aliquid. n. ille melius prouidere pro nobis dignatus est, quàm vel sperare, nedum expectare nobis in mentem venerat: Nam quod res est, fateri necesse est, qui tam apertè Christum confiteretur, eo præsertim tempore, quo Christi perduellium opera, contra eiusdem suosq; rebelles vti necesse habuit, vt concurrere faceret Ægyptios, contra Ægyptios: qui nullum Belial in societatem eius admitteret: qui solum & vnum Deum in templis illi dicatis, tam seriò coli vellet, non ita facilè Regem alium eramus habituri. Quid in finitima nobis Germania: quid fiat in alijs mundi partibus, in quibus Christiani principes, cum imperio potestateq; versantur, videmus, prò dolor, & ingemiscimus, Benedictus Deus, qui nos oculis misericordiæ suæ respexit, ac de tali nobis Rege prospexit, de quo certam spem concipimus, quod oẽs curas, cogitationesq; suas in hac vna re defixas habebit, vt omnes vias rationesq; persequatur, quibus perficere possit, vt sublato religionis dissidio, veraq; pace & tranquillitate constituta, vnum Deum credamus omnes, vnam fidem profiteamur omnes, vnum aspectabilem pastorem agnoscamus omnes, in vnum ouile congregemur omnes. Nam qui fuit superioribus his annis patriæ meæ status, qui nunc etiam est, non possum quin exclamem cum Propheta: Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Misericordiæ Domini, quod qui primi sacrilega separationis consilia sunt sequuti, non est disrupta terra sub eorum pedibus, quod aperiens os suum non deuorauit illos, quod non descenderunt viui in infernum operti humo. Quorsum progressum iam sit, posteaquàm fœdus cum morte pereuti & cum inferno pactum fieri cœpit, videt M. V. & ingemiscit proculdubiò. Principio de speciebus tantum fuit altercatio, penes quos eius rei potestas fuit nulla, vt aduersus publicum Ecclesiæ decretum calix à laicis vsurparetur, permittendum esse censuerunt. Quid autem est paulò post cõsequutum? Etiam Augustanæ confusionis amplectendæ potestas concessa, & vt bellum religionis pax vocaretur sancitum est in Germania: quod exemplum nostri quoq; sequuti sunt in Polonia, cum quod exemplo fit, iure fieri putarent. Tridenti congregatum fuit Concilium Oecumenicum, ad quod vocati fuerunt omnes, quorum verò causa maximè fuit congregatum, eorum quamlibet blandè fuerint inuitari venit nemo: visum est ei, qui tum ad Ecclesiæ gubernacula sedebat Pio Quarto Pontifici, vt inter alios & ego quamlibet indignus Legatum agerem illius Concilij, quo munere cum perfunctus fuissem, in patriam sum reuersus. Ecce autem sub ipsum aduentum meum, in quibusdam Regni Comitijs decretum fuit, vt in illa non solum Augustana, verum & Geneuensis siue Tygurina perfidia locum haberet. Quod idem sibi quoq; concedi postulauerunt Anabaptistæ & Trideistæ, nec̃q; tamen quod ego sciam obtinuerunt vnquam, quoad superstes fuit Sigismundus secundus Rex. Eo mortuo cum de successore deliberaretur, qui Christianę fidei nuncium remiserunt, & à Christi Corpore Ecclesia se per summum sacrilegium præciderunt. Iusiurandi formulam hanc excogitarunt, vt ea Rex eligendus vteretur, vt ita libera potestas esset cuique, quodcunque visum illi foret perfidiæ genus amplectendi, nec Electo Rege pœnas patriæ legibus in tales constitutas persequi de quoq; liceret. Editus fuit à Trideistis libellus quidam, quem ego reuersus ex Concilio legi: in eo Luthero tribuunt, quod tectum Zuinglio, quod parietes Papatus, hoc est Ecclesiæ Dei, dissecisset, se verò glorioſi milites primos hoc infœlici nostro sæculo fuisse dicunt, qui fundamentum eius aggrederentur. Fundamẽtum aũt vocant, quod est reuera fundamentum Ecclesiæ, receptum iam inde ab Apostolorum temporibus, de sanctissima Trinitate dogma, & vnanimi totius Ecclesiæ consensu approbatum. Huc tandem ventum est, vt nullum esse possit Ecclesiæ dogma, tam sanctum, quod iam non esse labefactatũ & conuulsum videamus. Iam tectum Papatus in Germania demolitus est Lutherus: iam parietes in multis orbis Christiani partibus dissecit Caluinus, siue Zuinglius: nunc hoc agitur, vt fundamentum quoq; sublatum videre

Post Lutheri doctrinam facti sunt homines Sodomitis peiores..

Universidad de Deusto
Biblioteca

liceat. Hoc est quod à te contendunt isti, dum iurisiurandi quod fecisti, te admonēt. Nec enim aliud exigere videntur, quam vt funditus ex Regno tuo religionem omnem extirpes, vt liberè cuique blasphemandi, & omnia Sanctæ Ecclesiæ dogmata reijciendi potestatem facias. Verum ego non dubitanter affirmauerim, quod non maiore scelere, sed neque periculo minore permittere possis, vt faciat quisque quod vellet, vt furetur, vt mœchetur, vt homicidia, sacrilegia, parricidia, & quæuis alia quamlibet immania scelera perpetrēt, quàm vt quod vnicuiq; visum fuerit, id impunè quisq; credat, & alijs credendum proponat. Nam vbi nulla fides in Deum constans & firma est, ibi lerna omnium malorum est. Quamobrem iterum atque iterum institutum hoc tuum laudo, quod impijs horum Christi perduellium contentionibus, de statu mentis tuæ te dimoueri non pateris : nec furiosis eorum clamoribus loci quicquam das. Perge quemadmodum cœpisti, forti & imperterrito animo Christi fidem vnam à sanctis maioribus nostris, per manus nobis traditam tuere ac defende: cum quidquid est extra vnam fidē non fides, sed perfidia est. Vtaūt perfidiam in Regno tuo permittas, hoc instāt & vrgent isti maximè viri Illusores. Non est autem quod à quoquam tibi metuas, quandoquidem futurus tecum est Deus, & erit protector tuus. Scripsit aliquando Lutherus, quod fortior est vnus diabolus, quàm omnes homines. Demus hoc illi de his, qui non credunt in Christum. Cæterum qui credunt in illum, qui suam in illo fiduciam omnem collocatam habent, non dubitanter affirmauero, quamlibet sit imbecillus hic sexus, quod fortior est vna fœmina, quàm sint multa millia millium diabolorum omnium. Quod pluribus exemplis etiam earum puellarum, quę tenerioris fuerunt ætatis, pro Christi fide certantium comprobatum esse scimus. Persuasum fuit multis in patria mea, atq; vtinam non mei quoq; ordinis hominibus (quod ego sine magno animi mei dolore commemorare non possum) ruiturum esse cœlum, si qui cum imperio potestateq; versatur, is Christum apertè confiteretur, & de omni perfidiæ genere ex Regno suo exterminando, seriam cogitationem susciperet. Sed ego vehementer metuo, ne multò citius ruat cœlum, ac tellus dehiscens, viuos absorbeat, eos, qui spem suam & fiduciam in alio, quàm in Christo Deo, & Domino nostro posita habent, & illius fidei tuendæ causa, quosuis adire labores & pericula reformidant. Possem externa exempla proferre, sed quorsum attinet, cum ante paucos menses, apertum eius rei documentum tibi ipsi Deus dederit. Quam exigua fuit manus eorum, qui contra Christi tuosq; rebelles Gedanenses ab illis lacessiti prælium mierunt: tuæ tamen in illum constanti fidei concessit hoc Deus, vt pauci numero quamlibet multos profligarent, & optatam de illis victoriam reportarent. Dextera domini fecit virtutem hanc, quæ tibi defutura non est, dummodo non desis ipse tibi, palām eum sicut cœpisti coram omnibus confitendo. Ego verò bona spe sum, quod priusquam etiam hæ literæ meæ peruenerint, fœliciter huius belli reliquias confeceris, nihil vt impedire te possit, quo minus omni religionis dissidio sublato, desideratam ab his omnibus pacem atq; tranquillitatem, sicut facturum te iurasti primo quoque tempore nobis restituas. Quam vt tibi Deus gratiam impartiat, vt confirmet hoc quod operatus est in te, vt incolumis ad tui Regni gubernacula quàm diutissimè sedens, consiliorum tuorum omnium progressus & exitus prosperos largiatur, misericordiam hic illius ad Sanctorum Apostolorum & Martyrum memorias prouoluti, supplices implorare nunquam intermittemus, cum certa fiducia, quod sit supplicum preces exauditurus. Quod superest me, seruitutemq; meam S. Maiestati Vestræ qua summa possum animi mei submissione, etiam atque etiam diligenter commendo. Vale. Datum Romæ, 12. Augusti. Anno M. D. LXXVII.

Ioanni Regi Suetiæ. Epistola CCLI.

Rex Suetiæ misit Oratorem suum in Vrbem, qui obedientiam à Christianis Regibus Sacræ Sedi Apostolicæ præstari solitam, profiteretur: factum hoc eius laudat vehementer, & gratulatur, quod vnum Ecclesiæ Catholicæ Pastorem agnoscat.

QVOD supplex à Deo semper fui præcatus, vt mihi diem illum aliquando faceret illucescere, quo Maiestatem Vestram, ad vnius sanctæ Catholicæ Apostolicæ Ecclesiæ gremium perductam esse viderem, id iam tandem singulari illius misericordia contigisse gaudeo vehementer: & ei, cuius hoc est beneficium, quas maximas animus meus capere potest, ago gratias. Vestræ verò Maiestati plurimum gratulor, quod ex illa tetra caligine, quæ fuit oculis illius offusa per quosdam, cuiusuis potius quàm Dei verbi, de quo tamen se magnificè iactant præcones, emerserit, & Euangelij lucem aspicere tandem aliquando cœperit. Quid enim aliud magis nobis commendat Euangelium, quàm vnitatem spiritus in vinculo pacis? quam etiam testamento nobis Christus reliquit? Quid aliud sub illud ipsum tempus quo terras relicturus, & ad Patrem suum in cœlestem Patriam erat rediturus, ardentius ab illo præcatus est Christus, quàm vt quos dederat sibi, seruaret eos in nomine suo, vt essent vnum, sicut ipse cum patre Deus vnus est, toties repetitis vicibus inculcans, vt omnes, inquit, vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me, vt sint consumati in vnum. Quæ denique fuit alia causa, tam horrendæ & ignominiosæ mortis illius, quam vt filios DEI, qui erant dispersi congregaret in vnum?

Postea-

Posteaquàm autem hoc illius Crucis, & mortis beneficium per quosdam euacuari cœptum est, qui cum essent sibi conscij, quod à Christi doctrina quàm longissimè discessissent, ab Euangelio, quàm à Christo, cum quo commune prorsus nihil haberent, nomen ducere, & Euangelici potius, quàm sicut Patres olim nostri prisco illo, & ab ijs Apostolis recepto, & per manus nobis tradito more, Christiani vocari maluerunt: quorsum ad extremum res perducta sit, suis ipsa Maiestas Vestra iam videt oculis, videt, & ingemiscit procul dubio. Nam in tot sectas mirabiliter inter se dissectas, miserandum in modum ita dissecti sunt, vt earum iam vix etiam numerum inire liceat. Erat ante quinquaginta hos annos orbis totus Christianus, terra labij vnius & sermonum eorundem, erat multitudinis credentium cor vnum, & anima vna. Sicut vnus Deus ab omnibus colebatur, ita fides vna retinebatur, vna fuit, & eadem administrandorum Sacramentorum ratio, vnus & idem propè cæremoniarum vbique ritus, quodq; Paulus toties admonet, idipsum dicebant, sentiebant, idem sapiebant omnes, vt facilè ciuitatem illam agnoscere liceret, cuius participatio in idipsum. Et cum vna & eadem essent omnes mente præditi, necaliud scirent Euangelium, quàm quod à Christi spiritu profectum, de CHRISTO per Christi discipulos conscriptum, & per longam Episcoporum & sacerdotum successionem, per manus nobis traditum est, ne videretur aliud, quàm quod ipse per se Christus, & per vicarios suos nobis tradidit Euangelium, amplecti velle, Christianorum nomine censebantur omnes. Simul vt autem nouum quoddam in Saxonia prædicari cœpit Euangelium, quod ignorauerunt Patres nostri, vel vt rectius dicam, quod iam inde à mille & quadringentis annis ab Ecclesia Dei semper fuit condemnatum, quæ non sunt hæreseon portenta consequuta? dum inflatus quisque sensu carnis suæ, quam ipse doctrinam sequitur, ei nomen Euangelij vendicare, Christiq; verbis, non quem Ecclesia, quam columnam & firmamentum veritatis vocat Paulus, sed quem ipse præcisus ab illa, sibi finxit sensum, attribuere non veretur. Initio fieri cœpta est separatio in rebus, quæ non maximi momenti videri poterant, sed paulò pòst compertum est, nihil esse verius eo, quod scriptum est: Qui modica spernit, paulatim decidit. Præclarè dictum est à sancto quodam Patre, quod solis tantum initijs opus est diabolo, solum hoc ei laboriosum est: Si vero nactus fuerit initium, omnia ipse sibi suoptè ingenio vestigat & amplificat. Sicut enim CHRISTVS colligere venit & congregare, sic ille nihil aliud laborat, quàm vt, quod illius præcioso sanguine collectum est & congregatum, diuidere queat, & dispergere: Semel autem initio separationis & diuisionis facto, res eò processit, vix vllus vt iam finis illius reperiri posse videatur. Iam & veritatem ipsam disertis verbis dicentem, accepto pane, Hoc est corpus meum: accepto calice, Hic est sanguis meus, arguimendacij, iam qui soli DEO debitus est cultus, ineruentum abrogari sacrificium. Iam posteaquàm in Spiritus Beatorum in cœlis degentium, impunè conuitia iactare licuit, etiam sanctam, & adorandam Trinitatem, pari licentia, à quibusdam horrendis blasphemijs affici, non sine magno stupore cernimus. Eò deniq; proruperunt iam quidam audaciæ, atque amentiæ, vt editis etiam libellis, quod & lingua dicere, & calamus scribere, & aures piorum horrent audire, Christum non esse Deum, palam affirmare non dubitant. Nulla potest esse tam fœda, tam atrox, tam detestanda hæresis, quæ nunc ex Orco non sit reuocata, quod à discipulis suis malorum coruorum ouis pessimis factum esse Tragicis quibusdam vociferationibus. Queruntur etiam hi, apud quos primum separationis ab Ecclesia Dei factum est initium, Magistri Scholæ VVittembergen. in eo libro, quem ante biennium de persona & incarnatione CHRISTI conscripserunt, vt nihil interim dicam de Geneuensibus atque Tygurinis, quos in octuaginta quatuor sectas esse dissectos, memoriæ prodidit vir quidam pius & cumprimis doctus, Claudius Sanctes Episcopus Ebroicen. in præclaro libro, quem de veritate Christi corporis & sanguinis in Eucharistia proximis superioribus annis edidit. Vt etiam alia portenta silentio prætereā, Anabaptistas, Suencfeldistas, Trideistas, qui cum & ipsi pugnent inter se, & ea quæ cum Euangelio pugnant, ex Euangelio doceant, suam nihilominus pestiferam doctrinam Euangelium vocari volunt, quod illi nomen haud aliaratione tribui potest, quàm quo bellum bellum, & læthum lætum, dicere solemus? cum & minimè bellum, & minimè lætum sit vtrunque. Vnde autem inter istos tam atroces pugnæ, tam acerbæ contentiones, tam capitales inimicitiæ? nisi quod inflati sensu carnis suæ non tenent caput, ex quo totum corpus per nexus & connexiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei. Caput hoc quin sit Christus Deus, num quis est homo Christianus, qui velit ire inficias? at omnes CHRISTVM hunc sibi vendicant, etiam hi qui malunt Euangelici, quàm Christiani vocari. Quod cum futurum CHRISTVS præuideret, cùm esset ad Patrem suum cœlestem ex hoc mundo migraturus, nec visibili sua præsentia diutius inter nos habitaturus, vni curam Ecclesiæ suæ mandauit, vni Petro suas oues pascendas tradidit, vnum illum Principem designauit, quod non alium videret esse firmiorem vnitatis retinendæ nodum, quo suam astringeret Ecclesiam, quam si vnum illi præfecisset, cuius in ea gubernanda visibili ministerio vteretur, cui quicquid subiectionis, honoris, & obedientiæ defertur, non homini, verbi gratia Gregorio Tredecimo, verum ipsi CHRISTO defertur, contra quisquis illum reijceret, non Gregorium Tredecimum, sed ipsum Christum reijceret, sicut ad Samuelem dixisse Dominum legimus: Non te reijcerunt, sed me, ne regnem super eos. Ad hunc igitur quod Maiestas Vestra confugerit, quod per oratorem suum in eius fidem potestatemq; se contulerit, quod iuxta receptum ab Imperatoribus & Regibus Christianis morem, debitam obedientiam ei præstiterit, quod ab eo sibi mitti petierit, per quos

Initijs tantum opus est Diabolo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

populi Maiestati Tuæ subiecti,ab erroribus ac tetris tenebris,quibus tam longo tempore circumfusi fuerunt,in viam reduci,& ad Euangelij lucem reuocari possint, iterum atque iterum Maiestati Vestræ gratulor. In cathedra vnitatis posuit Deus doctrinam veritatis, quam cathedram certum est alibi non esse, quàm apud legitimum Petri successorem, cuius in pascendo grege suo ministerio,& vicaria quadam opera Christus vtitur,quod aliter vnitas fidei retineri non potest, quæ quomodo sit miserandum in modum cõuulsa & labefactata,posteaquàm ab ista cathedra sacrilega separationis consilia sequi nonnulli cœperunt, quis est siccis oculis commemorare queat? Quo maiorem in spem venio,quandoquidem hanc vnitatis Cathedram agnoscere cœpit,futurum,vt Sancti sui desiderij M. V. compos efficiatur, cum qui Christi vicem in terris gerit legitimus Petri Cathedræ successor,tanta cum alacritate venientem ad Cathedram hanc Oratorem Vest. M. exceperit, nec libentius quicquam fecerit,quàm vt in omnibus quæ petita sunt ab eo, piè V. M. voluntati subscriberet. Quod vberius ex his cognoscet,quos mittit ad Maiestatem Vestram, viris sana doctrina,& vera pietate præstantibus, qui nihil curæ, diligentiæ, laboris prætermittent,in his præstandis quæ ad populos Vestræ Maiestati subiectos, in viam salutis, à qua aberrauerunt, reducendos, & in Catholica & Orthodoxa fide instituendos, quos vt benignè complectatur,nec suum illis auxilium, & patrocinium in re tam sancta deesse velit. Supplex à M. V. peterem, nisi certò scirem,hoc illam sponte sua libenter esse facturam. Quod itaq; superest,Deum precor,vt tam sancta V.M cõsilia secundet, & eorum quæ cœpit fœlicem progressum & exitum largiatur, quo possit multitudinis credentium in Regno suo,sicut fuit ante hos quadraginta annos, videre cor vnum & animam vnam, & imaginem quandam in illo cœlestis Hierusalem, cuius participatio in idipsum contempla ri. Opto M.V.&c.Kal.Octob 1577. Groteferratæ.

Stephano Regi Poloniæ. Epistola CCLII.

Gratias agit,& etiam gratulatur, quod mandata dederit vt hæretici ex quadam domo in ciuitate Vilnensi ejicerentur.

VIDI litterarum exemplum, quæ dedit V. Maiest. & ad Palatinum & ad Aduocatum Vilnensem,quibus quæ pietas illius est, & religio singularis, mandat, vt exigantur ex ædibus Deo semel in pauperum vsum dicatis,viri illusores, qui cum esse Christiani pridem desierint, Euangelici dici volunt, in aliud Euangelium transflati, quàm quod à sanctis Apostolis per longam Episcoporum & sacerdotum successionem, per manus nobis traditum accepimus,& in quos initio fabricata fuit, in eos pios vsus domus illa conuertatur. Quæ cum legerem,tanta sum lætitia perfusus,vt præ gaudio lachrymas tenere non potuerim, & quamuis ore corporis mihi non licuerit absenti, animo tamen præsens,iterum atq; iterum tam pium illius pectus exosculando satiare me nequiuerim. Domus illa Serenissime Rex,de qua M. V. veneficos illos expelli iussit, per meum parentem(cuius memoria sit in benedictione) fuit fabricari cœpta, fratris verò mei Ioannis opera,quem esse superstitem adhuc opinor,absoluta, non vt in ea Sathanæ ministri pestilens virus suum populo propinarent, & eum à Christi cultu ad Idolum vel Islebien. vel Geneuen. colendum abducerent,sed vt in ea pauperes alerentur. Quod quo commodius fieri posset, etiam pontem per fluuium Vdiam ædificauit, per quem transeuntes iuxta pientissimi Regis Sigismundi Primi constitutionem, vectigal penderent, vnde sustentari pauperes possent,& vt audio non contemnendum annuum vectigal pẽditur. Priusquam hæc mandata vidissem, domum illam in tam scelestos vsus conuersam, & cum esset semel Deo dicata speluncam latronum factam prorsus ignorabam. Nam si scissem,vel ad horam tenere me non potuissem, quin è vestigio vel à M. V. vel ab his, qui tum temporis rerum potiebãtur supplex contendissem,vt ne paterentur animarum paricidas in ea domo, sua parricidia patrare,quæ semel Deo & eius pauperibus fuit dedicata, magnoq; sumptu mei parentis in pios vsus fabricata. Sed ego Reuerendissimi D. Vilnen. pietatem,& in exequendo munere suo vigilantiam(quam vtinam qui sumus eiusdem ordinis Episcopi,nobis imitandam proponeremus,)laudare satis non possum, qui tantum hoc scelus ferendum diutius esse non putauit,& V. M. brachium contra Christi perduelles istos implorauit. Hunc autem tam fortem & excelsam animum V.M. quem in Christi vera religione tuenda pluribus documentis magis in dies atq; magis testatum facit omnibus, quibus præconijs efferam? Equidem verba non reperio,quibus hæc præclara facta tua,pro eo,vt rei magnitudo postulat,prædicare possim quibus tui nominis memoriam ad immortalitatem consecrasse videris. Certam spem in Dei misericordia defixam habeo, quod is non obliuiscetur operum tuorum tam bonorum & eum in præsenti tũ in futura vita maiorem eorum tribuet mercedem,quàm quæ possit vllis verbis explicari. Cæterùm pientissime Rex, perge quemadmodum cœpisti,quod in ea ciuitate feciſti,quæ caput est magni Ducatus, fac & in illa,quæ caput est Regni totius,& omnium terrarum Tuæ Maiestati subiectarum, domum illam quæ sathanæ Synagoga facta est,quàm vocant aceruum, & est reuera, malorum omnium aceruus,primo quoq; tempore demoliendam & solo æquandam, atq; cum puluisculo,quod aiunt,cures conuerrendam. Neq; patiaris, quo tempore tu cum Clero & populo Christiano Deum Patrum nostrorum, in templo illi propriè dicato piè colis: quod sub idem tempus colatur in sathanæ synagoga alienus Deus, quem ignorauerunt Pa-

Patres nostri,ab his qui Christianæ religioni nuncium remiserunt,& ad Islebien. vel Geneuen. vel quodcunq; tandem aliud idolum,pro Deo colendum se transtulerunt. Quod scelus quàm graue,quamq; detestandum Deus esse duxerit,vel exemplum Core,Dathan, & Abyron admonere nos potest,quos cum simile quiddam auderent, inusitato quodam affecit supplicio,nullum vt aliud scelus,quàm vnum hoc minus esse ferendum videatur. Quam autem opinionem illi de te conceptam habere debent, qui quem tu cum pijs omnibus verum & vnum Deum colis,eum respuunt,& post alienos Deos abeunt,quos ignorauerunt Patres nostri. Quanti facis tuam Regnitq; tui salutem,tantum contende & elabora, ne tam immane sacrilegium hoc in ea ciuitate, quæ Regni caput est,diutius patretur. Quod adeò detestandum etiam pueris est visum ante tres annos,vt se tenere non potuerint,quin aceruum illum, facta manu,demoliri conarentur, qui si nihil aliud spectabant, hoc suo facto,quàm Dei gloriam,etiam si posteà supplicium sumptum fuit de quibusdam, eos tamen in sanctorum Martyrum album referre non dubitauerim. Et vide prientissime Rex,quàm Deus inultum esse factum hoc noluerit,quod supplicium capitis de his sumptum est,qui Dei gloriam ad Sathanam transferri ferre non potuerunt. Anno proximè insequenti eodem illo die quo fuerunt illi trucidati, Tartari in Podoliam irruperunt, & ingentem in ea stragem ediderunt:adeò non impunitum Deus voluit,quod quæ nulla tum fuit legittima potestas,vlta non est. Etiam atq; etiam supplico M. V. ne ferat hanc abominationem in ciuitate sua,ne si conniuendum putauerit,de Regno Deus vniuerso grauiores aliquas pœnas expetat. Memor esse velit iurisiurandi,quod præstitit, quod pacem inter dissidentes in religione sit seruatura, sed quomodo seruabit pacem non sublato dissidio? Non illucesceret Solis lux,nisi prius depulsæ tenebræ fuerint. Quorsum iam istorum audacia & amentia progressa sit,ex inclusa scheda Maiestas Tua cognoscet. Iam & Christus Deus esse negatur. Quid expectas amplius? quousq; tandem impios istos abuti tua patientia patieris? cum quorsum illorum consilia spectent, ignorare iam non debeas. Volunt vt simus absq; lege,absq; Rege,absq; sacerdote,absq; sacrificio, & quod necessariò consequitur,absq; Deo. Iam nobis Christum è medio tollunt, iam illi diuinitatem detrahunt, iam quo fine sacrosanctum Missæ sacrificium abrogarint,palam omnibus faciunt,nimirum vt ne Christus esse Deus agnoscatur. Miserere animæ tuæ,ô Rex,miserere tot populorũ,quos imperio tuo Deus voluit esse subiectos,nec diutius eorum animas in potestatem sathanæ tradi permittas. Memineris DEVM esse in cœlo,ac ne debitas à te pœnas exigat, si non fueris officio tuo functus, in illius gloria tuenda, & propaganda, etiam atque etiam caueto. Quem nos hic supplices precamur, vt misereatur nostri, & illuminet vultum suum,super nos,conuertat nos,& auertat iram suam à nobis. Atq; vt te pro gloria sua pugnantem,pro fide tuenda nullum adire periculum recusantem, quam diutissimè nobis in columem conseruet, omniq; fœlicitatis genere cumulet. Datum Romæ 24. Octobris, Anno M. D. LXXVII.

Petro Myskovvskij Episcopo Craccouiensi. Epistola CCLIII.

Hortatur Episcopum,vt exemplo Vilnensis Episcopi,ipse quoq; ex Acerno malorum omnium hæreticos ejiciendos curet.

MITTO Dominationi Vestræ litterarum exemplum, quas ad Palatinum Vilnensem dedit Regia Maiestas, vt ejiciendos ex domo quadam curaret sathanæ ministros,qui sua non sacra,sed sacrilegia in illis ædibus exercebant, ita vt iam in illa ciuitate locus illis amplius non sit. Et factum est opera Aduocati Vilnen. Augustini Rotundi viri cumprimis pij & eruditi, vt omni cunctatione semota, mandatorum illorum executio fieret. Curam hanc & vigilantiam antistitis illius optimi vereq; boni pastoris,laudare satis non possum. Fatebor autem peccatum meum, quod ei ciuitati nonnihil inuideo fœlicitatem hanc, quandoquidem, in qua primum lucem hanc aspexi,ea simili Pastore fuit iam per multos annos destituta, sed bona spe sum, quod nos oculis misericordiæ suæ DEVS aliquando respiciet, quod etiam fecisse iam persuasum habeo,quandoquidem pastorem illius constituit Dominationem Vestram, quæ non patietur in officio suo Pastorali rectè obeundo se abillo superari. Est caput Magni ducatus Lithuaniæ Vilna: est caput Regni totius,& omnium adiunctarum Regno Prouinciarum Cracouia,cur,quod illi præstitit Regia Maiestas beneficium, idem non huic quoque præstet? cur maiorem illius quàm huius curam & sollicitudinem gerat? Mihi quidem dubium non est,si modò velle Dominationem Vestram intellexerit, quæ pietas est illius & religio, quod pio Dominationi Vestræ desiderio satisfaciet è vestigio. Est enim princeps hic magno quodam & excelso animo præditus, nec à quoquam sibi, præterquàm à solo Deo metuere dicitur, vt certa spe simus, si modo voluerit Dominatio Vestra,quod nullo negotio voti sui compos efficietur. Quid autem velle magis debet,quid maiore studio contendere & elaborare, quàm vt saluti sui gregis prospiciat, nec ei pestiferum virus affiari permittat? Quæ potest esse maior abominatio, quàm quod in templis DEO dicatis,piè Deus Patrum nostrorum colitur,& ei sacrificia,quæ debentur offeruntur: vt eximius ei cultus præsterur,quo possit à cæteris mortalibus dignosci,contra in Synagoga

Universidad de Deusto
Biblioteca

Acervus malorum omnium synagoga hæreticorum.

sathanæ, quam aceruum vocant, & est reuera malorum omnium aceruus, alieni Dij coluntur, noui recentesq; quos ignorauerunt Patres nostri, Christus autem abrogato Sacerdotio & sacrificio in ordinem cogitur, nullus vt ei cultus exhibeatur, quo possit à mortalibus discerni. Tollendam curet per Deum immortalem abominationem hanc, nec eam in Ciuitate suæ Ecclesiasticæ iurisdictioni subiecta, ferat diutius, bonum illum Pastorem Vilneñ. imitetur, ne solus pro salute sui gregis vigilare videatur, det operam vt eiusdem generis mandata dentur ad Palatinum Cracouieñ. qui cur non æquè sicut Vilnen sis eis parere debeat, causam video nullam. Cum æquè sit vterque Maiestati Regiæ subiectus, etiam atque etiam Dominationem Vestram maiorem in modum peto, det operam, vt hæc abominatio primo quoque tempore tollatur, quam Deus incolumem seruet & fœlicem, & ei spiritum consilij & fortitudinis largiatur. Vale. Datum Romæ 24. Octobris. Anno M. D. LXXVII.

Valeriano Episcopo Vilnensi. Epistola CCLIIII.

Gratulatur, quod hæreticos ejciendos ex quadam domo curauerit.

QVOD Dom. V. tanto studio curauit eos ex ouili suo propulsandos, qui nulli rei magis studeant, quam vt Christi gregem, quem ille præcioso sanguine suo collegit, dispergere possint, magnam est ex ea re laudem & gloriam consequuta. Iam eorum eò progressa dicitur impietas, vt etiam contra Christi diuinitatem libellos, & quidem vulgari lingua conscriptos edere non dubitent, neque paucos in suam hanc sententiam pertraxisse feruntur. Bona spe sum, quæ pietas est illius & religio, quod has in Christum blasphemias non ferret, & qui sunt illarum authores, vt in illos exemplum aliquod edatur, modis omnibus contendet, & elaborabit, neque spargi latius pestiferum hoc virus patietur. Vtinam autem similes Dominationi Vestrę plures Episcopos haberemus, non adeò nunc religio laboraret. Seruet te Deus optimè vereq; Catholice præsul, qui tam bonum & fidelem Christi pastorem agis, atque omni fœlicitatis genere cumulet, & ad imitationem tui cæteros etiam Regni Episcopos accendat, vt neminem sibi præter vnum Deum timendum existiment, & in cuiusuis potius mortalis hominis, quàm Dei immortalis offensionem incurrere, se paratos ostendant, cum præsertim non valdè volentibus nobis, aliquid melius Deus prouiderit pro nobis, dato nobis Rege, qui Christianæ fidei se propugnatorem acerrimum fore, multis iam argumentis declarauit. Vale. Datum Romæ, 24. Octobris. Anno M. D. LXXVII.

Petro Dunin Volskij Regni Poloniæ Cancellario. Epistola CCLV.

Hortatur vt mandata Regiæ Maiestatis de hæreticis ex aceruo ejciendis procuret: qualia ex Cancellaria Lithuanica prodierunt.

MITTO Dominationi Vestræ literarum exempla, quibus Regia Maiestas apertè Christum confitetur, seq; verè Christianum, Catholicum & Orthodoxum Regem esse planum facit omnibus. Equidem obstupui, cum eius generis mandata viderem ex eius officina proficisci, qui schismaticus, ne dicam hæreticus esse dicitur. Nec simile quid ab illis fieri, quos ex animo Catholicos esse nemo dubitat, cum idem illi munus in Polonia sibi mandatum habeant? quod ille in Lithuania. Itáne iam hæretici subitò Catholici facti sunt, & in fide Catholica tuenda & propaganda viros fortes se præstant: Catholici verò nostri languent, nec apertè confiteri Christum audent. Quid enim prohibet, quominus eiusdem generis mandata dentur, ad Palatinum Cracouieñ. qualia data sunt ad Vilneñ. Scilicet Lithuanorum salutis maior est habenda ratio, quàm Polonorum? Pluris fieri debet, quæ caput est Regni totius & omnium adiunctarum illi Prouinciarum Cracouia. Magnum ex ea re dolorem capio, quod ab homine Rutheno maiorem adhiberi video curam in animabus Christo lucrifaciendis, quàm à Polonis, cum præsertim, qui Cancellarij munere fungitur, is nostri sit ordinis Ecclesiastici, vt non alia magis in re curas omnes suas defixas habere debeat, quàm in Ecclesia tuenda, in illius fide confirmanda, & omni perfidiæ genere ab ea propulsando. Verùm interea bona spe sum, quandoquidem in nostrum Episcoporum collegium Dominatio Vestra est allecta, quod ei spiritum consilij & fortitudinis DEVS largietur, vt intrepidè CHRISTVM & ipsa confiteatur, & Antichristi satellites ex ea synagoga, quæ paulò ante mortem Sigismundi Secundi Regis, magna cum Regni totius infamia Cracouiæ fabricata fuit, ejciendos, quin & ipsam synagogam euertendam, & cum puluisculo, quod aiunt, conuerrendam curet, nullum vt ipsius vestigium superesse videatur. Non potest vllum gratius DEO sacrificium offerre, quàm si toto pectore, quod aiunt, in id studium incubuerit, nec prius vrgendi, & instandi finem fecerit, quàm

quam esse perfectam rem viderit. Nam quæ res magis horrenda, magis etiam esse potest abominanda, quàm quod, quo tempore pientissimus Rex, vna cum clero populoq; Christiano, verè pietati dedito Christum in templis illi dicatis adorat, eodem illo seorsum à Rege, & à pijs omnibus in sathanæ synagoga, vel Isliebieñ. quod in superiore vel Geneueñ. quod in inferiore loco fieri dicitur, Antichristus colatur? Etiam atq; etiam à D. Vestra maiorem in modum peto, vt Episcopo dignam cogitationem suscipiat, neq; curæ, diligentiæ laboris quicquam prætermittat, quo primo quoque tempore sathanæ synagogam illam funditus euersam, & omnes ex ea ministros eiectos videre queamus. Et ad vberiorem Dei gratiam promerendam, hoc illi pertinebit, & isto præclaro facinore nomen suum ad immortalitatis memoriam conseerabit. Vale. Datum Romæ 24. Octobris. 1577.

Iacobo Cardinali Sabello. Vrbis Romæ Vicario, & supremo hæreticæ prauitatis Inquisitori. Epistola CCLVI.

Gratulatur illi supremi hæreticæ prauitatis Inquisitoris officium.

QVM esset mihi renunciatum, Illustrissimam D. Vestram non solum in sacrum Cardinalium Episcoporum ordinem cooptatam: verum etiam inter hæreticæ prauitatis Inquisitores principem illi locum esse delatum, ingentem ex eare voluptatem accepi, neque tenere me potui, quin Illustrissimæ Dominationi Vestræ duplicatum honorem hunc gratularer, & præclarum hoc Sanctissimi Domini Nostri de illa iudicium, quibus verbis possem, commẽdarem. Ac quod ad prius illud attinet, ipsi quidem Ill. D. V. non esse videtur aliqua gratulandi causa, quandoquidem ex his muneribus illi mandatis, nihil ad eam præter curas, sollicitudines, labores & molestias peruenisse videtur. Sed interea gratulandum est Ecclesijs & Vrbis & Orbis, ad quas magnum ex hac S. D. N. electione fructum esse redundaturum, dubium non est, cuius hac tanta de re iudicium, quis est q pro dignitate satis prædicare possit? Contulit enim hæc munera viro singulari prudentia, doctrina, grauitate, pietate prædito, ac quod ego non postremo loco ponendum esse iudico, nõ genere modò verum & vera religione Romana, & quidẽ cumprimis Illust. loco nato. Scimus Romanam fidem etiam Apostolico ore laudatam esse, quam annunciari scribit in vniuerso mundo, moribus etiam receptum, vt fuerit, vt quæ Romana diceretur, eadem esse Catholica fides intelligeretur. Ad huius igitur Catholicæ, hoc est Romanæ fidei iudicium, quem rectius adhibere poterat, & Vrbis, & Orbis Pontifex, quàm hominem Romanum: eum præsertim, qui multis iam annis in eadem vrbe Vicarij munus gessit, & in eo gerendo, fidem, diligentiam, prudentiam suam, satis probasse videtur, vt apud quem de moribus: apud eundem etiam esset de fide, sine qua nulli quamlibet etiam laudati mores accepti Deo sunt, cognitio. Quamobrem si minus Illustrissimæ Dominationi Vestræ, tamen Ecclesiæ Dei gratulor, quod munus hoc tantum in quo salus Orbis esse posita videtur, tali viro tot egregijs à Deo dotibus cumulato sit mandatum, atq; vt id cum Illustrissimæ Dom. Vestræ, tum & Vrbi, & Orbi vniuerso fœliciter euenire velit, vt optatos ex eo fructus percipere possimus, Deum supplex præcari non intermitto, simul vt is Illustrissimam Dominationem Vestram, quam diutissimè seruet incolumem & consiliorum, quæ cœperit pro Ecclesiæ vtilitate, fœlicem illi progressum & exitum largiatur. Datum Sublaci apud Specum S. Benedicti, 31. Iulij. 1577.

Stephano Regi Poloniæ. Epistola CCLVII.

Agit gratias, quod auctoritate sua Synodi Prouincialis progressum promouerit, & de hæreticorum diuisione, de Melanchtonis iudicio, & de viris illustribus.

REddidit mihi literas Maiestatis Vestræ, D. Iacobus Brzeznielij Canonicus Posnanieñ. Maiestatis Vestræ Secretarius, à Synodo Prouinciali Gnesneñ. huc missus. Quanta pietate, religioneq;, quæ fuerunt in ea synodo decreta receperit, & quemadmodum eis manu sua subscripserit, pluribus verbis mihi renunciauit, ex cuius hoc sermone, maiorem quàm facilè dici queat voluptatem accepi, futurum enim sperabam, quam reuera, sicut ipsa suis in literis meminit, rem Ecclesiasticam pessimè affectam, in Regno Maiestatis Vestræ proficiscens in Italiam, reliqueram: eam cura & prouidentia Vestræ Maiestatis in pristinum statum, in quo fuit sub illo secundo Rege Sigismundo Primo, tandem aliquando restitutam iri, sedit is ad Regni sui gubernacula, plures quam quadraginta annos, peruenit ad annum ætatis octuagesimum secundum. Quoad autem eius vel vmbra superfuit, videre licuit Ecclesiam in Regno V. M. terram vnius labij, & eorundem sermonum, multitudinis credentium cor vnum, & animam vnam. Pastorem vnum agnoscebant oẽs, sub quo in vnũ ouile congregabãtur oẽs: in Episcoporum potestate Ecclesiæ fuerunt oẽs, speciem vt quãdam cernere liceret, cœlestis illius Hierusalem, cuius participatio in idipsum. Simul vt aũt pius ille Rex, cœlestem illã in Domũ migrauit, migrare paulatim & extingui cœpit pietas & religio: posteaquã ordine sublato, libera fuit permissa potestas

Altare

Universidad de Deusto
Biblioteca

Altare contra Altare erigendi, Cathedram aduersus Cathedram constituendi, & sub spetioso Dei verbi titulo, expressum verbum diaboli (qui quàm precioso sanguine suo Christus collegerat Ecclesiam, eam in multas particulas discerpere conatus est) prædicandi. Durauit hæc tanta calamitas ad mortem vsq; Sigismundi secundi, & profecit in peius in dies, qui posteaquàm & ipse in viuis esse desijt, solutum iam videre sathanam licuit, & ad illa pristina mala, tanta facta est accessio, vt iam vix vllus augendis illis superesse locus videatur. Quorsum enim audaciæ, atq; amentiæ progressi non sunt profligati quidam & perditi homines, quos viros illusores Propheta vocat, posteaquàm abiecto semel suaui Christi iugo per suum in terris vicarium Romanum Pontificem Ecclesiam gubernantis, quiduis arbitratu suo de religione decernendi, vetera abrogandi, noua quædam instituendi sibi potestatem arrogarunt? An eo tandem non proruperunt, vt sicut Pontificem de sua Cathedra, sic & Regem, de suo solio deturbare conarentur? adempto illi sceptro etiam & gladio, quem non sine causa Deus ab illo portari voluit, ac quo magis id illis impunè facere liceret, in duplici Interregno durissimis quibusdam legibus, priusquam etiam eligeretur, obstrictum eum esse voluerunt, nomen vt is tantum Regis obtineret, potestas autem omnis penes ipsos esset viros illusores, Christi perduelles hæreticos, vt blasphemare Christũ & eum esse Deum negare, fidem illius conuellere, corpus eius Ecclesiam in minutissimas quasq; particulas discerpere liceret, neq; tanta sacrilegia coërcendi, aut in ea animaduertendi potestatem vllam Rex haberet. Nihil vnquam verius ab illo dictum, aut scriptum est, ex quo tanquam ex fonte quodam, omnes nostri temporis hæreses prodierunt, qui communis etiam præceptor fuit appellatus, quam quod legitur in præfatione quam edidit in eum librum, quem paulò antè mortem conscripserat, cui nomen indidit Corpus doctrinæ Christianæ. Quæritur enim ibi de mirabilium hominum genere. Nam hoc elogium suis discipulis tribuit, quod suo arbitrio damnant quidlibet, neq; personis auditis, neq; rebus dijudicatis, neq; cum eis agi quicquam rectè posse dicit. Cogunt enim consilia, quando & vbi sibi placet, & vendicant sibi maiorem magisq; intollerabilem, & minus excusabilem authoritatem, ac potestatem, quàm Papa Romanus vnquam: Quò sint autem hæc euasura cogitetur, inquit. Ac alio loco in Anarchiam euasisse testatur. Hoc fuit illius, de suis discipulis iudicium, quorum etiam ita pertæsum eum fuisse ferunt, vt si vita illi longior suppeditasset, ad mentem saniorem reuersus, omnino se facturum sanctè profiteretur, vt istas doctrinas varias, & peregrinas, quibus abduci multorum animos à recta via per discipulos suos mali corui oua pessima viderat, prorsus abijceret omnes, & quæcunq; per sacram Synodum Tridentinam, de qua sub illud ipsum tempus indicenda, deliberatio susceptа fuerat, de doctrina religionis decreta forent, in his acquiesceret, quo sic redintegrari tandem posset corpus illud Christi mysticum Ecclesia, pro quo viuum & verum illesuum corpus in mortem tradidit, nec eam deinceps in tot frusta conciſam videremus. Quod autem vt hæc sacrosancta Synodus Trident. reciperetur, & abominationibus istis tollendis, quibus plenum est Regnum Vestræ Maiestatis, remedium aliquod adhiberetur, vt & morum emendandorum aliqua ratio iniretur, ideò Maiestas V. Prouincialis quoque Synodus in Regno V. M. vt haberetur, perfecit, magnam ex ea re laudem est consequuta. Proprium enim hoc fuit munus Christiani, Catholici & Orthodoxi Regis, vt per hanc viã gregis à Deo sibi concrediti, saluti prospiceret, & quos morsibus luporum dispersos & dilaceratos esse vidit, eos in vnum ouile Christi ab vno pastore gubernandos reducere possit omni cura, diligentiaq; prouidere. Sed quorsum synodi congregantur, quorsum in eis multa salubria decernuntur, si quæ piè sanctèq; decreta fuerint, eorum nulla fiat exequutio? Quid autem potuit magis piè sanctèq; sanciri, quàm quod in hac synodo Prouinciali primo loco cõtra viros illusores sancitum est, qui cum morte fœdus percusserunt, & cum inferno pactum fecerunt, quos iure merito veneranda synodus anathema pronunciauit. At hi tales rerum in Aula M. V. potiri præ cæteris, & maiore quam vlli alij cum potestate versari feruntur, vsq; eo etiam, vt si quid piè religioseq; constitutum sit à M. V. paulò pòst hi rescindant & contrarium decernant. Quid Thorunij, quid Mariemburgi, quid Dersauiæ fuerit à M. Vestra constitutum, cum vnus ex viris istis illusoribus, in templo Deo consecrato, suis vt idolis facere sacra liceret, magno studio contendisset, auditum est hic à multis, & quod illi datum est respõsum verè Christano Catholico, & Orthodoxo Rege dignũ, id in cœlum vsq; laudibus tulerunt omnes. At non ita multò pòst perlatum est, quod vno die M. V. piè statuerat, id postero die per viros illusores esse impiè rescissum, qui non magis Pontificiam, quàm Regiam authoritatem, per summum sibi nefas arrogant, neq; maiorem V. M. quàm Pontificiorum decretorum rationem ducunt. Quæso quale sit hoc, & anferre debeat M. V. secum accuratius expendat: ita ne iam sceptrum penes istos viros illusores est? vt quicquid illis placuerit, id fieri necesse sit, etiam refragante M. V. ac suum eos habere delubrum opporteat, in quo Belial adorent, & ei rem diuinam faciant. Iterum atq; iterum à M. V. supplex peto, ne ferat hanc tantam abominationem, qua nulla esse maior potest, ne si diutius eam ferendam putauerit, non ferat M. V. Deus, & cum Regni totius extrema pernicie, grauius aliquid in illam statuat. Non ferunt hoc viri isti illusores in oppidis suis, & ferre debet M. V. in suis ciuitatibus? vt qui sunt imperio M. V. subiecti, non eundem cum illa Deum & quidem Deum Patrum nostrorum, nec in eodem cum illa templo Dei cultui consecrato colat. Quod si non potest ita subitò grauius aliquid in eos decernere, pro eo vt sceleris huius magnitudo postulat, saltem consuetudinem eorum refugiat, & animum ab illis alienum ostendat, qui recentem & alienum DEVM adorant, nec honores illis, nec præfecturas mandet, nec aliquem inter senatores locum obtinere patiatur. Hunc erga tales animum si declarauerit, citius opinione multo rum

rum frangetur eorum audacia, & quod omnes optant pij, restituentur nobis ea tempora, quæ fuerunt Sigismundo primo ad Regni gubernacula sedente, restituetur & vetus disciplina, cuius meminit Maiestas Vestra, modo restituatur priùs vetus religio, quod priusquam factum erit, frustra de veteri disciplina restituẽda deliberatio suscipietur, quæ per viros istos illusores prorsus omnis esse sublata videtur: qui strenuè quidem debacchantur in vitam & mores Cleri, cum sint ipsi non paulò nequiores: sed in quem debacchantur, quando tantis clamoribus in Episcopos & Sacerdotes inuehuntur? Quis enim in Regno Poloniæ nominat Episcopos? aut ea quæ præ cæteris opima sunt sacerdotia confert, nisi Rex ipse? Quamobrem iterum atq; iterum hortor & moneo Maiestatem Vestram, oro etiam & obsecro, quam charam habet animæ suæ salutem, regniq; sui tranquillitatem, tantum contendat & elaboret, ne quid commune cum his habeat, qui fidium ludum ex fide fecerunt, & Christi corpus Ecclesiam in tot minutissimas particulas conciderunt, & eos cane peius & augue fugiat: vult aliquis esse separatus, qualem se facit ipse, suo ipsius iudicio condemnatus, talem illum habeto, sit ab omni communione tua, non magis in Ecclesiasticis, quàm in Polyticis rebus separatus, nec alio loco sit apud te, quàm quo præcepit Christus eum esse, qui non audierit Ecclesiam, tanquam Ethnicus & Publicanus, sit omnibus anathema mara nata. Tale exemplum si in vnum aut alterum ediderís, facilè perfeceris, vt essent istæ sectæ, tam inter se miserandum in modum dissectæ, & vt in Regno tuo destructam Babylonem, in qua tanta est linguarum confusio, vt non audiat quisq; nomine proximi sui, & reædificatam Hierusalem, cuius participatio in idipsum, videamus, qui nobis vtinam dies illucesceret aliquando, quod ego supplex à Deo precari multorum piorum intercessionibus adiutus, nunqnam intermitto. Quem verò Maiestas Vestra suis mihi literis commendat, à Venerabili synodo Prouinciali missum, is cumprimis propter præclaras dotes, quibus à Deo cumulatus est, mihi charus erit & commendatus, ita iubente Maiestate Vestra, tanto futurus est charior, & vt quæ nomine Cleri postulauerit, ea possit obtinere, consilio & auxilio meo, libenter illi præsto sum futurus. Vale. Datum Romæ, 26. Decembris. Anno M. D. LXXVII.

Stephano Regi Poloniæ. Epist. CCLVIII.

Supplicat ne sua facilitate alat hæreticorum audaciam, qui in Comitijs plerunque Christum vendere consueuerunt.

QVandoquidem instant nunc Regni Comitia, in quibus liceat mihi quod res est loqui, vendebatur aliquando Christus 12. grossis fertonem apud nos vocant, postea 20. grossis, cuius pecuniæ dimidiam partem soluebant ministri Dei sacerdotes, nouo quodam & in vsitato more, sic autem vendebatur, vt liceret vnicuique negare Christum, & quemcunq; vellet siue Islebien. siue Geneuen. siue quemcũque alium Antichristum colere, vehementer metuo ne fiat idem in ijs quoq; Comitijs. Quamobrem supplico Maiestati Vestræ, quando quidem eiusmodi venditio nunquam cecidit hactenus fœliciter, ne permittat, vt in ijs quoq; Comitijs tale quid decernatur, vt ne prius vlla pecunia conferatur ad Regni defensionem, quàm Christus venditus, & nescio quis Belial in eius locum per missione Vest. M. adoratus fuerit, sed apertè profiteatur, se nullum alium Deum agnoscere præter Deum Patrum nostrorum, nec vlla ratione, vt alius quispiam Deus recens & alienus adoretur, concessuram. Cupere quidem Maiestatem Vestram & Regnum, & magnum Ducatum Lithuaniæ, & adiunctam illi Liuoniam defensam, sed si non potest aliter defendi, quàm si vendatur prius Christus, & eius cultus aboleatur, & Belial etiam in ciuitatibus Vestræ Maiestati subiectis (quod Varschauiæ nunc laborari dicitur) in delubro sibi dicato colatur, multo se malle, vt pereant & corpora, & fortunæ omnes, quàm vt & suæ animæ, & animarum quas illius fidei Deus concredidit, detrimentum aliquod patiatur. Quamobrem faceſſant cum suis istis fidiculis, cum quidquid est extra vnam fidẽ non fides verum perfidia sit. Nunquam assentiente Maiestate Vestra futurum vt fides cum perfidia coniungatur, vt inter Christum & Belial aliqua fiat conuentio, vt sit societas luci cum tenebris. Si coniurarunt nonnulli, vt ea procurent omni studio, quæ pertinent ad Regni totius & subiectarum illi terrarum interitum, se testari Deum & homines, quod saluum cupiat Regnum suum, & adiunctas illi terras omnes, sed vt negari Christum, vt illius corpus Ecclesiam, in tot particulas scindi (quod nec ab impijs militibus qui Christum in Crucem egerunt factum est) vt sciente & consentiente se, Belial adorari cum CHRISTO patiatur, nunquam se commissuram. Quamobrem si volunt omnia perdita, pereant, sic volentibus illis, se fiduciam suam in Christo collocaturam, & illo defensore seruaturam se Regnum suum, persuasum habere, qui si peccatis nostris offensus, grauius aliquid in nos statuere voluerit, pereant potius & corpora & fortunæ, quam vt CHRISTI fides intereat. Vt autem intelligat Maiestas Vestra, quanto studio Deus illos protegat, qui suam in illo spem & fiduciam omnem collocatam habent, mitto M. Vestræ quandam historiam Indicam de quodam regulo, qui cum non haberet nisi nouem in comitatu suo, & iam erat paratus ad mortem, pro Christi fide obeundam, magnas alterius cuiusdam Regis hostis sui copias fudit, & Regnum suum ab illius impetu incolume seruauit. Misi autem Vestræ Maiest. paraphrasim in Esaiam Hieronymi Osorij pereleganter scriptam, vtinam non

graua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

grauaretur singulis diebus, vnum illius caput perlegere, facilè perspiceret, quantas virtutes Deus operatus fuerit in ijs, qui suam fiduciam in eum collocarunt, & non in baculo arundineo, quales plerique sunt nuncij, qui verè terrestres vocantur, qui nihil nisi terram sapiunt, nec diligentius quicquam cauent, quàm ne quis illis ad cœlum aditus pateat, nec prius, verdones illos aut 20. grossos persolui cupiunt: quam latam viam, quæ perducit ad infernum illis ingredi liceat. Etiam atq; etiam supplico Maiestati Vestræ, ne quid illorum importunitati loci det, confiteatur Christum. Confiteatur apertè Christum, & nulla circuitione vsa, dicat se Deum Patrum nostrorum, nullum autem Deum recentem & alienum coli velle. Si talem se Maiestas Vestra præstiterit, ne dubitet, quin illi sint fœlicius omnia cessura. Quam aũt hoc est & admiratione & commiseratione dignum? quod in exercitu, qui proximis superioribus mensibus cõscriptus erat cõtra Moschos, nullus fuit sacerdos Christianus: neq; tamen in eo defuerunt ministri Baal, qui Christum blasphemarent. Supplex à M.V. peto, ne patiatur ab impijs istis non solum corpora & fortunas, verum & animas præcioso Christi sanguine redemptas, ad sempiternum interitum duci. Vale. Datum Romæ, 25. Ianuarij. Anno M.D.LXXVIII.

Petro Myskovvskij Episcopo Cracouiensi. Epistola CCLIX.

Hortatur iterum, vt ex aceruo blasphemiarum omnium, uouorum deorum delubro, hæreticos eyciendos curet.

QVin D. Vestra magnum ex ea re dolorem capiat, quod in ea ciuitate cuius Episcopus est, & in qua Christus in templis sibi consecratis, à pijs piè colitur, etiam Belial suum delubrum habere cœperit: in quo suum quoque cultum illi seorsum à pijs omnibus impij præstant, mihi dubium non est, nam quæ sit illius pietas & religio, quam totq; studio cupiat vnum ab omnibus Deum vnanimiter coli, vt sic illi præcepto Dei satisfaciat. Audi populus meus, & contestabor te, Israël, si audieris me, non erit in te Deus recens, nec adorabis Deum alienum; ego enim sum Dominus Deus tuus, perspectum satis, & exploratum habere videor, sed quid tum postea, si nihil aliud quam dolemus, manus etiam admouendæ, non solo dolore contabescendum est, illius exemplo, verè pij & omni laude digni Vilneñ. Episcopi. Cui quod negotium fuisse aiunt, cum cerdonibus, sutoribus, & reliqua opificum fœce, male videntur, rem intellexisse qui hoc affirmant. Nam fuit illi res, cum non minus potentibus, neque minus impijs hæreticis, quàm sit Palatinus Cracouieñ. qui se Ducem eorum in Polonia profitetur, sicut alter in Lithuania. Exterminauit nihilominus eos, non solum ex ædibus Radiuilorum familiæ, ex quibus absque mandato Regio fuerunt iam inde à tribus annis expulsi, verum etiam inuocato brachio Regio ex illis, in quibus nouum suo Belial delubrum ædificarant, propè sancti Spiritus vt nunc vocant, Hospitale, siue Ptochodochium: & fidelem in ea re nauauit illi operam Augustinus Rotundus, Aduocatus Vilneñ. cum omni propè humano præsidio destitutus fuisset. Nam cum neminem timere se præter Deum ostendisset, strenuè mandato Regis exequutus, & magna laude dignum homine verè Christiano facinus aggressus esse dicitur. Quanto minore negotio posset hoc Dominat. Vestra præstare, cum præsertim ducem illorum, qui recentes alienosq; Deos apud nos colere cœperunt, aliqua sibi propinquitate coniunctum habere dicatur, & apud illum authoritate valere. Posset eum imprimis blandis persuasionibus, grauissimisq; rationibus, ab hac tanta impietate deterrere: quod si minus hac via proficeret, tum primum brachium Regiæ Maiest. implorare, quod sperarem illi non defuturum, si paulò maiore studio contenderet. Sed nescio quomodo cum alijs in rebus animi satis habere videamur, vbi Christi causa agitur (quæ sola propriè pertinet ad nos) labascimus, nec in ea tuenda viros præstare nos audemus, ac modo nõ ab vmbra nobis nostra metuimus. Quod si tãtũ animi nõ est Episcopis, q sui gregis duces esse deberẽt, modò mandet Regia M. intrepidè faciet exequutionẽ illa verè Catholica schola Cracouiensis, quemadmodum fecit, ante tres annos, etiam absq; mandato Regio, statim delubrum illud sathanæ, solo videre licebit æquatum, ostenderunt illi singularem quendã zelum Dei, cum in societatem illius aliquem Belial admitti, ferre non potuerunt. Quod si qui cum imperio potestateq; versatur, eius id assensu fecissent, præclarum hoc eorum facinus nunq; satis laudari potuisset. Quod si qui sunt aggressi, quodã ardenti zelo incitati, nec aliò quàm ad Dei gloriam, quam contaminari tam detestando flagitio videbant, cũ alium, quam Deum Patrum nostrorũ in ea ciuitate, q̃ Regni caput est, seorsum à pijs omnibus coli cernerent, consilia sua referebant: Equidem non dubitarem etiam eos, de quibus fuit capitis sumptũ supplicium, in sanctorum Martyrum Catalogum referre. Maiorem in modũ iterum atq; iterũ à D.V. peto, nihil vt intentatum relinquat, quo tam execrabile facinus in ea ciuitate, q̃ Regni caput est, cuius illã Episcopum Deus constituit, in qua primum ego, lucem hanc aspexi, prohiberi possit. Etiam ab humanis præsidijs egregiè D.V. est instructa, nec opes illi desunt, neq; Clientellæ, nec ingenium, neque doctrina, neque prudentia, & rerum vsus, modo velit, impartiet illi gratiam suam Deus, os illud, illam sapientiam, illi tribuet, illas etiam vires suppeditabit, quibus, quamlibet fremant omnes inferorum portæ, nulla tamen ratione resistere possint, vnus ex familia fuit D.V. qui fanum hoc in tam prophanos & scelestos vsus exædificandum, & in Christi societatem Belial asciscendũ curauit,

curauit: sit etiam vnus ex eadem familia, qui neminem præter solum Deum veritus, & quidem Deum Patrum nostrorum, cui debetur honos, vt ille restituatur, omni cura, diligentia, labore perficiat, cui non sine causa, cùm CHristo nomen lauacro regenerationis ablutus dedisset, Petri nomen impositum est, vt memor sui nominis, petram se præstet immobilem, nec vllis, vel pluuijs, vel fluminibus, vel ventis irruentibus ab hoc sancto suo instituto dimoueri se patiatur, quo non nisi solum & vnum Deum, & quidem DEVM Patrum nostrorum in Dicœcesi sua, præcipuè verò in ea ciuitate, in qua Cathedram obtinet, coli permittat. Ingentem ea re nomini suo gloriam, & quidem sempiternam comparabit, copiosam à Deo mercedem rei tam præclarę gestæ recipiet: quin & propinqui sui, qui primus fuit huius abominationis author, animæ consulet. Nam si nihil aliud saltem pœnas ille mitiores, pro tam graui peccato suo sustinebit, Vale. Datum Romæ VI. Martij M.D.LXXVIII.

Augustino Rotundo Aduocato Vilnensi. Epist. CCLX.

Laudat humilitatem eius, quod tam præclari operæ, quam in eyciendis hæreticis præstitit, laudem à se amoueat.

RECtè tu quidem illud ex Poëta profers, verùm hoc genus hominum parum esse studiosum veritatis existimatur, quamobrem rectius illud quod dicit ipsa veritas producere potuisset: Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus: Nos verò tibi verbis eius respondissemus, qui germanus fuit veritatis interpres. Non dixit, inquit ille, veritas: Cùm omnia feceritis inutiles estis, sed vos dicite inutiles sumus. Dic, ne metuas, non ex tuo iudicio profero sententiam: nam si tu te ipsum dixeris inutilem, ego te vt vtilem coronabo. Si laudandum esse te propter ea, quæ rectè facta sunt per te, dixeris, reprobus effectus es: etiamsi fueris ante laudabilis: si verò inutilem te esse fatearis, factus es vtilis, etiamsi fueras ante culpabilis. Quamobrem, quo minus tibi places de bono opere tuo, quo minus eo nomine tibi deberi profiteris, hoc magis Deo places: hoc maiorem apud illum huic tam præclaro tuo facto mercedem positam habebis. Quod autem omnem laudem transfers in illum, verè pium Episcopum vestrum vigilantem sui gregis pastorem, laudo: debetur ei reuera laus hæc, atq; vtinam similes eius Episcopos multos haberet Polonia: meliorem in ea statum religionis videremus. Quod autem tam fortem animum ostenderitis, quod nullius præter quàm solius Dei metum præ vobis tuleritis, quod cum tanta tranquillitate, rem ex animi vestri sententia confeceritis, tibi tuisq; collegis plurimum gratulor, Nulla laminarum est iactura: habeat minister sathanæ laminas, dummodo bonus ille pastor habeat animas, quas illius fide suo sanguine redemptas Christus concredidit. Et certè si parem animum in cæteris locis Regiæ Maiestati subiectis adferrent Episcopi, non ita magno negotio CHristi perduelles hæreticos, Ministros præsertim, ex regno profligatos videremus: nec nobis à Moscho (quem ne suum flagellum contra nos esse Deus velit metuo) formidandum adeò foret, Deus precãdus est, vt ijs, quorum hoc est munus proprium, spiritum fortitudinis & consilij largiatur: Nam & ab vmbra sua sibi metuere nonnulli videntur, Vale. Datum Romæ XXII. Aprilis M D.LXXVIII.

Stephano Regi Poloniæ. Epist. CCLXI.

Respondet ad literas Regis, & ostendit primam esse curam habendam, vt religio, posteà, vt Resp. sit salua, hortatur etiam, vt Christianos Duces in suo exercitu præficiendos curet, & de Volano hæretico.

REdditæ mihi sunt literæ Maiestatis Vestræ, quibus meis respondet, quas de tuenda Christiana religione contra Christi perduelles hæreticos, semel & iterum ad Maiestatem Vestram dederam, & prudenter, & grauiter & elegãter scriptæ: quæ mihi maiorem quàm facilè credi queat lætitiam attulerunt, non solùm quia meas esse redditas gaudebam, quas perijsse iam arbitrabar, cùm per tot mẽses nullum ad eas responsum accepissem, verùm etiam quod præclaram illius & verè Christiano Rege dignam voluntatem ex eo responso cognoui: qua petitioni meæ satisfacere se paratam ostendit, quod non ita multò post semel & iterum non verbis magis quàm factis ipsis declarauit. Quod autem eam prudentiam & moderationem in his quę petita sunt à me conficiendis, adhibendam esse censet, vt ne quibuscam intempestiuis remedijs, & violentioribus attrectationibus exacerbari magis vlcus quàm curari videatur, institutum illius non possum non laudare: Nec mihi tamen sum conscius, quod author aliquando fuerim, vt malignitatem istius vlceris, de quo curando nunc agitur, cum quodam impetu tractaret potius, quàm commode id ageret. Multa sæpè scripta sunt à me hoc ipso argumenti genere, ex quo tempore præter voluntatem meam, cùm nihil tale cogitassem vnquam, in Episcoporum ordinem fui cooptatus, & ad Sigismundum secundum Regem, cuius memoria sit in benedictione, per quem hoc onus, humeris meis impar, mihi reluctanti fuit impositum, & ad successorem eius Henricum, & ad eum, qui post Henrici discessum ipse quoq; fuit Rex electus, Maximilianum, & simul, vt is in vnius

Universidad de Deusto
Biblioteca

viuis esse desijt, ad ipsam quoq; Maiest. Vestram: vellé, vt omnes hæ literæ meæ diligentius inspicerentur, & vel vnus locus in eis ostenderetur, in quo fuerim Serenissimos Reges meos hortatus, vt violentioribus aliquibus remedijs vterentur. Ecquidem fateor, quod istam sathanæ Synagogam, quæ sub Sigismundi Regis ex hac vita migrationem in ciuitate Vestræ Maiestatis, & quidem in ea ciuitate, quæ regni totius caput est, in qua primum ego lucem hanc aspexi, fuit fabricata, ferre nequiui, neq; tenere vlla ratione me potui, quin hortarer, monerem, orarem, obsecrarem Serenissimos Reges & Principes meos, vt ne tantam abominationem hanc ferrent, sed eam primo quoq; tempore tollendam curarent. Rem. n. indignam, nec vllo modo tolerandam iudicabam, quod, quo tempore vere Christianus, Catholicus, & Orthodoxus Rex, vna cum clero populoq; Christiano imperio suo subiecto, in templo Dei conseerato pie Deum coleret, sub illud ipsum tempus filij Chore, Dathan, & Abyron in prophano fano quodam, seorsum ab illo, seorsum à clero, populoq; illi subiecto, seorsum etiam ab orbe toto Christiano, non sacra, sed sacrilegia principi dæmoniorum Beelzebub facerent. Quam autem isti habẽt potestatem Regem & Dominum suum, & coniunctum illi clerum & populũ, quasi non esset verus veri Dei cultor condemnandi, & ab eo se per summum scelus segregandi: cùm tamen ipsi nouos & recentes Deos adorent, quos ignorauerunt Patres nostri. Quam etiam ob causam cùm pro CHristo colant Antichristum, vel Islebiensem, vel Geneuensem, vel quemcunq; tandem alium, non sicut Patres nostri Christiani, sed nouo quodam cognomine Euangelici vocari volunt, quasi verò extra CHristum, quem solum Patres nostri iam inde à sexcentis & amplius annis pie coluerunt, vllum esse possit Euangelium? sempiterni væ, & æternæ mortis annunciatio extra CHristum esse potest. Bonæ & lætæ alicuius rei nuncius extra CHristum esse nõ potest. Equidem fatebor, quod res est, adeò me cõmouit hoc tam execrabile flagitium, & tam atroxiniuria, qua non is tantum, qui regnat in patria mea, verùm etiam qui cœli terræq; totius imperium tenet, à profligatis & perditis hominibus afficitur: ac tantum animo meo dolorem attulit, vt non raro noctes etiam inquietas ducerem: nec vlla ratione continere me possem, quin à Maiestate Vestra, quo summo possem studio cõtenderem, vt ne tantam hanc abominationem ferret diutius, sed solo fanum æquandum, & cum puluisculo, quod aiunt, conuerrendum locum illum curaret. Verum illud semper addidi, quatenus id citra motus aliquos grauiores facere posset, nunquam ad arma capessenda Serenissimos Reges & Dominos meos vocaui, nunquam ad sanguinem effundẽdum incitaui, nunquam vt seuerius aliquid in istos Christi perduelles & regni Reiq; pub. perturbatores statueretur, sum hortatus: in eo solo lubens acquieturus, si qui tam horrendum facinus designassent, quales ipsi se fecerũt, tales haberẽtur. Et sicut cõmune cum Rege Dñoq; suo, cum clero & populo Catholico, cũ orbe toto Xpiano altare habere nolunt, sed ab eo se per summũ sacrilegiũ separant: ita in alijs etiã sint à Rege suo separati, neq; cõmune qdquam cũ eis habeat. Et si mouere eos senatu nõ potest, saltẽ ab eorũ consilijs, & cõsuetudine, tanquã ab exitiali peste plurimũ abhorrere se, planũ testatumq; omnibus faciat, & eos tanquã Ethnicos & Publicanos habeat, à quibus non esse Rex Christianus existimatur. Quam aũt illis iniuriam fecerit Maiestas Vestra, cùm sint ipsi suo iudicio condemnati: nec in templis Deo cõsecratis vllam cum Maiestate Vestra cõmunionem habere volunt, si & ipsa nullam in Polyticis quoq; rebus, cum Christi perduellibus istis communionem habere voluerit? Quod scribit Maiestas Vestra, quando quidem Ecclesiæ protectionem & Reip. moderationem, quæ mutuo complexu continentur, Deus illi mandauit ante omnia remp. conseruandam, ac tunc demum Ecclesiæ saluti consulendum esse: Longè diuersum ille nos docuit, qui non modo terrarum omnium, verùm & cœlorum est Rex & Dominus: Primum inquit ille, quærite regnum Dei, & cætera adijcientur vobis. Regnum Dei primum queri vult, quæ est Ecclesia Dei, quod cùm erit factum, futurũ, vt & cætera adijciantur, promittit: hoc est, vt respublicę conseruentur. Nunc existimatur, quę posteriore loco Deus posuit & cætera conseruari posse, non quæsito primum regno Dei. Etiam Ethnicus ille poeta dixit: A Ioue principium, non à republica. Adeò fuit insitum etiam in eorũ animis, qui nullam veri Dei cognitionem habebant, non posse reipublicas cõsistere, nec eis de salutari remedio prouideri, nisi ab eo sumptum fuisset initium, quem ipsi, quamuis falsò, Deum esse putabant. Et est hoc experta Maiestas Vestra, quo tempore contra suos, & eosdem CHristi rebelles, anno proximo superiore susceptа per eam arma fuerunt. Quod si tunc Christianos Duces exercitui suo præfecisset, multorum est opinio, quod longè fœliciores consiliorum suorum progressus & exitus habuisset. Sed quoniam qui concurrebant contra Ægyptios, ipsi quoq; magna ex parte fuerant Ægyptij, qui malunt Euangelici quàm Christiani vocari, & alienum quendam Deum colunt, quem ignorauerunt Patres nostri, nõ eum adhuc irato Deo, quem optabamus exitum, consilia Vestrę Maiestatis habuerũt. Ego verò nihil ambigo, quin Maiestas Vestra quem proximo superiore anno Archiepiscopũ in Russia constitui voluit, virum non quidem excellenti doctrina, verùm insigni pietate prædituм, eius monitis libenter sit paritura: qui cùm primam in Senatu Vestræ Maiestatis loco suo sententiam diceret: pro eo vt fidelem consiliarium Vestræ Maiestatis, & imprimis Dei ministrum facere decuit, vt à Deo placando & eius cultu promouendo sumeret exordiũ, admodum pie, tanquam bonus pastor Maiestatem Vestram admonuit, illud subinde repetens, Quod initio peccatum est, id corrige, si propitium tibi Deum habere voles. Noli putare, Serenissime Rex, hominis hanc vocem fuisse, quam ex illo primam in senatu tuo sententiam loco suo dicentem audiuisti: Dei vox illa fuit per hominem loquentis. Quandoquidem iudicio tuo, tuaq; opera factum est, vt in eorum numerum referretur, quibus dixit aliquando Christus, Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in

vobis.

vobis. Reuera spiritus Dei loquebatur per illum, spiritus Dei viam tibi demõstrauit, quam in regendo populo, quem fidei tuæ Deus concredidit, insistere debeas: Spiritui Dei si paueris, ne dubita, quin cogitationum tuarum omnium sis prosperos euentus habiturus. Noli Spiritui sancto resistere, monitis illius obtempera: quod peccatum fuit à te initio, paulatim omnibus modis corrigendum cura: Gratulor autem tuæ Maiestati, quod virum ista pietate præditum, hunc in Senatu tuo locum habere voluisti: cuius vtinam Episcopos patria mea similes multos haberet, qui pari in sententijs dicendis libertate vterentur: Sed quem Ecclesię quoq; Posnanienśi præesse voluisti, quamuis absens à Comitijs, præsens tamen in Ecclesia sua præclarè functus officio suo dicitur: Nam in domum Typographi cuiusdam ingressus, quem audierat contra suum interdictum hæreticos quosdam libros typis mandasse, tollendos eos, & Vulcano tradidit emendandos: cuius & ipsius nomine Vestræ Maiestati gratulor, & vt quanto quisq; diligentius cum alijs in rebus, ad cultum DEI pertinentibus, tum in hæreticorum insolescentia compescenda suo functus officio fuerit, tanto eum vberiore gratia prosequaris, maiorem in modum peto. Sic enim futurum est, vt omnia cogitata, factaq; tua Deus fortunet: & ex animi tui sententia euenire faciat tibi omnia. Quid autem rectè sperare non potes illo propitio? quid offenso illo rectè metuere non debes? Misi Maiestati Vestræ proximo superiore anno prophetam eximium illum Isaiam Tuliane loquẽtem, quoniam hoc genere dictionis delectari Maiestatem Vestram audio, quo nomine maiore etiam illius studio incendor: etiamsi, quamuis dicendi facultatem hanc sequutus quidem aliquando, non fuerim tamen vnquam assequutus: in hac autem affecta iam ætate mea, minus de ea laborem, supplico Maiestati Vestræ, quo tempore pro more suo Deum suis precibus reddere sibi propitium studet, vt sub idem illud tempus ex hoc sancto Propheta caput saltem vnum quotidie vel chartam vnam legere ne grauetur, magnam ex eius lectione consolationem, nec mediocrem fructum capiet, & quantum sit Ægyptiorum opibus fidendum cognoscet. Quale autem hoc fuit per Deum immortalem, quod proximo superiore autumno ad fines Lithuaniæ tuendos missæ quędam fuisse copię dicuntur: nec tamen in toto illo exercitu sacerdos, nec sacrificium fuit vllum, quo peccatis nostris offensus Deus placari posset. Quin volasse per castra dicitur Volanus quidam, & clamasse vna cum suis ministris, quod falsum sit, quod à CHristo dictum est, accepto pane, Hoc est corpus meum: Et accepto calice, Hic est sanguis meus, non esse in sacrosancta Eucharistia vel carnem, vel sanguinem vllum. Sic impius & blasphemus ille summã veritatem arguere mendacij non dubitauit. Quæso Maiestatem Vestram, an ferenda sint hæc tam impia, secum ipsa diligentius expendat. Cùm apud Serenissimum Imperatorem Ferdinandum nuncium agerem Apostolicum, annus iam agitur decimus octauus, audiuisse me recordor, quod Moschorum ille tyrannus, aduersum quem arma nunc parat Maiestas Vestra, literas ad Imperatorem illum dederit, quibus eum reddidit certiorem, quãdoquidem ipse diutius cunctatus fuerit in castigandis, qui sunt in Liuonia CHristi perduellibus hæreticis, & officium suum facere prætermiserit, se mandato Dei functum hoc munere fuisse, pœnasq; debitas de illis exegisse, qui sacerdotio & sacrificio sublato, quo solo Deus agnoscitur, omnem illius cultum abiecerunt, & in ordinem Deum ipsum coegerunt. Sic ille gloriabatur apud Cæsarem, se flagellum Dei fuisse contra Liuones: quandoquidem nullus esset Princeps inter Christianos, qui summam illorum impietatem coercere voluerit. Vehementer metuo, ne tale quid se fecisse de tuæ quoq; Maiestatis subditis, paulo post idem glorietur, nisi maturè medicinam adhibuerit Maiestas Vestra, nec eó rem perduci passa fuerit, vt illum iustæ sententiæ suæ Deus, aduersus impios exequutorem constituat. Quid autem est aliud, nauem qua vehitur exercitus perforare, quàm eum abiecto sacerdotio & sacrificio, diuinum auxilium non imploratur, sed in Ægyptiorum tantum opibus & potentia spes omnis collocatur? Quæso Maiestatem Vestram, ne committere velit, vt tale quid à Maiestate Vestra factum existimetur, si CHristum impunè blasphemari, mendacij veritatem argui, & ei debitum honorem detrahi passa fuerit: quin hoc omni studio contendat potius, vt qui Deo iam ablatus honor esse videtur, is illi restituatur. Si prouidere non potest, vt in exercitu Maiestatis Vestræ non sint aliqui Ægyptij, saltem ne Ducem aliquem Ægyptium habeat, prouideat. Aut si fuerit in hac quoq; re difficultas aliqua, Ducem illum Ægyptium admoneat, quo tempore castra mouenda sunt aduersus hostes, nullos in eis Sathanæ ministros alat: nec impediat, quo minus in illis pie Deus à pijs sacerdotibus colatur. Impium autem illum & blasphemum Volanum in vltimas terras deportandum curet: nisi malit quod sibi munus mandatum est ad illum deferri. Quod nisi curatum à Maiestate Vestra fuerit, vehementer metuo, ne grauius etiam vulnus accipiat, quàm quantum in proximo superiore Autumno fuit acceptum. Non desunt per Dei gratiam adhuc Maiestati Vestræ, qui magna cum spe rei bene gerendæ possint ab illa Duces exercitus designari, qui nihil habent cum Ægyptijs commune: nec alium Deum adorant, quàm quem adorauerunt Patres nostri, quem ipsa quoq; religiosè colit Maiestas Vestra, cum clero populoq; suo Christiano. Qui vir sit cum primis Illustris ille Palatinus Podoliæ Mielcecky, cuius etiam in re bellica spectata satis, iam & probata virtus est, Vestra Maiestas non ignorat. Cui non cedit scientia rei militaris. Siradiensis quoq; Palatinus Lasky, qui quamuis olim & ipse quoq; fuerit Ægyptius, tamen eundem nunc nobiscum Deum colit, cuius magna cum laude res in prælijs gestas, melius quàm ego Maiestas Vestra perspectas & exploratas habere debet. Eorum opera propitio DEO rectè contra suos hostes vti poterit, à quibus optatos etiam triumphos reportabit. Quam vt gratiam Deus Maiestati Vestræ largiatur, Supplices diuinam illius Maiestatem ad sanctorum Apostolorum & Martyrum thecas prouoluti, implorare nunquam prætermitte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus. Plura scribere cogitabam, sed ne prolixioribus literis legendis aliquam illi molestiam adferam, vt quæ restant in aliud magis commodum tempus reijcerem, faciendum existimaui. Vale Datum Romæ VI. Maij M. D. LXXVIII.

Nicolao à Micliec Palatino Podoliæ. Epistola CCLXII.

Gratulatur constantiam in tuenda fide Christiana: hortatur ad perseuerantiam: & vt Christianos non Ægyptios in exercitu Regio præficiendos curet: & quod Euangelium hæreticorum sit propria voluntas eorum.

Euangeliũ hæret. est propria voluntas eorum.

INdies huc ad nos gratiora quædam perferuntur, quæ sunt cum summa D. Vestræ laude coniuncta, de singulari illius pietate & ardenti quodam zelo tuendæ Christianæ religionis, aduersus CHRISTI perduelles hæreticos, qui iam non amplius Christiani sicut Patres nostri, sed Euangelici dici volunt: cùm sint Eigenvillici potius, quàm Euangelici: tot enim habent fides, quot voluntates: & Euangelium eorum est propria voluntas eorum, cùm non qui proprius est Euangelij vel scripturæ, sed quem ipsi volunt eius esse sensum, eum tanquam Dei verbum, adorari debere contendunt. Etiam Romæ sunt exauditi sonitus eorum verborum, quibus vsa est cum Ecclesiæ, quæ CHristi corpus est, propugnationem suscepisset. Quo nomine plurimum D. Vestræ gratulor, quod se tam fortem & constantem præbet, in causa CHristi tuenda, atq; vt illi donum perseuerantiæ largiatur, & quem semel ei concesit consilij spiritum & fortitudinis, eum indies magis atq; magis augeat supplex Deum precor. Nam quorsum res tandem redacta sit, videt D. Vestra, & ingemiscit proculdubio. Initium sumptum est, ab eius authoritate potestateq́ue conuellenda, quem propterea vnum Ecclesiæ præfectum Deus esse voluit, vt vnitas in ea conseruari posit. In Cathedra vnitatis posuit ille doctrinam veritatis. Cathedram hanc, quibus studijs euertere conati non sunt hostes vnitatis & veritatis, quæ non aliunde quàm ex vnitate dependet? Nec eis infœliciter conatus eorum cesit. Deturbarunt enim pluribus in locis de Cathedra sua Petrum vel CHristum potius, cuius ille vices in terris gerit, minores etiam Pontifices ex Petro pendentes de suis Cathedris deiecerunt: & cùm fides non potest esse nisi vna, nec vna esse queat, nisi præsit vnus CHristi Vicarius, & legitimus Petri successor, cuius ductum cæteri sequuntur omnes: quidquid autem extra vnam fidem est, non fides, verùm perfidia sit, quemadmodum ante mille ducentos & ampliùs annos, à quodam sancto Patre, præclarè scriptum est, sexcenta genera perfidiarum (disiecta Cathedra vnitatis) exorta: & cùm non posit esse verum nisi vnum, omnem fidei veritatem in plurimis locis, prorsus extinctam videmus. Posteaquàm probri loco haberi cœptum est, esse & dici Papistam, & sibi quisq; Pontificatum vsurpauit, sibi quisq; de causa fidei iudicium arrogauit, sibi quisq; suo scripturas arbitrio interpretandi, & quod esset expressum Dei verbum decernendi potestatem sumpsit, ad hoc cœperunt esse multæ fides: vix vt vlla iam superesse videatur. An autem & hoc euenisse non cernimus, vt mutationem religionis, Reipub. quoq; mutatio subsequitur? An Rex etiam ipse de suo solio deturbatus non est? An sicut multi Papæ, sic & Reges multi nunc facti non sunt? & quod Regis proprium est, iudicare, suumq; ius cuiq; tribuere, id in proximis etiam superioribus comitijs ad alios translatum non est? & quidem ad eos, vt audio: qui nulla cum potestate versarentur: cùm ex his qui sunt ordinis Senatorij nullus esse dignus censeretur, qui iudicis munere fungeretur. Quænam est hæc per Deum immortalem pluſquàm Babylonica confusio, quod cõiuentibus his, per quos id oportuit impeditum, de Ecclesiastico, idem nunc de Polytico quoq; magistratu factum esse videmus. Sicut ex Ecclesia, sic ex Repub. quoq; iam omnis esse sublatus ordo videtur, quodq; scripsit aliquando, quem Theologum Græci vocant, ἀναρχια γὰρ ἐστιν πολιταρχια, id proh dolor verius nunc esse cernimus, quàm vellemus. Quid autem aliud expectandum est, quàm vt aliquando iactatum fuisse de Caria legimus: Multitudo Imperatorum perdidit Cariam, id non multo ita post dicatur etiam de Polonia. Multitudo Regum perdidit Poloniam, dum, quibus permissum est, vt essent Papæ omnes, ijdem licere sibi volunt, vt sint Reges etiam & Imperatores omnes. Huc tandem perducta res est, vt in patria nostra multi viuant absq; lege, absq; Rege, absq; Sacerdotio, absq; sacrificio: & quod necessario sequitur absq; Deo: nam vbi nullum est sacerdotium & sacrificium, ibi certum est etiam Deum agnosci nullum. Cùm enim alij cultus omnes homini mortali, præsertim ei, qui cum imperio potestateq; versatur, tribui rectè posint, solum est sacrificium, quod nulli tribuere licet, præterquàm soli Deo immortali, quo solo cultu diuina potestas ab humana discernitur: qui cultus posteaquàm sublatus est, vt in ordinem Deus etiam ipse cogeretur: iusto iudicio Dei factum est, vt omnem etiam Regiam potestatem, & omnem qui debetur illi cultum sublatum esse videamus. Quamuis autem, quæ tantum auribus audiuntur, ab his qui longius absunt, maiorem dolorem adferre putentur, quàm ea quæ cernuntur oculis, ab his qui præsentes adsunt: non ego tamen facilè cuiquam concesserim: vt maiorem ex his quæ suis cernit oculis cruciatum aliquis hauriat, quàm absens ego capio, qui longius abesse videor. Quo maiore studio D. Nostram oro & obsecro, vt coniunctis consilijs cum Reuerendiss. Domino Archiepiscopo suo, cuius & ipsius pietas & in sententijs

tentijs dicendis, in CHristi causa præsertim libertas à multis prædicatur, omnes vias & rationes persequatur, quibus imprimis diuinæ, deinde & humanæ potestati suus vtriq; cultus, & quod vtriq; debetur officium restituatur, nec alius quàm Patrum nostrorũ Deus in propriè sibi dicatis templis ab omnibus vnanimiter colatur: nec in Ægyptiorum opibus, qui recentes & alienos Deos colũt, fiduciæ quicquam collocetur. Quod si iam eo prõ dolor, ventum est, vt Ægyptij non omnino refutari possint, & propulsari, saltem hoc efficere conetur, vt qui cum potestate versabuntur in castris Regiæ Maiestatis, quæ cõtra suos hostes mouere cogitat, hi non sint Ægyptij, sed Patrũ nostrorum Deum, reiectis omnibus recentibus & alienis Dijs, piè colant. Sic enim futurum spes est, vt qui se flagellũ Dei aduersus hostes Dei, quales esse Liuonienses existimauit, aliquando persuasum habeat, is consiliorum suorum minus prosperos progressus & exitus habeat. Dicitur in his castris, quæ proximo superiore autumno contra Moschos mota fuerunt, neq; sacerdos, neq; sacrificium vllum fuisse, nullus vt in eis Deus egnosceretur, sed volabat Volanus q̃dam, homo perditus & ꝑfligatus, & clamabat: Non est verum, quod accepto pane dixit veritas. Hoc est corpus meũ, & accepto calice, Hic est sanguis meus: nihil minus est ibi quàm corpus & sanguis Christi. Fuit hæc singularis Dei misericordia, quod qui sequebantur illa castra, illis terra non dehiscuit. Quæso suam vt operam oẽm impendat, si quis in Regię Maiestatis castris fuerit Ægyptius, vt is ad Deum Patrum nostrorum colendum, quod superioribus annis factum ab eo scimus, reuertatur: quoad eius fieri poterit, ab Ægyptiorũ commercio sibi caueat, nec in eorum viribus quidquam spei positum habeat. Volanum istum, & si qui sunt illi impietate similes, nisi velint ad saniorem mẽtem redire, ex castris suis eijciendos, & si minus alio supplicio grauiore afficiendos, saltem in vltimas terras deportandos curet. Quod si prouisum non fuerit, vehementer metuo, ne minus etiam fœliciter nobis consilia nostra cedãt, quàm cesserunt in illa oppugnatione Gedanensi, in qua cum Ægyptij versati, cũ imperio, potestateq; fuerint, maiorem ignominiam, quàm laudem ex eorum ꝓclaris factis reportasse existimamur. Ego verò ne nunc etiam maiorem cladem accipiamus, nisi Deo suus cultus restitutus fuerit, absq; magno metu esse non possum. Qua de re pluribus etiam ipsi Maiestati Regiæ scripsi, simul & Esaiæ Prophetæ, Tulliane loquentis librum illi misi, vt ex illo disceret, quàm sit periculosum in Ægyptiorum viribus aliqd spei & fiduciæ collocare. Misi & alterum Magnifico D. regni Cancellario, qui cum arcta propinquitate D. Vestræ coniunctus, & non alienum aliquem cum Ægyptijs, verum eundem nobiscum Patrũ nostrorum Deum colat, cum illo quoq; consilia sua cõmunicabit, quò facilius Regiæ Maiest. persuadere posit, vt ne qd cõmune cum Ægyptijs habeat, néue præfecturas aliquas illis mãdet, qui non eundem cum illa & cum reliquo populo Christiano Christum: sed alienos quosdam Deos, nimirũ ꝓ Christo vel Islebiẽsem, vel Geneuensem Antichristum, seorsum ab illius Maiestate, seorsum à clero & populo Christiano, non in templo Deo cõsecrato, sed in prophanis qbusdam fanis adorãt. Quod etiam in ciuitate Craccouiensi, in qua primum ego lucem hanc aspexi, quæ regni totius caput est, fieri prõ dolor, audio. Nam in ea domo quam Aceruum vocant, & est reuera malorum omnium aceruus, delubrum est ædificatũ, in cuius parte superiore Islebiensis, in inferiori Geneuẽsis Antichristus coli dicitur, quod vtinam prohiberet tandem aliquando Regia Maiest. & apertè Christũ vnũ Deum cõfessa, nullum se Belial in societatem eius admissuram clara voce pronũciet. An aũt & nobis exclamare cum Propheta non licebit? Stupor & mirabilia, hędi mei Elbingenses nõ patiũtur in ciuitate non sua, sed Regia, locum vt vllum habeat Christus, in quo caput suũ reclinet, in quo debitus illi cultus præstetur, in quo Dei verbum purum & expressum prædicetur, quamlibet instet & vrgeat pastor & Episcopus eorum, & Christianus Catholicus, & orthodoxus Rex, in ea ciuitate, quę regni caput est, ꝓ Christo coli Antichristũ gementibus Christianis omnibus ꝓmittit: Eóne tandem res recidit, vt plus valeat Burgimagister in ciuitate Regia non sua, ꝓ cultu Belial tuendo, quàm Rex in sua, quę regni caput est, ꝓ cultu Christi conseruando. Sed me dolor plura scribere prohibet: & excessisse modum epistolæ videor. Mitto aũt D. Vestræ, qui ꝓ me plura loquatur omnium eloquentissimũ Prophetam Esaiã, quo nullus alius Prophetarũ Ægyptios magis insectatur, eum horis succesiuis leget, præcipuè caput tricesimũ primum, ex eo cognoscet, quàm ficta sit societas cum Ægyptijs, & quàm rectè præsidium in illis collocetur. Vale. Datum Romæ Maij M. D. LXXVIII.

Guilielmo Duci Cliuensi. Epist. CCLXIII.

Hortatur ne quid hæreticorum importunitati concedendum putet, & maximè ne primam cunei partem, licet tenuis videatur, ad disrumpendam vnitatis Ecclesiæ integritatem admittat.

INstare nõnulli dicũtur ex his, q sunt imperio Cel. Tuę subiecti, vt à reliquo Christianorum cœtu, hoc est, ab ea quę mysticum Christi corpus est Ecclesia, in sacrosancti Christi corporis & sanguinis communione posint esse disiuncti: quorum tu tantę cõtentioni, quod nihil esse concedendum auctoritate tua putas, rem facis vere Christiano, Catholico, & orthodoxo principe dignam: Nam sathanę fraudes hę sunt, qui per hunc modum lignum crucis, per quod Ecclesiam suam congregare Christus voluit, disruptum, & eius beneficium euacuatum cupit. Et videntur hæ fraudes, quę ꝓ sathanæ ministros veræ pietati struuntur esse cuneo simillimæ, q prima parte tenuissimus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, nec in lignũ impactus: magnam ligni disruptionem facturus existimatur, verũ quamlibet illius prima sit acies tenuis, aditum tamen facit sequenti crassitiei: ita, vt cùm ea recepta fuerit, tãdem & reliqua recipiatur, donec lignum penitus disrumpatur. Quamobrem ab hac exitiabilis huius cunei prima parte, quam rectè quis interdictum ab Ecclesia calicis vsum esse dixerit, omnibus modis cauendum esse tibi putabis, si tuam & eorum, quos imperio tuo subiectos Deus esse voluit, animas ab interitu seruatas cupis. Nec enim existimare debes, quod si maximè concessum fuerit: quod ab illis petitur, in eo sint acquieturi: simul vt fissionem in ligno, impacta prima cunei parte factam esse viderint, mox & reliquam crassitiem, hoc est, Augustanam confusionem vt impactam videre queant, omni studio contendent & elaborabunt: neq; nisi perfecta re conquiescent. An autem hoc periculo nostro non didicimus? ante triginta hos annos nõne fuit impacta prima cunei pars. Interim religione: magistratus conniuentia, permissa potius quàm concessa, cùm eius concedendi potestatem habuerit nullam: ex hac autem permissione, quem fructum subsequutũ esse videmus? Pauci anni interceſſerunt, cùm & reliqua crassities, cui prima cunei acies aditũ fecerat, hoc est Augustana cõfusio, tota fuit recepta, & qd' fuit bellũ religionis pax religionis appellari cœpit. Sed qualis pax p Deũ immortalẽ? multò maiora quã antea fuerant ex ea prælia sunt consequuta: nam præterquàm, quod magnas eorum ipsorum qui fuerũt huius confusionis authores, inter se dimicationes exortas vidimus: iam quæ vocabatur Augustana Confessio, prorsus esse sublata videtur. Qui fuerunt in ea damnati Tygurini Geneuenseſq; hi nunc non tantum in Gallia, Anglia, Scotia, verùm etiam in maiore Germanię parte, reiectis Lutheranis, recepti sunt: qui veritatem accepto pane, Hoc est corpus meum, & accepto calice, Hic est sanguis meus, disertis verbis pronunciantem arguere mẽdacij non verentur. An autem his finibus istorum impietas est circumscripta? Non defuit, qui publicè Braunsuigæ volens mẽdacij Christum arguere, dicentem: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, eadem impudentia, negauerit esse verum, quod scriptum à discipulo veritatis legimus, Verbum caro factum est, vt probaret, nullam in Eucharistię Sacramento Christi carnem esse, quãdoquidem ex virgine matre carnem susceperit nullam. Alij verò longius etiam impietatis & amentiæ proruperunt: qui Christum Deum Deiq; filium esse, libris etiam editis inficias ire non dubitarunt, & eo tandem ventum est, posteaquàm multę fides esse cœperunt, vt iam in pleriſq; Germanię locis fides prope sit nulla, quod passim queri multos in aureo suo libello, quem proximis superioribus annis in lucem edidit, scribit Georgius Ederus Cæsareæ Maiestatis Consiliarius, vir valde pius & doctus, quẽ in manibus tuis crebrius versari cuperem. Quod si fortasse parum aliquos mouerint huius præclari viri scripta, propterea, quod Christianus est, (quem Papistam vulgò vocant) & non Lutheranus: legat Cel. Tua librum de persona & incarnatione Christi, quem Schola Vvittembergensis ante quatuor annos conscripsit, in quo discipulos suos horrendas illas hæreses, quæ à mille ducentis & amplius annis cõdemnatæ fuerunt, ab orco nunc reuocatas passim in vulgus spargere thragice vociferantur, cùm non aliud illis propositum esse dicat, quàm vt Machometismo & Alcorano viam præparent: & quod hactenus in Ecclesijs de officijs & beneficijs Christi docebatur, id in dubium reuocent, vt sic impleatur illud, quod à Christo prædictum legimus: Putásne filius hominis veniens, inueniet fidem in terra? quos etiam in suspicionẽ vocare non dubitant, quasi nullum in cœlo Deum esse credant. Quamobrem eos qui cum potestate versantur, diligenter monẽt, vt oculos tandem aperiant, quibus tam fœdos eorum & execrandos errores contemplari possint, fidem etiam aduersus eos omnium implorant, atq; vt maturè venientibus malis obuiam ire velint hortantur, & obtestantur: simul & pœnarum admonent, qbus grauissimis affectus est Oriens, cùm eiusdem generis hæresibus infectus fuisset. Vbi quondam insignes Ecclesias videre licuit, quæ ab ipsis Apostolis & eorum successoribus plantatæ fuerunt, ibi nunc horrendam quandam cerni desolationem & vastitatem: nec enim potuisse Deum ferre diutius tot & tantas blasphemias, quin quas merebantur pœnas de illis prosequeretur. Quod si parum Ederi valet authoritas insigni pietate viri, valeat saltem scholæ huius, hoc est, malorum coruorum de suis ouis pessimis testimonium, vt quem fructum protulerit hæc ab Ecclesia Dei separatio, cuius initiũ factum est à prohibito calicis vsu, cognoscat. Quid autem vel cogitari potest magis absurdum, quàm quod in eius sacramenti vsu separatio quęritur, per quod vnus vt panis & vnum corpus essemus oẽs, de vno pane participare nos Deus voluit, quod etiam ideo sub specie panis instituit, vt sicut ex multis granis vnus panis, sic ex multis membris vnum corpus, & quidem CHristi corpus efficeremur? Sacramentum pietatis, signum vnitatis, vinculum charitatis, mysterium hoc Christus esse voluit: nunc isti non aliud maiore studio contendunt & elaborant, quàm vt illud facere possint causam diſsidij, materiam diuisionis, fomitem odij. Quam autem aliam ob rem adeò turpẽ & ignominiosam crucis mortem pro nobis obire dignatus est Christus? quàm vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum: nunc isti quod ille congregauit sanguine suo, per summum sacrilegium dispergere conãtur. Quid autem ardentius à patre suo cœlesti precabatur Christus, sub illud ipsum tempus, quo sacramentum hoc erat instituturus, in quo mors illius annunciatur, quàm vt omnes in ipsum credentes, vnum cum ipso, vnum essent inter se. Et in quo Sacramento maximè nobis Deus vnitatem cõmendatam esse voluit, in eo diuisio quęritur, & à reliquo Christi corpore separatio, vt non eo ritu, quo Christiani, sed quo Lutherani vtuntur communicare quibusdam liceat. Certè CHristus colligere venit, non diuidere, quod etiam illis verbis testatur, quibus Hierusalem alloquens, Quoties, inquit, volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti? Qui verò disgregat, qui rapit, qui dispergit, qui diuidit, lupus est, diabolus est. Dixisse

xisse quendam in Euangelio Christi legimus, Domine dic fratri meo diuidat mecum hæreditatem. Quid autem Christus ad hæc? Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Hæreditas Ecclesia est, huius non diuisor, verùm collector est Christus: diuisor est autem ille, de quo dixit Oseas Propheta, quod ipse diuidit inter fratres, hostis humani generis diabolus. Hunc diuisorem fuge per Deum immortalem, remis quod aiunt velisq; nec ea res quicquam te moueat, si quis expressum esse Dei verbum vociferetur: Bibite ex hoc omnes. Nam vbi legimus expressum Dei verbum, Omnes, ibi non minus expressum verbum legimus, Duodecim, vt ad illos duodecim Apostolos præceptum hoc pertinere videatur: idq; non alio tempore, quàm quo sacris operantur. Sed locum hunc nolo nunc pluribus explicare, cùm ante annos viginti scriptus à nobis fuerit libellus de expresso Dei verbo, quem ego tibi misissem, nisi multas etiam in linguas conuersum passim apud Bibliopolas prostare scirem. Mitto autem quasdam epistolas ad Sereniſsimos Suetiæ Regem & Reginam hoc ipso argumento scriptas, quas vel ipse leges, cùm tibi cõmodum fuerit, vel alijs legendas trades, quorum opera scrupulus, si quis quorundam animis iniectus est de calice necessariò ab omnibus sumendo, possit tolli. His adiunxi Palinodias etiam cuiusdam, quarum quæ secundo loco scripta est, materiam hanc de qua agitur, copiosè pertractat. Editus autem est & hic libellus in ciuitate ditioni tuæ propinqua Colonienſi à Materno Cholino, à quo plura peti poterunt exemplaria, si quis has Palinodias legere dignatus fuerit. Ego verò quibus maximis possum precibus à te contendo, diuisorem vt fugias, quod precioso sanguine suo collegit Christus, dispergi ne patiaris, quam in symbolo tuo te credere profiteris, vnã, sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam, sanctissimam parentem nostram, qua par est pietate venereris: illi te permittas, illam audias, illam secundum Deum ipsum verearis, nec ab illius placitis vel vnguem, quod aiunt, latum discedas: Ita futurum est, vt & in hac vita progressus & exitus consiliorum tuorum fœlices, & cùm ex ea migrandum fuerit ea præmia consequaris, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Vale. Datum Romæ XI. Aprilis M. D. LXXVIII.

Ferdinandus à Toleto Stanislao Hosio Cardinali. Epist. CCLXIV.

Agit gratias pro gratulatione dignitatis Cardinalitiæ, quam tamen non acceptauit, eiusq; consilij causam tantum innuit.

MVlti me existo sacro Cardinalium collegio suis literis quamuis ignotum humanissime salutarunt, summi Pontifices in me liberalitatem gratulantes, quorum iudicia & quanta potui veneratione suscepi, & grati animi significationem si non præstiti, saltem summoperè optaui, cùm tamen Illustrissimæ D. Tuæ honorificam epistolam accepi, ea sum perfusus lætitia, ac si te longa consuetudine & multis ac magnis acceptis beneficijs cognouissem, immò re ipsa vtroq; nomine noram: nam ex religioso viro fratre Petro de Soto, (quem totius ferè Christianæ educationis habui magistrum) multa olim de tuo pro domo Dei zelo, singulari eruditione in gerendis religionis, aut Principum negotijs eximia dexteritate attentus auditi, & in tuum amorem iam tunc vehementer exarsi. Legi deinde magna admiratione & voluptate, quæ reperire potui scripta tua, quibus non tam eloquentia, quæ tibi est eximia, quàm fulminibus è cœlo missis inimicas Dei acies dissipare, & in apertam fugam conijcere videbaris. Nunquam tamen sperare ausus sum ab eo, quem tantoperè ignotum colebam, me ita benignè & honorificè appellandum, sed præ gaudio dubitans, an ipsemet esses, contuli D. V. Illustriſs. nomen manibus exaratum, cùm excusis exemplaribus, requisiui etiam in cathalogo Cardinalium, & cùm omnia Stanislaum Hosium testarentur, omnes ferè tuarum literarum apices sacra quadam obseruatione exosculatus, gratias Deo egi, & supplex precatus sum, vt per multos annos te incolumem huic S. Sedi seruet. Cæterùm de dignitate quid decreuerim, audisti iam antequàm ab hac epistola discas, & nisi illius prolixitas, & tuæ grauissimæ occupationes deterrerent, totius mei consilij rationem libenter explicarem, vt intelligeres excusationis pondus ad eximiam venerationem, qua sacrum istum senatum semper colui, pertinere. Illud supplex oro, vt me mimum D. Tuæ Illustriſs. clientem apud sacros collegas ab omni suspicione proteruiæ aut arrogantiæ tuearis: nam apud summum Pontificem Maiestatem Catholicam meis precibus hoc ipsum facturam de eius benignitate fidens spero. Et cùm à D. T. Illustriſſ. tanta acceperim, tanta petam, quid offeram tuæ magnitudinis & meæ tenuitatis conscius non inuenio. Sed superest ditissimus pauperum pater, qui illorum æs alienum cum ingenti fœnore se redditurum promittit: hunc ego assiduis precibus interpellabo, vt te omni genere virtutum & eruditionis auctum permultos annos Ecclesiæ seruet incolumem. Vale. Datum Talabaræ IIII. Idus Maij M. D. LXXVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petro Myskovvsky Episcopo Craccouiensi. Epistola CCLXV.

Rogat & hortatur, auctor vt esse velit Regiæ Maiestati, vt in exturbandis & & coercendis hæreticis Christianissimi Cæsaris Rodolphi exemplum imitetur.

QValem se gerat vere Christianissimus Imperator, quandoqdem Vienna minus longè distat à patria nostra, non dubito, quin prius isthuc ad vos, quàm huc ad nos perlatum fuerit. Quæ magna est illius pietas & religio: singularis etiam animi fortitudo, cùm non in opibus Ægyptiorum, quibus ex omni parte circumuallatus est, sed in Deo Patrum nostrorum Domino nostro IESV Christo fiduciam suam omnem habeat collocatam, eius solius præsidio fretus, quamlibet frementibus omnibus inferorum portis, rem aggressus est, vere Christiano, Catholico, & orthodoxo Imperatore dignam. Cùm enim à subiectis sibi populis alienos Deos coli videret, memor illius, quod à sancto Propheta scriptum est: Audi populo meus, & contestabor te Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, nec adorabis Deum alienum. Tam graue populi sui flagitium ferendum sibi diutius esse non putauit, & omnia fecit, vt quos ignorauerunt Patres nostri, recentes & alienos Deos istos è suis ditionibus omnibus propulsaret, quo solus in illis Deus Patrum nostrorum ab omnibus vnanimiter coleretur. Et quoniam propter ingentem eorum numerum, quos ab vnius veri Dei cultu desciuisse videt, quæ pro Dei gloria in animo suo proposita habet, vno eodemq; tempore se minimè perficere posse intelligit, hoc saltem effecit interea, vt illos profligaret, per quos ad nouos recentesq; Deos colendos, populum suum incitari cognouerat. Hunc tam pium, tam fortem, tam excelsum animum Imperatoris optimi, quibus verbis laudare satis queam, non inuenio, & ex hoc illius præclaro facto, maiorem, quàm facilè credi queat, animo læticiam capio: nam in certam spem venio (quemadmodum ex Austria manauit ad nos, quidquid est in religione perturbationis, cùm & mihi fuerit aliquando exemplum Austriæ obiectum, vt ferendum in Polonia diceretur à Rege, quod ferebatur in Austria, & in finitimis terris ab Imperatoribus) ita futurum deinceps, vt huius laudatissimi Imperatoris exemplum, Serenissimus quoq; Rex noster amplecteretur, cùm præsertim quæ singularis est DEI misericordia, multo meliore loco sit, & fuerit semper hactenus apud nos religio, quàm in Austria, minusq́ue multi sint in ea, qui Deos alienos sequantur, nec eorum cultus, tam altas adhuc radices egerit, vt absq; magno negotio nequeat extirpari. Magis etiam confirmat hanc meam spem eorum pietas, & in fide Christiana contra CHRISTI perduelles tuenda constantia, qui literis in Academia Craccouiensi dant operam, quos ministris sathanæ, quorum opera noui recentesq́ue Dij in ciuitatem illam introducti sunt, quasi bellum quoddam indixisse nobis hic renunciatur: quos non dubito finitimo hoc exemplo magis etiam ad prosequenda, quæ cœperunt incitatos iri. Quamuis per legitimam potestatem id fieri mallem, quæ si tantum animi non habet, vt apertè CHRISTVM audeat confiteri, (nam eo loci proh dolor, redacta iam res est, vt non desint, qui cœlum ruiturum existiment, si paulo CHRISTVM apertius confiteamur) saltem istud curari vellem, vt ea conniueret in illorum pijs conatibus, quos tanto zelo ad propulsandos Deos alienos vident inflammatos. Qui præfectum agit istius vrbis, & est aliqua propinquitate Dominationi Vestræ coniunctus, non prorsus alienus esse dicitur à DEO Patrum nostrorum colendo, nisi quod pudore quodam prohibitus, id præ se ferre non audet, quod si vel apud ipsum, vel apud eos, quorum vicaria opera vtitur, institerit Dominatio Vestra, vt conniueant in his, quæ fiunt per vere nobiles & pios illos CHRISTI milites, qui literis operam isthic nauant, quo sic sathanæ ministri citra tumultum vllum ex vrbe illa paulatim exterminentur, vere boni pastoris officio functa fuerit, deq́ue tam præclaro hoc illius facto nulla vnquam ætas conticesceret. Sin autem & hoc perficeret, vt Imperatorem imitatus Serenissimus Rex quoq; noster suam apertè voluntatem declaret, quod vt in ciuitatibus sibi subiectis alieni Dij colantur nequaquam ferat, sed vnum tantum DEVM Patrum nostrorum ab omnibus adorari velit, multò celebrius nomen suum ad posteros transmiserit. An autem & nos cum Propheta non possumus exclamare, stupor & mirabilia? Qui Regiæ Maiestati subditi sunt, in suis villis & oppidis DEVM Patrum nostrorum, coli non permittunt, & vt in suis ciuitatibus colatur DEVS alienus, nec habeat in illis CHRISTVS vbi caput suum reclinet, permittit Rex Christianus, nec audet hoc in Christiana fide tuenda, quod audent illi in sua perfidia propaganda. Nihil est opus exempla longius petere. Quo statu sit apud hædos meos Elbingenses religio, non ignorat D. Vestra. Sunt proh facinus execrandum, ex ea ciuitate pulsi fideles CHristi ministri, & proscriptus eorum opera CHristus, non habet vbi caput suum in eo reclinet, quodq; fert etiam immanis Turcarum tyrānus, vt ritu Christiano CHristus in suis terris colatur, id non ferunt hædi mei, qui partim Islebiensem, partim Geneuensem Antichristum colunt, nec purum Dei verbum in Regia nō in sua ciuitate prædicari pmittunt, & patitur Catholicus Rex, vt in ea ciuitate, quæ regni caput est, Antichristus colatur. Quæso D. Vestram, vt ex ea ciuitate, cuius ipsa pastor est, nouum istum recentemq; Deum, quē ab annis plus minus octo, in ea domo q̄ dicitur Aceruus, & est reuera malorū omniū aceruus, colere nonnulli cœperunt exterminandum, in eam verò, cuius ego pastor sum, Christum qui proscriptus ex illa fuit, ante annos plus minus quinq; curet restituendum: quod ego iam tot annis frustra laborasse videor: vtriusq; nostrum animæ saluti prospexerit, quin & multorū animas Christo lucrifecerit & ab interitu seruauerit, me verò magno sibi beneficio deuinxerit, vt quoad vita mihi superstes erit, in illius ære semper sim futurus. Vale. Datum Sublaci XXII. Iulij M. D. LXXVIII.

Stephano Regi Poloniæ. Epist. CCLXVI.

Supplicat, vt hæreticorum audaciam reprimat, qui prohibita regni constitutionibus conuenticula faciebant, exemplum Cæs. Maiestatis imitetur. Aceruum malorum omnium Craccouiæ demoliendum curet, & Elbingenses Burgimagistros ad officium cogat.

QRedibile non est, quantā ea res animo meo dolorem adferat, quod in ea ciuitate, quę regni caput est, in qua primum ego lucem hanc aspexi, in qua iam inde à sexcentis & amplius annis vnus tantum Deus & Dominus noster IESVS CHristus, vno ore & vno animo colebatur ab omnibus, in qua multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nunc nouos, recentes, & alienos quosdam Deos, quos ignorauerunt Patres nostri, in quadam domo, quam Aceruum vocant, (& est reuera malorum omnium aceruus) seorsum à Maiestate Vestra, seorsum à clero populoq; illi subiecto, seorsum ab orbe toto Christiano coli video, non solùm non prohibente quoquam, verùm etiam perditis ac profligatis quibusdam hominibus, qui dereliquerunt Deum Patrum nostrorū, qui se per summum scelus ab illis segregarunt, qui Christi corpus mysticū Ecclesiam (quod ille tanti fecit, vt viuum & verum suū corpus in mortem, & qdem ignominiosam crucis mortem pro illo traderet) in tot particulas conseiderunt, minas etiam quasdam denunciare ausi, si quis impedire sit conatus, quominus libere sacriiegia sua exerceant. Equidem stupeo, cū hęc à Christiano, Catholico, & orthodoxo Rege tolerari audio, quasi nullum is inter Christi & Belial cultū discrimen esse intelligat, cùm etiam ipsi pueri in recta religione instituti, tam horrendum facinus ferre se non posse, diuino quodam spiritu instincti, semel & iterum non obscurè testati sint. Adeò natura etiam pijs omnibus insitum esse videtur, vt adorari duos Deos, & in Christi societatem Belial admitti, pati nequeant: Ac videat Maiestas Vestra quid sit ex ista conniuentia, eius, qui cum imperio potestateq; versatur consequutum. Plures quàm vnum Deum coli videmus, & ingemiscimus, Reges etiam plures quàm vnum in regno Vestræ Maiestatis, non minore cum dolore & stupore cernimus. Indixit Maiestas Vestra de sententia omnium regni ordinum comitia VVarschauiæ, vix ea fuerūt absoluta, mox alius nescio quis indixisse fertur, suum quoq; regni constitutionibus prohibitum conuenticulum, in eo loco, in quo iam à multis annis haberi comitia semper consueuerunt: seorsum à Maiestate Vestra, seorsum à pijs omnibus, seorsum à clero populoq; Christiano, ad quod suæ farinæ homines Christi perduelles hæreticos vocauit. Quale sit hoc, Vestræ Maiestati iudicandum relinquo, qui se diuiserunt à Christi corpore Ecclesia, ijdem se & à regni corpore segregarunt, sicut plures Deos quàm vnum: sic plures etiam Reges habemus quàm vnum. Quem autem huius rei futurum exitum existimat, eqdem horreo dicere: Sed dicendū tamen, simul Deus precandus est, vt pro sua misericordia tantam hanc pestem à nobis procul auertat: quem alium quàm de quo Christum in Euangelio dixisse legimus: Omne regnum in seipso diuisum desolabitur. Nec enim aliud quàm interitum eius generis diuisio adferre consueuit. Animaduertit hoc pius ille Imperator Rudolphus, qui quamuis adolescens necdum ad maturam ætatem peruenisse videatur, virili tamen animo facinus aggressus est, forti vereq; Christiano Imperatore dignum. Non ignorat Maiestas Vestra, quod in terris ei subiectis altiores multò radices egerit ea pestis, quæ post obitum Sigismundi primi Regis in regnum Poloniæ permanauit, cùm quidquid in illo schismatum & hæreseon est, ex illis potissimum ad nos deriuatum sit. Fecit ille tñ modo non puer, quamuis hæreticis vndiq; circumuallatus, & omni propemodum humano præsidio destitutus, in solo Deo fiducia sua collocata, quod fortem virum, vereq; Christianum Imperatorem facere decebat, vt quamlibet inueteratum hoc malum ex terris suis propulsaret, eiectis ex illis Belial ministris, quantumlibet frementibus inferorū portis. Nullū enim alium præter Deum, cuius causam agebat, sibi metuendum, nec in alio spem suam ponendam existimauit. Quàm autem gratum ea re Deo sacrificium obtulerit, vel illud potest esse documento, quod sub illud ipsum tempus in ea ciuitate, quæ regni Hungariæ caput est, sempiternorum crucis Christi hostium Turcarum, etiamsi nullus mortalium nos admouerit, tantam tñ stragem diuinitus esse factam audiuimus, vt si maximis etiam copijs Budense castrum oppugnatum fuisset, maiorem edere vix potuerint. Sic Deus ipse de cœlo pro pio Imperatore pugnauit. Ad eundem modum & Serenissimo fratri illius Carolo ex ijsdem hostibus vnam & alteram, modo non eodem tempore minime contemnendam victoriam concessisse dicitur. Quorū verò diuisum est cor, quid aliud hi possunt expectare, quàm quod à propheta scriptū est: Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Quāobrem supplex à Maiestate Vest. peto, ne velit pati, diuisum vt sit cor, & cū nulla sit Christi & Belial cōuentio, ne pmittat vt simul in regno suo, præsertim in ea ciuitate, quę regni caput est, vtercq; colatur, ne fortè veniat in suspicionē aliqbus, quasi plus à Belial quā à Christo sibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

sibi metuat. Scripsit aliquando Martinus Luth. qui primus ætate nostra fuit in Ecclesia diuisionis huius auctor, quod fortior est vnus diabolus, quàm oēs hoiēs. Demus hoc illi, si quando Deus id pmiserit. At ego cōtra cū pijs omnibus nō dubitanter affirmauerim, qđ fortior est vnus Xps, fortior est vnus Deus Patrū nostrorū, à quo se nefaria quadā diuisione pditi & profligati hoiēs in regno Vestræ Maiest. præciderūt, plus aliqd addā, fortior est vna fęmina vere Xpm cōfitēs, & in eo solo spē & fiduciā oēm collocans, quàm mille millia legionū diabolorū omniū. Quamobrem cōfidat in Deo Patrum nostrorū, virū se præbeat, nec à puero vinci se patiatur, plus vt ille in Christiana religione tuenda, quā Vestra Maiest. animi habuisse videatur. Illius exēplo Christū intrepidè cōfiteatur corā omnibus, & istos recentes & alienos Deos procul à regni sui finibus arceat. Quęso p Deum immortalē, plus aliqd in eo fiduciæ collocet, nec à diabolo sibi tantoperè metuendū existimet, cūcta futura sunt illi lætiora, lrato Deo nihil est, quod aliqd se profecturū speret, propitio Deo nihil est, quod si semel aggressa fuerit, fœliciorem cōiliorū suorū exitū expectare nō possit. At quomodo propitius esse potest, si cùm sit zelotes, alienos Deos in regno Vestrę Maiest. & in ea ciuitate, quæ regni totius caput est, ad hoc tam nefariū scelus Maiest. Vestra conniuente coli videat? Ecce Burgimagister Elbingensis, posteaquā semel p summū sacrilegiū à Christi corpore se præcidit, vt in oppido quod est propriū Vestræ Maiest. Xps locū habeat, vbi caput suū reclinet, vbi debitus illi cultus præstetur, vbi purū illius Euangelium prædicetur, non permittit: & Rex Catholicus patitur in ea ciuitate, quæ primaria regni totius est, Belial adorari in maximā Christi cōtumeliā? Cur nō æquè se fortē Gracouiæ præbeat Vestra Maiestas in religione Christiana cōseruanda, sicut se præbet Elbingæ Burgimagister illius in Antichristi doctrina, qua nihil potest esse pestilentius, propagāda? Sed ego si nō possum hoc impetrare, vt in aliena Diœcesi solum Christum Deum Patrum nostrorum coli mandet, nec in societatem eius vllum Belial admitti pmittat, saltem hoc supplex ab illa peto, vt in eo oppido, quod est in Diœcesi mea in temporalibus Maiestati V. subiectum, locū aliquem concedi iubeat, vbi Christus caput suum reclinet, & qui debetur illi cultus præstetur, nec persuaderi sibi patiatur, si Christum apertè confessa fuerit, quod statim cœlum sit ruiturum. Citius ruet si tanta cōiuentia diutius vsus fuerit. Iam. n. tertium annum Christus longanimis & patiēs, vt officio tuo fungaris expectat, qui si diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis suæ contemni videt, tarditatem supplicij grauitate cōpensare cōsueuit. Sicut in ceteris, sic & in hoc quod peto, monstra te esse Regem, & qdem Christianū, Catholicum, & orthodoxum Regem, nō te populo, verùm tibi populū Elbingensem, vna cum suis Burgimagistris subiectum esse, planum, testatumq facias omnibus. An aūt ea res nō est multis lachrymis & magna cōmiseratione digna? quod sub graui Turcarum tyrāno Christianis Christum Christiano ritu colere, & eius verbum prædicare licet: id non licere sub vno Burgimagistro, qui Christiano Regi subiectus esse deberet: nec eū vel in cœlis, vel in terris vllam potestatem agnoscere: melior vt sit Christianorum cōditio, qui sub Turcis, quàm qui sub Burgimagistro degunt. Quā indignū sit hoc facinus, quāq minimè ferendū à Christiano Rege, quæso, vt secū diligentius expendat Maiestas V. tum & illud cogitet, qđ vbi Burgimagistri volunt esse Pōtifices, ibi Reges quoq esse cōtendunt, nō se Regi, sed sibi Regē subiectum esse volunt, quod etiam periculo suo iam satis didicisse videtur: Maiorem in modum iterum atq iterum quęso, vt & se, & cęlestem etiam illum Regē, cui Maiestas V. subest, à tanto cōtemptu vindicet, cùm ab eo in tam sublimi gradu propterea collocata sit: vt quod est officij sui nō solùm cōtra suos, verùm & cōtra Christi rebelles, id in illius potissimum causa strenuè exequatur: Hæc ego si liberius paulo Maiestati V. scribere videor, ne durius id accipiat oro. Nam cùm sim illius oppidi Pastor & Episcopus, officium me meum ad id faciēdum impellit. Dolet mihi tot animarum interitus, quas ego, p eo, vt debeo seruatas cuperem. Sed nec minus ea res dolet, quod & Vestræ Maiest. animā in extremum periculum adductam iri video. Si quod esse scit sui muneris, id facere prętermiserit, & quē ex oppido Elbingēsi proscriptum esse Christum videt, eum restituere vnde pulsus est, neglexerit. Magis illi secunda deinceps euenient omnia, si Christum apertè confessa tuendæ & propagandæ illius fidei, curā tñ aliquam susceperit. Quod si secus fecerit, esse Deum in cœlo, & res humanas respicere sciat. Quem ego precor, vt Maiestati V. propitius esse velit, ve consilij & fortitudinis illi spiritum largiatur, eamq diu seruet incolumem, & omni fœlicitatis genere cumulet. Cuius me gratiæ, clementiæ, protectioniq Regiæ humillimè commendo. Datum Romæ XXVIII. Septembris M.D.LXXVIII.

Ioanni Demetrio Solikovvsky. Epist. CCLXVII.

Rogat, vt ipse quoq, det operam vt apud Elbingenses Christus locum habere queat, vbi caput suum reclinet.

QRandi & obsecrandi, vt qui proscriptus est à Burgimagistris Elbingæ Christus, in eam ciuitatē, vna cum suis fidelibus ministris restituatur, finē facio nullum: neq tñ quicquā proficio, quamuis tertius iam annus agatur, ex quo tempore ad regni gubernacula Regia Maiest. accessit. Perturbatior esse dicitur Prussiæ status, quàm vt ea de re nunc agi rectè queat: itaq tempus aliud esse magis oportunum expectandum. Nam illi seruiendum esse: Dicebamus olim, DEVS cui seruire regnare est, nunc à quibusdam dicitur: Tempus cui seruire regnare est. Nam DEO seruire, regnum est perdere. Mirum ni sit hæc Aulica vestra

vestra fides, qui periturum regnum, ruiturum cœlum persuasum habetis, si qui eum pōtestate versantur, paulò CHristum apertiùs & liberius confiteantur: & in eius religione tuenda plus aliquid studij collocent. Quæso D. Vestram, qui sunt à consilijs Regiæ Maiestatis, vt his persuadere conetur, vt moneant illam, Deo potius vt seruiat, quàm tempori, & Christianissimum Imperatorem Rudolphum imitetur, qui quamuis omnium mortalium præsidio destitutus, & ex omni parte CHristi perduellibus, non externis magis, quàm domesticis circumuallatus, fortem tamen & excelsum animum suum in tuenda & conseruanda Christiana religione, in Sathanę ministris ex Austria propulsandis, in veri Dei cultu, quibus in locis collapsus fuit restituendo, Deo potius quàm tempori seruiens, magna cum sui nominis gloria declarauit. Non ignorat D. V. quod multo fuit status religionis deploratior in Austria quàm sit in Polonia, cùm paucos in ea Christianos, longeq plures Lutheranos & Caluinianos videre licuerit. At in communi patria nostra, sunt adhuc per Dei gratiam plusquàm septem, immò plusquàm septingenta millia, quæ non curuarunt genua sua ante Baal, vel Islebiensem vel Geneuensem, vel quemcunq tandem alium. Incipiamus tandem aliquando Deo seruire, ab illo solo nobis metuere: vt possimus dicere cum illo sancto Rege & Propheta: Dñs illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dñs protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dñs mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos: Dñs mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Si ex toto corde illum inuocauerimus, dubium non est, quin præsto nobis gratia sua sit ad futurus: sed euentisse videtur illud, quod ab eodem sancto Rege & Propheta dictum legimus. Deum non inuocauerunt, ideò trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Non sunt adeò terribiles Elbingenses hædi mei, vt nobis ab illis metuendum sit: modò mandet Regia Maiestas, faciens illi proculdubio, quod in tam pia causa mandatum fuerit, cùm præsertim non impediantur, quo minus colant Antichristos suos, quo minus eius ministros alant, quo minus pro verbo Dei, diaboli verbum prædicent. Nam quamuis impediendi forent & prohibendi, tamen hac in parte, quin tempori seruiatur, non recuso, dummodo possit habere CHristus in illa ciuitate locum, vbi caput suum reclinet, vbi debitus ei cultus præstetur, vbi purum illius verbum prædicetur: & per quos id rectè fieri possit, fideles CHristi ministri in Parochialem Ecclesiam, quæ fuit huic rei propriè dicata, restituantur. In ea ciuitate, quæ regni caput est, in qua primùm ego lucem hanc aspexi, in qua totis sexcentis annis & amplius solus & vnus Deus Patrum nostrorum CHristus adorabatur, datus est etiam ante paucos annos locus Antichristo colendo, pijs omnibus gementibus, & infœlicitatem eius ciuitatis deplorantibus: vt seorsum à Rege suo, seorsum ab Episcopo & Clero vniuerso, seorsum ab orbe toto Christiano non sacra, sed sacrilegia sua nonnulli possint exercere. & Elbingæ vbi recens adeò cœpit Antichristus coli, CHristus vt locum habeat, obtineri non potest. Quæso D. V. vt quam sit hoc indignum & minimè ferendum, accuratius expendere velit. Qui causam hanc non meam priuatam, sed CHristi publicam diligenter commendo. Non me magis, quàm ipsum etiam CHristum sibi deuinxerit, si diligenter eam tuendam susceperit. Fuit aliquando D. Vestra magno quodam zelo tuendæ fidei Christianæ prædita, vellem nunc ostenderet eundem zelum, & postquàm Aulæ se mancipauit, in qua stultitia putatur, zelum aliquem in causa fidei præ se ferre non eum refrixisse, sed auctum esse, planum omnibus faciat. Vale. Datum Romæ XXVIII. Octobris M. D. LXXVIII.

Hieronymo Osorio Episcopo Syluensi. Epist. CCLXVIII.

Deplorat casum Sebastiani Regis Lusitaniæ, & gratulatur, Cardinalem pientissimum illi in regno successisse.

QVas ad me dedisti Iulio mense literas, hæ mihi sunt Octobri mense redditæ, & fuerunt illæ mihi quidem gratissimæ: Sed quæ post scriptas illas euenerunt, maiorem, quàm facilè credi queat, animo meo perturbationem attulerunt. Cæterùm postquàm collegi me, (iam enim ferè mente excideram) & quæ facta sunt accuratius expendi, consolarer nè te de tam graui casu, an potius gratularer rita rem cecidisse, aliquandiu hæsitabam. Nam quod ad Regem defunctum attinet, quid illi gloriosius accidere potuit, quàm quod cum Domini prælia præliaretur pro fide CHristi fortiter dimicans, propitio magis quàm irato Deo magna in hostibus strage ædita, quin & ipso eorum Rege interfecto, tandem occubuit ipse quoq, & cum immortali sui nominis laude, modò non quæ debetur Martyribus corona redimitus: relicta hac valle lachrymarum, ad illa cœlestia gaudia, & quidem sempiterna gaudia emigrauit. Celebratur factum Iudæ Machabæi, qui cùm destertus à suis paucis admodum comitatus, cum innumerabilibus hostium copijs esset prælium initurus, hortantibus nonnullis, vt loco potius cederet, quàm in tam apertum discrimen vitam suam offerret, eorum consilia detestatus: Moriamur, inquit in virtute, & non inferamus crimen gloriæ nostræ: atque ita fortiter pugnans tandem cecidit. An autem hoc istius fortissimi pientissimiqúe Regis factum non est illi Iudæ facto simillimum? qui cùm vt loco cederet nonnulli suasissent, progredi quàm regredi, & summa cum sua gloria fortiter occumbere maluit, quā turpiter fugiendo nomini suo notam inurere sempiternam. Hæc ego mecum tacitus expendens, gratulari tibi, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm consolari te malui, cùm præsertim etiã alia gratulandi maior daretur occasio, quandoquidem regni successor diuinitus nobis datus est, vir insigni pietate, religione, magno rerum vsu, prudentiaq; singulari præditus, cuius tu fratris Emanuelis summa cum omnium admiratione res præclarè gestas scriptis tuis illustrasti, & hominum perpetuæ memoriæ commendasti. Erit autem aliquis, qui dissimilem hunc fratri suo futurum existimet? Quin ille quanto plus ætate progressus est, maioremq; rerum experientiam consecutus, tantò maiorem expectationem de se concitat, quod sit non modo fratrem suum Emanuelem, verùm etiam, & qui præcesserunt, & qui sequuti sunt eum fortissimi Lusitaniæ Reges, eorum res fortiter gestas ingenti cum laude sui nominis superaturus: cùm præsertim ad multas excellentes illius virtutes, quibus eum Deus cumulatum voluit, pietas quoq; singularis accesserit? An hæc non est gratulandi magna occasio? Faciet ille procul dubio, vt quam cladem accepit in hoc bello Lusitania, eam non ita multo post, multis victorijs atq; triumphis de hostibus reportatis, obliuione conterat sempiterna. Addam etiam aliquid, quod ad me quoq; nonnihil pertinere videtur, qui iam inde ab annis aliquot, non meis vllis meritis, sed sola Dei gratia, cùm nulla de re minus cogitarem, sum in amplissimum purpuratorum patrum ordinem cooptatus. Fuit autem is nunquam honoratior aut splendidior, quàm eum esse cernimus hoc tempore: videre in eo multos licuit hactenus magnorum Regum & Imperatorum, filios, fratres, nepotes, pronepotes, vt nihil iam ad splendorem illius & gloriam accedere posse videretur: præter vnum hoc, quod qui Regia quoq; potestate fungeretur, eum post hominum memoriam Cardinalem videre nullum licuit. Ecce autem & hoc pro sua misericordia largitus nobis nunc est Deus, vt etiam Regem, & quidem potentissimum Regem in hoc nostro Collegio cerneremus: vt quod in scripturis toties legimus: Regnum sacerdotale & sacerdotium regale magna cum omnium lætitia & admiratione contemplemur. E cœlo delapsus videtur ille, qui fuit olim Rex & Pontifex Melchisedech, Rex iustitiæ, Rex pacis, qui cum Deo sacrificijs placando, tum armis pro illius fide propaganda sumptis, deuictis hostibus pacem regno suo perpetuam conciliabit, & illud annos complures magna cum iustitiæ laude regnauerit, ad posteros suos cumprimis gloriosum transmittet. Vis autem aliquid etiam adiungam, de ijs, quæ ad priuata tua commoda spectare videntur? Habes Regem diuinitus tibi datum, qui te pro eo vt præclaræ tuæ virtutes merentur, fecit semper plurimi, singularemq; suæ voluntatis inclinationem in te multis argumentis declarauit. Et in hac ego tanta lætitia, vis vt consolatione vtar potius quàm gratulatione? Valeat omnis luctus, & cum illo sancto Rege & Propheta cantemus: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Tuum verò fuerit, si quando dabitur occasio, mei quoq; apud eum qui Rex est & sacerdos meminisse, meum vt illi studium in omnibus deferas. Quidquid pro illius nominis gloria, quidquid pro regni commodis præstare potero, facultatem vt aliquis adferat maiorem, feram: vt autem vberiorem adferat voluntatem, nunquam patiar. Vale. Datum Romæ XXII. Octobris M.D.LXXVIII.

Henrico Cardinali Lusitaniæ Regi. Epist. CCLXIX.

Gratulatur illi Regiæ dignitatis accessionem.

VM de miserabili clade, quam proximis superioribus mensibus accepit Lusitania, deq; cæde nobilissimi pientissimiq; Regis Sebastiani fuisset huc allatum, in omnium animis maiorem perturbationem cernere licuit, quàm vt facilè credi queat. Offusa mentibus omnium atra quædam caligo videbatur. Posteaquàm verò fuit auditum, quàm se Rex ille fortiter gesserit: qui cùm certum vitæ suæ discrimen impendere videret, cum laude progredi quàm quod nõnulli suadebant, cum ignominia regredi maluit: nec prius quàm Rege cum quo prælium inierat interfecto: & hostibus duplicata clade confectis, innumerabilibus eorum copijs oppressis, pro CHristi fide strenuè pugnans occubuit, respirare non nihil cœpimus. Nam quæ potuit illi Regi mors accidere gloriosior, cùm quæ Martyribus corona debetur, eam pro CHristi fide moriens, assequutus esse videatur? Hæc igitur illius tam gloriosa mors, quæ nihil erat aliud, quàm transitus ad sedes beatorum, ingentem animis nostris consolationem attulit. Cæterùm posteaquàm regni gubernacula tibi fuisse tradita renunciatum est, è tenebris, quibus circumfusi fueramus, prorsus emergere visi sumus: cùm noua quædam lux mentium nostrarum oculis affulsisset: qua mirificè fuimus omnes recreati. Nec enim orbis Christiani pars vlla esse videtur, in qua pietas & religio tua singularis, simul prudentia, rerumq; experientia, quam etiam ætas attulit, minimè vulgaris, multorum ore non prædicetur: Præ cæteris autem exultabat gaudio Collegium hoc nostrum Cardinalium, quod cùm vix vllo sæculo quàm hoc nostro fuerit illustrius, tot in illud filijs, patribus, nepotibus, pronepotibus maximorum Principum, Regum & Imperatorum cooptatis, te Rege renunciato, tanta facta est ad splendorem illius & dignitatem accessio, vix vt vllus maiori locus relictus esse videatur: Vnum enim hoc ad summum honorem deerat, vt in Collegio nostro Regem quoq; Cardinalem haberemus. Quod effectum tandem esse diuina prouidentia, non potuimus non vehementer lætari. Quod si vnquam antea, nunc videre licet, & regnum sacerdotale & sacerdotium Regale: quandoquidem è cœlo delapsus est ad nos summus ille sacerdos, & idem Rex Melchisedech, Rex iustitiæ, Rex pacis, quæ duo sicubi coniuncta sunt in Rege, nihil

nihil est quod ad eius regni, cui præest, fœlicitatem requiri possit: Nam præclarè dixit sanctus ille Rex & Propheta, Iusticia & pax osculatæ sunt, sic ista duo mutuo complexu iunguntur, vt ab inuicem diuelli non possint. Vbi iusticia, ibi pax: vbi pax, ibi iusticia. Detractum fuisse nonnihil de iusticia ante prælium initum musitabatur, non ea pax consequuta, quam de victis hostibus nos consequuturos sperabamus. Simul vt autem tu Rex renunciatus es, vt iusticia fieret, vt ius vnicuiq; suum tribueretur, vt quod minus iustè videbatur exactum, id iustè restitueretur, prouidisti. Num autem ex hoc tuo tam præclaro facto, lætiora nobis deinceps omnia non licet expectare, dudum vt optata pax tandem aliquando consequatur, quandoquidem te Rege declarato iusticia & pax inuicem osculari cœperunt, vt quod peccatis nostris offensus Deus paulò ante largiendum esse non putauit, id te cum iusticia regnum tuum gubernante, & suum cuiq; reddi iubente, cumulatè nunc præstet. Tu sacrificijs offerendis, quæ & ipsa magna est iusticiæ pars, Deum regno tuo placatum reddes: tu, si quando res ita postulauerit, armis etiam pro fide Christi sumendis, quæ non alia quàm pacis tuendæ & conseruandæ causa rectè sumuntur, quem optas cogitationum, consiliorumq; tuorum omnium progressum & exitum es habiturus. Quid autem rectè sibi polliceri non poterint, subiecti regno tuo populi Deo per te propitio sibi reddito. Certè nihil est, quod ad summam fœlicitatem illi deesse queat, cùm te regnante iusticia regnauerit, & indiuidua comes illius pax eam osculata fuerit. Quamobrem est quod merito lætemur omnes, est quod immortales Deo gratias agamus, qui te talem virum ad istius regni gubernacula vocare dignatus est, qui cùm Rex iusticiæ, Rex pacis futurus videaris, non poteris ea nisi magna cum fœlicitate, magnaq; subiectorum tibi populorum vtilitate moderari. Quam ad rem, vt suam tibi Deus gratiam impartiat, vt in quam spem & expectationem vocati sumus, ei satisfacere queas, supplices illius hic misericordiam implorare nunquam intermittemus, abs te verò peto, quos habes tibi seruitores addictissimos, vt inter eos me quoq; numerare velis. Fide, studio, & obseruantia erga te, summaq; honori tuo inseruiendi voluntate, & alacritate concedam nulli, quod certò de me tibi polliceri potes, Deus te nobis Ecclesiæq; suæ quam diutissime incolumem & fœlicem cõseruet. Vale. Datum Romæ XXIII. Octobris M.D.LXXVIII.

Ioanni Cotkevvicz Samogitiæ Præfecto. Epist. CCLXX.

Gratulatur illi quod resipiscentiæ suæ multos participes & socios habere contendat: & hortatur, ne studium hoc intermittat. & de Volano hæretico.

VM ex alijs nonnullis, tum ex his quæ mihi nuper adeò narrauit custos Vilnensis, Benedictus Voina optimæ spei adolescens, magna cum animi mei voluptate, multa cognoui, de mutatione dexteræ excelsi: quemadmodum D. Vestra, quæ fuit Ecclesiam aliquando persecuta, misericordiam Dei tandem consequuta, singulari quadam pietate, religioneq; cæteris præluceat, & quam exemplo Pauli Apostoli persequebatur olim, eiusdem exemplo nunc pro viribus sua tueatur atq; defendat, & nihil curæ, diligentiæ, laboris prætermittat, quo sicut antea suorum errorum, sic nunc suæ resipiscentiæ, multos participes & socios habere queat: Benedictus Dominus pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, cuius immortali beneficio factum est hoc, quod maiorem animo meo lætitiam attulit, quàm vt vllis verbis explicare satis possim, quem ego precari nunquam intermitto, vt confirmet hoc quod operatus est in illa, vt maiore cumulo suæ gratiæ munera indies augeat. Bona spe sum, quod sicut exhibuit antea membra sua ad seruiendum iniquitati, sic deinceps eadem exhibebit ad seruiendum iusticiæ. Quæ autem possit maior esse iusticia, quàm sit sana fides? qua re mota, quamlibet sanctus aliquis esse videatur, iusticiam tamen nullam habere dici potest. Quamobrem ad fidem Catholicam non solùm tuendam & conseruandam, verùm etiam propagandam & amplificandam, ad omnem hæreticam pestem propulsandam, omne studium suum conuertat. vt si qui vel Vestræ Dominationis, vel ministrorum eius opera doctrinis varijs & peregrinis abducti derelicto Deo Patrum nostrorum, post alienos Deos abierunt, quos ignorauerunt Patres nostri, hi possint eo reduci, vnde sunt abducti, vt vnanimes vno ore cõfiteantur, & honorificent Deũ & Patrẽ Dñi nostri IESV Christi, & Christiani (quo nomine nihil nobis potest esse gloriosius) quã Eigenvillici vocari malint. Quid aũt in Euãgelio magis dilucidis & expressis verbis perscriptũ legimus, quàm sit hoc, quod accepto pane, dixisse Christus legitur, Hoc est corpus meum, & accepto calice. Hic est sanguis meus, Reperiuntur nihilominus, qui, quod lingua dicere, quod aures audire, quod calamus horret literis cõsignare, veritatem adeò manifestè suam sententiam explicantem, arguere mendacij non reformidant: Perlatum est huc, quod cum autumno superiore, mota contra Moschos castra fuissent, nec sacrificium vllum in eis videre licuit, sed volabat Volanus quidam, & clamabat: non est verum quod dixit Christus accepto pane, Hoc est corpus meum, &c. non est ibi corpus Christi, non est in calice sanguis Christi, sed est figura, est significatio quædam, & quod offertur à sacerdote, merus est panis pistorius: Misericordiæ Dei quod in illis castris consumpti non sunt omnes, quod terra non dehiscuit sub pedibus eorum, quod viui, viuentes q; non descenderunt in infernum. Sed ego vehementer metuo, si non fuerit ab istis tam horrendis blasphemijs temperatum, ne lon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ganimis ille Deus, patiens & multæ misericordiæ tarditatem hanc supplicij grauitate compenset. Dicitur nunc expeditio fieri contra Moschos, vtinam autem ille non sit flagellum iræ Dei, quæ contra nos tam horrendis blasphemijs prouocatur. Iam & sacerdotium & sacrificium abrogatum, & Deum ipsum in ordinem coactum, vt nullas ei præ cæteris mortalibus eximius cultus deferatur, videmus & ingemiscimus. Iam veritatem arguimendacij magno cum honore quodam audimus, & interea reiecto Deo, omni religione conculcata, omni genere flagitiorum illius ira concitata, fœliciter nobis nostra consilia cessura persuasum habemus? Ego verò quamuis absens corpore, spiritu tamen præsens, cùm audio talia, totus animo perhorresco: quandoquidem extremum discrimen impendere nobis video: Si Deum propitium nobis non reddiderimus, si per exiguam, vel nullam in eius misericordia, sed in Ægyptiorum tantum viribus, omnem spem & fiduciam nostram collocatam habuerimus. Quod si bellum erit contra Moschos gerendum, quęso Maiestati Regiæ persuadere conetur, & his qui apud illam cum potestate versantur, vt ne talia ferre vellent in castris suis, vt nouos istos recentesq; Deos abijciant, vt ad eum qui Deo Patrum nostrorum propriè debetur cultum redeat, & eum precibus & sacrificijs nobis placatum reddere studeant. Quod nisi factum fuerit, quantascunq; tandem vires collectas habuerimus, actum nihilominus erit de nobis, nec alius quàm sempiternus nobis est interitus expectandus: quem vt à ceruicibus & fortunis nostris auertere possimus, Deum hic ad sanctorum Apostolorum & martyrum sepulchra prouoluti precari nũquam intermittimus, cuius iram si volumus auertere, vt conuertamus nos illo adiuuante, omni studio nobis elaborandum est. Hæc ego vt scriberem, singularis cura & sollicitudo me impulit, qua rebus nostris in summum periculum adductis subuentum cuperem. Communicet cum Domino Vilnensi Episcopo, cuius pietatem & zelum in religione tuenda singularem à multis audio commendari: consilia sua, nec studij quicquam prætermittat, quo possit labanti patriæ subuenire, quę religione primum tuenda, deinde armis quoq; est defendenda. Nam si neglecta religio fuerit, periculum est, ne nobis extremum exitium arma ab illa seiũcta adferant. Sed omnia tamen nobis meliora sunt placato Deo speranda. Vale. Datum Romæ X. Decembris M. D. LXXVIII.

Valeriano Episcopo Vilnensi. Epist. CCLXXI.

Rogat, vt ne patiatur hæreticos nouam domum construere, in qua sua sacrilegia exerceant, & vt Regem pro officio suo admoneat ne diutius hæreticorum insolentiam ferre velit.

VNus annus fortasis intercesserit, aut paulò amplius, quod fuerat huc perscriptum, opera D. V. factum esse, vt ex domo quadam, in qua ministri sathanæ sua non sacra, sed sacrilegia exercebant, illi ipsi ministri pellerentur, & abistis sacrilegijs faciendis deinceps arcerentur. Qua ex re maiorẽ quàm facilè credi queat accepi voluptatem, & pietatem hanc, inq; tuenda religione constantiam & animi robur Maiestati Regiæ sum gratulatus. Cęterum non ita multò post certior sum factus, quod iterum ædificetur noua synagoga, in qua noui recentesq; Dij colantur, quos ignorauerunt Patres nostri, quæ res ingentem animo meo perturbationem attulit. Quæso D. Vestram, dare velit operam, vt Regia Maiestas quod magna cum laude pietatis semel constituit, in eo perseueret, nec se tam facilè dimouere de recta sententia patiatur. Mihi quoq; non dissimile quiddam accidit: nam sesquiannus nunc agitur, cùm esset Mariemburgi Regia Maiestas, quod eo venerat coadiutor meus, vt in illius fidem se conferret. Venerunt & hędi mei Elbingenses, quibus tum Regia Maiestas mandauerat, vt quod Christo templum eripuerant, & in Antichristi cultum conuerterant, interregno durante restituerent. Necilli causam dicebant quominus facerent, dummodò ne mitterentur eo, qui sunt ex societate IESV. Quamuis autem res indigna visa est, minimeq; ferenda, vt vel Regi suo, vel Episcopo leges ferrent isti Burgimagistri, cum vtriusq; præscriptis parere, non autem vtriq; potestati præscribere proprium sit eorum munus, tamen ego conditionem hanc quam ferebant, & Regis & Episcopi sui non eram recusaturus, modò qui Catholici fuissent eò missi sacerdotes, eos Euangelium Christi libere prædicare permitterent. Ecce autem simul vt Mariemburgo discessit coadiutor meus, mutata sunt statim omnia, & quod quidem ego sciam in hunc vsq; diem ereptæ Christo Ecclesiæ non sunt restitutæ, cùm tamen ego vel vnam saltem restitui petuerim, quominus, quas iam inde à multis annis occupauerat Antichristus, eas retineret pro cultu suo, nõ impediuerim, cùm frustrà me laboraturũ viderem: nam in eum prò dolor statum res perducta est, vt plus ab Antichristo, quàm à Christo metuere nobis videamur. Quid autem accidere potest magis indignum quàm hoc, quod in quibus ciuitatibus adhuc Christus colitur, permittitur Antichristi cultoribus, vt suum quoq; profanum fanum habeant? & Elbingæ quæ meæ iurisdictionis est Ecclesiasticæ, non ferunt Burgimagistri, vt habeat Christus vbi caput suũ reclinet, quandoquidem iam à quatuor aut quinq; annis omnia sunt per Antichristum occupata. Et cùm inter hædos meos per Dei gratiam reperiantur adhuc oues non paucæ, non permittitur vt habere queant, qui diuini verbi pabulo eas reficiant. Et regnum & Pontificatum ad se Burgimagistri traduxerunt. Quæso persuadere velit Regiæ Maiestati, ne tantam sibi licentiam eos arrogare patiatur, cùm nõ Rex illis, sed ipsi Regi, & in his quæ pertinent ad fidem, Episcopo suo subiecti esse debeant,

Si non

Si non potest Regia Maiestas prohibere, quominus Antichristus habeat ibi sua delubra, saltem ne ferat, vt Burgimagistri prohibeant, quominus templum suum habeat Christus, in quo piè coli possit, néue sibi & Pontificatum & regnum vsurpent. Possem & ego nunc dicere cum illo sancto Patre: Bone Deus, in quæ tempora me seruasti. Viuitur absq; lege, absq; Rege, absq; sacerdotio, absq; sacrificio, & quod necessariò consequitur, absq; Deo: nam vbi non est sacerdotium & sacrificium, ibi certum est nullum agnosci Deum, cùm sacrificium propriè sit diuinitati debita seruitus, & solus hic sit cultus, quo Deus immortalis, ab eo qui debetur mortalibus, qui cum imperio potestateq; versantur, honore discernitur. Et ante legem, & sub lege, & à Christo nato tempore gratiæ, semper sacerdotium, semper fuisse sacrificium legimus, & tamen audio, quod cùm anni superioris autumno castra contra Moschos mota fuissent, nec sacerdos vllus, nec sacrificium vllum, in illis visum vel auditum fuerit. Videntur iam res in atheismum quendam inclinare, qui fieri potest autem, vt non inclinent? quando mendacij veritas arguitur, quando falsum esse dicitur, quod à Christo verè dictum est in Euangelio, cùm accepisset panem, Hoc est corpus meum: & calicem, Hic est sanguis meus. Quod fecisse dicitur in castris Volanus quidam, qui per castra volabat, & clamabat: Non est verum, quod ait Christus, non est ibi corpus, non est ibi sanguis eius. Quod nisi Maiestas eius aliquem Dei metum præ se tulerit, ac de tantis blasphemijs, quæ debentur illis pœnas exegerit, quandoquidem bellum contra Mohum meditari dicitur, vehementer metuo, ne sit ille flagellum iræ Dei, néue nobis illud contingat, quod in libris Regum legimus: Et vos & Rex vester peribitis. Non feret diutius Deus hoc tã atrox flagitiũ impunitũ, & perdet iustũ cũ impio. Hæc ego magno cum animi mei dolore scribo: nam sicut ea, quæ cernuntur oculis, sic animo mihi prospicere videor, opinione nostra celeriorẽ regni interitũ, & qdem interitũ sempiternum. Quamobrem cũ præsentis Maiestatis Regię potestatem habuerit, pro officio suo pastorali, velit Maiestatem illius officij sui admonere, vt se Regem esse meminerit Regem Christianum, Regem Catholicum, Regem orthodoxum, & non ita orthodoxum, sicut se quidam appellauerunt, cùm in Russiam de scholaribus Craccouiensibus questũ venissent, quos rectius aliquis cacodoxos dixerit: sed sicut à sexcentis & amplius annis Poloniæ Reges fuerunt, ex quo tẽpore Christi Euangelium receperunt. Quandoquidem D. Vestræ nunc tempus dabitur opportunum, posteaquàm Rex isthuc venerit, quæ scribuntur à me, quęso curę sibi esse velit & simul de hædis etiam meis agat, si non possunt prohiberi, quominus Antichristum colant, saltem vt hoc eis mandet seriò, suum vt Christum etiam habere templum, & piè à pijs in eo coli patiantur. A multis audiui prædicari zelum quendam ardentem D. Vestræ, quo fidem Christianam, aduersus Christi perduelles defendere conatur, nunc eum ostendat oro, Paulum admonentẽ audiat, Insta oportune importunè: Argue, obsecra, increpa, nec vllum in se boni pastoris officium requiri patiatur. Vale. Datum Romæ XIII. Decembris M. D. LXXVIII.

Stephano Regi Poloniæ. Epist. CCLXXII.

Rogat strenæ sibi loco hoc concedi, vt Elbingen. mandet, vt veros veri verbi Dei prædicatores recipiant.

ANNVM hunc ineuntem Vestræ Maiestati fœlicem, faustum, & fortunatum precor, simul quod insignem de Moschis victoriam reportasse dicitur, & suis eos castris exuisse plurimum gratulor, atq; vt id perpetuum esse Maiestati Vestræ velit, supplex Dei misericordiam imploro. Videat autem Vestra Maiestas, quantum illius interfit ad rem benè gerendam, qualem Ducem præficiat. Nam qui castris Vestræ Maiestatis eo tempore præfuit, quo victoriam hanc est consequuta, (si vera sunt quæ nobis renunciantur,) non ex Ægyptiorum genere, verùm ex populo Israel fuisse narratur, hoc est, ex his, qui Christum apertè confitentur, quos adeò non pudet huius confessionis, vt non alio quàm Christianorum nomine magis gloriẽtur, nec magis esse quicquam detestandũ existiment, quàm, vt, quod hoc infœlici nostro sęculo sibi nomen vsurpare quidam cœperunt, Eigenvvillici potius, quàm sicut Patres olim nostri iam inde à mille quingentis & amplius annis Christiani vocentur: quandoquidem eundem quem illi Deum colunt, nec nouos aliquos & recentes Deos v[illegible]dorent persuaderi sibi patiuntur. Quo diligentius deinceps etiam cauere debet, ne quem Ægyptium copijs aliquando suis præficiat, si prosperum & fœlicẽ bellorum exitum habere cupit. Quoniam verò temporis illius memoriam nunc recolimus, quo tanta liberalitate Deus erga mortalium genus vsus est, vt ad eam pro merito prędicandam, nulla par oratio possit inueniri: quandoquidem filium suum carne nostra vestiuit, vt nos qui natura fuimus filij irę, morte sua reconciliatos, ab interitu sempiterno redimeret, filios Dei regni cœlestis hęredes efficeret, fuit hoc in more positum, vt sub ipsum tempus, ab his qui cum potestate versantur peteretur, vt & ipsi cęlestem illum Regem imitati, suam quoq; Regiam liberalitatem ostẽderent erga eos, qui suam opem imploraſſent. Ego quoq;, qui non alium quam Patrum nostrorum Deum noui, & eorum fidem ita retineo, mortem vt prius adiutus Dei gratia sim oppetere paratus, quàm vt ab ea, vel in minimo defeciſſe videri velim, laudatum hunc morem mihi esse retinendum putaui. Quamobrem supplico Maiestati Vestræ, velit me quoq; sua beneficẽtia Regia prosequi, & munus aliquod, quam strenam vocant mihi donare. Non aurum, non argentum peto, non posſes-

Universidad de Deusto
Biblioteca

siones aliquas, contentus his quæ mihi sunt præter omnem expectationem meam, maiora meis meritis liberaliter olim concessa, verùm hoc tantum iterum atq; iterum supplex peto, quem fructum Christi natiuitas orbi attulit vniuerso, illius vt aliqua pars ad Elbingenses meos deriuetur: ,p Christiani, Catholici & orthodoxi Regis officio prouidere velit. Nec. n. amplius apud illos Christus prædicatur, sed nunc huius, nunc illius Antichristi verbum, pro expresso Dei verbo populo venditatur, & omnis beneficiorum Christi memoria prorsus aboletur, nullum vt ex hoc incarnationis, quin & passionis & mortis Christi beneficio fructum percipere queant. Prouidendi aût ratio hæc est, vt apertè CHristum confessa, Regem se Christianum esse declaret, & restitui Christum ex illa ciuitate proscriptum mandet, neq; patiatur, vt non solùm Regiam, verùm & Pontificiam authoritatem, per summum sacrilegium sibi Burgimagistri illi arrogent, si non potest obtinere, vt eũdem cum Vestra Maiestate Christum Deum adorent, sed in Antichristi cultu, vel Antichristorũ potius, qui nostro sæculo, tot iam sunt exorti, perseuerare deliberatum habent, hoc saltem cõtendat, vt quem vna cum Vestra Maiestate colit Christum orbis Christianus vniuersus, eum in ciuitate non sua, sed Vestræ Maiestatis prædicari, & illi Christiano ritu rem diuinã fieri ne prohibeant: quãdoquidẽ nec à Turcis prohibentur Christiani, quominus ritu Patrum nostrorum, Deum Patrum nostrorum colant. Hoc si fuerit authoritate Maiestatis Vestræ perfectum, non me solùm sibi summo beneficio deuinxerit, verùm etiam apud cœlestem illum Regem, cuius imperio subsunt Reges & potestates omnes, magnam gratiam inierit, & omnium consiliorum suorum illius ira placata, feliciorem deinceps progressum & exitum consequetur. Datum Romæ XXVI. Decembris M.D.LXXVIII.

Ioanni Zario Zamoisky Regni Poloniæ Cancellario. Epist. CCLXXIII.

Rogat, vt se aditum vellet ad ea apud Regiam Maiestatem obtinenda, quæ pro Christo & salute animarum petit.

EX his quæ scripsi Regiæ Maiest. D. V. quid ab ea petam cognoscet. Fructum vt aliquem feram huius petitionis meę dare velit operam quæso. Nam toto biennio, quantum orando & obsecrando profecerim in causa tam pia, quæ cum salute regni, & ipsius etiam Regiæ Maiestatis esse coniuncta videtur, vehementer me pœnitet. Cuius autem est id munus magis proprium, quàm eius qui regni Cancellarius est, vt eius generis petitiones adiuuet, quo possint ad optatum exitum perduci. Equidem cuperem etiam eius ciuitatis incolumitati prospectum, in qua primum lucem hanc aspexi, vt vnus in ea tantum Deus, & quidem Patrum nostrorum Deus, in templis ei propriè dicatis coleretur: nec vllus Belial in societatem eius admitteretur, quod & ad Regię Maiestatis existimationem tuendam, & ad regni tranquillitatem conseruandam, & ad Christi gratiam conciliandam, plurimum pertineret. Sed si magis arduum id esse videtur, quàm vt his iniquis temporibus impetrari queat: saltem hoc vt obtineam, quæso: vt in Elbingẽsem ciuitatem, quæ meæ iurisdictionis est Ecclesiasticæ, qui quarto ab hinc anno proscriptus ex ea fuit Christus, vna cum suis fidelibus ministris, tandem aliquando restituatur. An autem ego talia petendo priuatis meis rationibus prouisum cupio, & non potius totius Reip. Christianæ saluti? Iam inde à sexcentis & amplius annis in ciuitate Craccouiensi non alius, quã Patrum nostrorum Deus Christus in templis sibi dicatis colebatur: ante paucos annos datus est etiam locus Antichristis, in ea domo quę dicitur Aceruus, (& est reuera malorum omnium aceruus,) vt in ea qui cum cæteris pijs nollet Christum, cum impijs illius perduellibus adoraret Antichristum. Nunc ego peto, & à Christiano Rege peto, vt in oppido suo Elbingensi cõcedat etiã locũ Christo, quandoquidẽ omnia sunt occupata per Antichristos, in quo debitus illi cultus præstetur: neq; noui quicquam peto, sed quod nuper adeo per summum sacrilegium ereptum est Christianis templum, vt id restituatur, supplex oro, quo liceat in illo rem diuinam Christiano ritu facere, & purum Dei verbum prædicare: vt cuius rei liberam potestatem facit Christianis etiam Turcarum tyrannus apud populos sibi subiectos: ne velint Elbingenses Burgimagistri prohibere, quominus in Regia ciuitate Christum apertè confiteri, & qui debetur cultus ei præstare liceat. Audio quosdam dicentes, quod perturbatior sit Prussiæ status, quàm vt id hoc tempore, quamuis maximè cupiat Regia Maiestas, facere possit, sed vnde nunc status illius tam perturbatus? Non aliundè certè, quàm quod Regiæ Maiestati persuasum fuit, conseruari posse Rempub. non conseruatis prius Ecclesijs, vt non regnum Dei primum quęreretur, verùm & cætera quædam, quæ Deus adiecturum se promisit his, qui primum regnum Dei quęsiuissent. Quid petitum est ab hæreticis, quod non statim illis concessum fuerit? Num ea re sunt ad officium, sanitatemq; reuocati? nihil minus, quin quo plura sunt illis concessa, hoc facti sunt contumaciores, & ad omnia audenda proiectiores: cùm præsertim viderent, à solo diabolo sibi metuere eos, qui eum potestate versantur. Proh dolor, omnia metuimus præter Deum, quem si metueremus, nihil eorum, quæ sola metuimus, metueremus, quin ipsi potius metueremur, & qui protestatur debetur timor & honor, cùm animaduerterent subiecti populi, qua sit illa religione, quo Dei timore prædita, omnem quem debent illi timorem, omnem honorem & reuerentiam præstarent. Sed est illud verissimè dictum: Deum non inuocauerunt, ideò trepidauerunt timore, vbi non erat timor: etiam à folij strepitu nobis metuimus. Quod si vera fide Deum inuocaremus, si quem debemus timorem & honorem, illi tribueremus, si quam oportet fiduciam in illius præsidio collocaremus, facesseret statim omnis timor humanus, & fœlicius nobis cederent omnia. Nunc solum diabolum perhorrescere videmur, & ruiturum esse cœlum existimamus, si vel minima in re voluntatem eius offenderimus. Faciamus periculum, incipiamus aliquando timere Deum, non solùm non trepidabimus timore, vbi timor non est: verùm etiam præstabit hoc pro sua misericordia Deus, vt qui debetur ei timor & honor, eò legitima potestas non fraudetur. Cùm esset Marieburgi Regia Maiestas anno proximo superiore, deq; Gedanensi ciuitate oppugnanda deliberationem susciperet, venisse quosdam ad eam Elbingenses, mihi scriptum est: qui quod erat officij sui præstarent, suamq; debitam fidem & subiectionem illi deferrent: cùm autem instaret, qui tum præsens fortasis aderat, Reuerendus Dominus Martinus Cromerus coadiutor meus, vt quæ fuerunt Episcopo per summam iniuriam erepta templa restituerentur, ac vt id facerent Regia Maiestas hortaretur: assensi feruntur, dummodo nullus in eis locus daretur his, qui sunt de societate IESV. Ego verò quandoquidem eò res perducta est, simul vt à diabolo magis, quàm à Deo nobis metuere cœpimus, vt leges subditi suo Regi ferant: non eram conditionem hanc reiecturus, modò Christianos in eo templo sacerdotes locare, & ouium curam eis mandare liceret. Sed nescio, quomodo simul vt excesserit ex Aula coadiutor meus, mutata sunt omnia. Iterum atq; iterum à D.V. peto, quam in spem semel vocati fuimus, det operam, vt ad rem ea conferantur: cùm præsertim qui Princeps est hæreticorum in patria nostra, sententiam hanc Regiæ Maiestatis approbasse, meos etiam hædos, qui tum aderant, vt acquiescerent in ea, cohortatus fuisse dicatur. Cautum fuit regni constitutionibus interregno durante, ne qd vel à Christianis, vel à Lutheranis per vim ageretur in causa religionis: néue quis in alterutrius partis templa irrumperet, aut ministros eorum offenderet. Cur ea constitutio non valet in causa mea, vel ipsius CHristi potius? Ausi fuerunt Scholares Craccouienses, nescio quid in illam sathanæ Synagogam, quæ Craccouiæ fuit exædificata: num hoc impunè tulerunt? An capitis supplicium de quibusdam, vt mihi renunciatum est, insontibus, non fuit sumptum, quod sathanæ ministros attingere non fuerint veriti? At Elbingenses Burgimagistri non ex sua, sed è Regia ciuitate fideles puri verbi Dei ministros ab Episcopo cõstitutos, per summam ignominiam lectoribus comitatos eiecerunt, & non modo ferunt id impunè, verùm etiam vt spoliati restituerentur in locum suum, in hunc vsq; diem frustrà fuit ab Episcopo laboratum. Itáne melior est conditio Christianorum sub Turcarum tyranno, vbi ritu Christiano Christiani CHristum apertè nullo prorsus impedimento colunt, quàm sub istis Elbingensibus Burgimagistris, apud quos omnia templa sunt per Antichristi ministros occupata, nec obtineri potest locus, vbi CHristus caput suum reclinet? Quæso D. Vestram, qualia sint hæc, quamq; minimè ferenda à Christiano, Catholico, & orthodoxo Rege, secum diligentius expendat. Quod si non potest hoc impetrari, vt cùm subiecto sibi populo pro imperio Regia Maiestas agat in causa CHristi, saltem agat precario, & quoquo modo perficiat, vt vel vnum mihi saltem Parochiale templum restituatur. Sat scio, si seriò Maiestas illius id velle se declarauerit, quod facilè sint acquieturi: cùm præsertim ego non impediam, quandoquidem contra torrentem niti parum prudentis est, quominus habeat sua nihilominus Antichristus profana fana, in quibus non sacra fiant, sed sacrilegia patrentur. Omnes habebit Maiestas Regia consiliorum suorum progressus fœliciores, si de restituendo CHristo cultu suo, in oppido Elbingensi, dignam Rege Christiano cogitationem susceperit. Ego verò D. Vestræ debebo plurimum, si fuerit hoc opera illius perfectum: neq; dubito, modo neruos suos adhibeat, quin facilè fit, quod à me petitur, cõfectura. Nec est quidquam, quòd hoc tempore mihi gratius facere possit. Nam cùm non deesse dicantur adhuc Elbingæ pij qdam homines, qui cuperent in ea ciuitate Christianam religionem restitutam, saltem illarum animarum saluti, pro eo vt officiũ meũ postulat, consultum cuperem. Ad diuinam quoq; gratiam promerendam plurimum ea res Magnificæ D. Vestræ pertineret, si suam opem & operam in hac tam pia causa mihi nauaret. Datum XXVIII. Septembris Anno M.D.LXXVIII.

Petro Myskovvsky Episcopo Craccouiensi. Epist. CCLXXIIII.

Hortatur, author vt esse velit Regiæ Maiestati, vt in eiciendis hæreticis Cæsareæ Maiestatis exemplum imitetur: & vt panicum timorem abiiciat, & quod ad Mahometismum iam sit inclinatio, & vt de Palatino Craccouiensi ad Ecclesiam reuocando laboret.

AD octauum Idus Ianuarij binæ mihi sunt redditæ D. Vestræ literæ, priores vltima Octobris: posteriores quarta Nouembris datę, Cęsareæ Maiestatis exemplum, eos qui cum imperio potestateq; versantur, merito commouere deberet, vt quem tres Reges in cunis adorauerunt infantem, eum & non alium Christum adorari permitterent in cœlo regnantem. Si facit hoc qui puer est, propemodum & in hac ætate teneriore virilem gerit animum, cur non faciat Rex in ea iam ætate, quæ ad facienda & ferenda omnia paratior esse deberet? Laudatur præclarum hoc factum Christianissimi Cæsaris, verùm imitari præstaret quàm laudare tantum: nam dum laudamus, quæ non imitamur, qd aliud quàm nos ipsos condemnamus, vt cùm ad iusti illius iudicis tribunal ventum erit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

excusationem prorsus nullam habere queamus. Cupere quidem illa dicitur, sed iniquitas præsentium temporũ facit, vt studio & voluntati illius facultas par non esse videatur. Ego verò vehementer metuo, ne magis hoc faciat hominũ, quàm temporum iniquitas. An in Polonia maior est, quàm in Austria præsentium temporũ iniquitas? An minus multi sunt in patria nostra, qui Deum Patrum nostrorũ colant, quàm in Austria? An principem in Senatu locum non obtinent Episcopi? quos omnes Christianos, nõ aũt Lutheranos, vel Caluinianos esse constat? & est eorũ adhuc tanta per Dei gratiam authoritas, vt contemni non possit: cùm in Austria tale nihil videre liceat. An Senatus ipse non ex maiore parte constat ex Christianis? quin & equestri ordinis multò maior pars Christiana est, vt nihil dicam de plebe, quæ plurimum ab his Dijs alienis abhorret, & solùm Deum Patrum nostrorum pie colit. Num tale quid in Austria? Num aliqua isti est Episcoporum authoritas? An equestris ordo ferè totus nouos resentesq; Deos non adorat? An plebs nõ furit eadem hac amentia? Quid aũt Christianiss. Imper. an propterea temporibus potius, quàm Deo seruiẽdum esse putauit? Quin ille cùm audiret in templo cantari, Deus cui seruire regnare est, non autem tempus cui seruire regnare est, omni sua fiducia in solũ Deum collocata, nulla prorsus ratione temporis habita, Prophetam dicentem audiuit: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehẽdite disciplinam, ne quando iratscatur Dñs, & pereatis de via iusta. Noluit ille suum sibiq; subiectorum populorum extremum interitum expectare, sed apprehendit disciplinam, ac ne sibi thesauriſaret, iram in die iræ sathanæ ministros, quos ad abolendũ Euangelium Christi conspirasse videbat, magna cum Dei piorumq; omniũ approbatione è terris suis eiecit, vt iratum Deum sibi propitium redderet. An aũt aliqui propterea sunt motus grauiores eõsequuti? quin quanto maiorem ille fiduciam in Deo Patrum nostrorum collocauit, tantò magis prosperos consiliorum suorum exitus habuit. Quamobrem non est quod iniquitatem temporũ, sed est qđ iniquitatem hominũ accusemus, nec nostrũ ipsorum culpam, in tempora quę sunt omni culpa vacua, conferamus. Verè dixit sanctus ille Rex & Propheta, Deum non inuocauerunt, ideò trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Omnia metuimus præter Deum, quem solum si metuerent ij, qui cũ imperio potestateq; versantur, siue ciuili siue Ecclesiastici, nihil eorum quæ metuunt metuerent: quin metuerentur potius ab his, quos imperio potestatiq; suæ subiectos Deus esse voluit, & quæ debetur illis, obedientia & reuerentia præstaretur. Nunc quia Deum ex toto corde non inuocamus, quia timorẽ eius abiecimus, trepidamus timore, vbi nõ est timor: & à folij quoq; strepitu nobis metuimus. Cœlum ruiturũ existimamus, si paulò fidentius & apertius Christum confiteamur: At ego metuo, ne ruat illud citius, si panicum istum pauorem, dum hac vna de re solliciti sumus, ne panis nobis auferatur, nõ abiecerimus. Præstaremus nos viros, qualem se pstitit Imper. in hac ætate sua nõdũ satis matura, nec panis nobis esset defuturus, & prosperiores cogitationũ cõsiliorumq; nostrorũ progressus & exitus essemus habituri. Sed in hoc regni sui principio, tot curis, tãq; multis & varijs reip. negotijs Rex distinetur, nihil vt omnino ocij ad rẽ tanti momẽti aggrediendã ei relinquatur? Ad quã aũt rẽ ocij plus esse debet his, q cũ potestate versantur, quã ad religionẽ Xpianã sartã tectã tuendã, atq; cõseruandã, quæ salua, saluũ erit regnũ, quæ ruere nõ potest, vt nõ eodẽ labe factatũ motu, regnũ cõcidat vniuersum. Primũ quęrite regnũ Dei, dixit ille Rex cœlestis, & cætera adijciẽtur nobis. Nũc nos de regno Dei quęrendo nulla sollicitudine tangimur, ex quo fit vt cętera nobis nõ adijciãtur. Etiã Ethnicus ille Poẽta, à Ioue dixit principiũ, nõ ab alijs nescio qbus reip. curis & negocijs, sic & illi q Dei veri notitiã nõ habebãt, primũ religionis quãuis falsę curã habere debere censebant. Quod videmus & ab Imper. isto laudatissimo factũ, q, quãuis posterior ad imperij quã Rex noster ad regni sui gubernacula accesserit, prior tñ egregię suę pietatis documentũ dedit, sathanę ministris è suis terris propulsandis, vt exẽplo suo finitimo Regi præiret. Verũ obstat priuilegiũ, nescio qđ hostibus Euãgelij à Sigismũdo Rege cõcessum: Nõ minus priuilegiũ habuit etiã Austria, cuius q fuerit status proximis superioribus annis, nõ ignoramus. Sed plus apud Imper. valuit priuilegiũ ab ipso Xpo verè credentibus in se datũ: vt vitã potius, cũ sanguine profunderent, quã alienos Deos coli pmitterent, & quę p obreptionẽ obtẽta sunt, quale fuit priuilegiũ illud, põdus habere debent nullũ. Quod aũt ad cõfœderationẽ attinet (quæ iuxta sensum, quẽ adferunt publicæ pacis pturbatores, cõfœdatio potius Polonici nominis, & impiorum impia cõtra Xpm cõspiratio censeri debet) certũ est, si quo sensu iurauit in illã Rex, eo accepta fuerit, qđ erit violati iurisiurandi reus: nisi pestes istas, Imperatoris exẽplũ sequutus, ex regno terrisq; suis primo quoq; tẽpore, pfligauerit. Quid n. iurauit vere pius, Xpianus, & Catholicus Rex: pacẽ & tranqllitatẽ inter dissidentes in religione seruabo: & manu tenebo. Quod iuramentũ cũ illi Mariemburgi Dux qđ Ægyptiorũ obiecisset, respondisse dicitur: seruare pacẽ iuraui, nõ oppugnare: qđ aũt à te petitur, ad abolendã, nõ ad seruandã pacẽ ac tranquillitatẽ ptinere videtur: Quod potuit ab eo respõsum dari dignius verè pio, Christiano, & orthodoxo Rege? Quæ societas luci & tenebris? dicit Paulus: Certè propulsari prius tenebras oportet, si quis luci debet esse locus, sic & dissidia quæ princeps tenebrarũ seminauit, sublata prius oportet, si pacẽ ac tranqllitatẽ rẽtinere cupimus. Nã vbi sunt omnia plena dissidijs, durantibus illis, quomodo pax atq; tranqllitas cõseruari potest? nisi fortè potest apparere lux nõ facessentibus tenebris. Quãobrẽ si nõ vult violati iurisiurandi præstiti Serenissi. Rex noster reus videri, in hoc illi studiũ toto pectore, quod aiunt, incũbendũ est, vt propulsare tenebras, vt dissidia primũ tollere possit. Hæc. n. est sola ratio, qua desideratã lucẽ aspicere, & optatã trãqllitatẽ cõsequi possimus. Præclarè dixit sanctus ille pater, Quod fides nõ est nisi vna, qdqd aũt est extra fidem vnam, nõ fides, verùm perfidia est: An aũt iurauit Rex, vt manu teneret perfidiam?

diam? aut quod nulla ratione fieri potest, coniunctam cum fide perfidiam vellet? Quid cogitari potest absurdius? certum igitur est & indubitatum, quod cùm iurauit se pacem seruaturum, dissidia se sublaturum iurauit, vt esse paci atq; tranqnillitati locus possit. Qui sunt autem isti dissidentes in religione? num soli Lutheristæ, vel soli Caluinistæ? Iam eo, pgressæ dicuntur istæ sectæ, vt vix earum numerus iniri possit. Et auditum hoc renunciatur à Palatino Craccouiensi, quod eò iam peruentum est, quod plus minus trecenti viri nobiles, cum hanc sectarũ tantam varietatem, tam atroces inter eas pugnas videant, in Machometismum inclinent. Eqdem non video, cur magis abominãda videri debeat Machometana, quàm aut Lutherana, aut Caluiniana perfidia: nam cùm in eo cõueniant, vt affirmẽt verum non esse, quod dixit Christus, accepto pane, Hoc est corpus meũ, accepto calice, Hic est sanguis meus: & per summum sacrilegium arguere mendacij veritatem non dubitent. Si mentiri potest ipsa veritas, cur non magis mentiri possit veritatis discipulus, qui dixit: Verbũ caro factum est? Cũ legatione fungerer apud Ferdinãdum Imper. cuius memoria sit in benedictione, fuit allatum, quod Braunsuigæ disputabatur de veritate Christi corporis in Eucharistia, quã Hardembergius qdã negabat. Cùm aũt esset expresso Dei verbo cõuictus, Quomodo, inquit, potest dare nobis Xps carnẽ ad manducandũ, cùm nullã ex virgine carnẽ sumpserit? Si quis ductum rationis humanæ sequi velit potius, quàm ei credere qui fallere nescit, multò difficilius illi videbitur, Deum incarnatum, quàm ex pane factum esse Dei corpus incarnati. Quantum igitur à Machometanis distabimus? & cur nõ æquè illorum atq; Caluinistarum pfidiam approbabimus? Futurum est igitur, quod, p sua misericordia Deus procul à nobis auertat, vt ex Lutheranis & Caluinianis cõplures efficiantur Machometani, & qui veritas esse negatur, nec Deus nec homo Christus esse credatur. Sed esse dicitur occasio expectanda. Trigesimus nunc agitur annus, quod sum Epus renũciatus, per omne tẽpus id, occasionẽ istã expectaui: semp prioribus malis tẽporibus peiora succedere animaduerti. Sed ego laudo D. Vestram, quod nepotes & alios propinquos suos ad Christianã fidẽ cõuertendos curauerit. Vtinã aũt eandẽ curã adhiberet in Palatino Craccouiensi, qui & ipse quadã affinitate D. Vestrã attingit, à Caluiniana pfidia reuocãdo, & ad Christianam fidem, in qua baptisatus, & initio fuit institutus reducendo: nullum Deo possest sacrificium offerre gratius, nomenq; suum immortalitati cõsecraret: Scribitur de illo, quod errorem suum agnoscere iam videtur, quod ex hac tot sectarum tã inter se dissectarum varietate (quandoqdem videt, quod ad hoc cœperunt esse multæ fides, vt nulla sit) ingentem dolorem capiat, quoq; nõ ita lõgè iam absit à regno Dei, dummodo ne deesset, q moneret errãtem, & in viam à qua deflexit reducere conaretur. Narratur & hoc quod ab Henrico Rege Palatinatu auctus & honestatus ea lege fuerit, vt Caluini pfidiã abijceret, & Christi doctrinã, quam à maioribus nostris qui Christiani vocabãtur, & nõ Eigenvvillici, nobis per manus traditam accepimus, amplecteretur, quod ita se facturum, fidẽ etiã suam obstrinxerit. Cùm Christianiss. Rex Henricus ex patria nostra discedens Venetias appulisset, miseram ad illum officij causa Stanislaum Reseium meum, p quẽ etiam sum precatus, vt ne nos orphanos relinqueret, sed ad regnum suum rediret. Is post benignum respõsum à se datum, quamuis nullam eius rei fecisset Reseius mentionem, vltrò tñ quasi cœpit se excusare, qđ hominẽ de se benè meritũ Palatinum designasset. Nollẽ, aiebat, in eã opinionem de me Cardinalis veniret, quod voluerim hunc honorẽ hæretico delatum: nam promisit ille mihi bona fide, quod esset doctrinis istis varijs & peregrinis, nũcium remissurus, & à qua fuerat abductus, ad Christianã fidem rediturus: Cùm aũt is ouis D. Vestrę sit, boni pastoris officio fungeretur, si huius eum sui promissi admoneret: atq; vt id præstare conaretur efficeret. Dicitur is nõ vulgari quadam in D. Vestram suæ voluntatis inclinatione, ppẽdere, qnò facilius eum ab erroribus in qbus versatur liberare, & in viam veritatis reducere poterit. Magnum ea res esset allatura momentum, ad oẽm sathanismum, quo miserè vexatur à patria nostra profligandum, & iam in portu quodammodo nauigaremus. Faceret aũt hoc eius exẽplo, qui sororem eius habet in matrimonio, qui cùm & ipse desciuisset à Deo Patrum nostrorum, & alienos Deos fuisset sequutus, miserieordiam Dei consequutus, quasi postliminio tandem ad Patrum nostrorum Deum est reuersus, & est ille nõ paulò doctior quàm sit affinis D. Vest. quem ego qualis est affinis eius in Lithuania populi Israel, quàm Ægyptiorum Ducem esse mallem, Verum de his satis. Quoniam aũt vetus est hęc & laudata cõsuetudo, vt sub ineuntem nouum annum strena petatur, ego quoq; mihi seruãdam eam existimaui. Peto aũt, vt efficiat apud Maiest. Regiam quemadmodum ipsa D. V. in villis suis patrimonialibus cõplures animas Xpo lucrifecit, vt idem faciendi mihi quoq; potestatem in ciuitate sua Elbingensi, quæ est Ecclesiasticę meæ iurisdictionis, Regia Maiestas permittat, vt possim eo mittere, qui purum Dei prædicent Euangelium, absq; cuiusquam impedimento, & sathanæ fraudibus seductas animas in viam salutis reuocent. Vellem qdem, vt omnes Antichristos ex ea profligare liceret, sed si metuitur ne cœlum ruat, posteaquàm id Maiest. Regia aggressa fuerit, hoc tantum peto, vt in ea Christus quoq; possit habere, vbi caput suum recliner. Quod si conceditur Christianis etiam sub Turcarum tyranno, cur non eadem libertas illis permittatur sub Elbingensibus Burgimagistris? qui cùm iam annos aliquot sibi Pontificiam authoritatem arrogassent, nunc etiam plusquàm Regiam vsurpant, cùm tñ eos subiectos esse Regi, nõ autem sibi Regem habere subiectum oporteret, saltem restituant eam Ecclesiam legitimo pastori, quæ iuris est Patronatus Regij, si non vult Christi, saltem suam ipsius iniuriam Rex vindicet, nec quod eius proprium esse ius nemo dubitat, id eripi sibi patiatur. Hæc si strenæ loco mihi concessa fuerint, ingens accepisse me beneficium interpretabor. Vale. Datum Romæ 7. Ianuarij M.D.LXXIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stephano Regi Poloniæ. Epist. CCLXXV.

Hortatur & obsecrat, vt Catholicorum potius in bello, quàm hæreticorum, quos Ægyptios vocat, opera vtatur. Osorij in Esaiam paraphrasin, & Socolouij concionem de excidio Hierosolymitano commendat: & de hæreticorum audacia compescenda.

QVoties de bello cogito, quod contra Moschos Maiestas Vestra suscepit, simul qui sit status regni Maiestatis Vestræ, mecum animo reputo, non possum de exitu illius, quem faustum & fœlicem Vestræ Maiestati precamur, nõ esse valdè sollicitus. Nam & si de viribus Vestræ Maiestatis, quin pares ad id prosperè conficiendum esse queant, nihil dubito: tamen vt propitium Deum habere possimus, vt ille conuertat nos, vt iram suam auertat à nobis, vt ne grauibus peccatis nostris offensus, durius aliquid pro eo vt meremur statuat contra nos, id summo studio prouidendum esse censeo. Legi quas coram Maiestate Vestra duas conciones habuit vir pius & doctus, quas ardens quidam ab eo communis patriæ nostræ conseruandæ zelus extorsit Stanislaus Socolouius, quem quod Maiestas Vestra hoc in aula sua munere fungi præ cæteris voluit, iudicium hoc illius non possum non vehementer probare. Quamuis enim viuam illius vocem non audiuerim, quæ multò plus habere solet energiæ, tamen & hęc quam literis ille mandauit, oratio vita quadam sua non videtur esse destituta. Proximo superiore anno miseram Vestrę Maiestati Prophetam Isaiam Tulliane loquentem, & vt inter preces quas è lecto surgens, ad Deum fundere consueuit, vnam aut alteram paginam in eo libro legeret sum hortatus, Huic meo consilio si quid loci datum est, quod omninò factum existimo, bona spe sum, quod in solo Deo fiducia sua collocata, Ægyptiorum præsidijs non ita multum confidet. Quid autem aliud facit hic noster Socolouius, quàm quod nonnullis in locis inculcat eadem illa, quæ præclarè apud Isaiam scripta legimus: quando qbus artibus Imperia parta & amplificata, contra, quibus peccatis atq; flagitijs prolapsa sunt, & funditus euersa commemorat: vt pulchre cum Isaia Propheta huic Maiestatis Vestræ Prophetæ conueniat. Cuius cùm ego posteriorem orationem legissem, quam de causis supremi excidij Hierosolymitani ex Iosepho & Hegesippo collectis conscripsit: quandoquidem imaginem quandam illorum temporum in regno Vestræ Maiestatis, ad viuum expressam videre mihi sum visus, totus cohorrui: nec enim potui non vehementer metuere, ne cum alijs grauibus peccatis & flagitijs nostris, præcipuè tot sectis tam inter se dissectis grauiter offensus Deus, quibus olim Hierosolymam, ijsdem & nos nihilo ciuibus illis meliores cladibus affectos, & calamitatibus oppressos velit. Nam si quæ germana fuit Oliua rationem illius habendam Deus non putauit, qui fieri potest, vt pluris faciat Syluestrem Oleaginem, si non pepercit electæ suæ genti, sceleribus illius prouocatus: quomodo parcet ei, quæ multitudine grauitateq; scelerum illam longè superare videtur, in qua plures etiam, quàm in illa sectas mirabiliter inter se dissectas, non sine magno stupore quodam cernimus? De quarum numero non modo nõ detrahitur quicquam, verùm etiam indies ad priores maior accessio fieri dicitur: quandoquidem & mendacij veritas arguitur, quæ dixit accepto pane, Hoc est corpus meum, accepto calice, Hic est sanguis meus, & sacerdotium & sacrificium omne prorsus abrogatur: omnis agnitio Dei tollitur, dum seorsim à cæteris mortalibus nullus ei peculiaris cultus tribuitur: & adoranda Trinitas, veneranda q; vnitas tam horrendis conuitijs, maledictis, blasphemijs afficitur: vt quamuis longanimis & patiens, ac multæ sit misericordię Deus, diutius hæc tanta sacrilegia ferre non posse videatur. Quare supplex à Maiestate Vestra peto, ne quam in Ægyptiorum viribus fiduciam collocet, sed illud imprimis curet, vt quẽ enormibus flagitijs nostris auersum à nobis Deum esse cernimus, eum placatum nobis habere possimus. Quamlibet magnas copias collectas habuerit, nisi nos oculis ille misericordiæ suæ respexerit, nisi propitium illum reddere nobis conati fuerimus, nisi Prophetam dicentem audierimus: Declina à malo & fac bonum, non video quæ sit spes, fœlicem nos exitum huius belli habituros. Quomodo res gesta fuerit, ante sesqui annum, tenet, p culdubio memoria M. Vestra. Cõgregatus fui aduersus Moschos non contemnendus qdã exercitus, verùm in eo toto, nec sacerdos, nec sacrificium fuit vllum, nec Deus in cœlis agnoscebatur. Volabat Volanus quidam, & clamabat: Non est verum quod à veritate de pane dictum est: Hoc est corpus meum, nec fuit inuentus quisquam, qui tam blasphema loquentis os obstrueret. Misericordiæ Domini, quod non statim consumptus, & hiatu terræ fuit absorptus exercitus ille: cuius Dux quin fuerit Christi pduellis aliquis hæreticus, dubium non est. Qui verò fuit præfectus his copijs, quibus cum Moschis ante quintq; plus minus menses prælium fuit initum, eximius est Christi cultor, vir insigni pietate præditus, quam etiam Romæ cùm esset ab anno Iubilęo multis documentis declarauit D. Sapra. Is quamuis non esset multum in militia versatus, vt esse tyro quidam adhuc videretur, quoniam tamen priusquàm ad arma ventum esset, precibus & sacrificijs reconciliandum Deũ curauit, quamlibet parua manu multis partibus maiorem exercitum vicit, fudit, profligauit: quæ res documento esse debet Maiestati Vestrę, quantum in eo positum sit, Christianum ne ducem copiarum suarum habeat, an Christi perduellem aliquem hæreticum: Hæc igitur prima debet esse cura Maiestati Vestræ. Si fieri non potest, vt omnes Ægyptios arceat ab exercitu suo, saltem vt illius duces non alios habeat, quàm qui sunt ex populo Israel, hoc est, ex his quæ verè credunt in Christum, & vt nullas in suis castris blasphemas

mas voces edi permittat. Ita futurum spes est, vt prosperos consiliorum suorum progressus & exitus habeat. Cæterùm sub initium anni huius à Maiestate Vestra me petere memini, vt strenæ loco mihi largiretur hoc, vt in Elbingensi ciuitate, quæ meæ iurisdictionis est Ecclesiasticæ, Vestram verò Maiestatem itidem, vt nos Regem atq; Dominum suum agnoscere deberet, liberam Euangelij Christi prædicandi potestatem permitti iuberet. Habet enim illa ciuitas Antichristos multos, Christus vbi caput in illa reclinare possit, non habet. Cui locum vt aliquem dari iubeat, & quæ sunt adhuc in ea ciuitate reliquiæ Christianorum, eas ne deteriore velit esse loco, quàm sint illæ, quæ sub Turcarum tyranno degunt, quanti vel fortunarum suarum, vel regni sui, vel animæ suæ, quin multarum potius animarum, qua precioso suo sanguine Christus redemit, salutem facit, tantum vt prouidere velit, supplex ab illa peto. Nec enim quicquam dubito modo seriò velle, Maiestatem Vestram intelligant, quin ad illius etiam nutum se sint hædi mei conuersuri. Pertinebit hoc etiam ad iram Dei placandam, quam isti sathanæ ministri maiorem indies prouocant. Ex quibus quidam ante decem annos, sub illud ipsum tempus, quo mandato Serenissimi Regis mei mihi fuit ex Prussia discedendum, ausus fuit pro concione publicè blasphemare, diabolum adorare, si quis quo tempore sacerdos eleuat Eucharistiam eam adorauerit. Quid magis impium & blasphemum dici potuit? Iterum atq; iterum à Maiestate Vestra supplex peto, si non prohibendum esse censet in ea ciuitate cultum Antichristi, ne patiatur, quominus in ea liberè Christus annuncietur, pieq; colatur, quenquam prohibere. Quod si prouisum opera Maiestatis Vestræ fuerit, piorum precibus & sacrificijs placatus Deus, iram suam à nobis auertet, & optatam contra Moschos victoriam largietur. Quod vt ita fiat, nos etiam in his sacris locis, ad sanctorum Apostolorum, & martyrum thecas prouoluti, Deum supplices precari nunquam intermittemus. Exaudiet ille preces & lachrymas piorum, dummodo conuertamur ad illum in toto corde nostro, & CHRISTVM apertè confessi fuerimus. Datum Romæ XXVII. Martij M. D. LXXIX.

Venerabili D. Tilmanno Bredenbachio, Canonico Bonnensi, &c. fratri in Christo charissimo. Epist. CCLXXVI.

S. P. Quas ad me dedisti literas, hæ mihi gratæ acciderunt. Antiperaspisten tuum anno superiore legi, non sine quadam voluptate. Boni patris bonum te filium esse video, nec minus quàm ille fuit in bonis, præcipuè sacris literis versatum, qua quidem ex re non mediocrem voluptatem capio. Bona spe sum, quod perpetuò pij patris tui vestigijs incessurus, & Ecclesiæ Catholicæ doctrinam eius exemplo, contra Christi crucis inimicos, magna cõstantia semper sis defensurus. Ego verò si quid gratificari tibi potero, nullam eius rei occasionem prudens prætermittam. Bene vale. Datum Romæ in Vaticano II. Martij Anno Domini M.D.LXX.

Eidem D. Tilmanno Bredenbachio. Epist. CCLXXVII.

S. P. Ludouicus Hillessemius, & propter ingenij sui præclaras dotes, & propter singularem pietatem, quam eius libri spirant, mihi tantò charior est futurus, quantò diligentius à te commendatur. Si quid illi gratificari potero, per omnem occasionem faciam lubens. Idem tu quoq; de me polliceri tibi poteris. Quem autem librum Pontifici te mittere scribis, eum hactenus nõ vidi. Quamuis autem ex hac vita Pius V. migrauerit, si tamen huc perlatus fuerit, eius legitimo successori S. D. Nostro Gregorio XIII. tradetur: cui tuam hanc operam in Ecclesia Dei scriptis tuis adiuuanda lubens commendabo. Iacobum Middendorpium verbis meis salutabis, cuius literis tunc respõdebo, cùm librum quem mihi mittere se scribit videro. Nunc enim sum occupatior, quàm vt multa scribere possim. Bene vale. Romæ Prid. Calend. Iunij M.D.LXXII.

Voluminis Epistolarum Finis.

EXA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

EXAMEN SIVE EXCVSSIO ARTICVLI CONFOEDERATIONIS SERENISS. HENRICO POLONIAE REGI PER Hæreticos ad approbandum propositi.

PER STANISLAVM HOSIVM CARD. VARMIEN.

SIMPLEX est veritatis oratio, ab ea qui semel aberrauerunt, longis anfractibus eorum sermo circumscribitur. Nec sententiam suam satis explicant, vt quid sibi velint non satis intelligas. Nec verò mirandum id est, quandoquidem nihil est eo verius, quod à veritate dictum est: Omnis qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Qui diligenter excusserit verba confœderationis aduersus Dominum & aduersus Christum eius factæ, suis ipse cernet oculis, quod à quibus ea conscripta fuit, ij lucem oderunt, nec opera sua manifestari voluerunt, quandoquidem non in Deo facta sunt: Sed longis quibusdam ambagibus vtuntur, neq; sententiam suam satis explicant. Excutiamus igitur eorum verba. *Qui sumus aiunt dissidentes in religione pacem inter nos conseruabimus.* Hæc verba si quis toleranda putaret, stultum tamen est, ibi pacem sperare, vbi discidia non submouentur ab eo, qui cum potestate versatur: cùm in vnitate, non in dissidio pax conseruetur: & hac potissimum de causa Rex vnus eligatur, vt ne discidia permittat, & si quæ iam exorta sunt, ea primo quoq; tempore tollenda curet. Nullum autem pernitiosius dissidium est, quàm religionis. Hoc igitur vt submoueri possit, propterea legitima potestas tam Ecclesiastica, quàm ciuilis est à Deo constituta, vt illa de causa dissidij cognoscat, & eos qui dissidij fuerunt auctores, gladio spirituali feriat: hæc verò materialem quoq; gladium in eos stringat, vt sit vindex in iram ei, qui malum ait, nec esse patiatur in regno suo, nisi vnam fidem, cùm verissimè dictum sit à quodam sancto Patre: Quicquid est extra vnam fidem, non fides, sed perfidia est. Perfidiam autem à regno suo Rex propulsare tenetur: nec vnquam sibi persuadere patiatur, quod qui Deo non seruat, à Deo constitutæ potestati fidem sit seruaturus, quod etiam suo periculo iam in Gallijs didicit, vt aliundè exempla petere necesse non sit: sed expendamus reliqua. Rationes enim adferunt, in quibus pacem conseruari posse sperant. *Neque propter diuersitatem aiunt fidei, aut mutationem in templis, sanguinem effundemus, aut pœnis afficiemus, siue confiscatione bonorum, ademptione honoris, carceribus & exilio.* Quales autem sunt istæ ambages, qui circuitus, cur non explicant quod volunt? sed verè dixit veritas: Qui malè agit odit lucem, quis nescit, quod priuato nemini licet sanguinem alicuius effundere, aut quibuscunq; tandem pœnis aliquem afficere, cùm eiusmodi potestatem par in parem non habeat, vt hæc verba nihil ad institutum facere videantur. Sed conscij sibi se malè agere, non audent statim ad lucem venire, ne manifestentur opera eorum, cogunturautem tandem cornua prodere. *Quamobrem paulò post ita loquuntur: Neque superioritati vlli, aut magistratui ad talem progressum vlla ratione adiumento erimus, quinpotius si quis sanguinem effundere velit, ex ista causa nos opponere debebimus omnes.* Iam tandem caput exerunt, & quod pridem præmebant, premere iam incipiunt, neq; tandem adhuc satis explicant. Quid enim opus erat isto verborum circuitu, superioritati? magistratui? Cur non apertè dicunt? Non permittemus, vt Rex hæreticos iuxta patrias constitutiones arceat, vt constitutas aduersus illos pœnas prosequatur, aut vt impediat, quominus liberè nobis fidei Christianæ nuncium remittere, & perfidiam, vel Augustanam, vel Genuensem, vel quamcunq; tandem aliam amplecti liceat. Sed qui malè agit, odit lucem, sunt sibi cõscij se malè agere, cùm qui potestati resistit, Dei ordinationi resistat. Itaq; non audent vllam Regis facere mentionem, sed superioritati aiunt & magistratui, quæ & ipsa verba possunt sanum aliquem intellectum recipere: nam durante interregno non erat à ratione prorsus alienum, si tale quid constitueretur, vt inter dissidentes de religione pacis aliqua species conseruari posit, saltem eo vsq; dum Rex electus esset, penes quem potestas esset futura, de religione dissidentes ad pacem & concordiam quibuscunq; tandem iustis rationibus adducendi. Sed longè fuit eorum alia mens, quam tamen sceleris magnitudine deterriti, non audebant in apertum proferre. Regem enim intelligunt proculdubio, etiamsi nomen eius non enuncient. Illi volunt, vt se opponant omnes, quoties ille conatus fuerit patrias leges aduersus hæreticos, in quas iurauit executioni debitæ mandare. An autem hæc nõ cõiuratio potius aduersus Principem, quàm confœderatio dicenda est? an hoc non est illi Regiam potestatem adimere, & quem à Deo sibi habet traditum gladium, vt sit vindex in iram ei, qui malè agit, eum ipsi per summum scelus eripere? & sibi ipsis vendicare? Scripsit ante annos plus minus vndecim, Polonus quidam eques Stanislaus Orichouius, vir doctus & eloquens, libellum quendam, cui nomen dedit Chimeræ. Nunc in lucem prodijt ista Chimera. Ponit in eo verba Stancari cuiusdam, qui propter

pter scelera sua profugus ex Mantua pro magno Propheta fuit à quibusdam habitus, & cuius rei me vehementer pudet, hominis tam scelerati & indocti addam verbum, Dei verbum esse persuasum haberent. Is (quæ fuit temporum illorum licentia) non est veritus Regem in Christo proximè defunctum, quem Christianum, Catholicum, orthodoxum ad extremum vsq; vitæ suæ diem fuisse constat, pluribus verbis hortari, vt reiecta fide Christiana, quam à sanctis maioribus nostris per longam Episcoporum & sacerdotum successionem per manus nobis traditam accepimus, nouam quandam religionem instituat vellet: quem ijs verbis allocutus est: Quod si Maiestas Tua hoc sacrosanctum & necessariũ officiũ neglexerit, nobiles tui, qui & ipsi gladiũ gestant, auctoritate diuina tenentur, & debent sathanæ & eius religioni valedicere, atq; Christo & verbo eius se totos consecrare. Qui Stancarum istum per hos annos aluerunt, obscurum non est. Mirum in confœderationis vel coniurationis huius potius ille auctor fuerit, & formulam eius ipse conscripserit, in qua videntur armari nobiles contra Regem, vt nisi fecerit eorum imperata, nisi quam is apertè profitetur, Christianã fidem euerterit, & aliam in eius locum perfidiam introduci passus fuerit, ipsi gladium suum stringant, & contra Regem, & religionem eius, quæ eadem est totius populi Christiani. Est autem hoc Regiam Maiestatem agnoscere, & non puluiseulo potius (quod aiunt) eam sublatam velle? Quod si tale quid etiam indicta causa Rex designaret, quale metuunt isti, qui sibi conscij sunt, quod sint hæretici, & ob hoc omni suppliciorum genere digni, quam etiam ob causam, omnes rationes, quibus ea possint effugere, quærunt: ferenda tamen esset potius à Deo constituta potestas, etiamsi quid peccaret, etiamsi minus exactè iuris omnem formulam obseruaret, quàm vt statim aduersus eam omnes insurgerent. Nunc isti qui suæ pelli metuunt, quamlibet iustè Rex, quod iustum est, exequi vellet, ne tamen id ei facere, néue leges illi patrias, in quas iurauit executioni mandare liceret, sibi cauendum esse putauerunt. Addunt enim hæc verba: *Etiamsi quis hoc ipsum prætextu decreti aut aliquo iudiciali processu attentare vellet.* Qui malè agit, odit lucem: non dicunt, si Rex, sed si quis, non audent Regem nominare. Sciũt enim quod graue hoc scelus sit, minimeq; ferendum. Quis autem est ille, qui decretam causa capitali ferre posit, nisi Rex? Huic igitur se opponere, contra hunc insurgere se velle coniurant. Quid autem est rebellem esse Regi, si hoc non est? etiamsi Rex aiunt causæ dicendæ potestatem reo faciat, etiamsi legitimo processu vtatur, etiamsi iuris & iudiciorum formam omnem obseruet, nec eorum quicquam prætermittat, quæ ad iustè, quod iustum est exequendum pertinere videntur: opponant se nihilominus omnes, insurgant omnes aduersum potestatem à DEO datam, ordinationi DEI resistant, gladium (quem eis stringere non licet, nisi iussu Regis, nisi permissu legitimæ potestatis) contra potestatem ipsam stringant: quoties illa conata fuerit patrias leges, in quas iurauit exequi, vel prohibere, quominus Christi nomen impunè blasphemetur, quominus sectæ pernicioſæ introducantur, quominus CHristi corpus Ecclesia multas in partes dissecetur. An autem quod istos nunc facere videmus, non idem fecerant olim etiam illi Principes, de quibus Propheta scripserat: Quod conuenerant in vnum aduersus Dominum, & aduersus CHristum eius. Dirumpamus aiebant vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Horum exemplo nunc isti quoq; vincula, quibus alligati sunt, per Regem & legem, immò per ipsum Regem Regum, qui voluit, vt omnis anima potestati tanquam à Deo constitutæ subdita foret, ea dirumpere iugum, quo sunt illi deuincti, proijcere conantur à se, quodq; pridem de Papatu fecerunt, cuius vincula diruperunt, cuius iugum proiecerunt: Idem nunc de Regia potestate facere conantur, nec id sine scriptura. Nam vbi scriptum est, quod sacerdotes sumus omnes, ibidem scriptum est, quod Reges quoq; sumus omnes, verùm de his satis, nunc ea quæ sequuntur videamus. *Per hanc aiunt confœderationem* (aduersus Dominum & aduersus CHristum eius factam) *(superioritati dominorum in subditos nihil derogamus.* Quos autem dominos hic intelligi volunt, proculdubio non alios quàm seipsos, qui licet esse Regi subiecti videantur, tamen & ipsi suos homines habent sibi subiectos, Regiæ potestati præter nudum nomen vix quicquam concessum esse: suæ verò, quæ Regia est multò inferior, nihil prorsus derogatum cupiunt: Sic enim loquuntur: Si eiusmodi licentia sub prætextu religionis alicubi exoriatur, tunc tanquam sibi non obedientem subditum, liberum erit vnicuiq; domino secundum quod illi videbitur punire. An autem ijs verbis quem Regi gladium eripiunt, eum sibi ipsis non arrogant? cùm tamen gladij stringendi ius, nisi quatenus illis à Rege permittitur, habeant nullum. Omnem Regiam potestatem à Rege transferunt in se, sed quid dico Regiam, imò plusquàm tyrannicam sibi potestatem vsurpant. Nam vbi de Rege sermo est, ne scio quam authoritatem in eum sibi vendicantes, gladij ius illi non permittunt, etiamsi secundum iuris formam omnia faciat, etiamsi legitimo processu obseruato sententiam ferat, eam tamen executioni mandare non posit: vbi verò de seipsis verba faciũt, nihil tale, sed mutato stylo, Liberum aiunt erit vnicuiq; Domino (non secundum leges, neq; seruata debita iudicij formula) sed secundum quod illi videbitur, subditum punire. Num autem isti verè sibi nomen Euangelicorum vendicare non possunt, qui tam pulchrè cum Euangelio consentiunt? Quid enim est in Euangelio? Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Nolunt autem isti sibi fieri, vt secundum quod visum Regi fuerit, eos Rex inauditos nulla iudicij formula seruata puniri posit. Cur quod sibi fieri nolunt à potestate cui subiecti sunt, id in subditos suos licere sibi volunt? Sed Euangelij nulli sunt hostes infestiores, quàm isti, qui quæ sola nobis præ cæteris in Euangelio Christus maximè commendauit, pacem ruperunt, charitatem extinxerunt, vnitatem scinderunt, & omnibus modis impedire conantur, quod ruptum, extinctum, conscissum est, vt id ne redintegrari quandoq; posit. Non illi quidem

recu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

recusant, quominus Regem habeant, verùm & Regiam potestatem exerceat: quandoquidem criminum suorum sibi conscij sunt, ferre non queunt. Sis aiunt Rex noster, verùm nomine tantum, vt portes gladiũ, per nos quidem licet, verùm vt eum stringas, nisi iussu nostro, & quando nobis visum fuerit: hoc verò tibi licere minimè volumus. Nostro præscripto viuas oportet. Quod nisi feceris imperata nostra, si vel in minimo ea transgressus fueris, sicut contra quemuis alium, ex ijs qui sunt subditi nobis, si non obedierit, ita contra te quoq; nobis gladium stringere liceat. Qui volet dicto tibi sit audiens, nec eum coercendi potestatem habeas: nobis autem non obedire capitale sit, nec aliqua requiratur à nobis, quam exigimus à te iudicij forma, sed sit nobis fas plectere subditum secundum quod nobis videbitur, simul vt parum nobis morigerus fuerit. An autem hæc ad Anarchiam quandam spectare non videntur, in quam eorum consilia, qui sunt acerrimi Augustanæ Confessionis propugnatores, euasisse sub ipsum vitę suæ finem, qui fuit auctor ipsius confessionis, qui suis eam digitis conscripsit, grauiter admodum neq; temerè conqueritur. Videntur homines isti cœcitate quadam & amentia à Domino percussi, qui talia Regi suo tanquam sibi subiecto præscribere non verentur. Sed qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, delebitur fœdus vestrum, quod cum morte pepercussistis, & pactum cum inferno non stabit. Ac nisi fecerit à Deo constitura potestas, quoad est sui muneris: faciet ille, qui Rex est Regum, & Dominus dominantium, & flagellum inundans, cùm pertranserit, erit vobis in cõculcationem. Sed nos tamen supplices Deum precabimur, ne contineat in ira sua misericordias suas, quin conuertat potius eos qui sunt auersi, & auertat iram suam à nobis. Quod si verò qui iustè peccatis nostris irascitur, ferre diutius ea impunita noluerit, saltem ne in furore nos arguat, neue cum impio iustum, quoq; perdat. Bona spe sumus, quod sit supplicum preces Deus exauditurus. Dissipa Domine gentes, quæ bella, quæ dissidia volunt, & spiritum charitatis & vnitatis in cordibus nostris benignus infunde. Quod patrem tuum cœlestem sub illud ipsum tempus, quo fueras ad eum relictis terris migraturus, pro ijs qui crediturí fuerant in te, tam ardenter precatus es dicens: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos, vt omnes vnum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi vnum sint. Da Christe, vt huius tuæ precationis fructum aliquem consequi valeamus. Num autem isti qui volunt Euangelici dici, quibus nullos habet Euangelium hostes atrociores, quod Regiæ Maiestati nescio qua potestate præscribunt, id ipsi faciunt. Num vbi semel colere cœperunt, Belial vel Islebiensem, vel Geneuensem, vel quemcunq; tandem alium, ibi coli CHristum à Christianis, quos habent permittunt, vt Christiano ritu Deum in templo colant? An omnibus illud manifestum non est, & mulctis, & plagis alicubi miseros colonos & oppidanos, deserere fidem Christianam, & vel Augustanam, vel quamcunq; tandem aliam perfidiam sequi coactos fuisse, vbi vel in Saxonia, vel sub Rheni Palatino, vel in Anglia, vel in alijs quibuscunq; Prouincijs hæreticorum suos cœtus, & Ecclesias habere Catholici permittunt. Sed quid opus est longius exempla petere. Quid Elbingensis ciuitas Regi Christiano subiecta ineunte hoc ipso anno fecerit, nemo est qui nesciat. Non in sua, sed in Regis Christiani ciuitate fideles CHristi ministros, purum illius Euangelium prædicantes. Magistratus ille ferendos esse non putauit, sed eos exilla turpiter eiecit, & Ecclesiam à pijs in honorem Dei constructam, ad idolum islebiense colendum conuertit, & quod non fert inferior multò potestas, id vt ferat sublimior, non in alieno, sed in suo regno, tanta contentione laboratur. Sed nolunt, quominus in perfidia sua perseuerent, impediri, cũ interea qui Christianam fidem profitentur, eos vna cũ ipso CHristo, non è sua, verùm è Regia ciuitate proscribunt: nec eius Euangelium à pijs & doctis viris, quibus nullum obijci crimen verè potest, in ea prædicari permittunt. Sic isti si Deo placet Euangelici, quod sibi fieri nolunt, id alteri scilicet non faciunt, quorum doctrina, quam sequuntur, non aliter dici potest Euangelium, quàm quomodo lætum lætum, & bellum bellum dicitur, cùm vtrunq; sit minimè lætum, & minimè bellum.

ALTE-

ALTERA EXCVSSIO EIVSDEM CONFOEDERATIONIS,

Pro Instructione Serenissimi Poloniæ Regis HENRICI *Ad Illustrissimum Ludouicum Ducem Niuernensem missa.*

IN hac istorum petitione quatuor considerandaveniunt. Qui sint qui petant. Quid petant. A quo petãt. Quo fine petant. Qui petunt, Euangelici dici volunt. Nouum hoc nomen est. Legimus in actis Apostolorum, quod qui conuenerant Antiochiæ discipuli, primum ibi cognominati fuerũt Christiani, prædicabatur illis Euangelium, & quidem ab ijs prædicabatur, à quibus initio traditum & conscriptum fuit: Maluerunt illi tamen, ab eo, qui author est Euangelij, cuius id magisterio, primum viua voce traditum, deinde literis quoq; mandatum est, à Christo nomen ducere, quam vel à traditione, vel à scriptura. Quod nomen ita posteritas etiam omnis complexa est, vt quotquot ad hoc vsq; nostrum seculum Euangelio Christi suas ceruices subiecerunt, non aliud nomen quàm hoc quod est supra omne nomen præ se ferrent, nec ad laudem & gloriam sibi magis amplum & illustre quidquam esse putarent, quàm si Christiani vocarentur, & essent. Nec semen istud adulteræ, præclarum hoc nomen, quo gloriamur nos legitimi matris Ecclesiæ filij, quo gloriati sunt etiam patres nostri, iam inde â mille quingentis annis, fallidire cœperunt. Et Euangelici dici potius elegerunt, vt se non esse legitimam patrum suorum sobolem declararent. Vel hoc solo nomine suspecta merito esse debent, quæcunq; petuntur ab illis omnia, cum præsertim, cum Euangelio Christi commune nihil habeant, quin potius ex Diametro, quod aiunt cum eo pugnent. Quid enim aliud in Euangelio, quàm Pax, quàm charitas, quàm vnitas nobis commendatur. An aliud nobis testamento Christus reliquit, ad patrem suum discessurus, quàm Pacem? An aliud quàm charitatem diligentius commendauit? An aliud à patre suo cœlesti petijt ardentius, quàm vt qui per verbum Apostolorũ in eum essent crediturí, vt vnum essent, sicut ipse cum patre vnum est, vt essent consummati in vnum. An alia de causa mori dignatus est, quàm vt filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in vnum. Nunc isti pacem ruperunt, charitatem extinxerunt, vnitatem sciderunt, & interea dici volunt Euangelici. Conscij sibi sunt quod à Christo, qui pax est nostra, qui facit vtraq; vnum sacrilega separatione, se diuiserunt, & ei qui diuidit inter fratres, qui dispergit, quod est pretioso Christi sanguine congregatum adhæserunt. Quamobrem pudet eos eius nominis, à quo se disiunxerunt, & aliud sibi nomen, quod hactenus in Ecclesia Dei fuit inauditum confinxerunt. Euangelium græcè sonat, idem quod læta quædam & bona annunciatio latinè. Qualis ea fuit quam pastoribus annunciabat Angelus, dicens: Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus: & subito facta est multitudo cum Angelo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax. Christum ille saluatorem annunciabat, à quo nomen ducimus. Pacem qua nihil est hominum generi lætius & optabilius p̃dicabat: q̃ Pax nostra Christus est, q facit vtraq; vnũ. Fecit ex Iudæis & gentibus vnum populum in se credentium. Fecit vnum de duobus: isti fecerunt duo, ac plura etiam quam duo de vna. Hoc est certè contrarium illi, quod à Christo & Apostolis eius fuit prædicatum, & factum, nec aliud est hoc, quàm Euangelium abolere, Christiq; crucis & mortis beneficium euacuare. Quamobrẽ, si quod ab illis annũciatur Euangelium, hoc est, læta quædã annunciatio dici debet, non alia ratione dici potest Euangelium, quàm qua bellum bellũ, & lætum lætum dicimus, cũ vtrunq; sit & minimè bellũ, & minimè lætum. Væ sempiternum & mortem sempiternã annunciant isti, annunciant illud væ de quo legimus apud Esaiam, Væ qui dicitis bonũ malũ, & malum bonum ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponẽtes amarum in dulce, & dulce in amarũ. Væ q̃ sapientes estis in oculis vestris, & coram vobis ipsis prudentes. Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum insipientes Prophetas, qui cum sint prudentes in suis oculis, & nihil videant, malum bonum, tenebras lucem, mortem dicunt esse vitam, & omnia contraria docent Euangelio Christi, vt nullum illis minus quàm Euangelicorum nomen conuenire queat. Sed si nec Euangelici sunt: Christianorum verò nomen fastidiunt, quam illis appellationem tribuemus? Quod si ficum, ficum, quod est in prouerbio, si gonem ligonem appellare licet, vocabimus eos Hæreticos. Verum offendit aures eorum nomen hoc, nec illud ferre possunt. Vtinam res ipsa potius offenderet, nec esse curarent, quod audire nolunt. Sed ipsum nomen per se turpe non est, cum hæresis græcè latinè dicitur electio. Si quis igitur nouam disciplinam, nouam opinionem aliquam eligit, quàm ea quam antea fuerat amplexus, esse putat saniorem, hæreticus vocatur: quod si fiat in humanis disciplinis, infame non est: Verbi gratia, fuit aliquis in hæresi Peripateticorum, factus est postea Stoicus, quod eam Philosophiæ partem saniorem esse persuasum habet: nullam eam res eius existimationi maculam aspergit. Sed si fiat idem in diuina Philosophia, si qui fuit Christianæ Catholicæq; Confessionis, ea reiecta nouam aliquam amplectatur. Vel VVittenbergen. vel Geneuen. vel quamcunq; tandem aliam, aut proximis annis superio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ribus excogitatam, aut quæ pridem damnata beneq; sopita fuerat ex Orco reuocatam is certè fœdissimæ turpitudinis notam subit sempiternam. Nam & vulgari gentis nomine prouerbio dicit: Fama, fides, oculus, ludum non patiuntur, quod hæc tria, sine magno periculo moueri non possunt. Nunc inspiciant isti facta sua, num priscam illam disciplinam retineant, num in his permaneant, qui didicerunt ab initio, num quod eis à Sanctis Apostolis nostris Archiepiscopo Gnesnensi Adalberto, & Stanislao Cracouiensi Episcopo fuit Euangelizatum ab eo, nouis & peregrinis doctrinis abducti, & in aliud Euangelium traducti non sunt, nunc hanc, nunc illam sectam eligentes, & vnicuique nomen Euangelij tribuentes. Quod si factum hoc ab illis non est, hæreticorum sibi nomen verè tribui negare possunt. Mihi cum eorum plerisque, priusquam altius hæreses in Polonia radices egissent, magna fuit familiaritas. Initio quidam ex illis, cum foras prospectare, seq; mittere deorsum cœpissent ex illa ciuitate supra montem posita, quam nos in Symbolo Sanctam Catholicam Ecclesiam profitemur, ij quod in Ecclesia reprehenderent, nihil aliud habere se dicebant, quam quod laicis vsus calicis negatur. Qui si concessus esset in eo solo se libenter acquieturos, nec in reliquis, vel vnguem latum ab Ecclesiæ placitis discessuros. Cæterùm posteaquàm sibi calicem vsurparunt, non ita multò pòst longius progressi sunt, & Sacerdotium & sacrificium & omnem agnitionem DEI, prorsus abrogarunt, nunc ad Lutheristas, mox ad Caluinistas, & ad Piccardos, quos fratres Valdenses vocant, inclinarunt, quodq; suo sæculo factum esse deplorat Hilarius, vt menstruas, aut annuas fides profiterentur, id nunc quoque factum videmus, nam dum quotannis nouam fidem eligunt, ad extremum & ad Anabaptistas, & ad Trideistas, transfugerunt, ac super quo terra possit inhorrescere, cœlum etiam ipsum obstupescere, CHRISTVM à sæculo DEVM Deiq; filium esse (prò facinus indignum) negauerunt, hucusque iam processit eorum electio, quam hæresim Græci vocant, dum nouam quisque fidiculam sibi condit, nouam opinionem, quam reiecta priore sequatur, eligit, hos Cales hæreticos esse, qui negauerit, cum ingens eorum in Polonia sit numerus, eadem audacia lucere Solem in meridie negare potest. Sunt igitur hæretici qui petunt, nec vnius generis hæretici, verum colluuies hæreticorum omnium. Omnes enim iam ab inferis reuocatæ videntur, etiam ipsorum hæreticorum testimonio. Nam vt de alijs sectis taceam, hoc ipso anno liber editus in lucem est à schola VVittembergensi, de Persona & Incarnatione CHRISTI, in quo Germanis Lutheranis Samosatensium, Marcionitarum, Manichæorum, Sabellianorum, Arrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Monotelitarum horrendos errores impingunt. At illi modò non eorundem, vicissim VVittembergen. insimulant & vtrique alteros in Mahometismum inclinare Tragicè vociferantur. Hæreticos igitur esse, vel suo ipsorum de se mutuo testimonio constat, quod etiam Electioni, Christianissimi Regis huius pedibus manibusq; quod aiūt, esse refragatos, & eam omnibus modis impedire conatos, palam est. Nunc quid ab eis petatur expendamus.

Petebat olim Herodias saltatrix, decollari Iohannem Baptistam, quo non surrexit maior inter natos mulierum. Fuit illud perquam crudele, sed multò crudelius, & horribilius est, quod petunt isti saltatores ne dicam, an saltatrices. Nam si varium est & mutabile semper fœmina, nihil potest istis esse magis varium, & mutabile, qui de vna fide subinde prosiliunt in aliam, nec saltandi finem vllum faciunt, donec eò perueniant, vt dicat insipiens in corde suo: Non est Deus. Petunt enim saltatrices istæ non Ioannem, sed cuius non se dignum esse confitetur Ioannes, vt soluat corrigium calciamenti, Christum ipsum decollari, quod sibi summa cum importunitate concedi postulant. Nec sunt eo contenti, si corpus à capite sit separatum, sed volunt insuper, in minutissimas partes illud corpus esse dissecatum, quin & illud, interposito iureiurando, caueri sibi contendunt, nullam vnquam adhibitam iri medicinam, vt redintegrari possit. Potéstne vel cogitari magis immane facinus vllum, & magis horrendum? cum impij milites CHRISTVM in Crucem egissent, integrum corpus illius in cruce reliquerunt, & sicut futurum Propheta prædixerat, os ex eo non comminuerunt. At isti præclari milites, quamlibet impios illos immanitate sua longà superant, nec enim in hoc rabies eorum requiescit, si corpus à capite separatum videant, sed omnia ossa cupiunt ex eo comminuta. Sed hic dicet aliquis. Nónne scriptum est. Christus resurgens à mortuis, iam non moritur amplius, mors illi vltra non dominabitur. Quomodo igitur tu dices Christum decollari, & corpus eius lacerari? Sed non est hoc inusitatum in scripturis, quod Ecclesia vocatur mysticum Christi corpus. Nam sic à Paulo scriptum legimus, quod Christum dedit Deus caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus illius. Et alio loco: Vos estis corpus Christi. Quanti verò fecerit corpus hoc suum Christus Ecclesiam hanc suam, vel ea res documento nobis esse potest, quod vt illam colligeret, & nos omnes vnum secum corpus efficeret, verum illud & viuum suum corpus in ara Crucis mactandum obtulit. Hoc igitur corpus, quod ille sui sanguinis precio comparauit, cuius causa, viuo & vero suo corpori non pepercit, sed illud omni genere suppliciorum prius excruciatum in mortem tradidit, hoc tam charum Christo Christi corpus, vt à capite suo Christo perpetuo separatum, vt in minutissimas partes liceat videre dissecatum, & vt iuret Rex nunquam se facturum, vllum vt remedium, quo redintegrari possit adhibeat, tanto studio flagitant istæ Saltatrices. Memini quod superioribus annis, non aliud flagitabant, quàm vt in vsu veri & viui Christi corporis, quod est in sacrosancta Eucharistia, aliqua mystici corporis Ecclesiæ fieret separatio, vt sub vna specie, pars vna sumeret, sub vtraq; pars altera. Non ita multò pòst fuit petitum vt Christia-

næ

næ Confessioni nunclum, ijs qui vellent remittere, & illius loco Augustanæ nomen dare liceret, aliquot annis interiectis, petitum est, vt sicut Augustanæ, sic & Geneuensi, vel Tygurinæ Confessioni locus concederetur, vt impunè, quisque mendacij veritatem arguere posset, cum accepto pane dixit, Hoc est corpus meum: & accepto calice, Hic est sanguis meus. Hæc petebantur, priusquam ego fuissem in Vrbem profectus. Quamuis autem qui proximo superiore anno in Christo obdormiuit Sigismundus Rex secundus, cuius animam Deum propitium precor, ad nimis multa conniuebat, nunquam tamen, vt istarum Saltatricum importunitati cæderet, & eorum petitionem publico decreto quasi comprobaret, ab eo potuit obtineri. Nunc autem longius multo progressi videntur quam antea: volunt enim non modo Lutheranismum, & Caluinismum, verum & Anabaptismum, & Trideismum, fortassis autem & Atheismum sententia Regia quodammodo approbari volunt, vt iuret se non impediturum, quominus suam quisque fidiculam sibi condat, quominus quam quisque volet hæresim apertè profiteatur, quominus Christi sacrosanctum corpus pedibus conculcet Sacerdotium, sacrificium, & omnem Dei cultum reijciat, Sanctissimam Trinitatem impunè blasphemet, Christum à sæculo Deum Deiq; filium esse neget. Vix dum anni decem intercesserunt, quod edidit libellum quendam Stancarus, cuius verbum initio quidam, tanquam Dei verbum receperant, & non alio loco doctrinam illius, quam quo sanctum Euangelium habuerant, in quo Polonos equites reprehendit, quod sicut post Pauli discessum, à recta fide Galatæ defecerant, sic & ipsi post eius discessum defecerint ab illius Euangelio: cumq; misissent pro consilio ad Geneuenses, atque Tygurinos, ab illis Arrianam, Eutychianam, Apollinaristarum, Timotheianorum, Acephalorum, Theodosianorum, Gaianitarum, & Macarianorum hæreses, eis pro fide Catholica fuisse scribit remissas, quam amplexi postea fuerunt. Has igitur hæreses omnes, & quæ postea etiam horribiliores sunt consequutæ, petunt à Regia Maiestate confirmari, iuratus vt promittat, se nunquam commissurum, vt quominus in Regno suo grassentur hæreses omnes, vllo modo impediat. Admonuit eos aliquando Sanctus ille Rex & Propheta, qui cum summa potestate versantur, Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore. Nunc isti Regi suo longè diuersam cantilenam occinunt. Non intelligas, aiunt, Rex, non eruditaris qui iudicas terram, non seruias Domino in timore. Tum enim Reges Domino seruiunt in timore, quando quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibent atq; plectunt. Aliter enim seruit potestas quia homo est, aliter quia & etiam & Rex est, quia homo est, ei seruit viuendo fideliter, quia vero etiam Rex est seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti rigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa Idolorum, & illa excelsa, quæ contra Præcepta Dei fuerunt, constructa destruendo: Sicut seruiuit Iosias talia & ipse faciendo: sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam Ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut seruiuit Darius, Idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos illius leonibus ingerendo: Sicut seruiuit Nabuchodonosor, omnes in Regno suo positos, à blasphemando Deo, lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges. Nunc Saltatrices istæ, contra tam expressum Dei verbum cogere volunt Regem, ne Domino seruiat in timore. Noli aiunt curare in Regno tuo, à quo tueatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini tui, non ad te pertinet in Regno tuo quis velit esse, siue religiosus, siue sacrilegus, quasi vero magis ad Regem pertineat, sicarios, veneficos, parricidas, & quorumuis aliorum eiminum capitalium affines plectere, quam psychotyranos, hæreticos, cum omnia quotquot cogitari possunt crimina, cum vno hæreseos crimine collatæ festuca sint cum trabe comparata, minus vt peccaturus Rex videatur, si rapinas, si furta, si cædes, si latrocinia, si quęuis alia, quamlibet atrocia crimina, in Regno suo impunè patrari permittat, quam si CHRISTI corpus Ecclesiam à capite suo separari, si omnia ossa ex eo comminui, si tot hæreses in eo grassari patiatur, quot sunt voluntates: quot vt faciat isti tanto studio contendunt: volunt vt Rex non sit Rex, volunt vt frustra gladium portet, in Christi causa præsertim, quasi vero non Christi magis causam quam aliam quamcunque Rex defendere teneatur. Scripsit aliquando Philippus Melanchon de Germanis Lutheranis, quod eorum consilia non alio spectant, quã ad Anarchiam, quin autem & his non aliud sit propositum, nec alio cogitationes eorum referuntur omnes, quam ad Anarchiam, sanus nemo dubitare potest. Habes igitur Serenissime Rex, quid isti petant: petunt enim vt ne sis Rex, vt ne portes gladium, aut si portes, vt frustra portes, vbi CHRISTVS blasphematur, vbi corpus eius laceratur, vbi ne possis vti gladio.

CÆTERVM à quo petunt hæc? Num ab Herode? Imò ab Herodis Regis, Rege longè dissimillimo: petunt ab eo, qui semper es habitus, qualem à Deo continuis precibus nobis concedi postulauimus accerrimus Catholicæ fidei propugnator, qui publicè coram hominibus CHRISTVM confiteri nunquam erubuit, & quidem tam ardenter, vt caput etiam suum, dum prælia Domini præliaretur, in apertum discrimen non semel obiecerit, qui cum vix dum ex ephebis excessisset, contra CHRISTI, Christianissimiq; Regis fratris sui perduelles fortiter pugnando, eæsis illis, fusis, & profligatis, tot est insignes victorias consecutus, quibus nomen etiam suum immortalitati conseruauit, vt merito quis possit obstupescere, quod à tali Rege tam hæc abominanda petere fuerint ausi, qui pietatis incredibilis, & in fide Catholica tuenda constantiæ, tot iam dedit

Universidad de Deusto
Biblioteca

adeò præclara documenta, de quo certò sibi persuadent pij omnes, quod prius vitam cum sanguine sit profusurus, quàm vt eius generis aliquid à se permittat obtineri, quod eius quem semper hactenus constanter & intrepidè coram hominibus confessus est, negati Christi speciem aliquam habere posse videatur.

Sed quo fine petunt, aut cui bono futura dicunt hæc? Finem hunc prætendunt, quod hæc vna sit ratio, qua pax inter dissidentes de religione conseruari queat. An autem hunc finem non citius consequerentur, si dissidium ipsum religionis tollendum curarent, quam vt eo permisso pacem inter dissidentes expectari posse putarent. Scilicet in dissidio, & non potius sublato dissidio, speranda pax est. Longè diuersam rationem conseruandæ pacis ac tranquillitatis nostri maiores inierunt, cum ante centum triginta & amplius annos à dissidio Religionis, metuendum esse Regno viderent. Non illi, quod à saltatricibus istis factum est aduersus dominum, & aduersus CHRISTVM eius, sed pro Christo fœdus inierunt, quando præclara quadam Confœderatione, in noua ciuitate Korczyn facta, si quis hæreticales errores facere, vel promouere vellet, contra talem siue tales, & in earum destructionem, omnes consurgere se velle promiserunt. Quam pia, quamque sancta fuit illa Confœderatio, cum qua pugnat ex diametro, qui nunc iureiurando, Regis confirmanda profertur. Cum autem vnanimi omnium ordinum consensu Rex regni statuta se conseruaturum iurauerit, in quibus est illa sancta confœderatio, quomodo nunc diuersum ab eo vt iuret exigitur, scilicet calidum & frigidum ex eodem cum volunt ore efflare. Legimus in Regum Historia, quod à tribu Iuda, hoc est eorum qui verè Deum confitentur, se decem tribus Israël separauerunt, & pro vero Deo colebant idola, per quos hæreticos intelligi volunt Sancti Doctores, qui de flore ac spe & gloria pristinæ fidei corruerunt, qui quando scripturas sanctas malè intelligunt, atque peruertunt vino, quando verò sæculari abutuntur sapientia, & Dialecticorum tendiculis siceraine briantur. His Prophetæ sancti graues calamitates denunciabant, qui cum non statim sequerentur, illudebant illi Dei Prophetis, subinde illa verba repetentes? Manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. Quid autem ad hæc illi, quos viros illusores vocat Esaias. Percussimus aiebant, fœdus cum morte, & cum inferno pacti sumus. Flagellum inundans, cum pertransierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Putabant illi miseri, qui Prophetis eos ad resipiscentiam vocantibus illudebant se iam fore securos, neque sibi periculi quicquam imminere, quandoquidem cum morte & cum Diabolo fœdus percussissent. An autem ij de quibus sermo nobis est, ad viros illos illusores proximè non accedunt, an illorum fœdus, quod cum morte, & cum Diabolo percusserunt, non est illi simillimum. Verum quid ad hæc Dominus? Audite, inquit, verbum Domini viri illusores. Delebit fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Non hæc est ratio dicit Dominus, qua securitati vestræ prospicere possitis, si cum Diabolo fœdus percusseritis, si cuius ille Pater est, mendacium spem vestram posueritis, si mendacijs vos protectos iri putaueritis, non hæc est ratio, quin audite verbum Domini viri illusores. Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem, hoc est, omnes illas calamitates perferetis, quas fœdere cum Diabolo facto, minimè vos esse passuros, persuasum habebatis, quæ tantæ futuræ sunt, vt vos conculcaturæ prorsus & contrituræ videantur. Fruſtra vobis pollicemini, si CHRISTVM & Baal, simul in eodem Regno colendi potestas permissa fuerit, iam omni metu forè eos liberos. Coangustatum est stratum ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest: non potestis duobus Dominis seruire, non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non potestis mensæ Domini esse participes, & mensæ Dæmoniorum. Quæ participatio Iustitiæ cum iniquitate, quæ societas lucis ad tenebras, quæ conuentio CHRISTI ad Belial, quæ pars fideli cum infideli, qui consensus templo Dei cum idolis. Nihil est quod existimetis vos in aurem, quod aiunt vtramque, secures dormire posse, si iaceat in eodem strato Christus & Antichristus, vel Isiebien. vel Geueñ. vel quicunque tandem alius, Dominus Deus noster Zelotes est, solum se coli, solum se vult adorari. Deos alienos non fert. Deos autem alienos hæreticorum dogmata vocare, non est in scripturis inusitatum. Sponsus noster Christus est, & est vniuscuiusque fidelis animæ stratum angustius, quàm vt maritum, & adulterum ferre queat: breuius est pallium, quàm vt vtrunque possit operire. Decidat alter necesse est, decidat adulter qui nisi fuerit deiectus è strato fidelis animæ, quod metuit peccator, veniet super eum. Flagellum inundans erit vobis in conculcationem. Quamdiu cum legitimo sponso Christo mœchus Diabolus in eodem lecto iacere, & in eodem Regno coli, simul & adorari permissus fuerit, pacis & concordiæ spes esse potest nulla, non potest vnus lectulus, vna Dei viui Ecclesia, capere mœchum & maritum, Christum & Belial, Catholicos & hæreticos. Quo maior est istorum insania, qui putant egregiè Regni tranquillitati se prospecturos si perfecerint, vt in vno Regno duæ fides permittantur, quarū altera perfidia sit, necesse est, cum fides nisi vna sit, fides dici non possit. Sicut vnus Deus, vnus est Christus, ita & fides esse non potest nisi vna. Et ab eo Rege se id putant impetraturos, qui suo periculo didicit, quantas ea res calamitates in patria sua attulerit, in qua duæ fides, duos Reges pepererunt, & aduersus Dominum & aduersus CHRISTVM eius, Christianissimum Regem à Deo coronatum à CHRISTI perduellibus, arma parricidialia sumpta fuerunt. quanto multorum sanguine, quanta Regni totius clade constiterit: hæc permissio ludus, vt fidium ex fide fieret complurium oculis, & auri-

auribus testatius est, quam vt ea mihi nunc prolixiore sermone commemorare sit necesse. Quamobrem cum hæretici, vel si Prophetæ verbis vti malumus, viri sint illusores, qui petunt, cum rem extremè flagitiosam, & horrendam petant, quanihil vel cogitari queat magis detestandum, nimirum vt Christi corpus mysticum, quod ille sic dilexit, vt pro illo verum, & viuum suum corpus, in mortem traderet, sic in minutissimas partes conscindatur, vt nullum os integrum in eo relinquatur, nec vlla deinceps residua sit spes eius redintegrādi, cum ab eo Rege petant, quem constat corporis huius CHRISTI tuendi & conseruandi causa: nec sumptibus vllis hactenus pepercisse, nec labores vllos defugisse, nec vlla pericula declinasse, vilis vt ei spiritus non raro fuerit, dum illud ab interitu seruare curat: postremorum, quem sperant finem, cum non modo non consequuturi, verumetiam si quod petunt concedatur, ea res Regno sit internecionem allatura, quis est, qui non videat, quam pulchrè quadret in istos, quod olim de viris illis illusoribus dixit Propheta: quod præ vino, præ ebrietate errauerunt, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Mihi quidem persimiles ijs esse videntur, qui cùm graui periculosaq; febri laborauerint, ab omni mente deserti, ceciderunt in præceps, & vltro sibi mortem consciscere cupiunt: an autem tales ligandi potius non sunt, & modis omnibus, quamlibet inuiti retinendi, quàm vt in desideria cordium suorum traditi, perire permittantur. Est quidem hoc id genus hominibus permolestum, si quis eorum voluntati refragetur, & per quos id fit, eos crudeles aduersarios, & inimicos existimant. Sed simul vt paroxismus præterierit, & ad mentem sanam redierint, non alios magis erga se fuisse beneficos agnoscunt, quàm à quibus prohibiti fuerunt, etiamsi durioribus vinculis, ne se possent è lecto propripere, ligati fuerint: ingentes illis agunt gratias, quod eorum prospicere sanitati, quàm parere voluerunt peruersæ voluntati. Ne dubita Serenissime Rex, quin idem quoque tibi sit euenturum, si quod in hoc suo paroxismo febricitanter isti petunt, non statim concedendum, sed eorum valetudini potius duxeris esse consulendum. Veniet ille dies, quo plus etiam quam, à quibus in hanc lucem editi sunt parentibus suis, tibi parenti patriæ suæ se debere profitebuntur, cuius immortali beneficio, non ab hac temporanea, quam oppetere tamen aliquando necesse est, verum à morte seruati sint sempiterna. Tanta pietas hæc & misericordia, tua nunquam ex eorum excidet memoria, qua tibi perpetuis temporibus eos deuinctissimos es redditurus. Quamobrem si cupis infœlicium istorum, quibus rectè dici potest, nescitis quid petatis, si regni tui, si tuam ipsius salutem, & incolumitatem conseruatam, & facere, & pati prius omnia paratus esse debes, quam vt vel minimum quid eorum quod petunt largiaris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ORATIO FVNEBRIS
SAMVELIS MACIE-
IOVVSKII EPISCOPI CRACCOVIENSIS, & regni Poloniæ Vicecancellarij.

Quam habuit in funere Sigismundi Primi Regis Poloniæ, per Stanislaum Hosium Secretarium illo tempore Regium conscripta.

BEATVS diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? Ecclesiastici xxxj. Vetus hic mos est, & longo vsu iam inde à multis sæculis in Ecclesia DEI receptus, eos qui in fide & confessione CHRISTI obdormissent, quique memoria dignum aliquid gessissent, eos ex loco superiore in æde sacra laudandi, non solum, vt qui debebatur eorum virtuti fructus, is tributus videretur (cùm aliam illi longè quàm temporariam hanc mercedem expectent, quibus à CHRISTO dictum est. Merces vestra copiosa est in cœlis) verumetiam vt & consolationem ex eorum obitu propinqui lugentes accipiant, & ad eorum imitationem accendantur, quos tam gratam sui memoriam reliquisse vident. Hoc Sapiens ille dixit: Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Sicut enim vmbra corpus, ita virtutem laus & gloria comitari consueuit. Quare cùm obdormierit nuper in CHRISTO, omnium sæculorum Princeps dignus memoria, non tam Dominus quàm parens noster, patriæque nostræ Sigismundus Rex, quandoquidem indignus ego Pastoris in hac Ecclesia locum teneo, laudato mori satisfacturus, officij mei esse duxi, res gestas illius & virtutes recensere magis enumerando, quantum temporis breuitas patietur, quàm dicendo exornare. De quo licet eadem mihi verba vsurpare, quæ dixit olim Dauid de Abner Principe militiæ. Num ignoratis, quoniam Princeps & maximus hodiè cecidit in Israël? Nam reuerà cecidit hodiè, quod nemo vestrum ignorat. Princeps maximus in Israël. Princeps multorum populorum. Princeps innumerabilium virtutum. Princeps consilij, clementiæ, fortitudinis, iustitiæ, continentiæ, pietatis, grauitatis, religionis, sanctimoniæ. Magnus natalium splendore, maior gestarum à se rerum gloria, maximus omnis generis virtutum excellentia. Hic itaque tantus Rex, neque magis aliorum, quàm sui ipsius, & suarum affectionum Rex, Princeps moderator omnium maximus, in Israël: in populo Christiano, qui verus est Israël, non secundum carnem, sed secundum promissionem, cecidit hodie. Euenit illud, quod ab eodem hoc Iesu Syrach dictum est: Rex hodie est, & cras morietur. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, bestias & vermes. Vbi nunc maiestas eius? vbi splendor? vbi gloria? Gloria eius, sicut scriptum est, stercus & vermis est. Hodie extollitur & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam. Ecce gloria Regum, quatenus ad ea, quæ sunt externa, spectat: ecce splendor Principum, ecce pompa magnarum. Sicut fœnum quod hodiè est in agro, & cras in clibanum mittitur. Sed est alia virtutum gloria de qua scriptum est: Semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt: & nomen eorum viuet in generationem, & generationem: sapientiam eorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia. De hac gloria, de laude sancti Regis nostri dicturus, hesternæ diei vobis epistolam enarrandam sumpsi, quæ cum in memoriam sancti martyris Christophori lecta sit, rectè ad hunc nostrum accommodari potest, qui memor membra sua templum esse Spiritus sancti, quem haberet à Deo: seque non esse suum, sed emptum precio magno: quod Diuum Christopherum fecisse legimus, glorificabat & portabat Deum in corpore suo, portabat Christum in mente sua, vt & ipse Christophorus rectè vocari potuerit: non quòd manibus aliquandò suis CHRISTVM gestauerit, sed quòd nunquam illum ex animo suo elabi passus sit. Sed iam ipsum Iesum filium Sirach dicentem audiamus: Beatus, inquit, diues, qui inuentus est sine macula. Beati esse volunt omnes, quid autem sit, beatos esse, nesciunt omnes. Ne inter ipsos quidem Philosophos, in quo beatitudo vera consisteret, conueniebat. Alij in corporis, alij in fortunæ, alij in animi bonis beatitudinem collocabant. At sanctus Dauid, Beatum, inquit, dixerunt populum, cui hæc sunt, nimirum, salus & incolumitas, diuitiæ & abundantia. At beatus, inquit ille, populus, cuius Dominus Deus eius. Beatum dicit Dauid, non qui corporis, non qui fortunæ bonis abundat: sed qui detrimentum hæc omnia facit, & arbitratur, vt stercora, dum Christum lucrifaciat, & hoc beatitudinis genere Rex noster Sigismundus cum primis fuit beatus. Sed neque cætera illi defuerunt, vel corporis, vel fortunæ, vel animi bona. Vidistis omnes, quæ fuerit corporis in eo pluspquàm heroica species: procul etiam Principem ostentans: quæ proceritas? quæ Regia oris dignitas? Vidistis faciem sic ex amabili quadam venustate pariter ac maiestate temperatam, vt neque gratia minueret reuerẽtiam, neque dignitas officeret gratiæ. Vidistis talem oris habitum, qualem & hostes formidare, & vereri possent improbi: boni verò non possent non amare: Sic augustum vt nihil amabilius, sic rursus amabilem, vt nihil esset augustius: vt fileam interim istos humeros, ista latera, vires istas & robur, quibus suis Principe dignis muneribus obeundis par. Non illum frigus, non æstus offendebat, cùm esset valetudine quoque firma satis, quoad ætas ferre potuit. Nam cùm ad octogesimum annum propius accessisset, nihil iam restabat amplius, quàm labor & dolor. Itaque nihil ei defuit in corporis bonis. Sed & fortuitis illis abundabat, imò quod præcipuum habetur, excelso loco natum esse. Quo nomine quid esse potuit Rege nostro beatius? qui Rex ipse, Regis fuit filius, quatuor Regum nepos, trium Regum frater, Regis & Reginæ patruus, Regis socer, Regis & Reginæ pater, vt siuè sursum vertas oculos, siue deorsum, siue in quamcunque partem flectas, nihil nisi Reges videas. Nam & paternum & maternum genus à Regibus duxit. Pater eius Casimirus Rex fuit, Vladislai Iagellonis Regis filius, mater Elisabetha Alberti Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regis filia Archiducis Austriæ: atque ita vtroque auo Rege prognatus est: patruum habuit Vladislaum Hungariæ & Poloniæ, auunculum Ladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem, fratres Reges tres, Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ, Ioannem Albertum & Alexandrum Poloniæ. Nepotem ex fratre Ludouicum Hungariæ & Bohemiæ: Neptem ex eodem Annam Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Regis filiam: Generum Ioannem Hungariæ Regem, cui filiam suam Isabellam collocauit, cuius etiam anteà sororem vxorem duxerat. Habuit præterea fratrem Fredericum Cardinalem, & alium Casimirum, propter insignem vitæ sanctimoniam in Diuorum numerum relatum, qui hodieque multis clarus est miraculis, adeò vt ipsos etiam cœlites arcta sibi necessitudine coniunctos habuerit. Nam & ex materno genere qui primus fuit Austriæ Dux, is primus Christianam fidem professus, si Raphaëli Volaterrano credimus, martyrij coronam accepit. Diuus quoque Leopoldus Austriæ Dux, in Diuorum album adscriptus, multa & ipse edidit miracula. His ergo prognatus est maioribus, non generis magis nobilitate, quam vitæ morumque sanctitate claris. Nam & auus Vladislaus quanto studio Christiana fide Lithuanos idolis deditos imbuendos curauerit, annales nostri loquuntur. Non erubuit verè Rex Christianissimus ipse etiam fidei rudimenta docere ex præscripto Sacerdotum, apud quos interpretis officio fungi non putabat indecorum. Sorores habuit septem: Quarum quæ maxima natu fuit Hedvvigis, Georgio Duci Bauariæ cognomento Diuiti nupsit, cuius filia Elizabeth, Ruperto Philippi Palatini Rheni Electoris filio collocata est: ex qua duo filij prognati sunt, Philippus & Otho Henricus, qui fuit hic. Proxima Sophia Frederico Brandeburgensi. Marchioni in matrimonium data est: ex qua octo filij processerunt, Casimirus, Georgius, Albertus in Prussia Dux, Iohannes, Fridericus, Guilhelmus Archiepiscopus Rigensis, Iohannes Albertus, Gunbertus: filiæ quinque, duæ verò Elizabethæ virgines decesserunt. Quinta Anna Boguslao Duci Pomeraniæ, ex quo tres filios, totidem susceptit filias. Sexta Barbara Saxoniæ Duci, ex qua tres filij nati sunt, filiæ quinque. Septima Elizabeth, Friderico nupsit Duci Legnicensi. Habuit etiam ex priore vxore filiam Hedvvigim, quæ connubio iuncta est Ioachimo Marchioni Brandeburgensi. Electori. Atque ita præter etiam Imper. & Regi. Romano. Maiestates, quo nullum in terris habuerunt hoc Rege sibi genere propinquiorem, nec in Germania Dux fuit aliquis insignis, quem non arcta sibi habuerit affinitate copulatum. His natalibus quid esse potuit illustrius? quid hoc genere fœcundius? ex quo tanquam ex equo Troiano tot Reges & Principes prodierunt. Quod si vbi amici, ibi opes, quid esse potuit opulentius hoc Rege, tot amicis tam potentibus circumsepto? Sed neque illi opes eæ defuerunt quæ diuitiæ vocantur. Scimus enim qui fuerit status Regum nostrorum ante hunc. Non modò nullas opes habebant reconditas, verumetiam perexigua fuit Regni portio, quæ non ab alijs possideretur: cùm per eos, qui ante hunc ad Regni gubernacula sedebant, tot Castra, tot oppida, tot prædia pignori fuerint obligata. Simul vt verò noster hic Rex fuit designatus, vnius aut alterius anni interuallo centena millia aliquot dissoluit, bona liberauit, pecuniæ tantum collegit, quantum vix vllum vnquam Poloniæ Regem habuisse constat. Quod ego in laudibus eius recensere, & in beatitudinis parte numerare non auderem, nisi beatum diuitem à Sapiente dictum legerem. Neque enim existimare debemus, malas esse diuitias, cùm omnis creatura Dei bona sit: sed qualis est vsus earum, tales sunt. Hoc est, quod dicit Ambrosius: Diuitiæ hominis ad redemptionem animæ debent proficere, non ad destructionem. Et thesaurus est redemptio, si quis eo benè vtatur: & iterùm, laqueus est, si quis vti nesciat. Sed videamus qualem diuitem beatum dicat Iesus Syrach: Beatus, inquit, diues. nunquid omnis diues? Minimè verò. Sed qui inuentus est sine macula: qui post aurum non abijt: qui non sperauit in pecunia. Primùm ergo, vt sit beatus diues, requiritur, vt habeat diuitias benè partas: vt possideat diuitias, non possideatur ab illis: vt ne spem in illis collocet. Primum illud valdè difficile est, vt sit dues aliquis, & inueniatur sine macula: vt non dolo & fraude partas: vt non ex rapina, & ex oppressione pauperum quæsitas opes habeat. Hoc est, quod in eodem libro legitur. Si diues fueris non eris immunis à delicto. Hoc est, quod CHRISTVS vocat diuitias mammonam iniquitatis: Hoc est, quod dicit Hieronymus: Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Quod si cui fœlicitas hæc contigit, vt diues inueniatur sine macula, sine fraude, sine rapina, sine oppressione, nondum is beatus est. Necesse est præterea, vt ipse post aurum non abeat: sed aurum potius abeat post ipsum: hoc est, vt ipse domine-

Matt. 5
Prouer. 10.
3. Reg. 3.
Rom. 9.
Eccle. 10.
1. Mach. 2.
Luc. 12.
Eccles. 44.
1. Cor. 6.
Psal. 43.
Phil. 3.

Psalm. 83.
1. Tim. 4.
Eccle. 11.
Luc. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur auro, non aurum ipsi. Ne propter aurum, quæ creatura DEI est, relinquat creatorem : sed propter creatorem potius, si necessitas postulet, relinquat aurum, hoc quoque perdifficile est. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli : & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Neque sine causa Poëta exclamauit : Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames ? Sed neque tertium minus est difficile : non sperare in pecunia & thesauris. Vbi est thesaurus tuus, dicit CHRISTVS, ibi est cor tuum. Timotheum monet Apostolus : Diuitibus præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum : sicut sperabat diues ille, qui dixit : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi DEVS : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te : quæ autem parasti, cuius erunt? De talibus diuitibus dixit CHRISTVS: Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt, facilius est enim camelum per foramen acus introire, quàm diuitem intrare in regnum DEI. Ac ne quis de omnibus habentibus pecunias id esse dictum putaret, alio loco, quid velit his verbis, explicat dicens : Quàm difficilè est confidentes in pecunia in regnum DEI introire ? Non omnis ergo diues à regno DEI excluditur : sicut non omnis diues beatus dicitur. Sed is tantum qui inuentus est sine macula : qui post aurum non abijt : qui non sperauit in pecunia. Talis autem diues difficulter inuenitur. Quare dicit Iesus Syrach : Quis est hic, & laudabimus eum. Quis est hic, cuius substantia non sit Vrbs fortitudinis eius. Quis est hic, qui cum beato Iob gloriari possit : quòd non putauerit aurum robur suum : quod non dixerit obrizo, fiducia mea. Quis est hic, & laudabimus eum ? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quàm est admirabile in igne versari, & igne non vri : tam est illud admirabile, auro abundare, neque vel malis artibus id adeptum esse : vel à recto illius causa non deflectere : vel fiduciam in illo suam non collocare. At de nostro Rege confidenter dicere possumus: Quòd talis diues fuerit verè beatus. Nam si quisquam diuitum, ille præ cæteris iuuentus est sine macula. Audiuistis in ijs, quæ proximè habita sunt Comitijs, eum Samuelem verbis vos alloquentem. Meministis quæ dixerit præsente CHRISTO hoc Dei filio suo Rege nostro. Nónne hæc illius fuit oratio : Loquimini de me coram Domino, & coram CHRISTO eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum : si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem : si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodiè, restituamq; vobis. Nónne taciti omnes assensi estis, quòd nihil eiusmodi fecerit ? Nónne testatus est ille DEVM & CHRISTVM hunc eius in die illa : quòd non inueneritis in manu eius quippiam Fuit Rex optimus, innocens manibus, & mundo corde. Tantumque ab eo abfuit, vt alieni sibi quicquam vsurparet, vt de suo cederet potius. Nam quò fuit potentior, hoc diligentius cauebat, ne quid per potentiam fecisse videretur. Non modò ab iniuria, verumetiam ab omni specie iniuriæ abstinebat, memor eius quod scriptum est : Ab omni specie mala vos abstinete. Itaque cum nullo mortalium gratior & iucundior fuit, quàm cum illo vicinitas, ipse summouebatur potius, quàm vt summoueret quenquam. Adeò ferre, quàm facere iniuriam Regium esse magis existimabat. Inuentus est ergo iste diues sine macula. Sed neque post aurum abijt, sed aurum potius post ipsum. Ipse auro, non ipsi aurum imperabat. Quod & scriptum est : Pecuniæ obediunt omnia, in ipso locum non habebat, quin ipsi potius obediebat pecunia. Cùm semper illius loci memor esset : Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Itaque vltrò etiam oblatas sibi diuitias respuebat. Quæ Regna magis abundant auro & argento, quàm Hungariæ Regnum & Suetiæ ? vtrunque tamen sibi delatum itidem vt & Bohemiæ Regnum repudiauit. Vsque eo fuit ab omni cupiditate remotus. Tantò magis diues, quantò minus apparebat. Non abijt ergò post aurum. Sed neque sperauit in pecunia & thesauris. Sonabat enim subinde in auribus cordis eius vox illa CHRISTI: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo & tinea demoliuntur, & vbi fures effodiunt: & furantur. Thesaurisate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque erugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Omnem ergo fiduciam suam non in incerto diuitiarum, sed in DEO viuo collocabat : qui præstat nobis omnia abundè. Memor illius prophetiæ : Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Quare studebat esse diues in bonis operibus : facilè tribuebat : communicabat necessitatibus sanctorum. Ideò nunc illius eleemosynas narrat omnis Ecclesia Sanctorum. Multa in templa Dei ornanda, instauranda, noua etiam ædificanda : multa in ministros eorum conferebat. Non longè abire necesse est. Sacellum hoc in proximo videtis, quanto sumptu exædificandum : deinde quanta cura prouisum est ministris, vt piè DEVM in illo colerent. Quid dicam de Ecclesia Cathedrali Vilnæ, quæ cùm proximè conflagrasset, illius opera potissimum & pecuniæ exædificata est, vt interim alia templa silentio præteream : quæ ille si non extruxit, vt extruerentur, vel pecunia partim, vel materiam tamen suppeditando adiuuit. Neque verò minorem viuorum Dei templorum curam gessit. Nam & in ministros Dei Sacerdotes, & in pauperes quosuis, qua fuerit liberalitate, scitis. Interea tamen euenit illi quod scriptum est : Alij diuidunt propria, & ditiores : alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Sicut enim apud vicinos factum videtis, qui plurima rapuerunt non sua, qui templa spoliauerunt, qui ministros Dei suis fructibus fraudauerunt, eos ad summam tandem egestatem recidisse. Sic contrà noster hic quo fuit liberalior in Ecclesias & earum ministros,

5. Tim. 6.

Matt. 6.
1. Tim. 6.
Luc. 12.

Mar. 10.

Pro. 10.
Tob. 31.

1. Reg. 12.

Psal. 23.

1. Thes.

Eccl. 10.
Psalm. 61.

Matt. 6.

1. Tim 6.
Hier. 17.

Prouerb. 11.

stros, quo plura tribuebat egentibus : hoc abundabat magis : hoc maiores opes reliquit. Adeò verum illud est : Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet illi. Sed reliqua lectionis huius videamus : Qui probatus est, inquit, in illo, intellige in auro. Diuitiæ enim & potentia, dicit rectè quidam, quamuis Ethnicus, certissimum faciunt morum experimentum. Aut enim meliores propter hæc, aut peiores sumus. Quod enim index auro, hoc aurum est homini: Illud enim indicat, qualis quisque sit. Sic probati sunt in auro Melchisedech Rex, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Dauid, & perfecti inuenti sunt. Sic post CHRISTVM quoque natum sancti Reges nonnulli probati sunt. Et inter alios Rex hic noster Sigismundus probatus est in auro, & perfectus inuentus est. Vicit aurum, non est victus ab auro. Et erit illi gloria, æterna. Hoc præmium accipiet, vel accepit iam. Audiuisse enim eum speramus iucundam illam vocem & omnibus expetendam : Euge serue bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui. Sequitur in contextu : Qui potuit transgredi, & non est transgressus, & quasi exponens, quid sit transgredi subiungit : Facere mala, & non fecit. His verbis clarius etiam explicat Iesus Syrach, quomodo dives in auro probatus, & perfectus inuentus sit. Nemo enim transgrediendi potestatem habet maiorem, quàm qui diues, qui potens est, cui fluunt ad voluntatem omnia. Pauper si velit, non perinde transgredi potest : neque enim parem habet facultatem, non desunt qui liberè admoneant, qui prohibeant: qui metu etiam iniecto in officio contineant : vt si minus virtutis amore, saltem pœnæ formidine à peccato arceatur. Propterea paupertatem Augustinus Philosophiæ magistram vocat: Chrysostomus verò quandam esse dicit manuductionem in viam, quæ ducit ad cœlum : vnctionem Athleticam : exercitationem magnam & admirabilem, portum tranquillum. Opes contrà quidam rectè vocauit irritamenta malorum. Nam & Sodomæ non alia memoratur iniquitas, nisi superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium. Neque sine causa Poëtæ Plutum cœcum finxerunt : non solùm, quòd citra discrimen diuitiæ dignis contingunt, aut indignis : verum etiam quòd quibus contigerunt, eos cœcos reddunt, ac plerunque dementant, accedente præsertim turba assentatorum, qui ex stultis insanos faciunt : qui ad gratiam omnia loquuntur : quorum hæ nonnunquam voces audiuntur : Licere Principi, quod libet : Esse Principem solutum legibus : Quòd Principi placuit, vigorem legis obtinere. Magna est hæc magnorum virorum infœlicitas, quòd non ferè veritatem audiunt. Vnde quidam dixisse fertur : Diuitum & Regum filios, nihil rectè discere, nisi equitare. Nam siue litteras, siue palæstram, siue quicquid aliud doceantur, assentari omnes, cedere, ac submittere se : solum equum non intelligentem, priuatus ne sit sessor an Rex, diuesne an pauper, præcipitare si quis artem equitandi nesciat. Cæterùm quò difficilius est diuitem, & qui cum imperio versatur, non transgredi, hoc est præclarius. Rectè ergò beatum vocat Iesus Syrach diuitem, qui potuit transgredi, & non est transgressus, hoc est, facere mala, & non fecit. Nam vitium in transgressione, virtus est in modo, Sicut enim sanum dicimus corpus, in quo temperatæ sunt qualitates, vt neque frigus, neque calor, nec siccum excedat, aut humidum, si quid autem horum transgreditur, morbum vocamus : Ita est sanitas quædam animi, quæ virtus dicitur, quæ in mediocritate consistit, vbi temperatæ sunt affectiones. Est rursus morbus qui vitium in transgressione : quæ nihil aliud est, quàm declinatio, vel in dexteram, vel in sinistram. Hoc est, quod per Moysen præcepit DEVS: Via Regia ambulabis, & non declinabis, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Via Regia temperata est, nec plus in se habens, nec minus. Verbi gratia: via Regia prudentia est, Ad dexteram declinat, qui plus sapit quàm oportet : ad sinistram, qui minus, quàm necesse est. Transgreditur vterque, transgrediendo peccat. Via Regia incedit, qui modum seruat, qui, sicut Paulus admonet, sapit ad sobrietatem. Rex hic noster potuit transgredi, & non est transgressus. Non declinauit ad dexteram, cùm sciret scriptum esse : Noli altum sapere, sed time. Et rursus : Non plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas. Reuera si quisquam alius, hic est grauissimus animi morbus : si quis apud semetipsum prudens est, quod prohibuit Paulus dicens : Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Propheta quoque comminatur talibus. Væ, inquit, qui estis sapientes in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Inde hæreses, inde exstiunt schismata, dum se solum quis intelligere, cæteros omnes desipere, sibi apertos oculos, cæteros in vniuersum cœcos esse putat. Sed videte, quid dicat eiusmodi Dominus : Si cœci, inquit, essetis, non haberetis peccatum : nunc verò dicitis, quia videmus : peccatum ergo vestrum manet. Quæ est ista cœcitas, cæteros omnes cœcitatis condemnare, sibi soli apertos esse oculos existimare ? Vnde autem ea oritur, nisi ex inobedientia. Sic primi parentes nostri, postquàm ab obedientia Dei recesserunt, & de vetito ligno scientiæ comederunt: dicit scriptura, quòd aperti sunt oculi eorum. Sic & Ionathæ, cùm contra sui patris interdictum de melle gustasset, illuminati sunt oculi eius. Sed væ illis, quibus ad hunc modum aperiuntur & illuminantur oculi. Per hanc enim illuminationem & Adam è Paradiso eiectus, & Ionathas Regni successione priuatus est. Caueant ergo sibi, qui ab Ecclesiæ obedientia cùm recesserint, apertos sibi esse oculos gloriantur. Irenæus exponens il-

lum

Matt. 25.

Ezech. 16.

Deut. 5.

Rom. 12.

Rom. 11.
Esai. 7.

Rom. 12.

Heres. 5.

Ioan. 9.

Gen. 3.
1. Reg. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum Geneſ. locum : Ex omni ligno Paradiſi comede , de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. Ab omni ſcriptura dominica manducate , ſuper elato autem ſenſu ne manducaueritis. Ne velitis eſſe ſicut Dij : ne velitis eſſe ſimiles altiſſimo, ſicut ille qui propterea deturbatus eſt : ne velitis Solis verum ſcripturarum intellectum vobis arrogare. Quæ bonæ quidem ſunt , ſed elatus ſenſus malus eſt. Elatus autem ſenſus, eſt ſenſus priuatus, ſenſus ſingularis, ſenſus ab Eccleſiæ ſenſu diſſidens , quandò ſuum quis, non Eccleſiæ ſpiritum ſequitur. Cuiuſmodi Dominus comminatur dicens , Ezechiel. 13. Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Fugite per DEVM immortalem, fugite talem ſapientiam, quæ non eſt deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Quis enim fructus eius, niſi ielus amarus ? niſi contentio ? Cùm ea quæ deſurſum eſt ſapientia, primum pudica ſit, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis. Hanc Diuus Rex noſter complexus eſt : huic nitebatur. Non eſt exaltatum cor eius, neque elati ſunt oculi eius. Non ambulabat in maximis, neque in mirabilibus ſuper ſe. Altiora ſe non quærebat : fortiora ſe non eſt ſcrutatus. Non erat inter alta ſapientes , verum inter humilibus conſentientes. In captiuitatem redigebat intellectum ſuum, in obſequium CHRISTI, & corporis eius Eccleſiæ, atque ita non declinabat in dexteram, vt ſaperet plus quàm oportet ſapere. Sed nec in ſiniſtram declinabat, vt minus ſaperet, quàm neceſſe eſt, & imprudentia peccaret : quod ſit ab ijs, qui temerè agunt & præcipitanter. Cùm puer eſſet, ſanctè fuit à parentibus educatus, neque leuiter ſacris Biblijs imbutus : & in Salomonis, & Ieſu Syrach ſcriptis diligenter verſatus. Ibi legerat : Ante omnem actum conſilium ſtabile præcedat. Via ſtulti recta in oculis eius : qui autem ſapiens eſt, audit conſilia. Qui agunt cuncta conſilio , reguntur ſapientia. Salus vbi multa conſilia. Talibus præceptis puer imbutus, quoniam non priuatam, ſed publicam totius Regni ſe perſonam ſuſtinere intelligebat, vt neque rectè facere, niſi publico omnium bono , neque peccare niſi publico omnium malo poſſet, non vlla de re ſine conſilio Senatorum quicquam ſtatuebat. Quin etiam leuiſſima de re quæſitus, non niſi deliberatus reſpondebat. Memor eius, quod ſcriptum eſt : Sit autem omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Quare ſermones ad menſuram proferebat examinatos libra iuſtitiæ, vt eſſet in ſenſu grauitas, in ſermone pondus, in verbis modus. Videtis ergò, quomodò prudenter & ſapienter omnia faciendo Rex noſter tranſgreſſus non eſt ? quomodo via Regia inceſſit ? non declinando in dexteram, vt plus quàm oportet ſapere videretur, præcipitanter aliquid agendo. Nunc ad filiam prudentiæ fortitudinem veniamus. nam quæ prudentia deſtituta eſt fortitudo, ea nomen fortitudinis non meretur. Propterea Propheta iungit hæc duo , ſpiritum conſilij & fortitudinis. Deſtruitur enim, vt ſancti illius verbis vtar, fortitudo , niſi per conſilium fulciatur: quia quo ſe plus poſſe conſpicit, eò deterius ſine moderatione rationis in præceps ruit. Eſt ergo via Regia fortitudo quoque. Declinat ad dexteram, qui temerarius & audax: ad ſiniſtram, qui pauidus eſt & formidoloſus. Diuiditur autem fortitudo in res bellicas & domeſticas. Vtraque clarus fuit Rex noſter: Bellica fortitudo quanta in illo fuerit, tot victoriæ declarant, quas inſignes de ſuis hoſtibus reportauit. Fuit enim animo imperterrito, vt quoties neceſſitas poſtularet, objicere periculis vitam ſuam non dubitaret : atque ita in ſiniſtram non declinabat. Multò minus autem in dexteram. Nulla enim à re magis fuit, quàm à temeritate remotus. Pius enim, & tranquillitatis ſtudioſus propulſabat magis bellum, quàm inferebat : neque niſi neceſſitate compulſus bella ſuſcipiebat, quòd quanta mala ſecum traherent, non ignorabat: neque aliud ſuſcipiendo bello, quàm pacem quærebat. Non ille ſui fiducia peccabat, quam præſumptionem vocant, multò minus puſillanimitate: ſed magno quodam & excelſo cùm eſſet animo, nulli neque homini, neque perturbationi animi, neque fortunæ ſuccumbebebat : Non metu frangebatur: non poteſtate mutabatur: non extollebatur proſperis: non mergebatur triſtibus. Idem in illo vultus: eadem ſemper frons apparebat: cùm nulla mentis, qua vultus fingitur, fieret mutatio. Philoſophorum quorundam eſt ſententia, ſapientis animum talem eſſe, qualis eſt ſupra lunam mundi ſtatus. Semper illic ſerenum, nullæ apparent nebulæ: nullæ pluuiæ: nullæ tempeſtates. Talis erat animus Regis noſtri, in quem nullæ propemodum perturbationes cadere viſæ ſunt, vt non verbo magis diceretur, quàm eſſet reipſa Sereniſſimus. Nam non modò tranquillus ipſe fuit, verumetiam tranquillabat, omnia non ſuo modo in Regno, verùm & in alijs vbicunque ciuile bellum excitari cognouerat, ſedare pro virili conabatur. Quanto labore, quanto ſumptu ſuo de Regno Hungariæ inter ſe armis diſceptantes Ferdinandum & Ioannem Reges in gratiam reducere nitebatur? Quanto ſtudio contendebat, vt inter Imperatorem, ac Galliarum, & Daniæ Reges pacem conciliaret? De ſedanda verò ſeditione nuper in Germania coorta, credibile non eſt, quàm ſollicitus fuerit. Neque ſumptibus parcebat vllis, quoties id Chriſtianæ Reip. neceſſitas , aut Regni ſui rationes , aut ſua ipſius dignitas poſtulabat. Teſtantur hoc impenſæ factæ in legatos, qui de componendis Regibus Chriſtianis non ſemel miſſi fuerunt , & aliæ in eos , qui miſſi ad ſe eſſent, liberaliter habendos. Teſtantur effuſæ ex Fiſco pecuniæ in militem in finibus alendum: in ſarcienda damna, quæ ſemel & iterum per latrunculos quoſdam ex terris Maieſtatis eius Turcis & Tartaris illata fuerunt : in Tartaros muneribus deliniendos, quò eos quaſi in ſua ſemper

Eſa.14.

Iacob.3.

Pſal.30.

Eccleſ.3.
Rom.12.
2.Cor.10.

Eccl.17.
Prouer.18.
Pro.13.
Prouerb.11.

Eccleſ.10.

Eſa.11.

per haberet poteſtate. Teſtantur tot inſanæ ſubſtructiones in hoc Craccouienſi, in Vilnenſi, in Sandomirienſi Caſtro, & alijs in multis locis. Nullus vt vno hoc in Polonia fuiſſe Rex magnificentior videatur. Quod quidem Regnum per hunc potiſſimum illuſtratum eſt, & celebrius factum, quàm fuit vnquam anteà. Ipſe ſplendorem in hoc Regnum : ipſe politiam primus inuexit: ipſe Gentis noſtræ nomen clarius reddidit : cùm inter Barbaros anteà numerati fuiſſemus. Fuit ergò Rex noſter magno, & excelſo animo in rerum externarum deſpicientia : ſed non minore in perferendis doloribus, & aduerſis tolerandis, quibus nequaquam animus eius frangebatur: Nam ſiue à Deo immittebatur aliqua, vt morbi, & grauiſſimi totius corporis cruciatus, quos ſæpè ſuſtinebat, non ſine quadam admiratione, beati Iob in eo patientiam videre licuit. Non modo murmurare contra Deum auditus non eſt : ſed ne verbum quidem contra quenquam aſperius aliquod proferre viſus eſt : Siue etiam Sathanæ inſidijs tentaretur, forti atq; infracto animo, confiſus in eo, qui vicit mundum, qui conculcauit leonem & draconem, omnia tela nequiſſimi ignea ſcuto fidei pro virili ſua extinguere conatus eſt, DEO conatum eius adiuuante : Siue homines etiam aliquando perſequerentur, maledictis, iniurijs, contumelijs inceſſerent, non alio animo tulit hæc, quàm tulerat olim Dauid Semei ſibi maledicentem, memor illius quod ſcriptum eſt : Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium : Recti ſe conſcientia conſolabatur: Neque aliud maius & honeſtius vindictæ genus eſſe perſuaſum habebat, quàm ignoſcere. Quod in magni cuiſdam Imperatoris laudibus poſitum acceperat, eum obliuiſci nihil ſolere, niſi iniurias, id ipſe ita imitabatur, vt etiam ſuperior euadere conaretur. Nam non ignoſcebat modò, verùm etiam diligebat inimicos ſuos iuxta Chriſti præceptum, & benefaciebat eis qui oderant eum. Non vincebatur à malo, ſed vincebat in bono malum. Ac bona pro malis reddendo, carbones ignis congerebat ſupra capita perſequentium ſe. Atque vna hac re teſtatum cunctis faciebat, ſe filium eſſe altiſſimi : qui benignus eſt etiam ſuper ingratos & malos. Neque verò in ijs modo rebus fortitudo eius elucebat, ſed cùm illud memoria teneret, Non qui cœperit, verùm qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit, ſumma in eo fuit laus perſeuerantiæ. Non ille, vt paruulus, fluctuabat, neque circumferebatur omni vento doctrinæ : non erat ſimilis fluctui maris , qui à vento mouetur & circumfertur : ſed cùm eſſet fundatus ſuper petram , nullæ pluuiæ , nulla flumina, nulli venti irruentes dimouere, eum de recto ſenſu, deq; vera Chriſti fide potuerunt. Dicebat cum Hieronymo : Illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. Sed & alijs omnibus in dictis factisq; ſuis ſumma fuit conſtantia. Neque tranſgrediebatur, vel ad dexteram declinando, vt eſſet pertinax & præfractus : quo vitio nullum eſſe poteſt, in Principe præſertim, maius vitium : vel in ſiniſtram, vt eſſet mollior, quàm oporteret. Dabat ille locum rectis conſilijs: neque ſuo iudicio tantum tribuebat, quin cederet conſentienti iudicio & voluntati ſuorum Senatorum. De quorum conſilio ſi quid ſtatuiſſet, de eo, priuſquam ad decrepitam ſenectutem peruenisſet, nulla ſe ratione deduci patiebatur. Fuit ergò fortitudinis quoq; laude beatus Rex noſter : neque tranſgreſſus eſt, vt vel in dexteram, vel in ſiniſtram declinaret. Eſt via Regia temperantia quoque, quam ordinem & modum quendam eſſe volunt, omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur. Hunc ordinem & modum tranſgreditur, qui vel in dexteram declinat, vel in ſiniſtram. In dexteram declinat, qui ſenſum omnem & humanitatem refugit, qui etiam ab his abſtinet ſine quibus natura conſeruari non poteſt: cùm rationabile Paulus obſequium noſtrum eſſe iubeat: Timotheum etiam hortetur, vt ab aqua abſtineat, vino modico vtatur propter ſtomachum: In ſiniſtram, qui nimio plus voluptatibus indulget, ſiue quæ ex cibo, ſiue quæ ex potu , ſiue quæ ex rebus obſcœnis percipiuntur. At his quoque rebus cùm tranſgredi Rex noſter potuerit, tranſgreſſus tamen non eſt. Cuius quæ fuerit verecundia, quanta honeſtas, meminiſtis omnes. Non in factis ea modò, verùm etiam in ſermone reluebat : qui nihil indecorum reſonabat: nihil ſcurrile : nihil ineptum : plena fuit grauitatis oratio : etiamſi cùm eſſet animo remiſſiore, à iocis non abſtinebat : verùm ijs eiuſmodi, qui nihil de eius grauitate prorſus decerperent. Neq; in oratione modò, ſed & in vultu, in ſtatu, in inceſſu, in motu etiam corporis decorum illud Regium apparebat: vt ſi quis etiam non nouiſſet, hoc tamen cùm vidiſſet, ad Regiam perſonam ſuſtinendam à natura factum eſſe diceret. Abſtinentia verò fuit ſingulari. Cuius rei argumentum eſt, quòd, ſicut ille in vtero ſanctificatus, vinum & ſiceram non bibit. Qua tamen in re tranſgreſſus non eſt, neque modum exceſſit. Non declinauit in dexteram, vt ad extremum vſque à vino abſtineret : ſed cùm ingraueſcente ætate ſuaderent Medici, vt ſuæ valetudini conſulendo vinum biberet, dedit locum eorum conſilijs. Sed non ita, vt vel in ſiniſtram declinaret, & bibendo modum excederet, qui nunquam in vita ſua ebrius viſus eſt. Porrò quod cibos attinet, minimè fuit delicatus. Bis quidem in die, ſed non plus tamen quàm appeteret natura, comedebat. Ieiunia verò ab Eccleſia indicta ſanctè obſeruabat : non quòd cibum aliquem eſſe immundum iudicaret : vel quòd Regnum Dei eſcam eſſe potum putaret. Sciebat ille quod omnia munda eſſent mundis: quod omnis creatura Dei bona eſſet: quòd eſca nos non commendat Deo: Neq; enim ſi manducauerimus abundabimus, neq; ſi non manducauerimus deficiemus : Atq; ita nihil aliud ieiunando ſpectabat, quàm vt carnis deſideria frenaret. Sine Cerere enim & Baccho friget Venus : vt exemplo Danielis ad contemplationem Dei & beneficiorum eius, mentem redderet magis idoneam : vt quæ cibo plerunq; deprimitur, ea per abſtinentiam in ſub-

Ioan.16.
Pſal.90.
Epheſ.6.

2.Reg.16.
Pro.16.

Matt.6.
Rom.12.
Luc.6.

Matt.10.
Epheſ.4.
Iaco.1.
Matt.7.

Rom.12.
Tit.1.
1.Tim.4.
1.Cor.8.
Dan.10.

Luc.3.

Universidad de Deusto. Biblioteca

Ioan.3. in sublime tolleretur: Deniq; vt Niniuitarum, vt Samuelis, vt Dauid, vt Esdræ, vt Saræ filiæ Rachuelis, vt Iudith, vt Hester, vt Machabæorum exemplo, Deum peccatis suis iratscentem, placatum redderet. Didicerat enim puer, Bonam esse orationem cum ieiunio, & eleemosyna. Quod enim oratio pulsat, impetrat ieiunium, accipit eleemosyna: vt sibi inuicem tria hæc vitam dent. Est enim orationis anima ieiunium, ieiunij verò vita eleemosyna. Sed hac quoque in parte non est transgressus. Nam cùm valetudo illius id visa est postulare, de consilio vtriusque Medici, vetitos etiam ab Ecclesia cibos sumebat, neque ita anxia ieiunia obseruabat, quin esse dandum aliquid necessitati putaret, extra quam non ea temerè vnquam violabat. Qua cum abstinentia fuerit, nihil mirum est, si fuit apud eum honorabile connubium, thorus immaculatus. Felix maritus, qui nesciuit thorum in delicto. Qui fidem vxori datam ei seruauit, vt eam fregerit nunquam. Habuit vxores duas: vnam, Stephani Comitis Scepusiensis filiam, Ioannis Hungariæ Regis sororem Barbaram nomine, sanctissimam fœminam. Alteram quæ superstes illi est Bonam, Ioannis Galeacij Sfortiæ Ducis Mediolanensis & Isabellæ Aragoniæ filiam. Cum vtraque ita vixit, vt præter eas fœminam agnosceret nullam. Neque verò in ijs modò quæ vel ad cibum, vel ad potum, vel ad carnis desideria pertinent tanta fuit abstinentia: verùm etiam in affectionibus animi moderandis incredibili fuit continentia, & cùm potuerit transgredi, transgressus non est. Non est trãsgressus aliquo crudelitatis genere, cùm fuerit clementia singu-

Heb.13. *Sap.3.*

Heft.13. lari. Vt multò verius ipse quàm Artaxerxes dicere potuerit: Cùm plurimis Gentibus imperarem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine: sed clementia & lenitate gubernare subiectos, vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. Nam quem librum puer edidicerat, in eo scriptum esse meminerat. Quòd clementia præparat vitam. Quòd misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur thronus eius clementia. Neque enim alia virtus vlla magis facit ad conciliandas

Prouerb.11. *Proner.20.* hominum studia, quàm clementia: quæ Principem decet maximè: cùm nihil ea sit laudabilius: nihil magno & præclaro viro dignius. Hanc ergo virtutem ita fuit amplexus Rex noster, vt non aliud ferè vitium eius maius esse diceretur, quàm quòd esset in sontibus plectendis remissior. Itaque cùm eum hortatus quidam fuisset ad seueritatem: Qui scis, inquit, num à te eam exorsurus essem. Nónne fuit insignis hæc eius clementia, quòd cum necessarium contra suum nepotem in Prussia bellum suscepisset, postea quàm eos omnes, qui militatum ad illum contra se profecti fuerant, sub potestatem suam subiunxit, cùm vitæ in eos necisq; potestatem haberet, non modò non occidi quenquam passus est, sed benignius etiam haberi, atque ad fines vsque Germaniæ deduci iussit, ne qua vis eis à quoquam inferretur. Adeò clementissimus Princeps alieno sanguini, tanquàm suo, parcebat. Neque verò solùm in eo clementia, sed & mansuetudo fuit admirabilis. Tantum enim ab eo abfuit, vt per iram grauius in quenquam animaduerteret, vt ipsam etiam iram ita frenaret, vt non modò factum, verùm ne verbum quidem vllum asperius ex ore eius

Eccle.3. irati audiretur. Nam & hoc scriptum legerat: Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris. Nulla res æquè facit hominem Deo dilectum & hominibus, vt mansuetudo: sed nullo horum fuit inferior Princeps hic omnium, quos ætas hæc nostra vidit, mansuetissimus: Qua sua virtute in sui cunctos amorem rapiebat. Quis enim non amaret Christi inimitatorem Regem? Qui cũ malediceretur, non maledicebat:

1.Par.2. cùm pateretur, non comminabatur. Quin potius reddebat bona pro malis: benefaciebat persequentibus & calumniantibus se. Has eius virtutes ornabat modestia singularis. Nulla in eo cernebatur animi elatio, quin illud quod puer didicerat diligenter obseruabat:

Eccle.3. *Tob.4.* Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Ac Tobiæ præcepti memor, nunquam ille superbiam in suo sensu, aut in suo verbo dominari permisit. Semper illud in corde versabat: Rectorem te posuerunt, noli extolli: Esto in illis, quasi

Eccles.32. vnus ex ipsis. Curam illorum habe. Quodq; à Christo dictũ est: Reges Gentium dominantur eorum: & Principes eorum potestatem habent ipsorum. Vos autem non sic. Sed quicunque voluerit fieri maior, erit vester minister: & quicunque voluerit in vobis primus

Luc.22. *Mar.10.* esse, erit omnium seruus. Non est igitur eleuatum cor eius in superbiam super fratres suos: sed ita cum subditis suis viuebat, sicut pater cum filijs. Quæ ad officium suum Regium pertinebãt, earum rerum ita fuit studiosus, vt à vitio curiositatis longè abesset. Sciebat diuisa esse, purpuram & Sacerdotium: Ad Reges palatia, ad Sacerdotes Ecclesias pertinere: Imperatorem & Regem bonum, sicut scribit Ambrosius, intra Ecclesiam esse, non supra Ecclesiam. Itaq; nihil sibi iuris vendicabat in Dei ministros: neque aut de moribus eorum, aut de fidei causis cognitionem sibi vsurpabat: Quàm non sui ordinis esse intelligebat, sed Constãtini, Gratiani, & aliorum laudatissimorum Imperatorum, ac maiorum etiam suorum exemplo, libera de ijs iudicia Sacerdotum & Episcoporum esse volebat. Quod ab illis decretum esset, reuerenter exequebatur, neq; se in eorũ officia ingerebat.

2.Par.26. Memor eius quod Oziæ Regi acciderat: qui Thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria Sacerdote, cùm obtemperare nollet & cedere, diuina indignatione confusus, & varietate lepræ in fronte maculatus est: ea parte corporis notatus offenso Domino, vbi signantur, qui Dominum promerentur: Quodq; euenerat Ozæ, qui cùm extendisset manum ad Arcam Dei, iratus est indignatione Dominus contra eum, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est iuxta Arcam Dei. Sed hęc de temperantia illius, deq; modestia singulari dicta sufficiant. Restat ea, quæ mater & regina omnium virtutum iustitia: de qua pauca cùm dixerimus, finem sermonis faciemus. Hic quoque transgressus non est Rex noster. Nam nisi transgredi & hic licere-

liceret, non diceret Sapiens: Noli esse iustus multum. Iustus verò multum est, qui non habita æqui boni ratione, summo iure facienda putat omnia: cùm etiam prouerbio sit vsitatum. Summum ius, summam iniuriam, summam esse crucem: quiq; magis ad seueritatem implicatus, quàm ad misericordiam est propensus. Quod qui facit, declinat ad dexteram: sicut ad sinistram declinat, qui remissior est, quàm oportet, in administranda iusticia. In neutram partem declinauit Rex noster, sed incessit via Regia. Modum in seueritate, modum seruauit in indulgentia. Quod si alterutra re transgressus est: in multis enim offendimus omnes, in indulgendo magis transgressus est, quàm seuerius animaduertendo: Quod in hanc partem tutius peccari sciret. Neq; enim ita legum apices consectabatur, vt non mentem potius legis inspiceret, vt non æqui simul rationem duceret. Cauit ante omnia primo studio, ne cui noceret ipse, ne cui iustam de facta per se iniuria querendi occasionem daret. Neq; solutus legibus, quin obligatus illis potius esse cupiebat: neq; aliundè, quàm de iuris auctoritate, suam auctoritatem pendere volebat: Quod maius esse iudicaret imperio, submittere legibus principatum. Nec satis habuit ipse ab inferenda iniuria abstinuisse, nisi memor officij sui Regij, propulsasset etiam, si quis alius cui quam intulisset. Iudex fuit incorruptus, vt quia ab odio, ira, amicitia, & omni cupiditate vacuus esset. Faciles ad eum erant aditus: Iuris dicendi laborem nullum prorsus declinabat. Totis interdum octo horis, & amplius etiam, sicut ipsi meministis, cognoscendis causis præsidebat. Cùm nihil interea verè beatus dies iste noster, nisi iusticiam esuriret atq; sitiret. Audiebat æquanimiter vtranq; partem summa cum patientia, quam diu veliet, dicendi cuiq; potestatem faciebat. Manè cùm pro tribunali sedisset, ad vesperam vsq; causas nonnunquam cognoscebat: cùm prior esset apud eum suum cuiq; tribuendi, quàm valetudinis conseruandæ ratio. Extremis tamen temporibus his, quoniam lecto plerunq; fuit affixus, à causarum cognitione supersedebat. Nihilo minus, quamlibet affecta & ætas eius, & valetudo fuit, simul vt à morbo suo paululum erat recreatus, ad officium suum redibat. Quò cùm rarius fungeretur vno & altero anno ante obitum, propter ingraueſcentis morbi vim, inde natæ sunt hominum querimoniæ: quod ij ius suum consequi non posse dicerent: Cuius tamen rei nulla penes eum culpa residebat. Voluit enim ille, sed vis morbi nõ permittebat. Tanta autem fuit omnium de illo iusticiq opinio: vt cùm præesse iudicijs ipse non posset, non cognosci causas, quàm ab alio quopiam, præter iustissimum Regem suum iudicari mallent. Quoniam verò latè patet nomen iusticiæ, sub quo virtus omnis continetur, paulò de ea fusius dicendum nobis erit: vos, quod facitis, attentè quæso audiatis.

Eccle.7. *Iaco.3.*

Iusticiæ fundamentum fides est, quam volunt esse dictorum conuentorumq; constantiam & veritatem: quæ si in quoquam alio mortalium, fuit in hoc Rege nostro maxima. Erat enim verbum illius: est, est: non, non. Nihil fuit eius promisso certius: vt in vtramq; iam aurem ei dormire licuerit, cui quid ipse promisisset. Quod prius futurum esset, vt cœlum rueret, quàm vt promissum ille non faceret. Nihil in eo fallax, nihil multiplex, sed erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum. Sed nobis nunc alia de fide præter hanc dicere, propositum est: De ea quam nulla bona opera præcedunt, ex qua omnia procedunt.

Matt.5.

Iob.1. Neq; enim aliundè opera nostra bona sunt, nisi ex fide: Quam si tollas inanis est prudentia, inanis est fortitudo, inanis est temperantia, inanis est iusticia, inanis est virtus omnis, neq; virtus dici meretur. Cùm omne quod non est ex fide peccatum sit: Sola fides est, quæ nos à peccatis omnibus purgat, quæ mentes nostras illuminat, quæ Deo nos reconciliat,

Rom.14. quæ cunctis participibus naturæ nostræ consociat, quæ remunerationis futuræ spem nobis inspirat, quæ sanctas virtutes in nobis auget, quæ nos in earum possessione confirmat. Tolle fidem, omnem simul virtutis possessionem sustulisti. Quæ enim est virtus nostra? quæ sapientia nostra? quæ iusticia nostra? quæ sanctificatio nostra? nisi Dominus noster IESVS CHristus, qui factus est nobis hæc omnia, qui sanguine suo, nisi nos redemisset, nemo

1.Cor.1. aliquo cum suo merito, virtute vlla præditus, nemo sapiens, nemo iustus, nemo nostrum sanctus esset. Fides ergo in IESVM CHristum, hæc est iusticiæ nostræ fundamentum, super quod fundamentum, si quid ædificauerimus, id stabile futurum est. Hoc fundamentum fixum fuit & immobile in Rege nostro ad extremum vsq; spiritum eius, sicut exitus eius ex hac vita declarauit. Non vacillauit fides eius: Non passus est ille se transferri ab eo, per quem vocatus erat in gratiam, in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi, sicut dicit

Gal.1. Paulus, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium CHristi. Non passus est ab-

Heb.13. *Rom.16.* duci se doctrinis varijs & peregrinis. Ab ijs, iuxta Pauli præceptum, declinabat, qui facerent dissensiones & offendicula præter doctrinam quam didicimus. Memor illius, quod

Gal.1. ab eodem Paulo scriptum est. Licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Permanebat in

Col.1. fide fundatus & stabilis, & immobilis à spe Euangelij quod audiuerat: facilè vt appareret, eum esse fundatum supra firmam petram. Et quoniam fidei comes indiuidua spes est, hac quoq; semper fuit in Deum fixa & stabili. Non ille in curribus & in equis, sed in nomi-

Psal.19. ne Domini fiduciam suam collocabat, cui cùm sciret non esse difficile, saluare, vel in multis, vel in paucis, parua sæpè manu, in solo Deo spe sua collocata, magnos exercitus vicit,

1.Reg.14. fudit, fugauit. Quoties difficultates aliquæ premebant, non aliò confugiebat, nisi ad DEVM, qui est scutum omnium sperantium in se. Illi dicebat: Quoniam fortitudo & refugium meũ es tu, spes mea à iuuentute mea, propter nomen tuũ deduces me, & enutries me.

2.Reg.22. *Psal 30.* Deduces me de laqueo, quem abscunderunt mihi: quoniam tu es protector meus. Neq;

Psal.20. enim spes vnquam fefellit collocata in Deo, qui non deserit vnquam sperantes in se. Sic autem ille sperabat hæc temporalia tanquam media quædam, per quæ transeundum esset

Iud.13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Cor. 13. ad æterna: anchoram interea spei suæ figẽs in solo Christo, qui vita æterna, vita est sine fine beata. Hoc solo præ omnibus frui desiderabat. Ad fidem certam & spem firmam, quam in Christo defixerat, accesit maior horum charitas. Quę fidei, quæq; virtutũ omniũ vita est. Sicut. n. vita corporis est anima, per quã corpus moritur & sentit: Ita vita fidei charitas est, per illam. n. fides operatur: Et sicut anima recedente, corpus moritur: ita fides quoq; moritur, charitate refrigescente, sine qua nemo Deo placuit: cumqua nec potuit aliquis peccare, nec poterit. Hæc est excellentior illa via, quæ p se ambulantes ducit in patriam, quæ rectè via vocatur. Nam sicut sine via peruenit nullus quò tendit: ita sine charitate, nõ ambulare possunt homines, sed errare. Neq; licet in patriam cœlestem, nisi per viam charitatis peruenire. Quæ in Rege nostro quanta fuerit, ex ijs, quę dici de eo hactenus audiuistis, cõiecturam facere licet. Vnde. n. virtutes oẽs quas enumerauimus, nisi ex fonte manabant charitatis: eius autem charitatis, quæ est ex corde puro, & cõscientia bona, & fide nõ ficta: quam finem præcepti, quam plenitudinem legis, quam vinculum perfectionis vocat Paulus. Non ille sibi se, sed eis potius, qbus prę erat, natum esse putabat. Quin potius nõ ijs modo, qbus præerat, verùm etiã humano, præcipuè verò Christiano generi vniuerso. Oẽs. n. ille Christianos, haud aliter atq; membra sua diligebat. Memor illius, quod à Paulo scriptũ est: Sicut in vno corpore multa membra habemus, ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra. Itaq; nõ quæ sua sunt quęrebat, sed quæ aliorum: nõ ad suam priuatam, sed ad publicam omnium vtilitatem omnia sua cõsilia, actiones oẽs referebat. Quidqd cuilibet hominum nociturum esset, haud aliter atq; sibi ipsi nociturum propulsare conabatur. Et homo cùm esset, Rex præsertim, nihil humanum alienum à se existimabat. Sic. n. ille iudicabat, belluarum esse, sibi viuere, neq; suas vtilitates in cõmune cõferre. Ad homines verò, Christianos præsertim, pertinere maximè, vt haud aliter aliorum cõmodis, atq; suis ipsorum prospectum velint, neq; secus aut prosperis, aut aduersis aliorum, quàm sui ipsorum rebus afficiantur. Vt sit illud in corpore Christi, quod est in corpore hominis. Si qd patitur vnum membrum, cõpatiuntur omnia membra. Ferarum. n. est proprium, inuicem persequi, lacerare, perdere: Hominis cõtra excellentiæ nihil magis cõuenit, quàm vt alterutrum iuuent, instruant, ædificent, & vtilitatem cõmunem, tanquã propriam, ac magis etiam, quàm propriam curent. Omnia itaq; Dei dona, qbus, vt audiuistis, Rex noster affluenter erat dotatus, non ad suam ille, neq; ad suorum tantum, sed ad totius reip. Christianæ vtilitatem cõferebat. Non sibi ille prudens fuit, sed suis primum subditis, qbus præ cæteris tenebatur: deinde cæteris omnibus, Christianis præsertim. Prima illi cura fuit de suorum cõmodis, ocio, & tranquillitate: proxima de Christianorum aliorum Regum & Principum: postremo verò de suis. Quamobrem quicqd illi Deus ingenij, quicqd cõsilij, quicqd solertiæ cõcesserat: id ad suorum primum salutem, sui securus, deinde ad reliqui corporis reip. Christianę incolumitatem cõseruandam cõferebat. Si quando incendium aliquod non modò inter propinquos Reges & Principes, sed etiam inter illos, qui lõgo interuallo à regno suo disiuncti essent, excitatum cognouisset: haud aliter accurrebat ad restinguendũ illud, quàm si suos ipsius parietes ardere vidisset. Legatos ilico mittebat, qui vt arma ponerent, ne in sua ipsorum membra ferrum stringerent: vt ciuili bello abstinerent, vt in Barbaros potius cõiunctas vires cõuerterent: & à Christianorum ceruicibus durissimam seruitutem repellere conarentur, pro virili sua persuaderent. Quæ solicitudo eius, tum in alijs ferè omnibus Christianorum bellis, vt audistis, apparuit: tum in ea seditione maxima, quæ nuper fuit in Germania cõcitata. Quam ille nõ minore studio, quàm si in regno suo coacta esset, reprimere studuit. Se. n. lędi, se sauciari, se premi interpretabatur, si quos Christianos lædi accepisset: quos eodem, quo membra sua, loco habebat oẽs: Neq; tñ in hac sua charitate gradus quosdam nõ obseruabat. Etsi. n. Christianis omnibus honestissimè cupiebat: nõ in alios tñ Principes effusus fuit suauius, quàm in Serenissimos fratres, qbus arctiore propinquitatis vinculo fuit cõiunctus. Itaq; cùm falsus huc rumor allatus fuisset, de infœlici Cæsareæ M. successu, in proxima illa seditione Germanica, cum cætera sanus esset, adeò tñ fuit pculsus, vt noctem illam totam insomnem ageret. Posteaquàm verò lætiora sunt illi renunciata de rebus illius Maiest. ad volũtatem fluentibus, etsi maluisset, p̃ sua erga oẽs Christiana charitate, suum quemq; statum retinere, recreatus tñ est hoc nuncio accepto. Neq; verò laborare interea desijt, vt qui exciderant gratia Cęsareæ M. reduci in eam possent. Sicut aũt prudens, ita & fortis fuit non sibi, sed suis primum: & in commune postea Christianis omnibus. Paratus omnia sua, quin & vitam etiam suam Christi boni pastoris exemplo profundere, primum pro ouium suarum, deinde p̃ totius ouilis Christiani salute, & incolumitate. Adeò vilia illi fuerunt omnia, vilis etiam spiritus ipse, præ eo quod in cõmuni cunctis expediret. Quod si maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis p̃ amicis suis, quæ maior esse potest charitas, quàm fuit hæc? Etsi. n. reipsa nõ posuit, posuit tñ voluntate. Neq; alia res eum tam fortem reddebat, quàm illa de qua scribit Sapiens: Fortis est, vt mors, dilectio. Ad eundem modum & temperans ille, nõ sibi tantum fuit, sed suis omnibus primum: deinde in cõmune toti reip. Xp̃i anæ, & iustus similiter. Nolo. n. singulis explicandis esse longior. In summa: quicqd in eo fuit Dei munerum (quæ fuerunt, sicut audiuistis, maxima) nõ ijs quærebat, quod sibi vtile esset, verùm quod multis: hoc. n. vt faceret, impulit charitas: quæ nõ quærit, quæ sua sunt. Cùm iuxta Dei præceptum diligeret proximum, sicut seipsum: Quem diligendo Deum etiam diligebat: in quo purè colendo, ad finem vsq; vitæ suæ summa cum constantiæ laude perseuerabat: Cùm nullus eo Princeps fuerit religiosior. Difficile est de animo alicuius iudicare, quo solo Deus purè colitur. Qui cùm sit spiritus, eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Sed sicut inuisibilia Dei, p̃ visibiles Dei creaturas agnoscũtur: ita

Gal. 5.
1. Cor. 12.
1. Tim. 1.
Rom. 13.
Col. 3.
Rom. 12.
1. Cor. 1.
1. Cor. 12.
Isai. 10.
Ioan. 15.
Cant. 8.
1. Cor. 10.
1. Cor. 13.
Petri. 19.
Ioan. 4.
Rom. 1.

&

& nos de inuisibili animo siue spiritu Regis nostri, quo ille Deum purè colebat, nõ possumus nisi ex externis quibusdam & visibilibus rebus iudicare. Certum est, nõ aliare Deum purius coli, quàm fide: sed ea fide, quæ per charitatem operatur. Fidem. n. ipsam videre nõ possumus, sed fructus & opera fidei videmus. Hoc est, quòd dicit Iacobus: Ostende mihi fidem ex operibus tuis. Est. n. fides arbor illa bona, quæ fructus bonos facit. Fructus fidei qui fuerint in Rege nostro audiuistis. Oẽs. n. illæ virtutes, quas connumerauimus, fructus fidei fuerunt. Ad hæc accesserunt illa, quæ iusticias ipse Christi appellat, cùm ex fide proficiscuntur, ieiunium, eleemosyna, oratio. Nam si victoria, quę vincit mundum, fides nostra est: his tribus maximè rebus ex fide profectis mundus vincitur. Omne. n. quod est in mũdo, aut est cõcupiscentia carnis, quę vincitur ieiunio & abstinentia: aut cõcupiscentia oculorũ, quæ vincitur eleemosynis: aut superbia vitæ, quæ vincitur humili oratione. His itaq; tribus ille verbis ex fide & charitate profectis, vincere mundum, atq; ita Deum piè colere conabatur. Castigabat. n. carnem suam, & in seruitutem redigebat: vt ne rebellaret spiritui: néue impediret, quominus Deum purè coleret: Deinde quo magis propitium in membris suis Deum sibi redderet, necessitatibus sanctorum cõmunicabat: vt faceret sibi amicos de mãmona iniqtatis: Memor illius, qd̃ à Xp̃o dictum est: Quidqd feciſtis vni de minimis meis, mihi feciſtis. Qua in re tã fuit liberalis, vt de illo dici rectè potuerit, qd̃ est in ea lectione, quam hodie vobis explicandam sumpsi: Eleemosynas eius enarrabit omnis Ecclesia. Domata carne p̃ abstinentiam, & placato Deo p̃ eleemosynas: tum primum ad orationem accedebat, leuando puras manus ad Deum. Quibus qdem orationibus quotidiè certis horis vacabat: Sic. n. à puero institutus erat, quotidiè Missæ sacrum magna cum religione audiebat: Ac quoad p̃ affectam & ætatem & valetudinem licuit, quotidiè templũ ingrediebatur, dicens cum Centurione: Dñe nõ sum dignus, vt intres sub tectum meum, Indignum. n. illi videbatur, quoad ferre vires potuerunt, vt in cõciaui eius, & nõ in eo potius loco, qui est propriè huic rei dicatus, sacrificium fieret: Sibi ille potius ad eum locum veniendum esse putabat: nõ q̃ nõ orari posset omni in loco, sed q̃ quam domum suam, quam orationis domum appellat Deus, eam nõ esse sibi negligendam arbitraretur: quodq; ad aliorũ etiam pietatem procurandam nõ parum eam rem facere intelligebat, si Regem suũ, publico in loco populus videret sacra audientem, & puras ad Deum manus leuantẽ. Nullum ergo diem intermisit Rex noster, quo nõ vnam aut alteram horam sacris & orationibus vacaret. Verùm id maiore cura festis diebus faciebat: qbus cęremonias oẽs diligenter obibat, non sine magna animi sui delectatione. Oẽs Ecclesiæ ritus & precationes æquè, vt ipsi sacerdotes, tenere visus est. Illam verò sacram hebdomadam præ cęteris diligẽter obseruabat, qua summum IESV Christi passionis & mortis beneficium recolitur. Totam illã non alijs, quàm sacris in rebus, consumebat. Mos illi fuit sancto Parasceues die, quo se pro nobis Christus in ara crucis sacrificium Deo patri obtulit, ad tremenda illa mysteria accedere. Hunc verò diem cum nocte etiam præcedente in audiendo verbo Dei, in eius beneficijs recolendis, in orationibus & vigilijs peregit: Prandium illi fuit panis & aqua. Quo sumpto, sicut Theodosium Imper. ante mille ducentos annos factitasse in Ecclesiastica historia memoriæ proditum legimus, circuibat omnia orationum loca, & templa Deo dicata in memoriam sanctorũ martyrũ obibat. Quibus & ipsis, tanquam filijs, amicis, & membris Dei debitum honorem impendebat: Colebat. n. & illos cultu suo: non eo, qui soli debetur Deo, quem latriæ cultum vocamus: sed eo, quem tribui pijs & sanctis hominibus oportet, quos Deus diuinitatis suæ participes facere dignatus est. Nõ eos largitores, verùm intercessores tantum agnoscebat. In montes qdem leuabat oculos suos, sed auxilium non aliundè quàm à Dño sperabat: in quo solo possunt sancti, quicqd possunt: Neq; aliud in sanctis, nisi Dñm ipsum laudabat, à Propheta admonitus dicẽte: Laudate Dñm in sanctis eius. Quem. n. laudas, quem inuocas, cùm sanctum laudas & inuocas, quàm Deum ipsum? Tolle enim à Petro, tolle à Paulo, tolle à Staniſlao, qd̃ Christi Apostolus, Christi martyr fuerit, qd erit in eo quod laudare possis? aut quis erit, qui eum inuocandum censebit? Deum itaq; laudat, qui sanctos laudat: Dei glorię detrahit, qui sanctorũ gloriæ detrahit. Neq; verò sanctos ille tãtum colebat, quos esse viua membra Christi p̃suasum habuit, sed tanta in Deum charitate ferebatur, vt quoslibet ministros eius, quamlibet indignos, paterna quadam beneuolentia prosequeretur. Non ille propter p̃sonarum vitia suum sacro ordini honorem nõ tribuebat: neq; qui essemus ipsi, homines. n. sumus, & hoc ipso peccatores, sed cuius ministerio fungeremur, attendendum putabat. Sicut vulgari prouerbio, Qui amat aliquem, is etiam catulo eius benignè facere dicitur: Sic ille nos indignos Dei catellos ob ferũtem amorem, quo Deum prosequebatur, singulari quadam gratia & beneficentia fuit cõplexus, vt meritò nobis quoq; dicere liceat, quod in libro Numerorum dixisse quosdam legimus: Pater noster mortuus est. Neq; n. liberis suis maiore cura pater, quàm ille nobis prospectum cupiebat: Nihil aliud, vt dixi, spectans in nobis, quàm vnum hoc, quod p̃ Christo legatione fungimur. Magna sunt hęc eius erga Deum amoris documenta, qd̃ non eos modo qui sunt absq; macula & ruga, sanctos & electos Dei, verùm etiam quamlibet indignos ministros Dei, ob hoc solum, quod ministri Dei essent, paterna quadam indulgentia prosequebatur. Sed nõ ijs finibus eius erga Deum ardens charitas claudebatur: quin & hoc p̃ virili cõtendebat, vt quicunq; ditionis eius essent, ij eundem quem ipse, verum Deo cultũ exhiberent. Itaq; ne qua schismata aut hæreses in regno suo existerent, prouidebat. Annus agitur nunc vigesimus secundus, cùm noui motus qdam Gedani essent excitati contra diuinam primum, deinde contra eius Regiam M. memoria tenetis procul dubio, quanta celeritate ad sedandos eos accurrerit, quanta prudentia represserit: quomodo misericordia iusticiam temperauerit. De paucis. n. sumpto supplicio, quod aliter fieri nõ liceret, omnia

Psal. 120.
Psal 150.
Num. 27.
2. Cor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihilominus ciuibus reliquis iurgia permiſit: De nulla re magis alia ſolicitus, quàm vt veterem Dei cultum in ciuitate reſtitueret: Quod etiam non magno negocio perfecit. Iam illa edicta, ne quis in ea loca proficiſci, vbi tranſferũtur homines in aliud Euangeluim: Ne quis inuehere libros nouatorum auderet, quorſum pertinebant? niſi vt retineretur in regno eius vetus religio, & vetus Dei cultus. Noluit ille diſputari de fide, ſed retineri tantũ fidem voluit inuiolatam: atq; ijs, quę ſemel à ſancta, Catholica, Apoſtolica Eccleſia decreta eſſent, obtemperari. Idem. n. iudicabat, quod Marcianus olim Imperator, iniũriam facere iudicio reuerendiſsimæ Synodi, ſi quis iudicata ſemel, ac rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contenderet. Nam ſi quod ab vnius alicuius regni populo, approbãte Principe, decretum eſt, in comitijs id abrogari per priuatum aliquem, fas nõ eſt: quantò minus fas eſt ea reſcindere, aut in dubium reuocare velle, quæ vnanimi conſenſu omnium gentiũ & populorũ, qui Chriſti fidem profitentur, in ſacris concilijs Oecumenicis cõſtituta ſunt? Quamobrem Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij exemplo cunctos populos, quos clementię ſuæ regeret imperium, in tali voluit religione verſari, quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſq; adhuc ab ipſo inſinuata declarat: quam; Pontificẽ Paulum III. ſequi claret: Cùm, Cypriano teſte, non aliundè ſchiſmata oriantur & hæreſes, quàm quod vni ſacerdoti Chriſti vicem in terris gerenti non obtemperatur. Babylon ibi neceſſe ſit, non Eccleſia, vbi noua cuiq; dogmata ſtatuere, & ea, quæ ſtatuta ſemel ſunt, conuellere licet. Nam ſi quod cuiq; rectum videbitur, id ſentire cuiq; de fide, liberum erit: non erit vna fides. Quæ ab vno pendeat neceſſe eſt, ſi ab vna eſſe deber. Cultus aũt Dei verus apud alios eſſe non poteſt, niſi apud eos qui idipſum ſapientes, in alterutrum ſecundum IESVM Chriſtum vnanimes vno ore honorificant Deum, & patrem Dñi noſtri IESV Chriſti.

Rom. 15. Multa alia dici poſſent, quomodo beatus diues ſit noſter, cùm potuerit tranſgredi, tranſgreſſus non ſit. Sed ne ſimus longiores, hæc in præſentia dicta ſufficiant, quomodo non eſt tranſgreſſus prudentia. Memor illius quod ſcriptum eſt: Prudentiæ tuæ pone modum: nõ eſt tranſgreſſus fortitudine, non eſt tranſgreſſus temperantia, non eſt tranſgreſſus iuſticia: nõ declinauit in his omnibus in dexteram aut in ſiniſtram, ſed inceſſit via Regia: fide, ſpe, charitate Deum piè coluit. Ideo dicit Sapiens concludens hanc lectionem: Stabilita ſunt bona illius in Dño, ſicut ſtabilis fuit fides eius in Deum: ita ſtabilita ſunt bona illius: bona corporis, bona fortunæ, bona animi. Conceſsit illi Deus hæc affatim omnia, & qdem fixa, firma, ſtabilita conceſsit, vſq; ad extrema vitæ ſuæ tempora. Neq; temporalia, modò bona illius ſtabilita ſunt: ſed multò magis illa æterna, quæ ſola ſtabilia, hæc verò fluxa ſunt. Vidiſtis qua fuerit incolumitate, quo robore, quãto æuo vixerit. Simul illud meminiſtis, quot victorias & triumphos de ſuis hoſtibus reportauerit: quanta, & quàm ſtabili, ac perpetua fœlicitate in bellis vſus ſit, quæ geſsit plura propemodum & maiora, quàm quiſquam ante eum Poloniæ Regum. Quoties. n. ille Tartaros, quoties Moſchos, quoties Valachos fudit? apud Sluſcum tribus prælijs tres non contemnendos exercitus, Duce illo celebri Cõſtantino: Apud Viſnoueciam viginti quatuor millia, Nicolao Camenecio Palatino Craccouienſi, & eodem Conſtantino Ducibus, cum noſtri ſex millium numerum non excederent. Longum eſſet ſingulas victorias enumerare, quas tulit apud Voroneuiam Ioanne Camenecio, quas apud Buſcum Staniſlao Lanſcorunio, quas apud Zinceuiam arcem Iacobo Senagnouio atq; iterum Palatino Kiouienſi, quas in Volinia Conſtantino & Oſtapheo ter: quas apud Oſſacouiam hoſtilem arcem eodem Oſtapheo & Prædiſlao Lanſcorunio Ducibus: quas in Podolia Tirbinij, quas apud Camenecium & Vuſtatineium pagum, & cõpluribus alijs in locis Nicolai Senauri Palatini Belſenſis, fratrumq; eius Alexandri & Procopij, ac Bernhardi Pictvvicz opera: quas apud Trebguliam, Podbriciam, Medburum: quas apud Canioviam in Lituania, ante vnum & viginti annos de viginti ſex millibus Tartarorum cæſis Duce Conſtantino reportauit. Valachos quoq; ſtatim vt regni gubernacula ſuſcepit, Turcarum & Tartarorum auxilijs tumentes, ac victoria contra fratrem ſuum Ioannem Albertum elatos, prælio fœliciter cum eis cõmiſſo, ita flexit: vt & amiſſam Pocutiã recuperaret, & redire ad officium Bogdanum Palatinum, ac in ſua verba iurare cogeret: Poſtea verò cùm Petrus Palatinus rebellaſſet, ac denuò Pocutiam inuaſiſſet, primum ſex millia apud Guoſdeciam arcem, ac mox viginti duo millia apud Obertinum pagum Duce Ioanne Comite à Tarnovv, qui non plus, quàm quatuor equitum habebat millia, ita vicit & fugauit, vt caſtris etiam exueret, vexillis ſimul & bombardis, ac cæteris impedimentis ereptis: Ex quo prælio vix ipſe Palatinus fuga ſaucius euaſit. Qui cùm nihil hac ſuorũ clade territus, annis aliquot poſt iterum rebellaſſet, eiuſdem Ioannis Comitis ductu Chocimij obſeſſus, atq; eo demùm redactus eſt, vt in fidem, poteſtatemq; Regiam ſe conferre cogeretur. Neq; verò cõtra Moſchos minore fœlicitate vſus eſt: quos primo ſuo aduentu in Lituaniam adeò perterrefecit, vt cùm centum millium exercitum haberent, ex noſtris verò tria millia tantum eſſent mercenariorum militum, neq; ita multi Lituani, pugnandi copiã facere non auderent: ſed cùm longè lateq; peruaſtari Prouinciam ſuam vidiſſent, quas tulit Rex pacis conditiones, eas precario ſuſciperent. Iam verò quàm clara & inſignis illa fuit apud Orſam victoria, vbi Conſtantino & Ioanne Suirſouio Ducibus, octoginta millia Moſchi exercitus à noſtris, qui erant numero longè impares, Boriſthenem tranantibus, ita eſt profligatus, vt dimidia eorũm pars vix fuga ſit elapſa: ductores exercitus capti cum omnibus proceribus & quatuor millibus bellatorum: Vt interim ſilentio præteream ſeptem millia ad Poloſcum cæſa à Ioãne Bocatinio ſexcentis modico comitatu: ante tredecim annos mille extremi agminis Lituaniam populantes interfectos: Et ſub idem tempus apud Starodubium, Radogoſtiam, & Smoliensk um nõ paucos trucidatos ductu Georgij Radipil Caſtellani Vilnenſis. Illud verò taceri non poteſt, quomodo poſt Radogoſtiam, & Homiam

miam captam Starodubium à noſtris expugnatũ eſt Ioanne Tarnouio Duce. Fuiſſe dicuntur in arce pluſquàm decem millia bellatorum, qui ſi in aciem deſcendiſſent, cùm noſtri numero eſſent impares, anceps prælium committi potuiſſet: Atq; nihilominus à noſtris euerſa, & plus mille quingenti viui capti ſunt. Res prodigioſa: quod cùm eſſet maior numerus obſeſſorum quàm obſidentium, vicerint tamen obſidentes. Cõtra Tureas nihil geſsit memorabile, niſi ſi quando à Tartaris permixti fuerunt. Porrò Pruſsicum bellũ quã fœliciter confecerit, vel ex eo cõiecturam facere licet, quod nepos eius, qui præſens hic adeſt, fractus ad extremum cum terra ſua vniuerſa contra volũtatem ſuam in fidem eius vna cũ terris ſuis omnibus ſe contulit: dato etiã iureiurando, quod cùm ipſe, tum ſucceſſores eius oẽs, ſempiternis temporibus in fide Poloniæ Regum ſunt futuri. Videtis ergo, quæ bona illi Deus cõceſſerit, neq; conceſſerit modo, verùm etiam ſtabiliuerit, vt rectè de eo dicere poſsimus: Ideò ſtabilita ſunt bona illius in Dño. Propria. n. & ppetua fuit hæc illi fęlicitas: neq; eam vlla ferè clades interpellauit, præter Sacalienſem illam, vbi cum exercitus noſter, qui ex quatuor millibus cõſtabat, à quadraginta millibus Tartarorum fugatus eſſet, mille & ducenti ex noſtris, ex hoſtibus quater mille ſunt deſiderati. Neq; victoriæ tantum eius ſtabilitæ ſunt, ſed etiam ſtabilitum eſt nomen illius bonum, quod eſt melius, quàm diuitiæ multę. Stabilita eſt gratia mortalium omnium, qua, credibile non eſt, quantum apud cunctos valebat, non ſuos magis, quàm exteros: vix vt vllum reperire Principem liceuerit, in quem vnum totius patriæ optimatum, Regum gentium, atq; orbis propè totius ſtudia, tanto ardore, tamq; fatali quadam bñuolentia conſenſerint, vel potius concertarint. Neq; enim efficacius Magnes ferrum attrahit, quàm ille mentes mortalium omnium in ſui charitatem rapiebat: non alia re niſi virtutum commendatione: vt non minus Rex hic noſter, quàm Titus Imperator olim orbis amor appellari potuerit: quem conſtat cõmune gaudiũ gentium omnium, vnicas ſæculi ſui delicias, & fatalem quendam Regum & Principum amorem fuiſſe. Fuerat illi initio Maximilianus Cęſar offenſior, qui cum arcta cum illi neceſſitudo intercedebat, propter matrem ex Auſtrię domo profectam, minimè dubitauit Rex optimus nullius rei magis, quàm amicitiæ cupidus, vna cum fratre ſuo Vladiſlao Hung. & Polon. Rege, & eius filio Ludouico ad Maximilianum ipſum Viennam Auſtriæ proficiſci, comitatu numeroſo, & ſplendido, planeq; Regio. Non defuerunt, qui deterrere vtrumq; Regem à profectione in Auſtriam conarentur. Quod inſidias metuendas dicerent, & iam perſuaſum id erat Vladiſlao: Cęterùm Sigiſmundus hic noſter, vt aliqd eiuſmodi crederet, non potuit adduci: ac forti, generoſo, vereq; Regio animo, etiamſi deſertus eſſet ab omnibus, tñ ſe vel ſolum in conſpectum Cæſaris venturum, & Viennam ingreſſurum oſtendit. Qua ſua conſtantia, fratrem etiam ſuum, quem ætate affecta timidiorem effecerat, adduxit, vt ſe Cæſari crederet: Cum quo ſimul vt congreſſi ſunt, non ſolùm animorum omnis offenſio ſedata, verùm etiam affinitas noua inter Reges conciliata eſt, qua inſtituta inter eos amicitia confirmari poſſet. Neptim. n. ſuam ex filio Caroli & Ferdinandi Cæſarum ſororem, Ludouico in matrimonium dedit. Neq; fuit poſtea Maximiliano quiſquã Regum aut Principum charior, quàm Rex ille noſter Sigiſmundus: Cuius amicitia cum hoc Rege noſtro conſtituta. Nepotes etiam ſuos, datis in eam rem literis, quaſi hęredes inſtituit. Quis buſcum & ipſis tanta fuit Regi noſtro amicitia, maior vt eſſe non potuerit. Siqdem Ferdinandus Romanorum Rex filiam ſuam Elizabetam, qua nullam vidit ætas hæc noſtra fœminam ſanctiorem, Regi huic noſtro ſuperſtiti vxorem dedit: Quæ ante diem mortua, & ſancto illi patri & huic eius filio, regni ſucceſſori, triſte ſui deſiderium reliquit: ac oẽs regni ordines mœrore confecit incredibili. Quo pignore amicitiæ, amoriſq; mutui ſublato: nihil eſt tñ de mutuo inter ſe ſummorum Cæſarum & Regum noſtrorum amore diminutũ. eadem fuit illius gratia, par autoritas. Neq; enim fortuito, aut impetu quodam, & ardore iuuenili, ſed virtutum admiratione hæc fuit inter illos amicitia conciliata, vt non potuerit non eſſe fixa & ſtabilis, ac ad vltimum vitæ diem duratura. Neq; minore illius amore incenſi fuerunt reliqui Germanię Principes oẽs, qui haud aliter atq; patrẽ Regem hũc noſtrũ venerabantur: Cuius nomẽ nõ in finitimis modo regnis clarũ & charũ fuit omnibus, verũ etiã in remotioribus illis. Nã & à Galliæ, & Anglię, & Danię Regibus colebatur. In vrbe verò apud ſummum Pontificem, cõmunem Chriſtianorum Regum omnium parentem, tanta fuit illius auctoritas, vt vix alterius cuiuſquam Regis maior. Amabatur à Cardinalibus: Apud oẽs ferè Italiæ Principes in ſumma fuit veneratione. Magna ſunt hæc bona, quæ non ad horam concedere, ſicut multis, ſed ſtabilire Deus dignatus eſt: vt ad vitæ ſuæ diem extremum ea conſeruauerit omnia: Quam & ipſam vitam ſtabiliuit in eo Dñs, & in multos annos produxit. Mortuus eſt. n. ſenex, & plenus dierum: Vixit annis octoginta & vno, menſibus tribus: Regnauit annis quadraginta & vno, menſibus duobus. Siue vitę, ſiue regni eius tempus inſpicias, vt nunc verius etiam, quàm olim dicere poſſumus, Dies peregrinationis noſtræ vitæ paucos & malos eſſe, fuit ætas hæc ſatis longa: Vt ſi quid intereſt ad beatitudinem diu vixiſſe, hac quoq; in re beatus fuerit: vt rectè bona illius in Domino ſtabilita dici poſſint: quibus ei tam diu frui, vel vti potius cõtigerit: nec enim fruimur temporalibus his, ſed vtimur: Quibus verò frui debemus, ea æterna ſunt. Hęc verò maximè ſtabilita ſunt in eo per Dominũ. Nam cùm temporalibus his rectè vſus ſit, dedit ei Dñs bona, quibus frueretur, vitam æternam, vitam beatam, gloriam æternam. Cuius rei non modò vita eius honeſtiſsimè acta, ſed & exitus ex ea glorioſus tam certum argumentũ eſt, vt certius eſſe queat nullum. Nam ſi verum eſt illud, ſicut non poteſt non eſſe verum, quod dicit ſcriptura: Dominus iudicabit fines terrę: hoc eſt, vt interpretatur Auguſtinus, extrema hominis opera: videte, quæ fuerint extrema illius opera, & de ſalute illius æterna dubitate. Extrema illius opera, fuerunt opera fidei, quæ nos de ſalute noſtra reddunt certi-

Prouerb. 22.

Gen. 47.

1. Reg. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Heb.6. Ioan. 6. ores, quàm vt de ea dubitari fas sit. Habemus enim promissum Dei, quo nihil potest esse certius, cũ Deũ impossibile sit mentiri. Amen, Amẽ dico vobis, dicit veritas: qui credit in me, habet vitam æternam. Cùm itaq; Rex hic noster, pœnitens, in fide & confessione Christi obdormiuerit: cùm suam omnem fiduciam, non in suo, sed in Christi passionis & mortis merito collocauerit, poterítne quisquam dubitare, quin huius CRISTI promissi factus sit cõpos. Non ille fidebat in operibus suis, quamlibet enim bona sint opera nostra, bona tamen & grata esse desinũnt, simul vt nobis in illis placere, & spem nostram in illis ponere incipimus, quæ nobis non in alio esse debet, quàm in morte Domini nostri. Mors enim Domini nostri IESV CHristi, meritum nostrum est, refugium nostrum, salus, vita, & resurrectio nostra. Meritũ nostrũ est miseratio Dñi: qui nisi ppetua charitate dilexisset, atq; ideò per filij sui vnigeniti mortem attraxisset, nos miserans: opera nostra condemnare nos possent, saluare non possent, quamlibet etiam sancta viderentur. Hoc cùm non ignoraret Rex noster, qui à puero sana Christi doctrina diligenter fuit institutus, etiamsi fecerat omnia pro virili sua: seruum se tamen inutilem reputabat: & quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, ad passionem illius, ad fusum pro nobis sanguinem illius confugit: qui iustificatio nostra, qui propitiatio nostra fieri dignatus est, ad Dominum nostrum IESVM CHristum: cuius cùm crucifixi simulachrum exhibitum illi fuisset, sicut exhiberi morituris de recepto Ecclesiæ more consueuit, vt discant, neq; fidere operibus suis bonis, neq; desperare propter admissa mala, sed certã spem & fiduciam in Christo collocent crucifixo: in ipso respirent, in ipso confisi, ad ipsum peruenire desiderent: non habentes iusticiam suam, ad eam quæ est ex filio Dei Domino nostro IESV CHristo. Hoc ergo signum crucifixi cùm oculis eius subiectum fuisset, credibile non est, quanta illud animi deuotione exceperit. Quem extendisse manus suas in cruce pro se, & pro nobis peccatoribus viderat, vt se ad amplexus nostros esse paratum ostenderet, eum & ipse amplexatus est, vt vulneribus eius fixo oseulo, non dubiè significauit, se in illis respirare, & certò confidere, per illa sibi aditum esse ad regnum cœlorum patefactum. Accersito itaq; sacerdote, summa cum animi sui contritione peccata sua omnia confessus est, vt ministerio sacerdotis, cui ligandi soluendiq; potestas data est, virtute verò CHristi, cuius ille personam gerit, beneficium remissionis peccatorum, & certissimam consolationem reconciliationis consecutus, eius rei pignus etiam acciperet Eucharistiæ Sacramentum. Quod non modo remissionis peccatorum, sed & immortalitatis & vitæ æternæ pignus est. Neq; enim alio pignore CHristus de tantis bonis certiores nos reddere potuit, quàm impertitione sui preciosi corporis inæstimabilis vtique thesauri, quo nos sibi tanquam membra adiunxit, vt vbi ipse est, ibi & nos simus. Hoc pignore accepto, cùm se iam videret extrema illa in lucta constitutum, quó fortius resistere posset sathanæ tentationibus, quas tum ille potissimum cateruatim ingerere solet, iuxta præceptum Apostoli, Presbyteros Ecclesiæ induci iussit, & orare super se, vngentes oleo in nomine Domini: vt hoc quoq; signo CHristi membrum, CHristi factus Athleta, tanto facilius expellere à se posset Principem huius mundi immundum spiritum, quem foras CHristus eiecit, vt non haberet quicquam in nobis: cùm nulla sit conuentio Christi cum Belial: nullus consensus templo Dei cum sathana: atq; eo expulso, tanto maiore cum fiducia diceret: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Quam ille se procul dubio consecutus est, cùm tot habuerit à Deo certissima fiduciæ suæ signa ac testimonia: nempè, Sacramentum pœnitentiæ, Eucharistię, & hoc extremę vnctionis, quibus Deus nequaquam nos fallit: sed promissioni suæ assistens facit ac perficit etiam omnia, quæ in eorundem exhibitione nobis pollicitus est. Quanta autem fuerit fiducia, vel ex eo licet colligere: Quod cùm admoniti sacerdotes fuissent, vt è cubiculo exirent, si fortè somnum capere posset, simul vt eos exiuisse cognouit, eueftigiò reuocari iussit: quod eorum præsentia, qui personam Ecclesiæ repræsentarent, se fortiorem contra sathanæ insidias fore putaret, modo non dicens illi: Etsi multis satellitibus stipatus in animæ meum excidium coniuratis compareas: non te timeo tamen, non te metuo. Plures. n. mecum sunt, quàm tecum. Tota. n. Ecclesia sanctorum pro me curam agit, orat, meq; in tutelam suam recipit, aduersus quam non præualituras inferi portas clarè dixit, qui fallere nescit. Totam itaq; noctem illam cum suis sacerdotibus, quorum intercessioni fidebat, & quos dilexit vsq; in finem: non alia in re, nisi in orationibus & sacris lectionibus, maximè verò Dominicæ passionis recitatione, ex qua consolationem non mediocrem capiebat, consumpsit: subinde cum illo Publicano pectus suum tundens, ac Deum orans, vt sibi propitius esse dignaretur: neq; obscurè illud ferens, quod cuperet iam dissolui, & esse cum Christo. Illuxit tandem dies illa, qua Christi resurgentis memoriam recolimus, hac ille intra Missarum solennia, luctu omnium & mœrore incredibili spiritum emisit. Vbi nunc sapiens & potens ille Rex noster Sigismundus? Vbi opes eius? vbi diuitiæ? vbi splendor? vbi comitatus Regius? vbi Maiestas eius & gloria? Ecce, quomodo transierunt omnia illa tanquam vmbra: tanquam nuncius præcurrens, tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius cùm præterierit non est vestigiũ inuenire, neq; semitam carinæ illius in fluctibus: tanquam auis quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tanquam sonitus alarum, verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aërem, commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris: tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò in se recluſus, vt ignoretur transitus illius: tanquam lanugo, quę à vento tollitur: tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: tanquam fumus, qui à vento diffusus est: tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis: Sic etiam nos nati, continuò

Hebr. 31.

Luc. 17. Rom. 8.

Phil. 3.

Matt. 18.

Iaco 5.

Ioan. 12. Ioan 14. 1. Cor 6.

2. Tim. 4.

4. Reg. 6. Matt. 26.

Luc. 18.

Phil. 1.

Sap 5.

nuò desinimus esse. Quæ enim est vita nostra? vapor ad modicum parens deinceps exterminabitur, velut somni uium auolans non inuenietur: transiet quasi visio nocturna. Dormierunt somnum suum, dicit Propheta, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Omnis caro fœnum, dicit alius, & omnis gloria eius, quasi flos agri: Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, & decor vultus eius deperijt: Ita & diues in itineribus suis marcesset. Rectè ergo Ecclesiastes, cùm ratione serutatus esset humana omnia, diuitias, delicias, potentiam, gloriam instabilem, sapientiam quæ fugit magis, quàm vt teneri possit, ventris voluptates, hortorum amœnitates, turbam seruorum, multitudinem possessionum, pocillatores, cantores, arma, satellites, gentes subactas, tributa imperata, fastum Regium, hanc de cunctis profert sententiam: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Finem tandem loquendi faciens: Deum, inquit, time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo. Ad hoc, inquit, natus est omnis homo: in hoc salus consistit omnium, & perfectio: Si creatorem nostrum intelligentes veneremur cum metu & honore, & mandatis exequendis. Cætera cuncta fumus quidam sunt, vel, vt quidam dixit, vmbra fumi. Nihil est in rebus humanis stabile, nihil diuturnum, nihil de quo vel crastinum sibi quisquam polliceri queat. Quæ cùm ita sint, quid est, Serenissime Rex Auguste, quod luctu, quod mœrore, quod lachrymis te conficias? Quæ tibi mœsticiæ huius causa est? Num, quod ille fluxa hæc & caduca æternis commutauit? Num quod curis, quod morbis, quod grauibus totius corporis cruciatibus liberatus est? Num, quod mortem reliquit, & immortalitatem induit? Quid enim est vita hæc nostra nisi mors? vt non sine causa Paulus exclamauerit: Infœlix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Corpus hoc quod corrumpitur, quod aggrauat animas nostras, vocat Apostolus corpus mortis: quod in eo nihil aliud, quàm morimur quotidiè. Nam quotidiè pars aliqua vitæ demitur, & tum quoq; cùm crescimus, vita decrescit: Moritur infantia nostra, succedente pueritia: Moritur pueritia, succedente adolescentia: Moritur adolescentia, succedente iuuentute: Moritur iuuentus, succedente virili ætate: Moritur virilis ætas, succedente senectute. Moritur senectus, moritur morborum omne genus: moritur quicquid est dolorum, quicquid cruciatuum, quicquid afflictionum, quicquid incommodorum in hac vita, succedente illa vita immortali: ad quam non patet nobis aditus, nisi per mortem corporis huius: vt non sine causa tam ardenter Paulus cupiuerit, de corpore mortis huius liberari: Quod Dauid etiam carcerem vocat dicens: Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Dixit hæc eadem verba Dauid noster, pius & mansuetus Rex noster Sigismundus, cupiebat & ipse liberari de corpore mortis huius: cupiebat educi de carcere carnis huius animam suam: desiderium habebat dissolui, & esse cum CHristo. Cuius voti sui compos factus cùm sit, mœrendum tibi non est, Rex Auguste, ne summam hanc eius fœlicitatem, non satis grato animo interpretari videaris. Fruitur enim ille iam eo, in quem credidit, quem amauit: eo, qui vita est æterna, vita sine fine beata, Domino nostro IESV CHRISTO. Noli putare temerè aut fortuitò factum esse, quod sacratissimo Paschæ die ex hac vita excesserit. Quid enim aliud Pascha Græcè, quod Phase vocant Hebræi, quam transitum significat? Transitum autem populi Israel ex Ægypto ad terram lacte & melle fluentem. Sub hunc diem visum est CHristo, vt ipse quoq; transiret de mundo ad patrem. Quo ergo tempore transiuit populus Israel ex Ægypto ad terram promissionis: quo tempore Seruator noster IESVS CHristus transiuit de mundo ad patrem: eodem tempore Princeps hic noster, & maximus in Israel transiit ex Ægypto huius sæculi, ad promissam pijs omnibus cœlestem patriam: transiuit de morte ad vitam, non suis meritis, sed illius promissione fretus, qui dixit: Amen, amen dico vobis: Qui verbum meum audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit: sed transiet de morte ad vitam. Hoc ergo Pascha, transitum hunc de morte ad vitam, voluit hoc die cum CHristo resurgente Princeps noster celebrare: nec amisit ille regnum, sed commutauit terrenum cœlesti: dissolubile in dissolubili: caducum æterno. Regnum enim illius, quod nunc possidet, regnum est sempiternum. Regem quendam huius sæculi, traditum sibi diadema, priusquàm imponeretur capiti, diu consideraſſe ac dixisse tandem ferunt: O nobilem magis, quàm fœlicem pannum, quem si quis penitus consideraverit, quàm multis solicitudinibus, & periculis, & miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet. Abiecit hoc diadema Rex noster, & suscepit illud, quod plenum gaudiorum, plenum fœlicitatis, plenum est æternæ beatitudinis. Posuit Dominus super caput eius coronam de lapide precioso: coronam auream expressam signo sanctitatis: immarcessibilem gloriæ coronam, quam ab eo nemo auferre poterit. Hoc in statu cùm sint res diui parentis tui, qui non obijt, multò minus autem interijt, sed fatigatus vitæ huius molestijs, abijt ex hoc regno suo, in regnum aliud multò fœlicius: dissessus hic eius non lachrymis & misericordia, sed benevolentia potius tibi prosequendus est. Hoc te Paulus quoq; monet dicens: De dormientibus non contristemini, sicuti cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod IESVS mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per IESVM, adducet cum eo. Dormiuit pater tuus per IESVM: dormiuit cum IESV: dormiuit in fide & cõfessione nominis IESV. Noli ergo dubitare, quin sicut resurrexit CHristus primitiæ dormientium, ita resurrecturus & ipse sit in nouissimo. Quin tu potius posthabito luctu, ad imitationem eius te compara, quem ex hac vita discedentem tantum sui desiderium reliquisse vides omnibus: vt cùm eum in te viuentem viderimus, diegre possimus illud, quod scriptum est: Mortuus est pater eius. & quasi non est mortuus: Similem enim sibi reliquit post se: In vita sua vidit, & lætatus est in illo: & in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.

Iacob 4. Iob. 20. Psal. 75. Esai. 40. Iacob. 1.

Rom. 7. Sapien 9.

Psal 141.

Philip. 1.

Ioan. 12.

Exod. 12.

Ioan. 12.

Ioan 5.

Daniel. 3.

Psal. 20. Eccle. 45. 1. Par. 5.

1. Thess. 4.

1. Cor. 15.

Eccles. 30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In hanc tu curam & cogitationem, toto, quod aiunt, pectore incumbe: ac omnibus modis contende & elabora, vt ereptum nobis esse patrem tuum, scire magis, quàm sentire queamus. Quod ita demùm futurum est, si cunctis in rebus eum imitandum tibi proposueris: si prudentiam illius, si fortitudinem, si moderationem animi, si grauitatem, si benignitatem, si clementiam, si mansuetudinem, si iusticiam, si in eadem qua ille præditus fuit fide & religione constantiam, ita expresseris, vt patrem in te tuum viuere existimemus. Quam quidem ad rem pluribus ex hoc loco te, pro officio meo pastorali hortarer, nisi te vltrò currentem viderem, vt ineitari à quoquam opus non habeas. Ad te itaq; mihi sermo nunc est Sereniss. Regina, quam in graui luctu & mœrore positam esse video: quod quem indiuiduum vitæ tuæ comitem habere cupiebas, ab eo diuulsa nunc es: vt meritò dicere tu quoq; possis, quod dixit ille: Siccine separat amara mors? Neq; enim virum illa à coniuge, sed animam separauit à corpore tuo. Quid enim ille fuit tibi, nisi quod est anima in corpore tuo? Quam tu, quæ cunctis sæculis fuit memoranda fides, libenter positura fueras, si morte tua salutem illius repræsentare potuisses. Quæ quantæ tibi curæ fuerit, vidimus omnes. Vidimus autem non sine magna quadam virtutis tuæ admiratione. Quid enim à te curæ, diligentiæ, & laboris prætermissum est in tuenda & conseruanda illius valetudine, præ qua tu tuam contemnere prorsus visa es: Quid de te fieret nihil solicita, dum Regi & coniugi tuo dilectissimo rectè esset, qui cùm leui etiam aliqua valetudine affectus esset, totos illi dies assidebas, totas noctes insomnes agebas, & Reginam te esse oblita, ancillari officio fungebare, dum omni ratione vitæ illius prospectum cupiebas: Quam certum est multos in annos, Dei quidem benignitate primum, sed tua postea solius opera productum esse. Quam & nos certè vitæ nostræ temporibus libenter fuleiuissemus, vt de nostris annis viueret, qui fungi non potuit suis. Sed cùm statutum sit hominibus semel mori, neq; mortalium quisquam ab hac lege sit exceptus, si & ipse naturæ huic legi satisfecit, cui vt satisfaceret, omninò fuit necesse, quid est quod te maceras? quid est, quod luctu, mœroreq́ue te conficis? quid est, quod diuinæ voluntati, quasi resistere velle frustrà videris? Quam, refragante quantumlibet homine, fieri tamen oportet. Quin tu potius, quod Deo statuere de tuo charissimo coniuge visum est, fer æquo animo. Cùm præsertim non modò nihil ei mali acciderit, se post multa mala, quæ viuens pertulit, nunc demùm veris & æternis bonis ei frui datum sit. Itaq; quod illius causa doleas, nihil est: est potius, quod vel maximè læteris. Tua autem causa si dolendum tibi putas, vide, ne hoc seipsam potius, quàm benè meritum cõiugem amantis esse videatur: néue nõ tam ad illius amicitiã, quàm ad domesticam vtilitatem luctum hunc tuum referre existimeris. Quanquam nec tua causa, quod doleas, habes. Mortuus est enim maritus tuus, & quasi non est mortuus: Similem enim sibi reliquit post se. Reliquit morum virtutumq; suarum viuum quoddam simulachrum: Reliquit defensorem domus, qui te quoq; tueri contra vim cuiusuis & iniuriam, non minus est voluntate promptus, quàm facultate paratus. Quare cùm nec illi acerbitatis aliquid acciderit, nec tu ex eius hac migratione quicquam incommodi, detrimentiq; acceperis: non tu lachrymis eum tibi prosequendum, sed orationibus potius tuis Deo commendandum putes. Quod verò matri dictum est, hoc quoq; vobis Illustrissimę Principes, dictũ existimetis. Non est mortuus pater vester, sed è sene iuuenis factus est. Ecce pater vester, ecce frater vester, ecce Rex vester. Eadem est erga vos eius voluntas, quæ fuit diui parentis vestri: eadem est & potestas. Non minus vult adiutas rationes vestras, quàm voluit diuus parens, neq; potest minus: Quin potius, quanta est ætas eius aptior, quantè mens vegetior ad ea perficienda, quæ de vestris commodis per diuum patrem vestrum cogitata fuerunt, tantò plus vobis de eius benignitate polliceri potestis: tantò minus habetis, quod vestra causa excessisse ex hac vita patrem vestrum lugeatis. Imponet hic Deo benè iuuante, lætũ & optatum exitũ ijs, quæ p diuũ patrem cepta fuerunt. Quare sepulto luctu Deum illi ,p pitium modo precemini: cuius opa factũ est, vt suauissimã hãc lucẽ primũ aspiceretis. Vos quoq; nunc alloquor Serenissimi & excellentiss. potentissimiq; fratres, orthodoxę fidei ,p pugnatores acerrimi: vos, inquã, alloquor, etsi absentes corpore, præsentes tñ animo: præsentes in viris ornatissimis, quos, vt psonas vestras sustineret, & sancti Regis nostri exequas cohonestarent, huc ,p vestra erga defunctũ pietate, misistis. Sat scio, cũ esset ad vos de morte illius allatũ, quod opinione omniũ maiorem animis dolorẽ accepistis. Nam cũ nullũ in terris ille vobis chariorem habuerit, fieri nõ potest, quin ipse vobis vicissim fuerit charissimus. Sed qd ego hæc, tanquam addubitans loquor? cùm sicut ille suæ in vos, ita vos vicissim vestræ in illum egregiæ voluntatis signa dederitis certiora, quàm vt quenquam de ea dubitare fas sit. Nisi fortè certiora signa vlla esse possunt, quàm quod vterq; frater neptem filiamq; suam filio huic eius superstiti vxorem dedit. At quam virginem? Qua nulla fuisse videtur in orbe terrarum lectior: nulla sanctior, nulla omni virtutum genere cumulatior: Vt de forma taceam, qua sicut puritate vitæ cum ipsis etiam Angelis certare posse videbatur. Quæ cùm ita Deo iubente, ex hac vita incredibili cùm luctu omnium excessisset, atq; ingens sui desiderium primum coniugi suo Regi huic nostro, deinde nobis omnibus & singulis reliquisset, nihil tamen ea re de vestra erga vtrumq; Regem beneuolentia diminutum est. Certum igitur est, quod non mediocrem ex eius hac migratione luctum hauseritis, quem propter ingraueſcentem eius ætatem patris in loco colebatis. Documento sunt Regio sumptu & apparatu iusta per vos Augustæ in magna magnorum Principum celebritate, summo cum honore optimo nostro Regi persoluta. Verũ & vos ponite mœrorem. Euenit enim quod scriptum est: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Amisistis vos quidẽ nõ ętate magis, quã charitate patrẽ. Sed pro patre natus est vobis filius, qui sicut vos patrem eius haud aliter ac vestrum colebatis: ita colet ipse vos vicissim: neq; vllũ obsequen-

1 Reg. 15.

Psal. 44.

quentis filij officium in se requiri patietur: vt expressam in eo patris imaginem cernere queatis. Hoc ipsum vobis persuadete vos quoq; Principes Illustrissimi: quorum vnus pro auunculo fratrem, alius pro proauunculo auunculum nactus est. Nihilo minore futurus est in vos beneuolentia Rex hic noster, quem præsentem oculis intuemini, quàm fuit ille qui nuper in Christo obdormiuit. Nihilo minore studio rationes vtriusq; vestrum, pro virili sua, volet adiutas, quàm volebat diuus pater. Illius itaq; causa cùm nihil sit, quod doleatis, quem ad sedes beatorum translatum esse piè credimus: quandoquidem nec vobis ex eius morte quicquam euenit incommodi, cùm eadem omnia, quæ ab illo ab hoc filio eius sperare possitis, & expectare, causa non est, quamobrem angi animis velitis: quod eum de præsidio, stationeq́ue vitæ huius, summus Imperator ille noster Deus Opt. Max. decedere iusserit. Cæterùm præ alijs te anxio & solicito animo esse video, Princeps Episcoporum & sacerdotum, & huius regni primas. Ad te enim, & ad nos, qui tibi sumus à suffragijs, quin ad vniuersum potius ordinem sacerdotum incredibilis tam sancti Regis morte mœror peruenit: Cùm nõ Regem aut Dñm, sed patrem beneficentissimum amisisse, noster hic ordo videatur. Quis enim hoc vno nostri amantior? Quis fuit vnquã Rex, qui ministros Dei magis obseruaret? Qui cõmoda eorum diligentius procuraret? Qui iura & priuilegia defenderet acrius & propugnaret? Offendebant eum eadem in nobis, quæ multos offendũt. Fatendum enim est, quod res est. Quod in multis offendimus oẽs: Omnes declinauimus & inutiles facti sumus: non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Videbat hæc ille, neq; potuit non offendi vitijs nostris & flagitijs, quibus magna ex parte cooperti esse videmur. Sed non ita totus erat vitijs nostris & flagitijs cõtemplandis deditus, quin videret simul, cuius nos personam, quamlibet indigni gereremus. Oderat itaq; fornicatores, scortatores, adulteros, auaros: sed amabat interea sacerdotes, amabat Dei ministros: neq; propter vitia personarum ordinem odio habendum, aut cõtemnendum esse putabat. Meminerat scriptum esse: Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Dño suo stat, aut cadit. Cùm ventum erit ad diem illum, quo nos omnes manifestari oportet ante tribunal Christi: nõ quęret à quoquam iudex ille seuerus: Quid Pontifex, quid Episcopus, quid sacerdos fecerit: sed referet vnusquisq; propria corporis prout gesit, siue bonum, siue malum: Propria referet, non aliena. Reddet enim vnicuiq; Deus secundum opera sua, non secundum Episcopi, non secundum Plebani, sed secundum sua opera: secundum opera manuum cuiusq; retribuet cuiq;. Pro se quisq; suæ villicationis rationem reddere cogetur. Sic ergo ille cùm affectus erga nos fuerit: cum paterna quadam nos beneuolentia fit prosecutus, iustam habere causam videri possumus, quamobrem his turbulentis temporibus, ereptum eum nobis esse plus alijs doleamus. Sed si quos alios, nos certè minimè decet, ita nostro hoc angi incõmodo, vt quam ille fœlicitatem consecutus est, postea quàm ex hac valle lachrymarum ad æterna gaudia translatus, eam illi parum fauere videamur. Sed & si quis aliqd nos incommodi accepisse dormitione illius existimat, is opinione mea lõgè fallitur. Mortuus est enim pater eius, & quasi non est mortuus: Similem, n. sibi reliquit post se: Reliquit defensorem domus. Quem nos minimè dubitare debemus paterna vestigia persecuturum, neq; alio erga ordinem nostrum, quàm fuit diuus parens animo futurũ. Nos modò emendemus in melius, quod non ignorantes, sed scientes peccauimus, & quoad humana fragilitas nostra permittit, ne in offensionem hominum incurramus, sedulò prouidere conemur. Quamobrem & tu Princeps Episcoporum regni huius, & quotquot hic præsentes adestis, siue qbuscunq; alijs in locis constituti estis. Episcopi & sacerdotes, ponite lachrymas, ponite luctum, ponite mœrorem, & ad preces pro tam benefico patre nostro fundendas, animum adijcite. Quodq; de Gratiano & Valentiniano Imperatoribus dixit olim B. Ambrosius: Beati ambo, si qd meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit, Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla nox non donatos aliqua precũ mearum contextione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo: hoc vos non dicite modo, verùm etiam facite, sicut ille fecit. Hoc illi defuncto gratius est futurum, & vtilius, quàm si fluuios lachrymarum illius desiderio profuderitis. Sancta. n. & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, dicit scriptura. Quę si non est in Canone Iudæorum, si non est in Canone hęreticorum: fuit tñ semper, & est, & erit in Canone Christianorum Catholicorum. Quin & Apostolorum hæc est traditio, vt preces fiant pro defunctis, vt mediatoris pro illis sacrificium offeratur, sicut altero ab hinc anno Dionysij Areopagitæ, Ioannis Chrysost. & Ioannis Damasc. ac Isidori testimonio, me vobis ex hoc ipso loco prædicate memini, vbi simul & illud ostẽdi. Ante mille ducentos annos Aërium quendã fuisse, qui sicut statutos ieiuniorum dies, & ciborum discrimen, ita & preces ,p defunctis damnabat: neq; offerri debere pro illis oblationes affirmabat, atq; eum his ipsis de causis ab Epiphanio Græco, & Augustino Aphro inter hæreticos numeratum esse. Quem vos Aërium, & si qui sunt eius sectatores, qui sopitos pridem ignes nostro hoc quo suscitarunt, ita vt faciatis contemnite: Et cum Dionys. Areopag. & cum Tertulliano, cũ Origine, & Chrysost. cum Ambrosio, August. Hieronymo, Cypriano, Gregorio, & Nazianzeno, & Magno Damasc, Isidoro, Bernardo, Athanasio, cumq; vniuersa Catholica Ecclesia, quæ columna est & firmamentum veritatis sentientes: pro dormitione p j Regis, & patroni vestri, crebras oblationes facite: neq; precari Deũ ,p anima illius intermittite. Etsi. n. certus nõ sum, tam bonum fuisse vitę eius genus, vt hæc non requirat mortuus: tñ de hoc certus esse videor, non fuisse tam malum, vt ei non prosint ista mortuo. Viuens ille meruit, si fortè in abditis illis receptaculis adhuc detinetur, vt hęc sibi mortuo prodesse possent. Ita aũt ,p defuncto Deum deprecemur, vt & superstitis huius memoriam, neq; in oblationibus, neq; in precibus nostris intermittamus. Vult. n. ille & currit, sed nõ est volẽtis neq; currẽtis, sed mise-

Iacob. 3. Psal. 13.

2. Machab. 12.

1. Tim. 3.

Rom. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

miserentis Dei. Eius itaq; misericordiam supplices deprecemur, vt dirigat gressus Regis nostri, vt eum paterna vestigia persequi faciat, ad laudem & gloriam sui nominis, ad Eccle siæ vtilitatem, ad omnium nostrum, qui eius imperio subsumus, & paremus, consolationem. Vos quoq; cæteri proceres & Consiliarij regni huius, qui loca quæ tenetis, defuncti Regis huius beneficio tenetis: quod ille vos propter virtutes vestras & præclara merita dignitatibus his & præfecturis honestandos & augendos putauit: si illius causa doletis, tanquam illi mortuo triste aliquid acciderit, nō modò quod doleatis nihil est, sed est potius quod vehementer lætemini. Quid .n. illi mors fuit, nisi finis malorum, quæ multa & grauia viuens pertulit, & initium vitę melioris, & eius quidem perennis: Vbi nulla corruptelæ contagio, nullus gemitus, nullus dolor: vbi vera est regio viuentium: vbi, quod erat in eo mortale, induit immortalitatem: quod erat corruptibile, induit incorruptionē. Sin autē vestra causa doletis, hic quoq; dolor superuacaneus est. Mortuus est .n. pater eius, & quasi non est mortuus: Similem enim sibi reliquit post se: Reliquit defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Quare cùm inconfesso sit, vos amicos fuisse defuncto Regi & Dño, vel patri potius nostro, neq; enim secus ille nobiscum, quàm pater cum suis liberis viuebat, cùm hoc etiam præmia testentur, quibus vos propter fidem, virtutemq; vestram amplissimis affecit. Si cui vestrum nondum est pro suo merito satisfactum, reddet hic amicis gratiam: reddet gratiam bonis diui sui parentis Consiliarijs, quorum fidelibus consilijs factum intelligit, vt hoc ille regnum tam florens ad se transmitteret. Vos ergo nihil nunc aliud, quàm defuncto Regi requiem, huic verò superstiti gratiam Dei precemini, quo pari, atq; ille, fœlicitate regnum hoc suum gubernet, ac ad suos quoq; posteros æquè florens trāsmittat: Simul quæ diuo patri suppeditastis ad eam rem salubria consilia, cum hoc quoq; communicate. Erit apud illum locus rectis consilijs: Neq; locus erit modò, verùm etiam gratia reddetur fidele consilium impartientibus. Vos quoq; quotquot hic adestis equestris ordinis viri, & quicunq; alij de promiscua multitudine, qui vestrum de morte eius dolorem cum lachrymis vbertim profusis testati estis; tum quod ex quo tempore mortuus est, nullum propè diem intermisistis, quo funus illius non minore frequentia, quàm sancti martyris alicuius reliquias viseritis: quandoquidem sæpè iam ex me audistis, Nihil ei mali euenisse, qui non vitam cum morte, sed mortem cum vita cōmutauit: Nolite flere super illum, lætitia potius quàm lachrymis vobis prosequendum: Sed si flendum esse putatis super vos & super filios vestros, est quidem ita, quod cum alijs multis peccatis nostris diuinam Maiestatem grauiter offendimus: tum hoc non certè leuissimè: quod huic tam sancto Regi, tam benefico patri nostro, non eum plericq; quem virtus eius, quem ista dignitas merebatur, honorē habuimus. Quin facta potius à plerisq; multa sunt, quibus non tam Rex ille noster mansuetissimus, quàm Deus, cuius ille personam gerebat, non mediocriter offenderetur: ita vt iustæ nos & eæ quidem graues peccatorum nostrorum pœnæ maneant. Sed non in æternum irascitur Dñs, qui benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Huius gratia, non nostris meritis factum: quod moriens ille similem sibi reliquit post se: cui satisfacere nobis liceret de eo, quod in patrem peccatum est. Satisfaciendi autem ratio hæc est, si quod de nostro erga patrem studio fuit diminutum, pensetur erga filium: tantò melius de eo merendo, tātoq; fidelius & diligentius eius mandatis parendo. Id cùm fecerimus, sicut certè facere debemus, quem iustum in terris habuimus moderatorem, eo in cœlis vtemur pio intercessore: ac futurum est Dei benignitate, vt & hic vitam tranquillam agamus, & post hanc vitam ad eum perueniamus, qui solus via, veritas est, & vita, Dominum nostrum IESVM CHristum, qui eum Patre, & Spiritu sancto regnat Deus trinus & vnus, per omnia sæcula sæculorum,

AMEN.

1. Cor. 15.

Psal. 84. Ioel. 2.

Ioan. 14.

ALIA

ALIA ORATIO FVNEBRIS

EIVSDEM AVCTORIS

IN EXEQVIIS SIGISMVNDI SECVNDI Regis Polonię in Ecclesia S. Laurentij in Damaso Romæ celebratis.

Per STANISLAVM Rescium ad IIII. Idus Nouemb. Anno M. D. LXXII. recitata.

QVM Israelitici populi calamitates, Dei spiritu plenus Propheta Hieremias enumerasset, inter alias, & hanc recenset. Cecidit corona capitis nostri. Quæ verò posteà sequuntur, ne satis alioqui mœstis in dolore cordibus nostris, maior etiam addatur mœsticia, silentio præterire malo. Quid autem an & nobis hæc eadem Prophetæ verba, non rectè licet vsurpare? quandoquidem peccatis nostris, qbus grauem indignationem Dei prouocauimus, factum est, quod eo Rege sumus orbati: cuius paternam potius in nos indulgentiam per quadraginta duos annos, quibus, partim cum patre, partim solus ad regni gubernacula sedit, quàm Regiam Dominationem, experti semper fuimus. Cecidit, reuera, cecidit corona capitis nostri, non illi, cui nunc ista facimus, sed nobis cecidit corona capitis nostri. Nam quod ad illum attinet, tantum abest, vt cecidisse, magis etiam vt erectum esse, & in ipsum cœlum ascendisse caput nostrum, diuina misericordia freti, persuasum habeamus. Nec enim amisit ille coronam, sed alia longè præstantiori commutauit. Nam in hoc mundo, quænam esse potest alia gloriæ corona, quàm illa, de qua legimus apud Prophetam. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verè fœnum est populus, verè fœnum est & Rex, & quæcumq; tandem alia, quamlibet sublimis potestas. Rex hodie est, ait Sapiens, & cras morietur. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Hanc igitur corruptibilem glorię coronam, quę tāquam flos decidit, cum alia quadam incorruptibili, & immarcesibili, Rex noster, quam fixam in Dei misericordia spem habemus, commutauit: vt, si quis eius personam spectet, multò cum eo fœlicius agatur, in piorum sedes recepto vbi gloria fruitur sempiterna, quàm nobiscum, qui degentes in hac lachrymarum valle, nihil aliud, quàm morimur: non modò diebus, verùm & momentis singulis, vt vita nostra, cum beatorum spirituum vita cōparata, quod etiam ab Ethnico quodam animaduersum legimus, mors potius, quā vita, dicenda sit. Est igitur ille iam in cęlum sublatus, vbi nō moritur amplius, nec ei mors, quod speramus, vltrà dominabitur: vt lætitia nobis potius, quàm lachrymis prosequenda hæc illius à nobis discessio, & in cœlum, quod speramus, ascensio videatur. Vnde modò nō ædita voce his nos verbis alloqtur: Filij mei, quos ego paterna bñuolentia sum prosequutus: nec aliam, quàm liberorum parentes, vestræ salutis curam & solicitudinem habui semp: nolite flere sup me, sed sup vos ipsos flete, & sup peccata vestra, quæ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum: qbus factum est, vt nō mihi, q nunc sempiterna fruor gloria, sed vobis caderet corona capitis vestri. De hoc igitur capite, cuius corona nobis cecidit, sermo pens institutus est. Nolite aūt expectare, vt omnia, quæ dici possunt, singilatim psequamur (dies .n. vnus ad ea cōmemoranda nō sufficeret) quin strictim potius attingemus pleraq;, quàm vt ea, qua par est orationis copia, capitis nostri res gestas, & præclaras virtutes edisseramus. Neq; tñ facere possumus, quin primam illius originem, quàm fieri poterit, breuissimè explicemus. Annus iam agitur ferè 200. quod esse cepit capitis nostri corona, multis rebus fortiter bello gestis clarus. Magnus Lituanię Dux IAGELLIO. Nullis ille qdē fidei Xpianæ misterijs iniciatus, sed cùm in matrimonium sibi dari peteret Heduigim Ludouici Vngariæ, & Poloniæ Regis filiam, q̄ iam erat Poloniæ Regina coronata, secq; Lithuaniam, cum regni Poloniæ cōiuncturum, & fidem Xpianam susceperum promitteret: quin vt idem faceret & Lituania, & Samogitia vniuersa, (qbus ille terris lōge lateq; patentibus dñabatur) curæ sibi futurum. Hac lege, voti sui compos factus est: cùm nihil in ea re quęsitum aliud fuisset, quàm, vt & fides Xpiana propagaretur, & q populi infestis animis atrocissima bella gerebant inter se, hi vnum Xpi corpus effecti, sicut odijs antea, sic amore deinceps, & benevolentia mutua certarent: nec in hac parte vtraq; pars alteri cōcederet, sed tanquam vnius corporis membra, mutua se dilectione prosequerentur in idipsum pro inuicem sollicita. Nec verò nō fœliciter ea res cessit. Nam simul, vt regno inauguratus est, statim in Lituaniam vna cum cōiuge profectus, Archiepiscopo Gnesnensi, multis cum sacerdotibus eum comitante, sacrum ignem, quem barbara gens colebat, extinxit, templum, & aras, in qbus idola colebantur, euertit: & Xpianæ fidei mysterijs imbuendos quamplurimos curauit. Cumq; sacerdotes Poloni linguam Lituanorum non callerent (quæ non minus est à Polona diuersa, quàm ab Itala, Germana) non erubescebat Euangelium, sed ipse, quandoq; sacerdotum interpretem agebat, ac de ijs, quæ pertinebant ad fidem Christianam instructos, lauacro regenerationis à sordibus peccatorum p sacerdotes abluendos curabat. Fuit is, cū alijs multis victorijs, tū ea pīsertim clarus, quā ad Dambrovynū habuit:

vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbi vno prælio quinquaginta hostium cæsa sunt, & profligata. Cùm autem annos duos de quinquaginta regnasset, duos filios superstites reliquit: quorum, qui fuit maior natu VVladislaus (tanta fuit Tagelloniæ virtutis fama) non ad Poloniæ modò, verùm & ad Vngarię regni gubernacula susciptenda vocatus est: vbi, cùm nouem annis regnasset, crebras de sempiternis Christiani nominibus hostibus Turcis victorias reportauit. Quorum ita vires fregit, vt eos pacem, vel inducias potius à se petere cogeret. Quibus concessis, cùm hortaretur Eugenius IIII. Pontifex, misso ad eum Iulio Cæsarino Cardinali Legato, vt bellum contra Turcos renouaret, (tanta fuit illius erga S. Sedem hanc obseruantia, tanta in mandatis illius exhauriendis obedientia,) vt quauis cunctatione semota, manus cum Turcis consereret, neq; pro CHristo mortem etiam oppetere dubitaret. Fortiter enim dimicans in prælio vna cum Legato Apostolico, cùm ab illius partibus initio victoria stetisset, tandem victus occubuit, regniq; Poloniæ Cazimirum fratrem successorem reliquit, huius nuper defuncti Regis auum. Qui cùm ex inclyta Austriæ familia Romanorum Regis Alberti filiam Elizabetam, admirabili quadam religione præditam, sibi matrimonio coniunxisset, quæ complurimis donarijs Craccouiense templum auxit & ornauit, & vt singulis diebus Missa de sancta cruce, quin & horæ de eadem in sacello quodam Ecclesiæ Cathedralis, quod ipsa fabricauerat atq; dotauerat, cantarentur, instituit: ex ea sex filios, filias autem septem suscepit. Quorum natu maximus VVladislaus, viuo adhuc patre, Bohemiæ primum, mox & Vngariæ Rex fuit designatus. Ex quo, facilè cuiq; conijcere licet, quæ fuerit apud exteras etiam gentes de Iagelloniæ familiæ virtutibus opinio. Qui fuit illi proximus Ioannes Albertus, in Poloniæ regno Patri, postquàm is quadraginta quinq; annos regnauerat, successit. Quo vita functo, cùm annos octo, & amplius regnasset, Alexander in Poloniæ Regem est electus, ad cuius gubernacula, cùm quinq; tantum annos sedisset, Sigismundo patri eius, cui nunc iusta facimus, summa cum omnium voluntate regnum est delatum. Fecit autem pietas Elizabetæ Reginæ, vt, quæ vix vili matri fœlicitas aliquando contigit, cùm esset ipsa Regis Romanorum Alberti filia, Regis Vngariæ Ladislai soror, Regis Poloniæ Cazimiri coniunx, quatuor filios Reges coronatos videret, & quidem trium regnorum, Vngariæ, Bohemiæ, Poloniæ: vt rectè de ea dici potuerit, matrem filiorum lætantem. Nam præter quatuor hos Reges, duos etiam alios habuit, insignes pietate viros, vnum Fredericum Cardinalem tituli S. Luciæ, ad VII. solia: alium Cazimirum, cuius admirabilis quædam fuit vitæ sanctimonia, qui multis etiam claret miraculis. Hic multa mihi dicenda forent de auo defuncti Regis Cazimiro, viro maxima pietate prædito, multis etiam victorijs claro, deq; tribus eius patruis. Quoniam autem in longum extraheretur oratio, supersedere malo hoc tempore: de patre tantum pauca quædam dixisse contentus ero. Tanta fuit enim eius prudentia, tanta æquitas & iustitia, tanta moderatio, tanta in bellis gerendis fœlicitas: cùm quadraginta prælijs victor euasisse dicatur: vt eiusdem sæculi Principes pauci, qui cum eo conferri, vix quisquam anteferri potuerit. Iam de religione, quid dicam? qua superasse cæteros omnes videtur? In sacerdotum enim, & Episcoporum ordinem, summa quadam suæ voluntatis inclinatione propendebat: nec vllum diem intermittebat, quoad per corporis vires ei licuit, quominus in templum, quamuis longius aliquantò à sua domo disitum veniret, ac summa cum animi sui submissione rei diuinæ interesset. In illa verò, quam sanctam vocamus hebdomadam, totos ferè dies in templo versabatur: nec alijs rebus vllis, præterquàm Deo piè colendo, vacabat, & cùm in medio noctis ad matutinas preces venisset, paulò ante meridiem domum reuerteretur, plus minus decem horas in templo commoratus. Quin & ab eo die, quo CHristi sepulti memoria celebratur, ad ipsum vsq; resurrectionis diem, ab omni cibo prorsus abstinebat: nec indicta ab Ecclesia ieiunia seruare contentus, sabbatis etiam singulis, siccis tantum cibis, quam Græci, ξιροφαγίαν vocant, vtebatur: quin & aquæ solius potu, vsq; ad quadragesimum ætatis annum, aui, patrisq; sui exemplo, sitim extinguebat: quos & ipsos, nec vinum, nec syceram toto vitæ suæ tempore bibisse, memoria proditum legimus. Si vellem omnes illius Regis eximias virtutes commemorare, vnùs ad eam rem dies non sufficeret. Hoc itaq; tali patre, qui virtutis numeros omnes expleuisse videtur, prognatus est is, ad cuius exequias cohonestandas huc hodie conueniistis, cuius capitis coronam cecidisse dolemus. Fuit enim hic octauus & vltimus, cum primis Illustris Iagellonum familiæ Rex, vt iam ab hac domo translata esse corona videatur. Matrem habuit bonam, filiam Ioannis Galeatij Sfortiæ Mediolanensis Ducis, ex Isabella coniuge, cuius maternus auus Alfonsus, eius nominis secundus Neapolitanorum Rex, è stirpis Aragoniæ, & Siculorum Regum erat: ex qua Carolus quoq; V. & Ferdinandus Imperatores, omnium sæculorum memoria dignissimi, maternum genus duxerunt. In hoc, iam Iagellonię familiæ corona cecidit, & prorsus defecit: cùm ex ea non supersit quisquam, præter quatuor Regis defuncti sorores. Maiorum autem suorum virtutem Sigismundus hic noster Augustus, si minus superare, saltem exæquare pro virili sua conatus est: cùm eum Deus multis eximijs dotibus cumulauerit. Fuit enim excellenti quodam ingenio, nec vulgari facundia, prudentia verò singulari, vt quoties ad eũ ab externis Principibus missi venirent Oratores, & cum eo semotis arbitris sermonem conferrent, illius in dandis responsis prudentiam admirari satis non possent. Huc accedebat insignis quædam comitas & affabilitas, in rebus tractãdis dexteritas, morum etiam suauitas singularis. Ab omni fastu prorsus fuit alienus, vt etiam habitu non ferè quicquam à priuatis differret. Senatoribus regni sui, præsertim Episcopis, qui primum in Regio consilio locum obtinent, magnum semper honorem habuit, quos etiam tanquam patres reuerebatur. Nam hoc eos nomine dignabatur. Neq; de rebus grauioribus, nisi communicato prius cum illis consilio, quicquam temerè

merè statuebat. Ex quo factum est, vt cùm in alijs plerisq; Christianorum Prouincijs, magnæ nonnunq; tempestates & procellæ fuerint excitatæ, sola ferè Polonia per quadraginta duos annos, quibus ille regnauit, nullis eiusmodi fluctibus quassaretur. Finitimorum Regum & Principum studia sibi modis omnibus adiungere conabatur. Et quoniam pater ipsius ex ea familia, qua nulla est in orbe terrarum illustrior, nimirum ex Austriaca, maternum genus duxerat, ex eadem vt ipse quoq; contracta cum illa affinitate, paruulum aliquẽ Iagellonem procreare posset, desiderabat. Sed peccatis nostris factum est, vt quamuis aui sui Casimiri exemplo Cæsaris filiam, Cæsaris etiam Sororem vxorem duxisset, hanc ei tamen felicitatem Deus non concesserit, vt de illa quoq; dici posset, matrem vel vnius tantũ filij lætantem. Omnia fecit nihilominus, vt omnibus officijs inclitæ domus huius amicitiam retineret, quæ tanta fuit illi cum Sereniss. & Excell. Cæsaribus Ferdinando, & Maximiliano, vt cum inter nepotem eius, & vtrunq; Cæsarem ingens de Regno Vngariæ bellũ fuisset excitatum, non alio magis arbitro in componendis cõtrouersijs vti vellent, q̃ hoc ipso Serenissimo Sigismundo Augusto, de quo nobis sermo est: cuius etiam opera ante sesquiannum factum est, vt omnes controuersiæ tollerentur: & quem Cæsar cupiebat exitũ, ea causa consequeretur. Quin & affinitas inter Cęsarem & Nepotem contracta fuerat, nisi prius ex hac vita sublatus nepos fuisset. De bellicis autem laudibus quæ dum audiuntur, clamore militum, & sono tubarum obstrepi videntur: in hoc sacro loco multa dicendi locus non est. Omnes ille suas curas & cogitationes in hac vna re defixas habebat, vt Regni quietem, pacem, ac tranquillitatem conseruare posset, nec ab vlla re magis, q̃ à fundendo sanguine abhorrebat, vsq; eo etiam, vt si quando contra criminis capitalis reum aliquem sententia mortis esset ferenda, perq̃ inuitus id faceret, & ingẽtem animi sui dolorem præseferret. Sed si quis tamen eum bello pronocasset, nullum in se fortis, & magnanimi Ducis munus requiri passus est. Itaq; leuioribus aliquot prælijs, & Moschos, & Tartaros, & Valachos, impressionem in suas terras facientes, profligauit, paruaq; manu magnas hostium copias non rarò fudit. Vlam etiam, non ignobile castrum, in Moschorum ditione cepit. Liuoniam suis titulis adiunxit, in qua, pleraq; sunt ciuitates, castra, & oppida minutissima, portus etiam aliquot celebres. Totus aũt in hoc fuit semper, vt, quod à patre florens Regnum acceperat, id florentius etiam ad suos posteros transmitteret, quod etiam Dei beneficio fuit consequutus. Nam & priuatorũ opes, illo gubernãte, auctæ sunt, nunq̃ vt Polonia, q̃ illo Regni clauum tenẽte, (quòd illi perpetuum Deus esse velit) magis abundauerit, nec in ea splendor vnq̃, & polities maior visa sit, quin & ærarium non paulò, q̃ acceperat, locupletius reliquit, quamuis liberalitate, & munificentia non in suos modò, verum & in exteros multò magis, vix cuiquam Regum fuerit secundus. Sed nec eorum quicq̃ prætermitteret, quæ ad splendorem dignitatemq; suam Regiam, vel ad Regni defensionem pertinere iudicasset. Nam & arces nonnullas, & ædes magnificas, magno sumptu construendas, & ciuitate Vilnensi templum egregio quodam opere fabricãdum curauit. Qui doctrina cæteris præstarent, in eos cumprimis fuit munificus & liberalis, & honores Ecclesiasticos ad eos deferebat, præcipuè verò, qui literis humanioribus expoliti fuissent. Ex quo factum est, vt hæc studia maximè florerent in Polonia. Neq; tẽpus fuit vllum, ex quo Christo nomẽ dedit Polonia, quo fuerint in ea Episcopi, non solum in prophanis, verũ & in sacris literis magis eruditi. Longum esset omnia commemorare, nec huius temporis, quæ clementer, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter ab eo facta sunt. Quod autem ad pietatem & religionem attinet: in hac quoq; parte maiorum suorum dissimilis esse noluit. Nam præter vsitatas preces, quibus Deum sibi propitium quotidiè reddere conabatur, nullum diem intermisit, quo sacris operantem sacerdotem non audiret. Si quis verò dies festus aduenisset, non satis esse iudicabat, si Missam audisset, nisi Concionem etiam adiunxisset, quæ singulis festis diebus omnibus templis etiam villarum, apud nos haberi consueuit. Seruatur autẽ & hic mos, quòd per 20. vel amplius dies ante Natalem Christi, tempus hoc Aduentum vocant, Missa quædam ante lucem de Beata virgine quotidiè cantatur, in qua patrum, qui Christum præcesserunt ardens desiderium, quo venturum eum in carne redemptorem suum expectabant, repræsentatur, & illa Prophetę verba recitantur. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum. Hanc verò Missam ille magna cum solẽnitate per eos, quos alebat Cantores quotidiè celebrandam curauit, nec audire satis habuit cantantes, nisi suas & ipse voces illorum vocibus adiungeret. Alebat autem eos non mediocri sumptu, nec paucis ante mortem annis, non aliam ad rem, q̃ ad res diuinas illis vtebatur. In ea verò, quam Sanctam vocant Hebdomadam, quanta cum religione ad omnes Ecclesiæ cæremonias accedebat, complures etiam horas in templo commoratus vt subiectis sibi populis exemplo præiret. S. Sedis Apostolicæ maiorum suorum exemplo, si quis q̃ alius, fuit obseruantissimus. Qui mittebantur ab ea Legati & Nuncij, nullum erat honoris & officij genus, quo non eos prosequeretur. Fuit ab eo semel & iterum in maioribus Regni Comitijs magna contentione postulatum, vt cum fide Christiana cõiungi pateretur perfidiam Augustanam, hoc est, vt Christum & Belial simul in Regno suo permitteret adorari, verùm impetrari nunq̃ potuit. Negabat esse sui muneris, quicq̃ de religione statuere. Habere eos Pontificem, habere Episcopos, quorum in ijs, quæ pertinerent ad religionem iudicio, ipse quoq; se libenter submitteret, & eorum Iurisdictionem agnoseceret. Scire se, quæ sua sit vocatio. Plusquam satis esse sibi negotij cum causis politicis, vt Ecclesiasticis etiam se immisceret, nunq̃ se facturum. Hãc etiam vocem illius audiuimus, cùm quiddam ab eo peteretur, quòd salua religione facere se non posse putaret: Regno se prius & fortunis omnibus cessurum, q̃ vt eorum petitionibus locum daret: Quid prodest, aiebat, homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mutationem pro anima sua? O vocem verè Christiano Rege dignam, quæ, quin ipsis etiã Angelorum choris ingens gaudium & lætitiam attulerit, quis est, qui dubitare queat? O vocem, quam in ore semper, ac magis etiam in pectore quotquot sunt in orbe Christiano Reges, & omnes Principes habere deberent. Cæterum, si quid in eo desiderari fortè potuit, humanæ potius id erat infirmitatis, quàm quod non omnia libenter facturus fuisset: vt quem à suis maioribus acceperat, eundem ad Posteros quoq; suos religionis statũ transmitteret. Voluntate se magis ad eam rem promptum ostendebat, q̃ effet facultate paratus. Quid in reliquo fiat orbe Christiano, qui sit in eo rerum status, in his præsertim, quæ ad religionem pertinent, vnà mecum sciunt plerique vestrum, & ingemiscunt. Quin multò fuerit, & sit in illius Regno tollerabilior, negari non potest. Quod autem ad ipsius Regis personam attinet, hoc sibi certò de eo persuadere quisq; potest, quod ab omni sectarum genere, in quas tam varias orbem Christianum dissectum esse videre licet, vehementer abhorruit: nec vllis rationibus adduci vnquam potuit, vt, aut hæreticorum aliquem concionantem audiret, aut eorum sacrilegijs potius, quàm sacris interesse dignaretur. Declarat autem exitus illius ex hac vita, q̃ fuerit Catholicæ religionis tenax. Nam simul vt horã illam non procul abesse cognouit, in qua coram Christi tribunali sistendus, in æternam illam domũ erat migraturus, nullũ Xpiani Catholiciq; Regis officiũ in se requiri passus est. Pridiè eius diei, quo migrandum illi fuit, accersito sacerdote, peccatis suis omnibus magna cum testificatione non mediocris doloris, quem ex illis admissis conceperat, coram eo enumeratis, iuxta ritum Ecclesiæ Catholicæ, vt sibi absolutionem impertiret, petiuit, nec ita multò pòst præsentibus non paucis Regni sui senatoribus, & aulæ suæ ministris, sacrosanctum Christi corpus, cum admirabili quadam animi submissione de manibus Craccouiensis Episcopi, qui idẽ Regni Procancell. est, suscepit. Nocte aũt insequenti, à sacerdote, qui fuit illi à sacris concionibus, oleo sacro perunctus est. Postero die, qui fuit Nonis Iulij, quam Lyturgiam Græci, nostri Missam vocant, cum se totum Deo deuouisset, admodũ religiosè audiuit, qua peracta, non ita multò pòst, fiduciam suam omnem in solius Dei misericordia defixam habens, in manus illius spiritum suum commendauit, atq; ita ex hac vita placidè, constanterq; decessit. Talem habuit vitæ suæ exitum Rex noster Sigismundus Augustus. Ex quo spem optimam concipimus, quòd, qui benignus, clemens, & misericors est Deus, quibus non potuit non offendere, quandoque peccatorum omnium illi veniam largitus, & eum cœlestis gloriæ corona dignatus est, vt eum illo quidem actum esse præclarè videatur. Sed interea nobis, non illi cecidit corona capitis nostri. Non Sigismundi tantum Augusti, verum & vniuersæ Iagelloniæ familiæ corona, quæ nobis per annos 184. clementer, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter, imperauit. Quid igitur faciendũ nobis restat? non tam Rege & Domino, (Nullum enim in eo fastum, nullam dominationẽ Regiam animaduertere licuit) quam patre, vel, si quid esse potest indulgentius orbatis? Quid aliud, q̃ vt ad communem Regem & patrem omnium, oculos nostros, & corda nostra conuertamus, iustoq; dolore de peccatis, quibus grauem illius indignationem prouocauimus, concepto, vitaq; deinceps in melius commutata, supplices misericordiam illius imploremus, primùm, vt animæ defuncti Regis nostri propitius esse velit, deinde nobis de tali successore prouideat, qui possit ingens desiderium & mœrorem, quem ille mortẽ nobis reliquit, mitigare. Quamobrem ex quo Propheræ loco sermonis initium sumpsimus, ex eodem finem quoq; petamus. Quãdoquidem in hoc mundo fluxa sunt & caduca omnia, nihil in eo stabile, nihil solidũ, nihil fixũ atq; diuturnũ videre licet: cũ instar trochi cuiusdam versari, & volui videantur omnia: tanquam vmbra, sicut vapor ad modicum apparens, & deinceps exterminabitur, quemadmodum fumus deficiunt dies nostri. Tu autem Domine in æternum permanebis: solium tuum in generationem & generationem, quare in æternum obliuisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Innoua dies nostros, sicut à principio. Visum est Domine dies nostros innouare, innoua sicut à principio. Visum est tibi ad aliam familiã Regni Poloniæ coronam transferre? equidem non recusamus, quin fiat voluntas tua. Verùm hoc à te supplices precamur, vt sic innoues, sicut à principio. Dare nobis nouum Regem vis? Talem da, quales fuerunt Iagellones, præcipuè duo Sigismundi, pater, & filius. Qui nobis æquè vt illi, clementer, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter imperet, quo, Regni clauum tenente, sit religionis idem status, qui fuit Sigismundo patre: sit eadem pax, quies atque tranquillitas, quæ fuit sub vtroque, & sic ab eo gubernemur, vt & in hac vita temporalibus, & cùm ad meliorem translati fuerimus, sempiternis bonis affluamus, tuumq; nomen perpetuò laudemus, & glorificemus in secula seculorum.

AMEN.

EIVS-

EIVSDEM.

STANISLAI HOSII CARDINALIS TESTAMENTVM.

IN nomine sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij, & Spiritus sancti, Ego Stanislaus miseratione Diuina Tituli S. Theodori S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter, Cardinalis Hosius Episcopus VVarmiẽs. ad Regni Comitia Lublinensia profecturus, Christi præcipuè in illis causam acturus, vt ne qua fiat nouatio, vel in Ecclesiasticis, vel in Politicis rebus, ad has præsertim Prussiæ terras pertinentibus, & quæ facta iam est, vt inducatur & antiquetur: cum vt iura, Priuilegia libertates, consuetudines, harum terrarũ tarta tecta conseruentur, & si quid in illis labefactatum est, id aut in pristinum statum quoad eius fieri poterit restituatur, aut saltem ne deinceps idem eueniat caueatur, omni cura, diligentia, labore prouisurus, in hac affecta & ætate, & valetudine mea, non potui, quæ solent hominibus humanitus accidere, non eorum subinde recordari. Cum præsertim crebro auribus meis insonet præclara sapientis illa vox, Nescit homo finem suum: sed sicut pisces hamo capiuntur, & aues laqueo comprehenduntur, sic rapiuntur homines: nec vnquam illorum verborum obliuisci possim, quibus nos ipsa monet ipsa sapientia, parati semper vt simus, & vigilemus, quia nescitis, inquit, diem neque horam. Quare quoad & mentis, & corporis viribus non esse videor destitutus, vt meæ domui disponerem, & ea quæ sunt nouissima prouiderem, faciendum esse duxi. Quocirca facultate mihi per Pium Quintum Pontificem concessa, meam vltimam voluntatem continens, hoc testamentum condo, facio, & ordino, in hunc qui sequitur modum: In primis profiteor & præmefero testatum etiam omnibus esse cupio, quocunq; tempore Deus, de statione vitæ huius me decedere iusserit, quod non nisi in Christi nominis & Catholicæ fidei confessione decedere cogito: eius inquam fidei, quæ non quinquaginta his annis nata: sed ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus, in hodiernum vique diem succedentibus sibi Episcopis secundum seriem successionis & populorum consensione firmatam, nobis est per manus tradita: eius fidei quam puer didici, quam à beata matre, deinde & à nutrice mea, cum ipso quodammodo lacte suxi: quam postea iustis auctam incrementis professus orbi testatum feci: quam ex omnibus mundi partibus in vnum congregati patres, frequenti numero nec pietate minus, quam doctrina præstantes in sacro Concilio Tridentino, cui quamuis indignus Pij Quarti Pontificis nomine cum alijs Legatis S.R.E. Cardinalibus præsedi, vnanimi consensu receperunt, & approbauerunt: denique per longam Pontificum Romanorum successionem sibi per manus traditum, sequitur Pius quoque Quintus Pontifex, qui nunc in eius Cathedra sedens eandem cum illo fidei doctrinã profitetur. Quam etiam ob causam, quod aliquando quendam è sanctis patribus dixisse recordor, cum ad Romanum Pontificem Damasum verba faceret: Non noui Vitalem, Meletium respuo. Paulinum ignoro: quicunque tecum non colligit spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est, hoc ego totidem verbis mutatis hæreticorum nominibus ad successorem Damasi, qui nunc præsidet Ecclesiæ Catholicæ dico: Non noui Lutherum, Caluinum respuo, Seruetum ignoro. Quicunq; tecum Pie Pontifex non colligit, spargit: qui Christi non est, Antichristi est, qui Papista non est Sathanista est? Nullum itaq; primum nisi Christum sequens tuæ beatitudini, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super hanc Petram Ecclesiam ædificatam esse scio. Cui si quis iungitur meus est, huic igitur adhærere, nec vnq; ab ea quoad spũs hos reget artus auelli me velle clara voce pronuncio. Ac secundum illud quo Christiani censemur omnes, nullum vel gloriosius, vel salutare magis nomen mihi tribui posse persuasum habeo, quàm si Papista vocer. Si quid autem à me vel dictum, vel scriptum est aliquando, quod cum huius Cathedræ doctrina nõ consentiat, quod certe sciens & prudens feci nunquam, id pro non dicto & pro non scripto haberi volo. Quin si deinceps etiam grauiore morbo correptus dicerem tale quid, id errori mentis potius adscribi velim, quam quod ex animi mei sententia profectum esse iudicetur. Hæc enim est vltima mea voluntas, quam Dei fretus auxilio mutabo nunq̃, quod ficus per omne vitæ meæ tempus ab Ecclesia Catholica me non disiunxi, sic nec moriens ab ea, vel eius doctrina disiungi cupio: ac non in ea modo, verum & pro ea, si res ita postulauerit mori me paratum offero. Non meis vllis viribus confisus, quas infirmas esse scio, verum DEI misericordia fretus, quod qui dedit prõptam hanc voluntatem, si conferenda fuerit ad rem aliquando, dabit etiam facultatem. Hac solenni facta protestatione, quod & viuere, & mori cogito in Ecclesiæ gremio, in qua sola spiritum veritatis, extra eam vero spiritum vertiginis, erroris, mendacij, in qua sola remissionem peccatorum, extra eam vero spem salutis nullam esse mihi certum est, & indubitatum: quandoquidem in illius fide permansi semper, nec ab ea me disiunxi, vel etiam deinceps sum disiuncturus vnquam, tanto maiore cum fiducia accedo ad gratiæ tuæ thronum, qui pater es misericordiarum, & Deus totius consolationis, vt misericordiam consequar, & gratiam in tuis oculis inueniam. Quocunq; tempore depositum tuum repetere à me tibi visum fuerit, in manus tuas commendo spũm meum, quem si tu contempleris, qualis ipse est ex se, fateor quod non est dignus qui sub oculos tuæ Maiest. veniat, cum sit omni sorde plenus. Cæterum si filij tui sanguinem, quo lotus & emundatus est, si cruciatus inspexeris, quos longè tulit acerbissimos pro peccatis nostris, vt nos tibi redderet acceptabiles, digni cer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tè sunt illi propter quos tanto pretio redemptum facias eum participem gloriæ tuæ sempiternæ. Noli Pater clementissime, noli respicere in faciem meam, quin auerte potius à peccatis meis faciem tuam: & ô protector noster aspice Deus, respice Deus in faciem Christi tui: respice in faciem dilecti filij tui, pro peccatis meis in cruce pendentis & morientis: & in eorum remissionem de saucio latere copiosum sanguinem profundentis. Confiteor tibi Pater, quod grauia sunt peccata mea, quibus iram tuam promerui. Sed vtinam appendas ea Domine in statera, & quam pro me calamitatem pertulit innocens filius tuus: certè multò grauior apparebit hæc & magis digna, propter quam effundas in me misericordiam tuam, quam illa sint, vt propter ea contineas in ira tua miserationes tuas. Indignus ego sum, quem oculis Maiestatis tuæ aspicias, verum interea dignissimus est ille, propter cuius passionis & mortis meritum non modo respicias me, verum & corones. Quamobrem venio ad te pater clementissime, venio ad te nullis meis, sed multis filij tui Domini & redemptoris mei Iesu Christi meritis onustus: qui cum pretiosa morte sua non modo pro meis, verumetiam pro totius mundi peccatis abunde tibi satisfecerit, huius mortis meritum, in quo solo meam spem & fiduciam omnem habeo defixam, adfero ad te: hæc est iustitia mea, satisfactio mea, redemptio & propitiatio mea, meritum meum est mors Domini mei. Non sum inops meriti, quamdiu miserationum Dominus non defuerit. Etsi multæ sunt misericordiæ Domini mei, multus & ego sum in meritis meis. Quanto potentior ille ad saluandum tantum sum ego securior. Vides igitur clementissime pater, quibus meritis onustus ad te veniam, ijs nimirum quibus negare nihil potes. Quamobrem quocunque tempore repetere tibi visum fuerit, accipe pater cœlestis, accipe spũm meum non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso filij tui sanguine redemptum. In hoc pretium respice, propter hoc pretium esse me dignum pronuncia, quem inter oues tuas à dextris colloces, & vna cum alijs electis tui exoptatam illam vocem exaudire facias: Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Quod vt consequi possim B. Mariæ Virginis & sanctorum, qui vel in cœlo cum Christo iam triũphant, vel in hac lachrymarum valle nobiscum adhuc militant precibus adiuuari peto. Spiritu meo, patri meo cœlesti commendato, quod circumfero, corpus mortis huius vnde prodijt mandari terræ volo, si cum in mea Diœcesi fuero, me contigerit æternam illam in domum ex huius vitæ diuersorio migrare Braũspergæ sepeliatur, in templo Societatis Iesu: sin autem extra Diœcesim in eo, quod proximum templum fuerit, modo sit Catholicum absque pompa sed non absque iustis tamen Ecclesiæ ceremonijs terræ mandetur. Vestiantur pauperes, detur eleemosyna & simul & sacerdotibus, qui prosequuti funus fuerunt. Quoniam verò, quod habui patrimonium eo pridem D. Ioanni Hosio fratri meo natu grandiori cessi, quam cessionem etiam nunc ratam habeo, nullum vt mihi supersit iam quàm Christi patrimonium. Quicquid ex illo penes me est, quod valde exiguum est, non alios eius hæredes instituendos duxi, quam N. & N. Hos etiam vt in precibus & sacrificijs suis, mei memores esse velint rogo, quo possim in extremo die meo propitium habere Deum supplices misericordiam eius implorent.

Hæc scripsi manu mea in Ecclesiæ meæ Castro Heilspergensi
Dominica Septuagesima. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Nono.

EPI-

EPISTOLA STANISLAI RESCII, DE TRANSITV ET DORMITIONE ILLVSTRISSIMI & Reuerendissimi D. STANISLAI HOSII S. R. E. Cardinalis, Maioris Pœnitentiarij, & Episcopi Varmiensis, ad Ioannem Hosium de Bezdanij fratrem eius.

FAcere non potui, ac ne debui quidem, vir integerrime, quin ad te literis meis perscriberem de transitu, & dormitione viri in comparabilis & Deo amabilissimi Stanislai Hosij Cardinalis, Maioris Pœnitentiarij & Episcopi Varmiensis domini & benefactoris mei obseruandissimi: fratris tui charissimi, tum vt dolorem hunc meũ, qui me acerbissimè cruciat, præclarissimarum rerum commemoratione leniam: tum vt te animumq; tuũ iam, vt puto, demissum & oppressum, ad calamitatem hanc fortiter & moderatè ferendã, isto officij genere excitem atq; extollam: maximè verò omnium, vt Scripturæ dicenti obediam, Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare & cõfiteri honorificum. Spero in Dei misericordia, quod hanc animi mei contentionem adiuuabit is, qui talem eum facere dignatus est, de quo scribimus.

Qualis vita mortem hanc præcesserit, non ignoras. Verè de hoc planè diuino viro dici potuit, quòd in omni vita sua non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Ab vtero enim matris suæ egressa est secum pietas, & à diebus infantiæ suæ creuit miseratio, quam per omnem vitæ suæ cursum, summo semper studio animiq; contentione conseruauit, nec vnquam in via vanitatis ambulauit, nec curam suam in studijs inanitatis vnquam posuit, nec se vel virum vel iuuenem esse, nisi in perferendis exantlandisq; pro adeunda totius pietatis possessione, laboribus expertus est: quod suo loco & tempore in oculis & in auribus omnium gentium ac nationum longè clarius & manifestius innotescet. Mihi in hoc tempore nihil aliud constitutum atq; deliberatum est, quam vt ad te simul cum fama obitus eius, quæ protinus orbem vniuersum proculdubiò peruolabit, eius quoq; rei significatio perueniat, quàm fuerit omnibus anteactæ vitæ studijs consentiens & consentaneus hic eius ex hac mortali vita excessus, & quem præterea ordinem in anima sua Christo, à quo eam acceperat, repræsentanda conseruare voluerit: quamq; verum sit illud, quod olim Sanctus quidam pater dixit, Non potest malè mori, quisquis benè vixerit.

Iam aliquot menses interciderant, ex quo languidiusculè cœperat habere, & alui fluxu paulò vehementiori laborare, nunquam tamen adduci potuit, vt plusculum aliquid & otio & quietibus cæteris, vitæq; commoditatibus indulgeret, sed in suscepta propositaq; sententia constantissimè perseuerauit: nec de studijs, nec de lectione, vel scriptione, cæterisq; pietatis exercitijs quidquam remisit, sed omnem animi sui contentionem, sicut ij solent, qui ad metam instituti cursus accelerant, magis atq; magis ad omnem pietatis meditationẽ incitauit. Cùm aũt in omni vita sua dies ieiuniorũ ab Ecclesia institutos religiosissimè castissimèq; seruasset, ne in hac quidẽ ætate sua decrepita sentẽtiæ suæ constantiam voluit immutare. Quãobrẽ & superiorẽ Quadragesimã summa cũ animi alacritate, in summa abstinentia, & in vsu quadragesimaliũ ciborũ trãsegit: nec potuit vllis aut medicorũ aut quorumcunq; tandem precibus & cohortationibus, vt quos illi vocant, cibis vteretur salubrioribus, expugnari. Imò verò solitus erat dicere, propterea se ieiuniorum dies ab Ecclesia institutos diligentissimè obseruare consueuisse, quod vellet esse longæuus super terram. Scriptum esse memorabat: Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Pater, inquit, meus est Deus in cœlis: mater mea est Ecclesia in terris. Ille præcipit, vt ieiunem: ista præcipit, vt his, vel illis diebus, & isto, vel illo tempore ieiunem. Vtrumq; libentissimè audio, certamq; spem concipio futurum, vt obedientiæ meæ fructum hunc referam, vt sim lõgæuus, sicut mihi Scriptura promittit, super terrã. Ab illo itaq; tempore, nescio tamen an ex eadẽ causa cœperunt vires stomachi, ætate laboribusq; fatigati, paulò etiam vehementius relaxari: ita vt longè quàm antè minus vel cibum appeteret, vel acceptum concoquere, aut retinere diutius posset. Paulò post autem diarrhæa quoq; morbo correptus est, qui nunquam posteà constitit: cuius ille tamen molestiam semper tulit moderatissimè, nisi quòd plerunq; à studijs rerum diuinarum, & à plerisque officijs eius interuentu retardabatur, ita vt nesciret sicut ille dixit, quando esset cum galea domo sua prodeũdũ. Sic igitur cùm esset valetudine valdè dubia & incerta, magis atq; magis p aliquot mẽses ventris illa fluxione exhauriebatur. Ac monebatur quidẽ à nobis, vt antequam cœlum Romanum ignibus vehementioribus, quibus solebat vim penè totam satis languiduli corporis exhaurire, inflammaretur, ab vrbe rusticatum secederet, valetudini operam daret: sicq; Christ. Reipub. quæ adhuc ope tam fœcundi pectoris indigebat, conseruaret. Sed is à perpetuo suo instituto reuocari non potuit, vt ante festum Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum venerandi cineres in vrbe requiescunt, quos ille in summo semper cultu venerationeq; habuit, Roma pedem efferret: maluitq; subire valetudinis suæ periculum, quàm honori tantorum Apostolorum in hoc ipso loco deesse, in quo profuso pro Christi fide sanguine Deo suo spiritum reddiderunt, quem illis ad iij. Cal. Iulij Vrbs Roma simul cum orbe reliquo vniuerso solet summa cum ceremonia celebritateq; deferre. Sic igitur ad v. Idus Iulij, quæ fuit feria sexta, dies commemorandæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

passioni Dominicæ destinata, ipse quoq; ad subeundam passionem suam, Capranicam versus ex vrbe discessit: vbi cum per octo integros dies commodissimè valuisset, an quod in aërem paulò frigidiusculum ex calidissimo ardentiq; cœlo Romano venisset, an ex alia quapiam causa incertum: magis tamen atq; magis ventris profluuio cœpit laborare, ita vt aliquot quindecim & sedecim vicibus vno die egereret. Quæ res illi & cibi appetentiam ademit, & cursum somni impediuit, & omnes in vniuersum vires corporis vehementer exhausit & extenuauit: sed inuictum illud animi robur, & inflammatum erga res diuinas studium, nulla calamitas, nulla corporis incommoda frangere debilitareq; potuerunt. Nam eũ illi per omne vitæ suæ tẽpus fuisset hoc in more positũ, vt in ecclesijs ad honorẽ Dei & Sanctorum eius consecratis, Missæ sacrificium vel offerret, vel offerentem Sacerdotem aspiceret, à veteri suo instituto animiq; inductione, ne in illa quidem tanta corporis debilitate & languore sibi putauit esse recedendum. Quamobrem etsi vix pedibus posset consistere: ad Ecclesiam tamen sensim pedetentimq; singulis diebus accedebat, in qua ad tremendum Missæ sacrificium Christianam Rempub. se suaq; omnia diuinæ primum bonitati, deinde Sanctorum precibus & intercessionibus deuotissimè commendabat. Sed hanc illi facultatem morbi quoq; vehementia paulò pòst abstulit, ita vt non posset, nec etiam tutum esset, extra priuatos parietes pedem efferre: quæ res, etsi maximum illi sensum doloris adferebat, illud tamen longè grauissimum & acerbissimum accidit, quòd per aliquot dies ab audiendo Missæ sacrificio coactus est abstinere: tum quod nullus certus esset ad res diuinas in illa domo locus destinatus: tum quod ecclesiasticorum canonum authoritas, & ipsius quoq; Concilij Tridentini, in quo personam Legati Apostolici magna cum dignitate sustinuit, sanctiones prohiberent: vt ne paterentur Episcopi in priuatis domibus, atq; omninò extra ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria, sanctum hoc sacrificium à quibuscunq; tandem peragi. Sed statim succurrit pijssimo eius desiderio diuina misericordia. Cum enim de inualetudine tam laudati Cardinalis Episcopus Nepesinus nuncium accepisset, vt virum Dei visitaret, Capranicam accurrit, & celebrandi facultatem in priuato cubiculo, idipsum ab illo petente, summa cum humilitate, Cardinali libentissimo animo concessit: neq; tamen adduci vel medicorum consilijs, vel precibus nostris passus est, vt languens & exhaustum atq; deficiens corpusculum in lectulo contineret: sed in aliud nihilominus offerendo sacrificium cubiculum destinatum, ita vt poterat, sesedebat: in quo genibus flexis, & manibus in cœlum eleuatis, vim lachrymarum profundens, Domini misericordiam tota mentis animiq; sui contentione implorabat. Accidit autem, vt à quodam ex suis moneretur, vt in sella potius sedens, quam in genua prouolutus, & in pectus incumbens offerentem sacerdotem aspiceret. Cui paulò & præter morem suum concitatiùs respondit: Ne me iam facias delicatulum: sic par est, vt ego quem debeo cultum & reuerentiam Deo meo exhibeam. Sed neq; hoc passus est, vt sacrificio durante, flabello quispiam ventum excitaret refrigerandi gratia. Cum ad cibum sumendum esset illi accedendum, non ad refectionem, sed tanquam ad pœnam se vocari dicebat, ac sæpè coram medicis de suo patre familias (stomachum autem intelligebat) questus est, quod perperam munere suo fungeretur, & alimenta quæ ad illum reliquorum membrorum sustentandorum gratia transmittuntur, non in membra corporis diuideret, sed in secessum emitteret. Contendebant maiorem in modum medici, vt intra vnius cubiculi parietes perpetuò se contineret, & cibum decumbens in lectulo sumeret: sed nullo suo studio conatuq; id vt faceret, perficere potuerunt. Conati quoq; sumus & nos illi persuadere, vt in eodem lectulo diuinum Missæ sacrificium audiret: sed is nobiscum quadam ignorantiæ & incogitantis consilij exprobratione, minimè conuenire, respondit, vt ad cibum sumendum è lectulo surgeret, ad Deum laudandum prostratus in lectulo iaceret. Et quoniã summa debilitas omnia corporis mẽbra magis atq; magis affligebat: operæ precium iudicabant medici, vt subinde cibo reficeretur: quem vt benè manè sumeret, quoties à nobis rogabatur, suam ille vicissim infœlicitatem deplorabat, quòd in sua, inquẽ tam numerosa familia nemo inueniretur, qui ad recitandas preces, vel ad Missæ sacrificium audiendum adhortaretur, aut ad debitas Deo laudes tribuendas inuitaret: sed omnes, quasi conspiratione facta, cibum istum corporalem obtruderent, secq; vellent facere helluonem, & in eo summam recuperandæ valetudinis esse constitutam existimarent: se verò spem suam omnem non in medicorum artificio, nec in Galeni præceptis, nec in phasianorum & perdicum cadaueribus: sed in gratia Dei eiusq; infinita misericordia reponere: cui si visum esset vitam longiorem concedere, potius id esset à spirituali cibo, qui in sacrosancto Missæ sacrificio proponebatur, quam à quibusuis carnalibus epulis expectandum. Sic ergo aliquando cõtigit, dum Canonicas preces recitat, dum Missæ sacrificium audit, dum consuetas suas vestes in illo languore corporis induit, dum in secessum it atq; redit: vt ad meridiem vsq; & vltra prandium extraheretur. Cæterum. S.D.N. Greg. Pont. cùm intellexisset diuinum hunc virum, quem in ipso adhuc Concilio Tridẽtino in summa semper veneratione habuit, & cùm esset Pontifex designatus, omnibus humanitatis officijs semper prosequutus est, Maioris q; Pœnitentiarij munere exornauit, in tantam corporis imbecillitatem incidisse: misit è vestio D. Georgium Ticinium Camerarium suum, qui suo nomine paternam illi benedictionem impartiretur: vtq; totam animi contentionem, atque suum illud acre & intensum studium ad tuendam valetudinem conuerteret, quam diligentissimè adhortaretur: ante omnia verò vt Romam primo quoq; tempore rediret, in qua maior esset futura rerum necessariarũ abundantia, & omnis omnium medicorum industria, ad reprimendam istius morbi vehementiam conuerti facilius posset, nec vllius medicinę facultas esset illi defutura: se quoq; nullam occasionem esse prætermissurũ, qua posset

posset quocunq; tandem officij atq; pietatis genere, afflictam hanc eius valetudinem subleuare. Hoc tam benigno Pontificis nuncio, atq; ista planè paterna sollicitudine fuit non parum recreatus Cardinalis: sed cùm deiectas esse & prostratas prorsus omnes corporis sui vires intelligeret, nullam sibi facultatem relictam esse respondit, vt ex eo in quo manebat loco pedem posset efferre: tum & ipsum anni tempus, quominus ad vrbem accedere liceret, & sanos & infirmos vehementer deterrere. Quod ad reliquas commoditates & victus & medicinarum opportunitates attinet, se in media plane vrbe versari. Nam Illustrissimus Dñs Cardinalis Farnesius (quem in omni sermone suo summa cum honoris præfatione, & patriæ & valetudinis suæ protectorem appellare consueuerat) ex Caprarola sua, in qua ipse quoq; menses æstiuos duceret, omnia ad victum & ad valetudinem curandam necessaria, & abundantissimè, & copiosissimè, & animo libentissimo suppeditabat: immò & sui quoq; medici operam & industriã ad studium recuperandæ valetudinis cõuertit. Erat enim & extra vrbem, & in ipsa quoq; vrbe præstantissimorũ, ac doctissimorum quorumcunq; virorum de tuenda conseruandaq; tam salutaris Ecclesiæ Dei viri valetudine maxima quædam sollicitudo, ita vt passim non solùm vota publica per vrbis Ecclesias, viri conseruandæ religionis Catholicæ studio inflãmati facerent, sed etiam operas suas & rem & fortunas libentissimo animo offerrent, dummodo posset hæc tam solida Ecclesię Dei columna ab imminenti casu prolapsioneq; liberari. Inter hos aũt regni Poloniæ, patriæq; nostræ Viceprotector Illustriss. Cardinalis Sabellus, vir prudentiæ, humanitatis & grauitatis laudibus abundans, cùm à multis annis pietatem innocentissimi Cardinalis adamasset, illiq; omnibus in rebus gratificari semper contendisset, studiaq; sua & officia vultu & verbis sæpè significasset, hoc præcipuè tam necessario tempore admirabilem curam & solicitudinem omnibus officijs præstandis re & veritate declarauit: ac modò non singulis horis & momentis de afflicta Cardinalis valetudine laborauit, & quæcunq; tandem ad eam restituendam necessaria præsidia summa voluntate, pleno amicissimi desiderij animo suppeditauit: cui se hoc nomine plurimum debere semel & iterũ Cardinalis in auribus nostris testatus est. Interim ex vrbe quoq; venit officij caussã R.D. Vincentius Laureus Episcopus Montis regalis, qui summa cum dignitate & vtilitate Ecclesiæ Dei, apud Henricum, & Stephanum Poloniæ Reges nuncij Apostolici munus per annos aliquot sustinuit: quem cùm in cubiculũ introduxissem, incredibile est, quanto eum gaudio vir diuinus exceperit: sublatis in cœlum manibus, vim lachrymarum profundens: Aduenisti, inquit, desiderabilis, cuius ego præsentiam vix optare, nedum expectare in hoc anni tempore potuissem: spero quod per te malis meis diuina decreuit succurrere misericordia. Is ergo cùm illum esset aliquandiu consolatus, & ad sustinendam morbi molestiam in omni patientia admoneret: Cardinalis ex alto suspiria ducens, oculorum acie in cœlum conuersa: Paratus sum, ait, & non sum turbatus. Fiat voluntas Domini, fiat voluntas Domini. Cœpitq; de suo patre familias conqueri, quod mala secum fide ageret, & alimenta quæ in sustentationem reliquorum membrorum distribuere debebat, sine vllo fructu, sed non sine maximo cruciatu subinde foras emitteret: & multa alia cùm de sua valetudine, deq́ue grauioribus negotijs, tum de sua quoque firma in Deum fiducia, valdè confidenter & amanter summa cum animi sui præsentia & fortitudine, coram Episcopo prudentiæ pietatisq́ue nomine laudato, & veteri amicitia familiaritateq; sibi coniunctissimo, commemorabat. Accidit autem, vt pedem eius dexterum grauissimus quidam & acerbissimus dolor inuaderet, qualem antea nunquam in omni vita sua senserat: qui nullo momento temporis intermisso, quod vnum adhuc illi remanebat omnium laborum & sollicitudinum perfugium, somni quoq; facultatem perturbabat, nec vllum prorsus otij & quietis beneficium concedebat. Cui remouendo cùm esset à medicis remedium excogitatum, nec vllam tamen adferret doloris leuationem, in summis illis angustijs, facta Pij V. Pontificis honorificentissima mentione, frequentius inclamabat: Auges Domine dolorem, auge & patientiam. Tum & illa Psalmistæ verba sæpius iterata proferebat: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Iram tuam Domine & flagella quis sustinebit? Tum & illud, Non secundum iniquitates nostras retribuas nobis, &c. Et cùm esset affecto pedi paulò feruentior adhibita medicina, Iam ne me, inquit, vt S. Laurentium vstulatis? Nondum eius dies festus aduenit, & vstionem sentio, & vtinam dignus inueniar, qui cum illo pro Christo ignes omnes & vstiones pari constantia, animiq; fortitudine perferam. Cùm autem vis doloris nequidquam remitteret, significauit medicis, vtrum fortè expediret, vel afflictum & dolentem, vel etiam vtrumq; potius pedem abscindere, & reliquum vniuersum corpus seruare: sperare se in Dei misericordia, quod etiam claudus ad regni cœlestis possessionem peruenret. Interim tota mentis animiq; contentione preces suas ad Dominum effundere non cessabat. Quamuis enim dolor eruris somni facultatem omnem ademisset, sæpè tamen tanquam dormiturus ad parietem se conuertit, vt liberius absentibus nobis Domini imploraret misericordiam. Illud autem ore suo benedicto sæpissimè decantabat. O crux aue spes vnica. O crux aue spes vnica. Et intentis in cœlum oculis signo sanctissimæ Trinitatis, pro veteri more suo, tribus coniunctis digitis, ad significandum S. Trinitatis mysterium, subinde se muniebat. Cùm autem videret morbi vehementiam omnes medicorum artes eludere, cum quadam animi hilaritate medicinarum, quas semper coniecturas appellabat, imbecillitatem & inanitatem arguebat: medicis autem culpam omnem, non medicinarum imbecillitati, sed humorum acerbitati tribuentibus, & meliorem valetudinem promittentibus, dicebat: Vos me semper consolamini, omniaq́ue meliora promittitis, & benè facitis, hoc enim à vobis requirit officium vestrum: sed video quòd operas vestras frustrà consumitis: sanate, si potestis morbum 76. annorum

& fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& facilè reliqua omnia incommoda & affectiones corporis amouebitis. Non est iam quod tanta contentione studiorum de valetudine mea laboretis: iam enim tempus resolutionis meæ instat. Imò verò quantas maximas meus capere potest, Deo & Saluatori meo Iesu Christo ago & habeo gratias, quòd non vllis meis meritis, sed per summam & infinitam misericordiam suam, ad eum ætatis annum me peruenire voluerit, ad quem peruenit sanctissimus & doctissimus ille Doctor Ecclesiæ, quem ego præ cæteris omnibus in vita mea coluì, & imitari quantùm potui conatus sum, Diuus Augustinus, qui & ipse in 76. anno ætatis suæ sanctam suam animam Deo Saluatori suo reddidit. Quis scit, an hanc mihi prætereà gratiam impetrabit, vt ego quoque animam meam non solum eodem quo ille ætatis anno, sed etiam eodem quo ille die, Iesu Christo Deo & Saluatori meo restituam? sed nihil aliud volo, quàm quod tu vis Domine. Fiat voluntas tua, fiat voluntas tua. Paratus sum, & non sum turbatus. Paratus sum, & non sum turbatus. Spero certè, quod mihi sanctus ille Doctor in occursum veniet, & animam discipuli sui Deo meo, cui semper seruire conatus sum, in veritate repræsentabit. Has ego diuini viri plane diuinas voces cùm sæpius ingeminari audirem, manum eius sacram deosculatus, lachrymantibus oculis, Bono inquâ animo esto Illustrissime Domine, melius per Dei gratiâ habebis. Non solum diè Diui Augustini sacrum, sed multos prætereà annos ad vtilitatem Ecclesiæ Dei & nostram consolationem superuiues. Ille verò manum capiti meo imponens (lachrymis ista scribuntur vir optime) Charissime frater, inquit, ego te semper amaui, charumq; præ cæteris habui: rogo te, noli mihi adulari. Ego sentio quod me calor naturalis pedetentim deficit. Tange pedes meos, idipsum iudicabis. Ego verò, Quidquid tandem futurum est, illustrissime Domine, bono esto animo, Non minus tu rectè potes illis verbis te consolari, quibus seipsum olim consolatus est, ex hoc mundo in cœlestem patriam migraturus Arsenius: nã & tu septuaginta & amplius annis Deo seruiuisti. Non potest mala tibi mors accidere, qui sic vixisti. Ad hæc verba mea subridens Cardinalis, O quam, ait, labilem habes memoriam. Non Arsenius fuit, cuius tu verba recitas, sed Hilarion, cuius vitam descripsit D. Hieronymus. Et quoniam instabat festum D. Marthæ, quæ saluatorem nostrum hospitio gratissimo excepisse legitur: & ego, inquit, cum Martha Deum meum sub tectum meum excipere hoc ipso die decreui. Itaque die D. Marthæ sacro, cum horas canonicas deuotissimè genibus flexis absoluisset, Missam attentissimè deuotissimeq; audiuit, iunctis semper & in cœlum eleuatis manibus. Cumq; tempus sumendæ Eucharistiæ aduenisset, remotis omnibus puluillis in nudam humum ante altare se proiecit: confessionem dixit lachrymis & singultibus interruptam: & tandem (quod mihi perpetuæ laudi gloriæq; duco) sacratissimum Corpus & Sanguinem Domini castissimo ore suo, ex pollutissimis & peccatorum fœditate contaminatis manibus meis suscepit. Sic igitur lassus, & vix spiritum ducens, ad reficiendum corpusculum accessit: sed cum illi vis morbi & ardor febriculæ, quam tum primùm deprehenderant medici, omnem prorsus cibi appetentiam ademisset, vix quidquam, idque inuitus & renitens, degustare potuit. Quamobrem iussit me ad mensam suam accumbere: si fortè, inquit, te comedente, mihi quoque solita redeat cibi potus q; appetentia. Quoties autem à nobis, vt aliquid amplius sumeret, admonebatur, & iam hoc iam illud offerebatur, respondit: Cum olim pro continentiæ virtute Dominum deprecaretur Diuus Augustinus, dicebat illi: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Sic & ego vobis omnibus possum respondere, Date vt possim facere quod iubetis, & iubete quod vultis. Intus existens prohibet extraneum: quòd si foras artificio medicorum posset euocari, & somni beneficium, & appetentiam cibi nullo negotio recuperarem. Quoties aue intempesta nocte, aut continuatis vicibus, ad se medicum familiarem accersebat, summa cum animi sui humilitate factum suum excusabat. Parcite, inquiens, mihi, rogo vos, quòd vobis hanc molestiam affero: necessitas id me vt faciam cogit: certè non libenter id facio. Pridiè igitur eius diei, quo sanctam suam animam Deo creatori suo reddidit, an vellet domui suæ disponere, priuatim ex eo trementibus omnino labris, non sine maximo metu offensionis & sollicitudine animi mei, perquæsiui: sed ille placidissimo & animo præsentissimo mihi respondit, quòd in ea cogitatione versaretur, vt domui suæ disponeret: & cætera quidem omnia in animo suo disposuisse dicebat, sed in diligendis deputandisq; Exequutoribus, non possum, ait, exitum consilij mei inuenire. Hoc opus, hic labor est, scio quàm diuersum exitum habuerunt multorum extremæ voluntates. Illo ergo ipso die Testamentum conscripsit, & tenuissimæ hæreditatis, quam in hoc mundo relinquebat, dispositionem absoluit: suoq; signo obsignatam in manus Petri Mariæ Vulcanij, Notarij publici consignauit. Quoniam autem vrgebatur à me, vt quod cœperat, sine vlla intermissione absolueret, cùm nullam illi mentis partem, aut iudicij facultatem vis morborum ademisset, illicò me in maximo metu versari subolfecit, ne iam imminente nocte spiritum exhalaret. Quamobrem ne timeas, ait, ista ego nocte non moriar, sed eras per Dei gratiam reliqua expediemus. Assistebat illi continuò R. P. Oliuerius Societatis Iesu, quem in vita sua semper habuit charissimum, & spiritualibus admonitionibus ad mortem constanter perferendam adhortabatur. Eum ille fixis semper oculis, maximaq; animi præsentia intentissimè audiebat, & ad singula quæ requirebantur ab eo, respondebat. Is quoque vt tum de Exequutoribus Testamenti, tum de loco Sepulturæ suam sententiam diceret, lenissimè & prudentissimè admonebat. Sed Cardinalis memor Apostolici sermonis, Si nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur: cùm suam conscientiam in omnibus vitæ rationibus summa cura & studio moderari consueuisset, in hac quoque extrema vitæ fabula, summa cum deuotione animiq; præsentia, totius anteactæ vitæ suæ generalem Confessionem præmittendam esse existimauit. De cæteris autem rebus anteà se deliberatu-

raturum, quàm aliquid constitueret, cum summa iudicij maturitate prudentissimè respondit: suamq; posteà voluntatem & sententiam imposita fide silentij aperuit, & ita se iam profunda nocte ad quietem composuit, sed vanus erat illius conatus. Auferebat enim vis doloris, & egestiones continuæ somni facultatẽ. Quamobrẽ totam illã noctẽ assistentibus, & orantibus & lugentibus nobis, in summa molestia egit: Et subinde ex alto suspiria ducens, Si iniquitates, ait, obseruaueris Dñe, Domine quis sustinebit? Domine quis sustinebit? Nec vllo momento temporis animũ à futuræ vitæ contẽplatione, atq; à funden dis orationibus auertit: sed horam septimam quæ fuerat ad celebrandum Missæ sacrificium assignata, sollicitè cupidissimeq; expectabat. Quæ cum immineret, vt primum me ad lectulum assistentem aspexit, vos, inquit, heri sic mecum egestis, tanquam hac nocte mori debuissem. Cæterùm negare non possum, quod me valdè sentio debilem, ita vt vix mihi sola respirandi facultas superfit. Quamobrem cuperem os meum modico vino vel etiam aqua abluere, vt me paululum refocillem, & siccitatem oris quam sentio detergam. Sed quia sanctissimum Christi Saluatoris mei corpus & Sanguinem hora vij. suscipere decreui, religio mihi est aliquid in os immitere, ne videar ieiunij obseruationem, quam sacri Canones præcipiunt, intemperantia quadam & cupiditate victus fregisse. Cuperam itaq; ait, (erat enim tenerrimæ conscientiæ, & abstinentiæ ad mirabilis, nec vnquam se quidquam scire præter Christum & hunc crucifixum gloriabatur, & si quid sciebat, idipsum scire se non putabat: sed illud in corde perpetuò conseruabat, Beatus homo qui semper est pauidus, qui verò mentis est duræ corruet in malum) ex P. Oliuerio cognoscere, vtrum ante sumptionem sacratissimi cibi, liceat mihi saltem oris siccitatem quam sentio abluere. Ego verò P. Oliuerium hora noctis ferè quinta conueni: qui sententiam in eam mihi suam aperuit. Cùm autem ablutionem illam Cardinali porrexissem, tanta cautione in os immisit, vt ne vel guttam quidem vnicam passus sit paulò profundius descendere. Quod vbi factum est, cœpit cum Thoma nostro matutinas horas de B. Maria Virgine ad Niues, cum maxima vocis laterumq; contentione, cumq; lachrymis & suspirijs deuotissimè recitare: vbi verò ad præclarum illum & diuinum D. Ambrosij & Augustini hymnum ventum est: nequidquam renitentibus nostris, languentia & effœta membra in terram voluit prosternere, & genibus flexis totam illam gratiarum actionem deuotissimè recitare. Accersiuit posteà medicum, & excusatione maximæ necessitatis identidem præmissa, de noctis incommoditatibus, de q; vitio ventris & gutturis questus est, quòd somnum in oculis suis non viderit, atq; acerbissimos eructis dolores egestionumq; molestias pertulerit. Quibus, inquit, malis, posteaquàm nullum posset remedium inueniri, ego ad alium medicum longè Galeno vestro præstantiorem properabo, qui medicinas habet istis vestris suauiores, dulciores, amantiores, quas qui semel degustauerit, nulla vnquam incommoda, nullam deinceps mortem in sempiternum tempus sentiet. Sed mirum est, quantùm sunt in hoc parno tempore omnia in me immutata, quàm factus sum ad omnia inutilis. Nihil aliud facio, quàm ingero & egero. Iam & scribendi & legendi & de Repub. cogitandi facultatem omnem amisi: fit pro omnibus nomen Domini benedictum in sæcula. Nunc meum benè valere est non pessimè valere. Hora tandem septima P. Oliuerius ad celebrandum Missæ sacrificium accessit, quem vbi Cardinalis aspexit, ex lectulo suo surgere, & pro sua perpetua consuetudine, ante ipsum altare in medio cubiculo genu flectere voluit. Nos verò ne faceret, néve se in hoc suo summo languore in apertum discrimen obijceret, magnoperè rogabamus: & omni diligentia cauebamus, ne quòd tentare videbatur, etiam inuitis & reluctantibus nobis, in terram se ex lectulo proijceret. Quæ res illi valdè grauem & acerbum sensum doloris adferebat. Quamobrem semel & iterum manibus me suis à lectulo, cui assistebam remouebat, dicens lingua nostra materna. Odstěpocuso, Discede à me tentator: meq; quem debeo cultum & reuerentiam Deo & Saluatori meo exhibere permitte. Ego verò me à lectulo paululum seiunxi: cæterùm ille remoto præsidio, nulla ratione potuit languens & effœtum corpusculum à culcitra subleuare. Cœpit tamen pedes suos in terram pedetentim demittere: quos cùm alius quidam familiaris eius Pisarzeuoskij in lectulum reponeret, zelo maximo diuini honoris inflammatus, manibus eum à lectulo conatus est remouere. Dimitte me, inquiens, dimitte me: vt supplicis in morem, debitum Deo meo honorem in terra prostratus exhibeam. At cum euenisset tempus Eucharistiæ sumendæ, nullis precibus, nulloq; nostro conatu aut contentione retineri potuit in illo suo summo languore, quominus è lectulo in terram se demitteret, & quantum poterat demisse humiliterq; Dominum venientem in domum suam reciperet. Absoluta tandem peccatorum suorum confessione, pectus suum sine intermissione verberans, & cum Centurione lachrymis fletibusq; perfusam ac interruptam orationem fundens, Domine non sum dignus &c. signoq; se Crucis muniens, panem illum Angelorum sacratissimum accepit, & in lectulum se tandem reponi passus est, quod reliquum erat Missæ summa cum attentione audiens. Absoluto Missæ sacrificio, parum aliquid cibi refectionis gratia accepit. Deinde Sacramentum sacræ extremæ Vnctionis impartiri sibi petiuit: quod extremum officium permittente loci Curato, vt ego illi manibus meis licet indignus impartirer, ad perpetuum meum erga ipsum cultũ, & obseruantiam propriè pertinere putaui. Ipse verò inuicto quodam animi robore sacrum illud oleum aspiciens, & ad eas quæ recitabantur ex Sacerdotali Rom. orationes accuratissimè respondens, apertumq; pectus ostendens, quale semper in omni vita sua gerebat, sicq; quantùm poterat in omnes partes reuoluens, & membra ad suscipiendam sacram illam armaturam offerens, summa cum attentione maximaq; cæremonia sacramentum illud extremæ vnctionis deuotissimè suscepit. Deinde cùm paululum à labore respirasset, ocu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vniuersam familiam conuertit: quam cum in terra prostratam, orationes{que} fundentem, & plangore maximo lamentationes{que} (non teneo lachrymas Hosi tanto fratre dignissime) cubiculum complentem aspexisset, cum omni humilitate ab omnibus in vniuersum condonari sibi petiuit, si quenquam vnquam in aliqua re offendisset, se{que} vicissim omnium erroribus veniam ex animo impertiri professus est. à quocunq; tandem læsus aliquando esset: ad extremum etiam sacra sua manu altius vt poterat eleuata, ternis vicibus eiulanti familiæ benedixit, dicens: Dominus vos benedicat, Dominus vos custodiat, Dominus vos ab omni malo conseruet. Amen. Qui tum fuerit eiulatus omnium, quæ profusio lachrymarũ, qui singultus & gemitus, si adhuc in oculis meis lachrymę, quas plurimas in illius tẽporis commemoratione, & in his meis acerbitatibus effundo, aruissent, coram oculis tuis quantùm calamo & atramento possem, repræsentare contenderem. Nemo non gemuit, nemo non arsit dolore in illius viri occasu, quem immortalem si fieri potuisset, omnes esse cupiebant. Sed vidit omnium lachrymas cordium inspector Deus Dominus & Angeli eius: cadentes in tanti viri morte guttas numerarunt. Planè fecerunt omnes planctum magnum super ipsum: sicut olim super Stephanum viri timorati fecisse leguntur. Acceptâ benedictione sacram eius manum omnes exordine sumus deosculati. His omnibus ad eum modum peractis, totam mentis animi{que} sui contentionem vir diuinus ad orationem conuertit, & Primam, Tertiam, Sextam, vt vocant, deuotissimè attentissime{que} recitauit: subinde Virginis gloriosæ & intemeratæ Dei genitricis Mariæ intercessionem implorãs, vt sibi viam ad perpetuas Niues, & sempiterni temporis refrigerium orationibus suis patefaceret. Cùm autem ad Nonam ventum esset, suffisit, inquit, iam non dicemus Nonam. Posteà me accersito, de quibusdam adhuc rebus animo planè præsentissimo mandata dedit: & inter alia vt opera D. Augustini, cuius in omni vita sua semper fuit studiosissimus, Thomæ Tretero familiari dilecto cederent, ordinauit: ea verò quæ Thomas habebat, Zolcinio assignauit. Quoniam autem Episcopus Nepesinus triduanas per omnem diœcesim suam supplicationes pro salute salutaris Ecclesiæ Dei viri instituerat, accidit vt hoc ipso temporis momento penes palatium transirent ad ecclesiam Beatæ Virginis puellæ quędam virgines non paucæ, cantantes Litanias, & valetudinem Cardinalis castissimis labijs Domino commendantes. Quarum vocem cum audiuisset, quæ siuit quænam essent ista Cantica. Ego verò quod res erat dixi, quomodo Episcopus publicas supplicationes instituisset: & quod voces quas audiret, erant voces castissimarum & Deo amabilium virginũ, pro salute & incolumitate sua Deo, & gloriosissimæ Virgini Mariæ supplicantium. Ille verò vehementer exhilaratus, eleuatis in cœlum manibus, magnas, ait, ago gratias Episcopo, & istis virginibus, & omnibus, qui pro me misero peccatore sollicitudinem istam capiunt: scio quòd magnum pondus habere apud Dominum castissimarum virginum, & innocentium puerorum orationes consueuerunt. Sed nihil aliud ego volo, quàm quod tu vis Domine. Fiat voluntas tua. Ne momento quidem temporis viuere cupio, vltra quod constituit mihi Dominus. Paratũ cor meum. Paratũ cor meum. Iussit deinde Dominicæ Passionis historiam legi: in qua cùm ventum esset ad eum locum, vbi Petrus Apostolus Christum negasse perhibetur, & P. Oliuerius Domini erga ipsum misericordiam & ignoscendi facilitatem, tum & hoc quoq; pluribus verbis commemorasset, quòd Cardinalis nunq; per Dei gratiam Christum negasset, nec vnquam de nomine eius erubuisset, sed apertè potius coram hominibus, & coram omni ecclesia malignantium, & vbicunq; id officij ratio, & incredibile animæ Christo lucrifaciendi desiderium requirebat, confessus, hæreticos prætereà quòd Christum negassent, in omnibus dictis & scriptis suis constanter & intrepidè persequutus esset: eleuatis in cœlum vir diuinus manibus, alta voce lachrymantibus oculis dixit, Christe fili Dei viui, tu scis quòd ego te, nomen{que} tuum non negaui: tuũ enim hoc esse beneficium lubens agnosco, ago{que} tibi hoc nomine summas gratias. Absit à me, absit ab animo meo, vt te negare vnquam voluerim. Quoties autem fiebat nominis Iesu commemoratio, toties languentem atq; deficientem dexteram ad caput attollens, pileolum de nitentibus comis, in honorem huius sacratissimi nominis deponebat. Cum alapæ mentio facta est, os ipse quoq; suum eleuata manu verberauit. Vbi verò flagella & spinea corona commemoratur, & P. Oliuerius acerbitatem illius doloris, quem Saluator noster pertulit, ob oculos poneret, atq; ad fortiter ferendam mortem, & quidquid tandem Dominus permisisset, adhortaretur, Cardinalis respondit. Fortiter & constanter, Fortiter & constanter. Cum autem ad illa verba ventum esset, vbi Dominus spiritum emisisse legitur, ad parietem capite paululum conuerso, alta voce, ita vt ab omnibus exaudiretur, Dominicam orationem & Angelicam salutationem articulatim distinct{que} recitauit. Illud idem tidem cõmemorans, O crux aue spes vnica, O crux aue spes vnica. Tum & illud, Per passionem tuam Christe salua nos. Tum & illud, Iesu Christe fili Dei viui miserere mei. Tum & illud, quod in omni vita sua in ore atq; in animo suo perpetuò habuit: mane nobiscũ Dñe, mane nobiscũ Domine. Crucifixi prętereà imaginem sic amplexabatur, sic in manibus habebat, sic clauorum vestigia osculabatur, vt planè ostenderet, q̃ ardentibus erga Deum fuerit in omni vita sua charitatis ignibus inflammatus. Iussit posteà ad se nepotes suos quos charissimos habebat, accersiri, quibus ad lectulum prostratis, & lachrymas profundentibus, sacra sua manu in caput Domini Stanislai Hosij de Bezdan filij tui charissimi imposita, sanctam suam benedictionem omnibus impertiuit. Tandem aũt orationibus quæ legebãtur à P. Oliuerio intentus, & signo sanctissimæ Crucis pectus suum frequenter muniens, atq; ad pleraq; etiam respondens, cum aliquoties illa Saluatoris verba deuotissimè iterasset. In manus tuas commendo spiritum meum: Iesu quoque salutare nomen inuocasset, per-

contantiq; Patri Oliuerio, num quæ legebantur omnia intelligeret: bis ac ter respõdisset, Intelligo, Intelligo, Intelligo: poltquam prorsus omnia quæ pro animæ commendatione præcipit Ecclesia, lecta peracta{que} fuissent, illo ipso B. Virginis Mariæ festo, quod in Non. Aug. inciderat, hora nona qua spiritum suum Dominus in Cruce emisisse legitur, plenus dierum & gratiæ Dei, plenus omni sapientia & intellectu, in senectute bona quietissimè & placidissimè obdormiuit in Domino. Quæ sequuta sunt, concursum videlicet plorantiũ, ac quasi quandam tempestatem publicarum querelarum, exequias, conciones, laudationes, oscula, quæ sanctis illis manibus dabantur, contactus vt vocant rosariorum & incolarum (ô fœlices Capranicas) deferendo corpore contentiones, non calamo & atramento, sed lachrymis tibi scriberem, si legere posses. Hoc vnum addo, quod in huius tam sancti, & in omne tempus laudati Cardinalis transitu, reipsa cognoui, pretiosam esse mortem Sanctorum in conspectu Domini. Tum & illud verissimum esse deprehendi, quod à quodam S. Patre dictum est: Non potest malè mori, qui bene vixerit. Planè enim fuit consentiens initijs vitæ exitus. Plura non possum in hoc meo incredibili & vix vnquam consolabili dolore. Nam & oculos meos ista commemoratio fletu debilitauit, & manum dolore impediuit. Amisi ego patronum beneficentissimum. Amisit Ecclesia defensorem acerrimum. Amisit patria ciuem prudentissimum. Amisit Roma Cardinalem sanctissimum. Amisit orbis Christianus ornamentum maximum. Amisisti tu fratrem beneuolentissimum. Et putas iacturam hanc siccis oculis commemorari posse? Quamuis ego potius dicam, non amisimus, sed præmisimus in æterna tabernacula, vbi nunc & in sempiternum tempus pro nobis, & pro vniuersa Ecclesia Deum patrem misericordiarum deprecabitur, sicut in carne viuens incredibili animi contentione deprecari consueuerat, vt ne sit amplius inter nos Iuda & Israël, Roboam & Ieroboam, Hierusalem & Samaria, sed vt sit multitudinis credentium cor vnum & anima vna, vt sit vnum ouile & vnus pastor. Tum etiam vt nos qui viuimus, qui residui sumus, studia nostra omnia ad Dei laudem & gloriam conuertamus: & vt antequam moriamur, moriantur in nobis vitia. Hoc enim intelligentissimi quique viri, atq; adeo Vrbs vniuersa vno ore loquitur, quod statim vt ex corporis sui domicilio illa Deo amabilis anima excessit, in Beatorum sedes translata vitæ coronam accepit: cùm ob immensam & infinitam Dei misericordiam, in qua semper omne salutis suæ firmamentum collocare consueuerat: tum ob vitam in timore Domini, & in custodia mandatorum eius, ab ipsis incunabulis vsq; ad vltimum vitæ diem, fideliter ac religiosè actam, laboresq; pro Ecclesia Christi magno cum fructu vtilitate{que} susceptos: tum verò etiam, quòd si quâ illius splendori labeculam humanæ conditionis infirmitas asperserit, sicut ante dies aliquot apud Illustrissimum Dominum Cardinalem Senonensem, in signatura, vt vocant, Officij S. Pœnitentiariæ, virt quidam virtutis & sapientiæ laudibus celeberrimi, præsente me retulerunt: ac idem ante multa secula plerisq; alijs sanctissimis & laudatissimis viris, ex Ecclesiasticis Annalibus accidisse memorarunt: quem in vniuerso vitæ cursu totis septuaginta sex annis nunquam in corpore suo sensérat, acerbissimus ille ac propè intolerabilis cruris dolor absterserit atque expiauit, vt ne quæ sicut ait Paulus, ligna, fœnum, stipula remaneret, quæ posset ingressum illius in æterna tabernacula, in transitu flammei versatilis{que} gladij remorari. Quò nobis quoq; peruenire concedat, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Benè vale, nos{que} quod facis ama, nec amare desine, atq; hanc orbitatem nostram, & istam miseram vitæ rationem (nihil enim habeo cum Hosium non habeo) in tuis orationibus Diuinæ bonitati commenda. Sepultus autem est 9. Augusti: ita vt volebat in Ecclesia sua titulari S. Mariæ trans Tyberim, in quo olim loco fons olei effluxisse in Natiuitate Saluatoris nostri memoratur, ad dexteram partem altaris maioris sub imagine Assumptionis gloriosissimæ virginis Mariæ, Mosaico opere olim facta, adhibitis consuetis Ecclesiæ Cathol. cæremonijs, præsentibus, & communem Reip. Christianæ calamitatem deploratibus optimis quibusq; & doctissimis viris, qui tantum hunc Cardinalem immortalem si fieri potuisset omnes esse cupiebant. Funebrem orationem, & Hosij pietate, & sua in eum obseruantia dignissimam habuit eiusdem Ecclesiæ Can. Thomas noster Treterus. Vulgus hominum nil aliud habet magis in ore quacunq; nos vertimus, quàm, Mortuus est magnus vir, sanctus vir, doctus vir, verus doctor Ecclesiæ, vera columna. Pauperes autem cum vno Hosio omnia se amisisse arbitrantur. Iterum vale vir innocentissime, & orbitatem hanc tuam tam illustribus fratris tui in Ecclesiam Dei meritis consolare. Datum Romæ, 17. Kal. Septemb.

M. D. LXXIX.

REVERENDO ET RELIGIOSO PATRI F Rogerio Gyrard, in Theologia Magistro, Priori apud S. Augustinum Parisijs S. P.

EGO verò nunquam dubitaui fore, vt ea quæ coram in vrbe tecum egerē, & animo & voluntate summa exequerere: sed tamen auxit meam de toto isto negotio expectationem hominis tibi amicissimi P. Ioannes Bapt. Fereneti oratio, ex qua mirificam vim tui desiderij liquidissimè perspexi: atq; eo etiam tibi nomine & ago & habeo gratias: nec equidē adhuc molestè fero, quod aliter quàm optabamus consilia nostra ceciderint. Facilè enim vt puto intermissionem operæ nostro adhuc studio diligentiaq; præstabimus. Quod verò laudatissimi Cardinalis Hosij memoriam omni tibi officio atque pietate prosequendam existimas, facis tu quidem id, quod faciunt, qui se Catholicos & Orthodoxos esse meminerunt, vt acerrimum Orthodoxæ fidei propugnatorem: vel vt Gregorij Pontif. Max. pleno maturitatis & iudicij testimonio vtar, Columnam illam Ecclesiæ, ornamentum Collegij Cardinal. illum Curiæ Romanæ splendorem, isto tuo cultu & veneratione complectare. Sed ego tamen hoc tibi nomine volo debere plurimùm, atque vt te in suscepta propositaq; sententia magis etiam atque magis confirmem, mitto ad te earum rerum commentariolum, quæ in illius viri ad beatorum sedes migratione acciderunt: ex cuius lectione perspicies, quàm consentientes exitus anteactæ vitæ studijs, verè Abrahamicus ille senex acceperit: quàm etiam fuerit sanctissimo & doctissimo Patri & præceptori vestro D. Augustino deditus, in cuius precibus tantum opis, tantum ad salutem consequendam præsidij collocabat. Benedictus Deus, qui nobis in hac propè deposita Reip. Christianæ parte in his communibus miserijs & ærumnis, videre tamen dederit superioris sæculi fœlicitatem, & opera sanctorum, quæ summa cum admiratione in ecclesiasticis Annalibus legebamus, his nostris oculis aspicere, his manibus contrectare concesserit. Magnis enim profectò (non verebor enim veram & Hosio meq; dignam vocem edere) Magnus ille Hosius,

Religionis Athlas, vox, & manus altera Pauli,
Mors Lutheri, cæli ianitor, Orbis amor.

Religionis Christianæ luctibus atq; funeribus subuenisse existimatur. Sit nomen Domini sempiternis sæculorum ætatibus benedictum. Ei Commentariolo Odam lugubrem, & epistolam plenam quærimoniarum, doloris nostri indicem, adiunxi, vt te quoq; ad societatem molestiæ meæ adiungam, mihiq; nonnullam leuationem adferam. Omnis enim acerbitas tantò leuior atq; tollerabilior esse consueuit, quantò inter plures diuiditur, sicut onus quod multorum simul humeris & viribus sustinetur. Benè vale, & nos quod facis, ama, nec amare desine. Datum Romæ 3. Februarij, Anno M. D. LXXXII.

Tibi addictiss.

Stanislaus Rescius. S. P. S.

IOANNI CANONICO VARMIENSI.

Stanislaus Reſcius.

REuerende Domine, Quòd à morte sanctissimi & omnium sæculorum memoria & prædicatione dignissimi Cardinalis Hosij domini & patroni mei beneficentissimi nullas ad te literas dederim, in causa fuit infinita quædam vis lachrymarum & dolorum, quæ me omnibus acerbitatibus intercluſum tenuerunt, ac omni facultate dicendi scribendiq; spoliarunt, statumq; illum nostrum & æquabilem vitæ rationumq; cursum conturbauerunt atq; confecerunt. Etsi enim in amissione tam salutaris viri, non ego solus, sed orbis Christianus vniuersus incredibilem iacturam fecerit: me tamen vnum hæc ruina oppressisse præcipuè videtur, qui à teneris annis in illius penè sinu, & gremio educatus, eiusque exemplis & institutis instructus, ac incredibilibus beneficijs cumulatus, in tantam ad extremum orbitatem incidi. omnibusq; vitæ præsidijs & iucunditatibus ita subitò despoliatus sum, vt vitam quoque ipsam non ob aliud mihi relictam existimem, quàm vt præbeat sensum materiamq; malis. Quomodo enim quæso te hæc mihi vita vitalis aut iucunda esse potest, cùm ei vitam ademptam videam, qui multis vitam dare solebat: ei vitam ademptam videam, qui multos à morte ac à peste ad vitam salutemq; sempiternam reuocabat: ei vitam ademptam videam, qui solus propemodum rectè vita vti sciebat. Quibus inquam oculis hanc tantam Ecclesiæ solitudinem, eam excellenti, sicut de suo Basilio ait Theologus, gloria detonsæ ac spoliatæ atque huiusmodi corona excussæ aspiciemus. Bellum Hæreticorum imminet, & qui ducem se præbeat nobis non est? labo-

rat

rat infirmitatibus Ecclesia, & medicum non inuenimus: tempus consilij est, & consilium dare solitus abijt: Helias assumptus est, & Helisæus non est relictus. O calamitatem intolerabilem, cuius exitus non apparet: O noctem acerbissimam: quæ lucis ortum non expectat: ô infœlices tenebras, quæ solem non sperant? Amisit Ecclesia Dei confessorem, Religio propugnatorem, hæresis euersorem, patria senatorem, antiquas conseruatorem, nouitatis depulsorem, populus doctorem, docti præceptorem, pietas tutorem, impietas persequutorem: Pastores exemplum, impostores aduersarium, veritas domicilium, falsitas inimicum, orbis vniuersus in tantis tenebris lumen clarissimum amisit. Et intereà, sicut ait ille fax, nusquam Christus dormit: Misereor tui ô Dei Ecclesia, ac tui quoque patria mea dulcissima, quòd in hoc valdè necessario tempore, in his communibus miserijs & ærumnis, in hac tanta rerum omnium conuersione, in hoc religionis naufragio, in istis Regnorum & Rerumpub. excidijs, tam certum calamitatum omnium perfugium, rerum agendarum regulam, nauarchum peritissimum, columnam solidissimam, virtutum omnium domicilium, ex istius vitæ statione, & ex omni hominum consuetudine emiseris. At tibi vicissim ô magne homo Dei & fidelis serue, & mysteriorum dispensator, & arca virtutibus abundans (ignosce mihi diuina anima nunc & anteà semper maximè veneranda: facit enim me in eius laudibus longiorem non loquacitas mea, sed merita tua, & meum incredibile in te studium) quo verborum honore Regni cœlestis possessionem & coronas & triumphos gratulabor? Si mihi linguæ centum & ora centum essent, nec tuam fœlicitatem, nec illius patriæ dignitatem vllius orationis vbertate assequi atq; explicare possem. Lætantur proculdubiò ipsæ quoque Beatorum animæ, quòd tu nouus Christi confessor confessorum in cœlis numerum auxeris. Lætantur ad se moribus consimilem venisse, athletam athletæ, coronatum coronati, animo castum corde puri, præconem sermonis, ministri sermonis. Nos autem quod attinet, si ad vota singulorum respicio, quandocunque tandem obijsses, parum vixisses, si ad res gestas satis diu vixisti, si ad memoriam operum semper viues. Is enim erat innocentissimæ vitæ tuæ splendor, ea verborum & eruditionis vbertas, ea vultus orisq; dignitas, ea morum suauitas, tantum prætereà iuuandi proximi desiderium, tam ardens de Varmiesi. Ecclesiæ, atq; adeò omnium ecclesiarum salute, deq; Elbingensiū cōuersione, sine vlla vel tēporis vel contentionis remissione sollicitudo, vt nunq; non esset mors tua Christ. Reip. immatura futura. Sed parce tu quoq; mihi frater charissime, quòd in istarum rerum commemoratione, & libenter & studiosè hæreo: adhuc enim cum Hosio viuere, cum illo mihi loqui videor. Prætereà verò Hosium laudans, virtutem laudo: virtutem laudans, Deum laudo. Interest omnium, qui virtutem, qui pietatem colunt, scire Hosium quis fuerit: erat enim maximum & singulare viuendi morien di exemplum nobis propositum: ita vt nisi pulcherrimum istud & ὁσίᾳ cognomen à maioribus suis hæreditarium accepisset, id ipse sibi posterisq; suis virtute sua peperisset. Bonus inquam, & perfectus erat doctor Hosius, faciebat quod docebat, ac omnia vitæ suæ tempora & momenta tanta cum innocentiæ laude transegerat, vt nullus vnquam eum diem viderit, quo cuiusq; interesset Hosium mori. Tanta prætereà contentione atq; doctrina, verborumq; & sententiarum vbertate fidem Ecclesiæ Dei, cùm scriptis in omnes orbis Christ. partes feruentissimis illis & admirabilibus epistolis, tum etiam libris editis propagauit, vt quod olim de Gregorio Taumaturgo, hoc de Hosij quoq; nostri lucubrationibus rectè dici posse videatur. Quod ea ipsa Dei mater virgo scribenti dictitauerit, nec alia post illum scribendi contra hereses materia scriptoribus vllis relicta esse videatur. Quo factum est, vt Hosius Orbi Christiano valdè magnus esset, Hosij gloriæ orbis angustus videatur: cæterorum enim mortes priuatos, hæc vna communē quendam luctum & dolorem in animis piorum & intelligentium hominum excitauit. Ex quorum ego libris & literis, 200. ferè testimonia magna cū animi mei voluptate collegi, quibus illi, quasi conspirōne facta, totius laudis & gloriæ principatū, cùm in cultu pietatis tū in doctrinæ & eruditionis excellētia attribuūt. Alij columnā Ecclesiæ vocāt, alij ornamētū Collegij Cardinal. alij splendorē Curiæ Romanæ, alij Phœnicē Cardinaliū, alij Polonicū Patriarcham, alij senē verè Abrahamicū, alij malleū hæreticorū, alij nostri tēporis Augustinū, alij alterū Poloniæ Stanislaum, nouū Bassarionem, Melchisedechicum sacerdotem, nunq; satis laudatū Ecclesiæ defensorem, rectæ fidei custodem vigilantissimū: Orbis miraculū, patrem patratum, Romani senatus ornamentū, Apostolicę sedis propugnaculū, Christi fortissimū Athletā, formidabilē hæreticorū aduersarium, senē suauiloquentem, alterum Numā, micans Latij lumen alij syncerę pietatis magistrū, Dei interpretem, alterā Pauli manum, alij alijs laudibus celebrant, & vsq; in sydera tollunt: omnes vno ore sanctissimum, pientissimum, sapientissimum, doctissimum, integerrimum, antiquæ pietatis imaginem appellant, eas q; etiam laudes cantare celebrareq; adhuc non dubitant & docti in bibliothecis, & indocti in circulis, & magistri in scholis, & Antistites in sacris, & Prædicatores in cathedris, & in versibus Poëtæ, & in montibus Eremitæ, & in orbe terrarum genus Christianorum. Habebat enim in se reuera Abrahamicus ille senex, quo totius orbis oculos in sui admirationem conuerteret, habebat Petri fidem, Pauli charitatem, Ioannis integritatem, Augustini, doctrinam, Basilij grauitatem, Athanasij Zelum. Chrysostomi eloquentiam, Ambrosij libertatem, Gregorij vigilantiam, in seipsum Hieronymi seueritatem exercebat. In conuersatione & consuetudine hominum Meletium, in contemptu vitæ martyrijq; desiderio Cyprianum referebat, (non enim vereor, ne sanctissimi illi viri inuideant, si ijsdē quib. ipsi abūdabant laudibus, hic eorū discipulus & imitator honoretur) didicit qd docuerunt, fecit quod iusserūt, sequutus est quò præcesserūt, & dū illos in omnibus vitæ studijs imi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatur, ipse quoq; posteris suis se præbuit imitandum. Fuit enim ad extremum velut arca quædam virtutibus abundans, ex qua in orbem vniuersum totius pietatis exempla emanabant. Fuit velut quædam vox clamantis in orbe Christiano: Non est fides nisi vna, & quicquid extra vnam fidem est, non fides, sed perfidia est. Fuit velut manus, cathedram vnitatis, in qua Dominus posuit doctrinam veritatis, ostendens: Fuit velut tuba vastum in auribus omnium clangorem fundens, quòd quisquis cum Rom. Ecclesia in fidei doctrina non concordat, Christianus non est: Nisi quòd in omnibus Hosij laudibus percensendis, non me, sed Hosio laudatore opus esset. Hoc autem excepto, quicunq; Hosium laudare voluerit, aut mecum sit, aut me sequatur oportet. Neq; mihi tamen in hoc officij prædicationisq; genere pertimescendum esse video, ne dulcedine diuturnæ, quæ mihi cum Hosio intercessit consuetudinis delinitus, libentiùs hæc omnia prædicare de illo videar, quàm veriùs, cùm ita communis, ita constans, ita perpetua, sit omnium de illius pietate opinio, vt etsi præcipuum esse meum erga illum studium debeat, penè tamen æqualiter cum cæteris videatur versari. Hisq; ego interim rebus & cogitationibus in hac orbitate mea pascor, his delector, his perfruor, quòd amplissimi quiq; atq; optimi viri de Hosio nostro opinantur, non secus ac de homine è cœlo in terram ad salutem Reip. Christianæ delapso, quod nemo bonus, nemo Christianus est, qui modò se Catholicum esse meminerit, qui Hosio totius pietatis testimonium & eruditionis laudem non admurmuratione tacita, sed voce & clamore & literis non perhibeat. Quæ ego omnia, & si de Hosio meo semper expectaui, hæc optaui, hæc speraui, hæc precatus sum, hæc euentura prædixi, cùm illam vitæ innocentiam, illam morum suauitatem & elegantiam per 20. ferè continuos annos, non solum ad exemplum patriæ nostræ, totiusq; ordinis Ecclesiastici, sed etiam ad memoriam sempiterni temporis huic nostro seculo donatam aspicerem, plura tamen quàm sperabam acciderunt: sed iterum veniam abs te peto: loquaciorem me facit amor: loquacitas autem (sicut ait ille) in ædificationem nulla turpis, si quando turpis: Non est inquam reprehenda loquacitas cum nimio amore pietatis, & nimio odio impietatis, plura quàm res postulare videtur, aliquando loquimur, sed nec quenquam tali futurum esse ingenio puto, vt omnes Hosij nostri laudes ita possit mandare literis, vt ea quæ dixerit, facta non ficta videantur esse. Me quod attinet, etsi mihi secretarij & familiaris nomen mors illius abstulit, cultum tamen erga illum meum & obseruantiam, & diuturnæ consuetudinis ac beneuolentiæ memoriam non ademit. Quominus etiam tantam illam pietatem, tam incredibilem sapientiam, ac penè diuinam eruditionem, tam inusitatam clementiam, tam feruentem Charitatem, tam raram humilitatem: tantum deniq; in maxima potestate rerum omnium modum, tacitus apud te præterire potui. Ad extremum autem te etiam atq; etiã peto & quæso, posteaquàm me calamitatis eius acerbitate ita fractum & deiectum esse vides, vt non solum animi, sed & vultus & frontis, & oculorum hilaritatem in sempiternum tempus amiserim, ne me vnquam consolationibus tuis suauissimis, orationumq; præsidijs destitutum derelinquas, sed has vitæ nostræ tenebras, vel potius istum nostrum carcerem, imò mortem, imò funus & cineres, cùm ad altare domini steteris in sacrificijs tuis illius bonitati cõmendes. Hæc. n. omnia solo meo, solo inquã meo Hosio, vel potius patriæ nostræ, totiusq; orbis Christiani, extincto, quasi conspiratione facta totũ planè vitæ rationumq; mearum cursum euerterunt, vt si mecum hoc tempore esses, non eum profectò videres, quem reliqueras, non eum quem noras, quem flens flentem via Flaminia prosequentem ad pontem Miluium proficiscens dimiseras, ne vestigiũ quidem eius, nec simulachrum, sed quandam spirantis mortui effigiem videres. Etsi enim nihil magis in hoc meo calamitoso tempore curo, quàm vt ne curem, néue doloris magnitudine succumbam, nec esse quicquam solitudine amicius, statuam omnesq; vmbras & recessus appetam, in quibus mihi omnis ferè semper sermo est cum sacris literis, hæc tamen omnia quocunq; me verto dolor ex amissione Cardinalis Hosij acceptus interpellat, eum pozrò fletus sequitur, cui repugno quoad possum: sed adhuc pares non sumus. Quo magis me, quem tuis orationibus subleuandum suscipias dignum esse putabis. Ego verò idem vicissim tibi impendam apud venerandos sanctorum Apostolorum cineres charitatis officium. Quæ geruntur in vrbe ex D. Stanislao Hosio, eius de quo agimus Cardinalis nepote, cognosses, cuius rationes tibi cæterisq; dominis, & confratribus nostris paulò profectò diligentius cõmendarem, nisi vos omnes sponte vestra ad augendam & ornandam illius familiæ dignitatem, incitatos esse mihi persuaderem, quæ nobis tam salutarem Ecclesiæ Dei virum, Episcopum planè Ecclesiæ natum, memorem sui nominis, maiorum suorum imitatorem, tam præclaris ad imitandum exemplis abundantem, vel vt Theologi de Basilio verbo vtar διὰ ἐξοχὴν, velut sydus quoddam ad illuminandos cæteros in hac propè deposita Reip. Christianæ parte produxit. Benè vale & nos quod facis, ama, nec amare desine. Romæ Decemb. 1579.

FINIS libelli de transitu & morte Cardinalis Hosij.

DE

DE OBITV MAGNI STANISLAI HOSII CARDINALIS,

EIVSDEM

ODE LVGVBRIS.

Ecclesiast. 44.

Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. Multam gloriam fecit Dominus, magnificentia ſua à ſæculo.

QVis meo fundet capiti liquorẽ?
Quis dabit fontem lachrymis ſcatentem,
Flere dum mortem paro luctuoſam
Præſulis HOSII?

Tigris emittat gemitu ſtrepentes
Vortices Phiſon riget ore lato
Mixtus Euphrati, tribus atq; fletus
Vnda ſit vnus.

His Geon iunctus lachrymoſa pandat
Ora, diffuſis ſuper aruarinis,
Irriget latos lachrymando campos,
Viſtula præceps.

Axis à ſummo bipatentis Orbe
Depluat cœlum grauidis opertum
Nubibus, cœlum pluat è recenti
Flumina rore.

Quid nites Titan? tenebras Polonis
Hæc dies adfert HOSIVM iacentem
Dum vides, albas picea quadrigas
Obtege velo.

Nube ſub tetra lateat bicornis
Luna, funebres cieant querelas
Aſtra, deplorent miſeratæ mortem
Præſulis almi.

Præferant triſtes elementa luctus,
Nil ſit in cœlo vel in Orbe latum,
Gaudium mœret, ſubit ecce virtus,
Iura ſepulchri.

Mors Staniſlaum fera Varmienſem
Præſulem, terræ columen Polonæ,
Abſtulit nobis, rubei nitentem
Laude galeri.

Sed notis tantis non erat neceſſe
Vt ſemel dicas HOSIVM iuuentus
Mille per annos oritura notas
Arriget aures.

Surgit è matris gremio futurus
Fulgidum vitæ ſpeculum, futurus
Forma virtutum, celebris futurus
Ætheris aſtrum.

Surgit vt candens roſa rore tacta,
Surgit vt ſpargens foliis odorem
Lilium, ſurgit velut excitatus
Rore hyacinthus.

Matris ex æluo veniendo, ſempor
Purior vitro, niue vixit alba
Albior, vixit magis ô columba
Simplice ſimplex.

Hic iugo Chriſti puerile collum
Subdit, & ſtiuam capiens aratri,
Vt decet, ſulcat bonitatis aruum
Vomere pacis.

Hic nouum ſeruans hominem, vetuſtum
Pergit antiquo ſpoliare Adamo,
Sic nouo tectus ſacroſancta Ieſus
Membra ſubintrat.

Cordis ex agro tribulos reuelit,
Semen irrorat lachrymis in alta
Mente iactatum, geminas daturum
Tempore fruges.

Spiritu carnem domitat petulcam,
Ocium pellit gelidum labore
Feruido ſomno vigili profundum
Pellit ocelo.

Totus incumbit precibus beata
Regna ſuſpirans fluidis in horis
Pectus irrorat lachrymis inuenta
Vincit amores.

Non minus cœlum precibus fatigat,
Quàm pio cultu lachrymis nigrantem
Abluit noctem, Sathanam repellit
Dulcibus odis.

Spe polo pendet, nihil eſt in Orbe
Quod velit, cenſu ſuper aſtra ſeruans:
Et Liam ſponſus ſimul & Rachelem
Caſtus amauit.

Venire ieiuno famis atra diræ
Bella denincit, ſuperans anhelam
Mox ſitim dulcis meditando IESV
Fel ſub aceto.

Rimulam tranſit velut anguis arctam,
Sub manu Saræ ſubigit ſuperbam
Agar, ad curſus agitat aſellum
Verbere inertem.

Diua ſcrutatus monimenta Patrum
Sacra deguſtat rudimenta IESV
Deditus: Marthæ pia Magdalena
Suſcipit acta.

Ille doctores celebrandus inter,
Igne diuini rutilans amoris
Pectus errantum face veritatis
Irradiauit.

Hoſtis effectus Sathanæ repletur
Spiritu Chriſti, capit arma, cæcas
Detegit technas, precibus maligno
Proterit artes.

Omnibus chaos ſuperumq; Regi.
Nactus eſt illo tribuente dotes,
Quas miniſtrator Domini fidelis
Sparſit in omnes.

O quot à falſis fidei magiſtris
Saucios vera medicauit arte?
O quot intactos per amœna IESV
Prata cibauit.

Hic oues paſtor vigil è periclis
Liberat multas, licet ore ſicco
Acer huc illuc lupus vſq; circum
Curſat ouile.

Laurea fulſit gemina pudoris,
Et bonum famæ retinens odorem,
Carnis & ſeruans animæ decorem
Virginitatem.

Martyr eſt, carnem cruciando: virgo
Eſt, habens pulchræ bona caſtitatis:
Doctor exemplis: calamo, loquela,
Inſtruit omnes.

Ergo

Ergo iam lassum latus hic reponit,
Hec quies illi placuit laborum:
Pulchrior nullus locus est in Orbe
Nobiliorq;.
Magne (tenomen decet istud) Hosi,
Magne firma, spe, fide, charitate,
Magne doctrina, minimi clientis
Suscipe dona.
Iámne abis? & nos properans relinquis,
Quos tamen sola regione linquis
Semper adnixa sine fine tecum
Mente futuros.
Iámne abis? fœlix tamen & recedens
Semper huc ad nos animo recurre,
Esto nobiscum licet ad paternam
Veneris vrbem.
En tuam Præsul bone charitatem,
Orbis aut alter, neq; mors reuellet
Corporis vita moriente vita
Viuet amoris.
Vnde complexi sine fine charum
Pectus hæremus laqueo fideli,
Quaq; contendes comites feremur
Mente sequaci.
Qando mortalis fueras, iuuasti
Nos precum semper studio tuarum:
Nunc pols ciuis tueare gentem,
Oro Polonam.
Patriæ magnus pater eruentis
Tura tempestu lacerata reponis,
Hinc licet Surgat Boreas, fremensq;
Hinc ruat Eurus.
Huius imprimis tibi cura Regni
Adsit, & clemens patria fauento:
Sit fames, pestisq; procul quiescant
Asperabella.
Nónne tu nobis monumenta vitæ,
Vita dum terris tua luxit alta
Voce prompsisti ô gregis alme custos
O bone pastor.
Gaudeo mundi iubar vniuersi,
Quod meis viditoties diebus,
Illud excellens decus omne dicam
Vrbis an Orbis?
Sint Deo grates, quod amore tanto
Nos tibi astrinxit per operta vincla,
Vis vt internam valeat catenam
Rumpere nulla.
Pro datis magnis tibi, diue pastor,
Seruitus quenam poterit rependi?
Nulla compensant precium salutis,
Vota precantum.
Namq; te celsum meritis in altum
Culmen imponit preciosa virtus
Inq; viuentum super vrbe magnis
Turribus addit.
In diem atq; horam sine te misellus
Nequior fio, vitiorum in omnes
Pronior sordes, facilem ruenti
Porrige dextram.
Pande, si Resci est tibi vita cure,
Vt fuit quondam, rutili coruscum
Ætheris callem, sacra pande summi
Ostia regni.
Auribus gratis pater alme tandem
Quas tibi laudes cecini libenter
Sume, nec spernas modulos fideli
Pectore promptos.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parui facit, & loquendi
Cura de sanctis vitiosa non est
Quamlibet insans.
Scis Deum nunquam potuisse flecti
Voce precantum, fer opem roganti
Diue defensor, pia vota IESVS
Ocius explot.
Vnicum Gentis decus ô Polonæ,
Hæresum victor venerande salue:
Sis salus nobis miseris, tuamq;
Respice Gentem.
Impetra pacem populi, salutem
Corporum, vires animæ, benignum
Aerem, gratam pluuiam, quietæ
Commoda vitæ.

Lex Romanorum.

Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, easq; ad cantus, & ad tibicinem prosequantor.

FINIS.

Universidad de Puerto Rico